XI. 14.18
1.2.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
18 C
26

13-20, 9 60

DE IVRE STATVS
SIVE
DE IVRE DIVINO
ET NATVRALI
ECCLESIASTICAE LIBERTATIS
ET POTESTATI.

AVCTORE
THOMA BOZIO EVGVBINO
Presbytero Congregationis Oratorij.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Typis Bartholomæi Bonfadini. M D C.
SVPERIORVM PERMISSV.

Reuerendiſſimo P. F. Ioanni Mariæ à Briſi-chella Sacri Palatij Magiſtro.

Legi diligenter Libros, quibus Titulus, DE IVRE STATVS, ſiue de Iure Diuino, & Naturali Eccleſiaſticæ libertatis, & poteſtatis, apprime Reuerendi Thomæ Bozij, &c. Nihilque in ijs deprehendi, aut cum fide catholica pugnans, aut Chriſtianæ Reipub. bonisque moribus aduerſum, noxiumue, ſed quin maxime conforme, conſentiensque. Quin ita in hoc opere copioſè orthodoxè, ac ſolidè omnia explicantur, vt libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ propugnaculum non immerito dici poſſet. Quare eruditum imprimis, doctumque, ac omnibus partibus abſolutum opus ſtudioſis perutile cenſeo, dignúque cum his, tum aliis de cauſis, vt publice edatur, exiſtimo. Hanc autem conteſtationem manu propria ſcripſi, ſubſcripſique. Romæ Anno Salu. 1600.

Antonius Perſius Materanus V. I. art. & S. Theologiæ D. inter omnes minimus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo M. S. P.

P. Epiſcopus Iſernien. Viceſg.

Imprimatur

F. Gregorius Seruantius Mag. & Soc. Reuerendiſs. P. M. Sac. Pal.

SANCTISSIMO PATRI ET D. N. CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

Thomas Bozius Congregat. Oratorij Presbyter Sempiternam Felicitatem.

NATVRA humana tota omni in re, atque omni momento ſic appetit Deo coniungi, vt hoc inſeparabiliter eſſentiæ ipſius ingenitum, fluensq; ab illa eidem iugiter dominetur; neq; ſingi poſſit pũctum, res ve, quo poſſit velle in eum non ferri: contra ſemetipſam pugnat, ſi quando nolit eo ferri: ſomno vacat, vt obediat eius iuſſis, vegetior ad illa explenda exurgat. Verum non poteſt hoc aſſequi, niſi eodem iure, omni in re, omni momẽto velit parere Eccleſiæ Sãctæ, ſiue eſſe è populo Dei, ac veluti illius Ciuem quælibet agere. *Neque enim poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrẽ.* Quocircà hæc toti humanæ naturæ omni in re, atq; omni momẽto ſimiliter eodẽ iure naturali, ac diuino nobis ingenito dominatur. Quod Sãcti oẽs, ac Doctores omnium maximi perpetua doctrinæ ſucceſſione tradunt. Hinc, ſiquãdo illi vlla in re nõ obeditur, turbata humana natura neceſſariò naſcũtur turbæ, iniuriæ, rapinæ, ſeditiones, bella, vaſtationes, & omnium ruinæ. Stare enim nequit, niſi in loco cõcupitæ quie-

Cap. 1. Ex quo Eccleſia Sancta eſt totius Mundi Regina iure naturali, ac diuino.

Cypr. de vnit. Eccle.

tis vltimo, qui eſt Deus, aut in ſemita ad illum ducente, q̃ ſola Eccleſia monſtrat. Ac licèt cæca, ſentit tamẽ intimè, quæ ſibi repugnant. Hoc ſcilicet ius ve-
l. 1. de acq. r. dom. hemẽtiſſimę propenſionis, à Deo ingenitum, non modo cũ genere humano, quod ait Caius, proceſsit, ſed
Cap. II. illi eſt coeſſentiale. aliud adhuc ſecundo loco, ius naturale intimè fluẽs ab ipſis rerũ naturis, ipſisq; à Deo ingenitum eſt, vt homini ſeruiãt tendenti ad Deum. nihil namq; eſt creatum, quod ex tota eſſentia ſua nõ ad hunc vniuerſalem finem ſit factum, fiatve; neq; eſt punctũ, quo poſſit vllo iure ſeruire in alium finẽ, qui non ſeruiat omnino huic omnium finium fini; ſit contra omnium rerum naturã, ſit cõtra ius illis immutabiliter innatũ, cui ſunt ineuitabiliter illæ ſubiectæ; ac proinde Eccleſiæ Sanctæ mundi Reginæ eodẽ iure ſubiectæ, cum nihil ſeruiat in Deum tendenti, niſi aperiant aditum ad illum claues regni cæleſtis, quæ datæ ſunt Petri ſucceſſoribus Eccleſiæ Paſtoribus ſu-
Cor. 3. Rom. 8. Cap. III. premis. Hinc legimus, *Omnia veſtra ſunt, omnia cũ illo nobis donauit*, Iure quidẽ. nam tertio loco veluti quarumlibet rerũ diuinitus inſito, ac naturali iure ſunt diuerſi gradus, ſic hominum quoque, ad explicandã potentiã, ſapiẽtiam, bonitatemq; diuinam. Hinc neceſſario ſunt ex hominibus ſciẽtes, neſcientes, potentes, ac non potentes; ac proinde qui poſſunt, ac ſciunt infallibiliter homines perducere ad Deũ, ſingulasq; res eodem modo ordinare. Ab initio quidem Deus Adamo, Noe, poſterisq; eorum delectis ingenuit ſupernaturalem ſcientiã, poteſtatemq; ab æterna ſapiẽtia, ſiue æterno potentiæ paternæ charactere, qui ſingula quæq; ordinat, participatam. Deinde eamdem Clericis, Sacerdotibus, Epiſcopis, Epiſcoporũq; Epi-

ſcopo

ſcopo indelebiliter ingenerat, ac ſupra intellectus,
potentięq; naturalis mætas attollit illos, *Quos Spiri-* *Act. 20.*
tus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei viui, quæ eſt colũ- *1.Tim.3.*
na, & firmamentũ veritatis, Idcirco excidunt, & cor-
ruunt in tenebras viri quavis rerum ſcientia præpol
lentes, qui Dæmonas rerum naturalium cognitione
excellẽtiſſimos imitati, nõ ſubijciunt hanc Eccleſiæ
Sanctæ, *In captiuitatẽ redigentes omnem intellectum* (πᾶν
νόημα omne intellectum, & omnem intellectum,) *in ob-* *2.Cor.10.*
ſequiũ Chriſti, qui eſt ſplendor paternæ gloriæ, figura (Græ
cè character, vnde noſter participatur) *Subſtantiæ eius*
portãs omnia verbo virtutis ſuæ. Ordinatiſſimè vniuer
ſa. Nam quarto loco Deus, vt homines ad ipſum per- *Cap. IV.*
ueniãt intime cuncta naturalia mouet, Angeli ſingu
lis rebus præſidentes ad hunc finem lege ſempiterna
quibuſlibet creatis prȩſunt, & Chriſto homine (vt Sã
cti Dionyſius, Iuſtinus, Irenæus, Clemens, alijq; om
nes tradunt) iubente, ſingula quæq; ordinant, dant,
tollunt humanarũ rerum varia viciſſitudine, vt hoc
iure perducant homines ad Deum; ad quem ſemper
illi aſpirant, ad quem cuncta tendunt, & ad quem ſo
la ſcit, ac poteſt Eccleſia Regina euehere mortales.
Nõ enim ſatis quasvis doctrinas, & artes callere, ſed
ijs vti eſt neceſſe eo modo, quem ſola ſcit in tempore
Eccleſiæ Sãctæ clauis, & character, qui vel ſolo aſpe
ctu Dæmonas fugat, mentes purgat, & occultorũ no-
titia licet reluctãtes, quod ſuo loco dicetur, illuſtrat.
Hinc legimus, *Vniuerſa, propter ſemetipſum operatus eſt* *Prou. 16*
Dominus, & Pater vſque modo operatur, & ego operor. *Ioan. 5.*
Cum Deus itaq; cũcta efficiat, ac moueat intime, An
geliq; ordinent immutabili, atq; interna lege rebus
præſidente, vt homines ad Deum perducant, eodem

iure,

iure,ac lege præſidet eis ſola ad illū perduces mundi Regina, cuius Paſtori eſt dictū, diciturq; quotidie,

ttb.16. *Super te ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues* (quæ ſunt eadem cū charactere) *regni cælorū, & dabo illi poteſtatem,*

oc.2. (ἐξουσίαν dominium deſpoticū) *ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli cōfringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Quocirca ad inferorū portas pertinet, quodcumq, non ſubiicitur Chriſti Sponſæ. ab illa ſe abiungens, qua parte ſe abiungit, eſt in Dæmonis, & omnium malorum poteſtate. Atqui *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, vt nullū timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.*

Iob. 4. Sola tātæ Reginæ ſupernaturalis poteſtas illi imperat efficiens, ne ſterilitates, morbos, peſtes, terræmotus, turbines portētoſos, inundationes, incēdiaq; immittat; immittuntur, ea contēpta. & quādo non poteſt poteſtas naturalis hominum vitā tueri aduerſus illum, ſingulos, vbi libitum fuerit, occiſurū ſecumq; ad infera perducturum, poteſtas ſupernaturalis Eccleſiæ Sanctæ per merita, & preces vim deſumentes à Chriſti corpore oblato, ac per Angelos adminiſtros, charactereq; participatum penetrās totius Orbis creaturas (ait S. Cyrillus) eam tuetur, atq; hoc primum bonum, ac poteſtas in humanū genus ab Eccleſia Sancta.

Bonum, poteſtas homines priuata p Eccleſiam Sanctam.

II. Huic ſecundum ſuccedit, nō poteſt poteſtas naturalis homines tueri aduerſus dæmonem, ne adducat illos in perpetua Nabuchodonoſori ſeſe in beſtiā mutatum verè credentis deliria, vel in Saulis, aliorūve huiuſmodi furores, quod exoptat hoſtis ille, & efficere valet veneficijs adhibitis, & humoribus corporum perturbatis. Eccleſia Sancta Orbē ter-

ræ

ræ cōplectēs ſupernaturali poteſtate, poteſtati naturali opem fert,ne in hæc mala corruat. Tertiū ſequitur.non poteſt ſe cōtra illum tueri,nè præcipitetur p humorum concitationem, maleficia, præſtigiaq; in facinora Neronis,Domitiani, Læſtrygonum,Cyclopum. Sola Eccleſię Sanctæ poteſtas efficit ne id cōtingat. Quartum vero eſt. Cum iugi coeſſentialiq; appetitu homo quærat Deum cognoſcere, illi aſſimilari, in quibus eſt finis naturæ,nō poteſt hoc.neq; eſt punctum,quo cōtrarius ei non ſit, affirmetq; abſurda de illo contra lumen naturæ abſq; infallibili doctrina & poteſtate ſupernaturali Eccleſię Sanctę, ſeu gratia Dei. Quamobrē nullibi conquieſcit, numq̄ ſuæ naturæ,iuriq; ab hac iugiter fluēti ſatisfacit,niſi in omni re,atq; omni momento ſupernaturalem finem,viáq; in illum nanciſcatur; neceſſarioq; hanc licèt ignara vult, ſine qua finem naturalē,quem videt,non habet: quod ſi illā ſciret, eliceret appetitionis actum. bonū namq; ſemper vult,maximè autem maximum, quale eſt ſupernaturale; quod ſolum totā capacitatem naturæ explet, à cuius fine finis naturalis diuidi ab appetentibus non poteſt; ſed vt noſcens appetat, habeatq; illud, Quinto loco habet à Mundi Regina, quæ vel inuitis, ac remotiſsimis opem fert,ac proinde dimouet oīa mala, affert oīa bona,poteſtatemq; ad illa, ob id huius res,loca,perſonas,iuſſaq; ſpernens totius Orbis bona,ordinem, compagemq; impugnat;aditum facit ad omnia mala:quod probè ſciens S. Petrus non tēporalia,quæ nihili faciebat,ſpectans Ananiæ, Saphirçq; mortē immiſit;Deus verò,vt alia taceamus, omnes,vt videbimus,clades inducit: tanti eſt vlla in re Chriſti,& Eccleſiæ ſponſæ lædere maieſtatē. quas

III.
IV.
V.

ob

ob cauſas non potui non occurrere vna cum pueris Hebræorum Chriſto Regum Regi deſcendenti vna cum ſuis è monte Oliuarum, ſecumq; deferenti poteſtatis, ac ſapiẽtiæ ſupernaturalis oleum, (quod aiunt S. Auguſtinus, Arator, Amenus, & Beda) neque potui non clamare. *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Nec fuit cor ſaxo durius videnti quot mala oriantur, niſi dicamus Chriſtum, vel Eccleſiam Sanctam omnibus naturę humanæ bonis diuino, ac naturali iure dominari. Nam dicentibus Chriſto. # *Magiſter increpa diſcipulos tuos,* Hic reſpondit. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ad ſummam nil boni poteſt poteſtas humana ſine Eccleſiæ Sanctæ poteſtate. Omnis humana ad bonum poteſtas nõ eſt immediatè à Deo, ſed intermedia poteſtate Sponſæ Chriſti. Ab hac ſunt omnia bona in terris; cui cum præſideãt Sacerdotes, merito cum ſapientibus cunctis dixit S. Ignatius, *Sacerdotium eſt ſumma omnium bonorum, quæ in hominibus conſiſtunt.* Tanti autẽ Sacerdotij, tantæq; Reginæ cum S. V. teneat eminentiſſimam Sedẽ, quæ vocatur fons, apex, caput, Solque totius Regiæ & Sacerdotalis poteſtatis, eique omne bonum debeatur, ob id à me minimo libellus hæc explicans defertur ad B. V. collocatam in altiſsimo culmine actionis, contemplationis, & virtutum, quibus Ruthenos ad Boreã, Ægyptios ad Auſtrum in ſinum matris Eccleſiæ reduxit; Reges Occidentis maximos pace deuinciens feraliſſima bella extinxit; Turcas ab Ortu, Arcto, Notho irrumpentes auxiliari ope repreſsit; vndiq; hoc anno Iubilæi ad omnium bonorum fontem mortales ab Orbe ad Vrbem trahit. Inde humilia reſpiciens mihi benedicere, ac precari ne dedignetur.

SVMMÆ CAPITVM ET RATIO ORDINIS TOTIVS.

IVS ſtatus eſt vnum fieri cum Deo. Chriſtus Eccleſiaque vna cum Deo ſunt. Huic eadem cum Chriſto in omnia mundi temporalia propter Sacerdotium corona, & Regia poteſtas. à qua ſint qualibet humani generis bona, ac pendeat omnis omnium mortalium legitima poteſtas. Epiſt.

LIBER PRIMVS

Inquiruntur, ac traduntur deſcriptiones iuris naturalis ac diuini, Eccleſiæ, poteſtatis, ac libertatis, generatimque explicatur perpetuitas doctrinæ perpetuis ſimul euentibus, & actibus confirmatæ.

NAtura humana appetitu coeſſentiali, quod eſt ipſius ius naturale, ita fertur in Deum, vt ſtare haud poſſit, niſi in eum tendat. Atque hoc ius ſtatus, bellus eſt Ariſtoteli, qui ab hac via receedit. non potuit affirmare ille, vt Philoſophus naturalis ſupernaturalem beatitudinem: videtur eam cum gentibus alijs noniſſe ex narratio-

nibus antiquorum traditis à poſteritate Noe. ſine ſupernaturali directione, neque naturalis, neque ſupernaturalis fælicitas, ſeu finis poteſt obtineri ex primaua natura humana inſtitutione. Cap. I.

In Eccleſiaſticis ſolis eſt Poteſtas ſupernaturalis ordinandi humanam naturam in finem, vel fœlicitatem tam naturalem, quam ſupernaturalem. hi ſoli habent clauim poteſtatis, ſcientiæque hanc laici quamuis baptizati non habent. quid ſit Eccleſia, & Eccleſiaſtica poteſtas. Cap. II.

Cum finis det medijs amabilitatem, menſuram, & ordinem poteſtas Eccleſiaſtica, quæ ſcientiæ, poteſtatiſque diuinæ habet clauim, præſcribit omnibus medijs, quatenus appetenda, & habenda ſint, vel fugienda. Cap. III.

Naturali iure externa magis ſunt, vt ſeruiant humanæ naturæ, quam ſibi, humana natura magis eſt, vt ſeruiat humanæ naturæ ſupernaturali, quam ſibi, ac proinde naturali iure omnia ſeruiunt Eccleſiaſticæ poteſtati. nam cuncta ordinem volunt. Cap. IV.

Iure diuino, naturali, non eſt niſi vna Reſp. optima ſecundum naturam toto orbe terrarum: quod Ariſtoteles aiebat, ac proinde humana natura naturali appetitu vult ex hac eſſe. non intelligitur perfectus cœtus humanus populuſve eſſe abſque Eccleſiaſtica poteſtate. vna eſt ciuitas. Eccleſiaſtici ſunt partes eius ſupereminentes eſſentiales. cuncta temporalia ſunt Chriſto directiſsime iure naturali, ac diuino ſubiecta. Cap. V.

Directe ordinat Eccleſiaſtica poteſtas, licet per alios ordinet, ſintque verè Imperatoribus, Regibus, ac Principibus iura ſua, poteſtates diſtincta, actus, ac leges, & Pontifex habeat duntaxat ius in ordine ad Deũ, & aliquid boni verique ſciant, agantve quicumque ei non parent. obligatus eſt Epiſcopus inſpicere ſæcularia, &, cum opus eſt, iudicare. Deſcribitur libertas, ac poteſtas Eccleſiaſtica. per eam dantur virtutes, amplioraque & ſtabiliora bona. Cap. VI.

Is maximè facit, quod vult; qui facit, quod Deus vult. poſſe deficere à dominio, defectus eſt dominij quia ſit dominium. Cap. VII.

Eccleſia iure diuino, ac naturali directè imperat vſibus omnium rerum, atque omnem poteſtatem, dominiumque omnium rerum gubernandarum iuſtum continet. Reſpondetur obiectis quibuſdam, & auctoritate Sancti Auguſtini omnia comprobantur. Cap. VIII.

Quam

Quam ſanctus ſit ordo Eccleſiaſticus, & quomodo non erret, in ſuis decretis. ſæcularis ab ordine Eccleſiaſtico præciſus eſt corrupta natura. diſtinguuntur aliquot quæſtiones, ac medium formale opinionis noſtræ operitur. Cap. IX.

Referuntur ſex tempora ab exordio mundi, creationeque Angelorum; è quibus conſtat ſupernaturalem poteſtatem cunctis naturalibus, ac temporalibus dominari, liberamq; eſſe quoad perſonas, loca, & res ſuas. Cap. X.

Argumenta è diuinis ſcripturis ſummatim collecta, quibus probatur temporalia cuncta, temporaliamque Principes in omnibus eſſe Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiectos. Cap. XI.

Recenſentur Sancti Patres, ac Doctores, qui ab ipſa Chriſti ætate vſque ad S. Bernardum perenni, atque è manu in manum tradita doctrina ſcripſerunt Epiſcopis, ac Pontifici ſummo eſſe in omnia temporalia regiam, ac ſupremam poteſtatem. Cap. XII.

Recenſentur Doctores ſcholaſtici, qui vſque ad ætatem noſtram è manu in manum tradiderunt eadem doctrinam. Cap. XIII.

Vſus Eccleſiaſticæ poteſtatis in omnia terrena, temporalia, Regnaque & imperia mundi totius, ab ipſius mundi ortum ſummatim notatus, qua oſtenditur Chriſtum, ſponſamque ipſius Eccleſiā, cum Pontificibus, & Præſulibus ſuis iure ſummo omnibus temporalibus dominatos, ac dominari. Cap. XIV.

LIBER SECVNDVS

Speciatim referuntur modi, quibus Chriſtus eſt omnium creaturarum tam ſpiritualium, quam tēporalium Rex ſupremus in ſingulis quibuſque ordinandis, & quibus modis imperium tantū tradatur Eccleſiaſticis à Chriſto, & Deo.

QVanta ſit Dæmonum poteſtas in humanam naturam niſi Chriſtus Dominus noſter obſiſteret, huic ob Dæmonum poteſtatem nulla eſſet bona cogitatio, nullus actus bonus, nullus dominij bonus vſus. ac quomodo id efficere ij queant, ac per Chriſtum cuncta in terris ordinentur. Cap. I.

Eccleſia Sancta mundi Regina per Exorciſtæ characterem,ſacramentaliaque Dæmonas fugat,ne bonos animorum impulſus impediant, malos immittant, aut aliquid hominibus noceant ; per donum virtutis,vel poteſtatis idem efficit,punitque contumaces ad alios à criminibus obſterrendos. Per ſacramenta Dei filios efficit, bonos impulſus infundit, per merita preces, & oblationem corporis Chriſti omne in terras bonum deriuat, malum fugat. Cap. II.

Argumenta ad comprobationem ſuperiorum deſumpta è Sanctis Patribus, ac Doctoribus ſupra allatis. Cap. III.

Argumenta ab Ethicis, & Politicis, principijs deducta. Cap. IV.

Argumenta Theologica idem probantia. Cap. V.

Iure naturali, ac diuino eſt vnus totius orbis ſupremus Monarcha. Cap. VI.

Cum velint entia bene diſponi, idcirco neceſſe eſt, vt ſit in qualibet vniuerſitate vnus Princeps, ac multa ad vnum reducantur, ſeculareſque poteſtates ad vnam, auctoritateſque afferuntur id probantes. Cap.VII.

Multis probatur teſtimonijs diuinæ ſcripturæ,ſanctorum,& Gẽtium, Sybillarum, Chriſtum, ſimul atque eſt conceptus, & natus, fuiſſe omnium ſupremum Regem. Cap. VIII.

Multis probatur teſtimonijs diuinæ ſcripturæ,& ſanctorum, Chriſtum priuſquam naſceretur, fuiſſe omnium ſupremum Regem. Cap. IX.

Plurimis diuinæ ſcripturæ, ſanctorumque teſtimonijs explicatur nihil fieri ab vlla creatura, niſi Chriſto homine ſingillatim ſic ordinante,cum ſit omnium rerum, veluti homo ſpecioſus forma præ filijs hominum Rex, & Dominus poſt Deum ſupremus. Cap. X.

Inter omnes gentes celebres ab ortu mundi publica ſemper teſtimonia fuerunt, hominem cælo demiſſum fore omnium creaturarũ Regem ſummum SS. Patrum, Bernardi,ac Thomæ noua ad id teſtimonia proferuntur. Cap. XI.

Probatur multis Chriſtum dum vixit exercuiſſe Regiam poteſtatem,& quinque obiecta confutantur. Cap. XII.

Multis probatur à Chriſto Eccleſiae,Eccleſiaſticiſque communicatam fuiſſe eandem, quam ipſae habet, regiam poteſtatem. Cap. XIII.

Explicatur modus eminentior, quo communicatur, ac deriuatur à

Deo, Chriſtoque Regia poteſtas in ordinatos, teſtimoniaque multa ad hoc afferuntur. Cap. XIV.

In quanta, & quot mala corruerit humanum genus à ſupernatura li ductus recedens; atque vt maxima pernicie ſua in Dæmonum poteſtatem miſerrime deuenerit. Cap. XV.

A characteris impreſſi aſpectu ſolo Dæmones aufugiunt. hic ſeipſo purgat, & illuminat. Clerici ſunt Reges poteſtati ſummæ conſigurati. quantus Eccleſiaſticis honos debeatur. Eorum poteſtas imperitis nota. Cap. XVI.

Afferuntur teſtimonia conſilij Neapolitani, Vaſquij Hiſpani, Rebuffi Galli, & Sacrae Rotae Romanae diffinientia, Clericos non poſſe Laicis ſubijci ab ipſo Pontifice ſummo; quod iuris diuini ſit ipſorum libertas. Cap. XVII.

LIBER TERTIVS

Explicantur ſpeciatim modi, quibus Eccleſiaſtici bona omnia deriuarunt, deriuant, ac deriuabunt in omnem temporalem, ac ſpiritualem creaturam.

CHriſtus venit, vt recapitularet cuncta in antiquum ſtatum, quo idem ſimul erat omnium Pater Sacerdos & Rex veluti fuere Adamus & Noe; ideoq; oſtenditur ob actus, fidem, doctrinamque ſuam clericos Chriſtianos ſiue Eccleſiaſticos ab ortu mundi ac multo magis poſt Chriſtum natum Patres, Sacerdotes, ac Reges. Cap. I.

Explicatur latè Clericos Chriſtianos eſſe per adminiſtrationem ſacramentorum Parentes, Reges, ac participata diuinitatis poteſtate admirabiliter Deos & Datores omnium bonorum animi, corporis, atque externorum. Cap. II.

Summatim recenſentur bona animi corporis atq; externa quæ adfuere cunctis ſupra tractus Rheni Danubijq; poſitis & inſulis adiacentibus, Græciæ, Galliæ, Hiſpaniæq; ipſi Pontificum ſummorum Epiſcoporũ & Sacerdotum ſtudio & laboribus è quibus ſit hos eſſe participata diuinitate admirabiliter Deos, ſapientiæ ma-

giſtros, parentes, & Reges. Cap. III.

Cum ſpectet ad parentes, Regeſq; optimos, ac vere Reges alero filios, qui ſe alere haud queunt, eandem poteſtatem dignitatem bonaq; iis relinquere, tueri bona animi corporis atque externa; idque præſtiterint, ac præ cunctis præſtent Pontifices ſummi, Epiſcopi, Sacerdotes, & Clerici, hinc fit hos reuere eſſe parentes ac Reges. Cap. IV.

Cum Sacerdotes conficiant Chriſti corpus in terris, eiq; clerici ſeruiant, à quo in terris ſunt omnia bona naturalia & ſupernaturalia, maximèq; hæc per illud ſtabũt glorificata, hinc fit ſacerdotes & clericos eſſe participata diuinitate Deos, parentes maxime, & vere Reges, quibus omnia ſubijcientur. Cap. V.

Cum legis antiquae omnia fuerint umbrae eorum quae ſunt in Euangelica lege; & antiquis Sacerdotibus fuerit ampliſſima olim poteſtas data ſupra omnem ſæcularẽ multo maximè noſtris aderit. Cap. VI.

Bona Sacerdotum, & Clericorum quæcumque ſint, magis ſunt pauperum quam bona ſecularium, maximeque ſeruant id quod dicitur vende omnia quae habes & da pauperibus, ideo præ cunctis maxime omnium domini ac Reges, minimeque omnium in malum maximè in bonum & Deum omnium Regis. Cap. VII.

Chriſtus adhibuit, adhibendamque duxit, ac iuſſit à ſuis vim compulſiuam. Cap. VIII.

Argumenta quibus oſtenditur iure naturali, ſuoq; adeſſe Eccleſiaſticis vim compulſiuam, qua valeant ſupra omnem poteſtatem poſitam in terris, compellere alios ad officium ſuum faciendum. Cap. IX.

LIBER

LIBER QVARTVS

Examinantur, atque afferuntur externa teſtimonia probantia ſpeciatim, quoad diuinæ Scripturæ loca Eccleſiaſticam libertatem, quoad alia tùm hanc in primis, tùm poteſtatem.

Poteſtas naturalis, ſeu temporalis, ſine ope ſupernaturalis eſt nulla, neque eſt immediatè à Deo. quid haereticum dicatur eſſe in hac controuerſia, licet poßit, ob ſcandalum tamen Eccleſia non aufert infidelibus dominia ſua, & quodnam ſit ſcandalum tale. Cap. I.

Iure antiquo diuino templa erant exempta, ac multo magis, noſtra maxime vero perſonae. Cap. II.

E Pſalmo 104. SS. Hieronymi, & Gregorij auctoritate probatur Eccleſiaſtica libertas, perſonarum, rerum, ſeruorum. Cap. III.

Cum ſanctificati ſint Eccleſiaſtici Eccleſiaſticaq; & his ſeruientia ad actus publicos religionis: Ideo nefas eſt alijs non ſanctificatis ad illos actus eorum delicta vel Eccleſiaſtica, & his ſeruientia cognoſcere iudicare. Cap. IV.

E facto Pharaonis, & Ioſephi confirmatur Eccleſiaſticam libertatem iuris eſſe diuini. Cap. V.

E Leuitici verbis, conciliorum, Pontificumq; interpretatione aperitur liberas eſſe res ſacras iure diuino, ac proinde etiam perſonas, & quaecumque pertinent ad has perſonas, quamuis alioquin ſacrae haud eſſent. Cap. VI.

Cum iure diuino ſint alendae è publico Eccleſiaſticae perſonae quidquid ad hoc conſecratur, iure diuino eſt ab omni alio iure liberum atq; exemptum, ex interpretatione conciliorum, Origenis, SS. Pauli, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Epiphanij, Thomae, Alexandri Halenſis, ac Caietani. Cap. VII.

E verbis ac factis Chriſti, cum tributum ſoluit cap. 17. Matth. comprobatur Eccleſiaſtica libertas generatim quoad omnia ex interpretatione SS. Hieronymi, Gregorij, Auguſtini, Procopij, Bedae, Anſelmi, Hugonis, Dionyſij, Caietani, ſanctorum Thomae, Bo- [illegible]

nauenturae; Richardi. *Cap. VIII.*

Probatur idem ex illis Chriſti verbis, reddite, quae ſunt Caeſaris Caeſari, & quae ſunt Dei Deo, atque ex interpretatione ſanctorum Auguſtini, Hieronymi, Anſelmi, Bedae, Proſperi, Hugonis, & Dionyſij. *Cap. IX.*

Argumenta deſumpta ex argumēto ab aduerſarijs adducto cap. 13 Epiſtolae ad Rom. ex interpretatione SS. Nazianzeni, Bernardi, Primaſij, Auguſtini, Symmachi, Anſelmi, Hormiſdae, Nicolai primi, Leonis primi, Gregorij vij. Baſilij, Chryſoſtomi, Graecorum, Dionyſij Carthuſiani, & aliorum. *Cap. X.*

Argumenta deducta ab Eccleſiaſticae poteſtatis natura, ortu, atq; ipſa ordinatione ex adducto capite. *Cap. XI.*

Argumenta è teſtimonio SS. Pauli, Ambroſij, Dionyſij Areopagitae, Coſtantini magni, Nazianzeni, Gregorij magni, & arcae dignitate, & exemplo Noe, è quibus concluditur, non licere ſaecularibus vlla de re, & actione Eccleſiaſticorum cognoſcere. *Cap. XII.*

Argumenta deſumpta ex argumento aduerſariorum ab Epiſtola 1. cap. 2. S. Petri, ex interpretatione SS. Iuſtini, Ambroſij, Auguſtini, Bernardi, Thomae, Dionyſij, & aliorum. *Cap. XIII.*

LIBER QVINTVS

Afferuntur adhuc multa externa teſtimonia, ſimulque. Refelluntur multa obiecta, & in aduerſarios retorquentur.

ARgumenta deducta, ex illuſtriſſimis exemplis antiquorum patrum SS. Babylae, Chryſoſtomi, Ambroſij, Syneſij, è quibus probatur Eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas ſupra omnem Imperatoriam poteſtatem, quoad perſonas templa, ac res etiam ſaeculares. *Cap. I.*

Argumenta deſumpta è conſtitutionibus Conciliorum, Epheſini, Romanorum, Lateranenſium, & Tridentini. *Cap. II.*

Argumenta deſumpta è Pontificum Romanorum teſtificatione. *Cap. III.*

Argu-

Argumenta deſumpta è teſtimonijs Imperatorum Conſtantini patris,& filij, Theodoſij iunioris, Iuſtiniani,& Caroli Magni,& omnium iuriſconſultorum ſibi repugnantium, ſi velint aliquid contra Eccleſiaſticam poteſtatem ſentire in rebus vllis alioquin prophanis, quae ad clericos vllo modo ſpectent. Cap. IV.

Argumenta deſumpta ex confeſſione Imperatorum Gentilium & Haereticorum, cum ſanae mentis fuerint. Cap. V.

Argumenta deſumpta ex eo, quod aduerſarij dicunt, non eſſe legem diuinam, quae aſſerat hanc libertatem, ex eo quod S. Paulo contigit. Cap. VI.

Argumenta deſumpta ab eo, quod aduerſarij dicunt, in Eccleſia primitiua non fuiſſe Eccleſiaſticam libertatem, atq; ex ijs, quae Iuſtinianus decreuit. Cap. VII.

Argumenta deſumpta ab argumentis aduerſariorum dicentium à ſanctis praeſtita tributa ſaeculari poteſtati, dictiſque ſanctorum Ambroſij,& Vrbani Papae. Cap. VIII.

Argumenta deſumpta ex eo, quod aduerſarij citant ſancti Thomae, Gregorijque auctoritatem. Cap. IX.

Recenſentur Theologi,& Canoniſtae, qui tradunt Eccleſiaſticam poteſtatem ſaecularem, rerumque Eccleſiaſticarum libertatē, ſanciri iuri diuino. Cap. X.

Argumenta deſumpta & collecta à multis quibus ſeruos, & patrimonialia clericorum bona probantur eſſe immunia diuino, ac naturali iure. Cap. XI.

Argumenta aduerſus eos qui tollunt Eccleſiaſticam libertatem, quod aſſerunt Iudices Eccleſiaſticos eſſe ſuſpectos in cauſis proprijs, ac poſſe compelli, vt à laicis Iudicibus permittant iudicia propria cognoſci. Cap. XII.

Argumenta, quibus oſtenditur, peius agi cum laicis quoad ipſa ſaecularia, cum ſubijciuntur ſaecularibus, quoad ipſa ſaecularia, quàm cum ſubijciuntur Eccleſiaſticae poteſtati. Cap. XIII.

Cum laici manus inijciunt in ſacra, vt ex his aliquod crimen aboleant, tunc incurritur in crimina maiora Deo ſic permittente, quod ordo ab ipſo poſitus fuerit euerſus, atque illinc etiam gentium ruinae regnorumque oboriuntur. Cap. XIV.

Argumenta deducta ex Epiſtola S. Gregorij, quae ab aduerſarijs citatur, & qua ſanctus Eccleſiaſticae libertatis oppugnatores haereticos, ſchiſmaticos, Eccleſiae perſecutores, ſimiles Neroni, & Diocletiano, portas inferi, deſtructores Imperij, multiſque huiuſmodi vocabulis appellat. Cap. XV.

LIBER

LIBER SEXTVS

Confirmatur eadem libertas, ac poteſtas relatis atque examinatis omnium gentium moribus, ac legibus ab ipſarum gentium diſperſione repetitis, & ruinis eorum qui oppugnarunt illã. & quinam Martyres eam ſuo ſanguine conſignarint.

IVs naturale eſt triplex, comuune cum naturis omnibus, commune cum animantibus, commune cum omnibus gentibus. Ab hoc vltimo proficitur humana natura. Duplex eſt perfectio naturalis, & ſupernaturalis, cum ratio humana non poßit comprehendere ſingularia contingentia, diuinitus homini datur donum ſcientiae conſilijque & ad alios regendos ſapientiae gratis datum. principium practicum primum actionum humanarum per ſe notum eſt illud, Deus eſt colendus prae cunctis; hinc ſacerdotum, qui pertinentia ad hoc principium ſciunt, poteſtas ſumma, ac libertas perſonarum ſacrarum, locorum rerumq; ijs ſeruientium ſancita iure gentium coæuo hominibus, quod eſt ipſis propriè, maximeque naturale. Cap. I.

Poteſtas ſumma, & libertas ſacrarum perſonarum, quoad ipſas, quoad loca, & res perſonis ſacris ſeruientes, eſt ante omne humanum genus. & coaua generis humano, quod exemplis Angelorum, Adami, Caini, poſterorum Seth, Noe, Semique comprobatur. caſtitas, & manſuetudo maxime ex igitur à ſacris viris, & mira in hanc rem de elephanto. Cap. II.

Recenſentur ſingulae totius orbis gentes palamque fit è primæuo tempore penes earum ſacerdotes fuiſſe omniũ ſummam, regiamq; in omnia tam ſaecularia, quàm ſacra poteſtatem: E quibus fit iure gentium primæuo, quod eſt homini proprie, & maxime naturale, ſacerdoti eſſe in omnia ſummam, regiamque poteſtatem. Cap. III.

Recenſentur omnium gentium toto orbe terdarum iura, è quibus oſten-

oſtenditur fuiſſe illis immutabili lege templa libera, tutaque ad illa confugientium, vel in his depoſitorum perfugia, ac de aris, lucis, montibus ſacris, & Aſylis, è quibus colligitur, haec eſſe iuris maximè naturalis gentium primaeui, & diuini. Cap. IV.

Latè aperitur, ac ſingillatim probatur ex inſtitutis omnium gentium primitias, decimas, & optima quaeque omnium rerum, praeterea vero primos honores deberi ſacerdotibus ex omnium gentium primaeuo, ac maxime naturali iure neque quidquam tranſigi olim conſueſſe, niſi de voluntate ſacerdotum, quae lex maxime à Chriſtianis obſeruanda probatur: obſeruatio, quid egerit Daemon Chriſto concepto inter gentes. Cap. V.

Latè probatur Hebraeorum ſacerdotibus ab Abrahamo vſque ad Chriſtum fuiſſe a pleriſque omnibus Regibus inimiciſsimarum gentium conſeruatam ſuam libertatem, regiamque in ſuos poteſtatem, ab Amorrhaeis ſcilicet, Philiſtais, Aegyptijs, Syris, Idumeis, Babylonijs, Perſis, Graecis, Romanis, atque innumeris horum poteſtati ſubiectis populis admirabili quadam prouidentia Dei, è quibus conficitur eſſe aeterni, immutabilis, ac naturalis iuris Eccleſiaſticorum praeſulum in ſuos Regiam poteſtatem, libertatemque quoad perſonas, loca, & res ſacras, neque imminui iure ordinario poſſe per ipſum Pontificem ſummum. Cap. VI.

Oſtenditur poſt obitum Chriſti late amplificatam Eccleſiaſticam poteſtatem, cumque fuerint nonaginta tres, tum legitimi, tum non legitimi Imperatores Romanorum praeter Decem, qui conari ſunt auſi Epiſcoporum poteſtatem in Chriſtianos minuere vllo modo, ſed multi conſeruarunt, ac tutati ſunt multis modis. Cap VII.

Libertas & poteſtas Eccleſiaſtica eſt iuris gentium maximè hominibus naturalis, ac primaeui deducti per euidētem neceſſariumque conſequentiam à primo principio actionum humanarum practico, ac proinde eſt ac fuit impertiſsimis gentibus notiſsima. ac retorquetur argumentum, quo ſaeculares vtuntur, dicentes eſſe iuris naturalis iura ſua conſeruare ac tutari. Cap. VIII.

Ariſtoteles maxima quaeque Sacerdotibus danda in Rep. decreuit, & quales voluit eſſe in Repub. qui illam moderantur, talemque eſſe uniuerſitatem ſacerdotum comprobatur. Cap. IX.

Quicumque ab Eccleſiaſtica poteſtate maximè recedunt ij maximè Daemonibus appropinquant, & inferorum portas aperiunt, quod ſcriptura diuina, authoritatibus & euentibus comprobatur. Cap. X.

Quicum-

LIBER SEXTVS

Confirmatur eadem libertas, ac poteſtas relatis atque examinatis omnium gentium moribus, ac legibus ab ipſarum gentium diſperſione repetitis, & ruinis eorum qui oppugnarunt illã. & quinam Martyres eam ſuo ſanguine conſignarint.

IVs naturale eſt triplex, comuune cum naturis omnibus, commune cum animantibus, commune cum omnibus gentibus. Ab hoc vltimo proficitur humana natura. Duplex eſt perfectio naturalis, & ſupernaturalis, cum ratio humana non poßit comprehendere ſingularia contingentia, diuinitus homini datur donum ſcientiae conſilijque & ad alios regendōs ſapientiae gratis datum. principium practicum primum actionum humanarum per ſe notum eſt illud, Deus eſt colendus prae cunctis: hinc ſacerdotum, qui pertinentia ad hoc principium ſciunt, poteſtas ſumma, ac libertas perſonarum ſacrarum, locorum rerumq; ijs ſeruientium ſancita iure gentium coæuo hominibus, quod eſt ipſis propriè, maximeque naturale. Cap. I.

Poteſtas ſumma, & libertas ſacrarum perſonarum, quoad ipſas, quoad loca, & res perſonis ſacris ſeruientes, eſt ante omne humanum genus. & coaua generis humano, quod exemplis Angelorum, Adami, Caini, *poſterorum* Seth, *Noe, Semique comprobatur. caſtitas, & manſuetudo maxime ex igitur à ſacris viris, & mira in hanc rem de elephanto.* Cap. II.

Recenſentur ſingulae totius orbis gentes palamqne fit è primæuo tempore penes earum ſacerdotes fuiſſe omniũ ſummam, regiamq; in omnia tam ſaecularia, quàm ſacra poteſtatem. E quibus fit iure gentium primæuo, quod eſt homini proprie, & maxime naturale, ſacerdoti eſſe in omnia ſummam, regiamque poteſtatem. Cap. III..

Recenſentur omnium gentium toto orbe terdarum iura, è quibus oſten-

oſtenditur fuiſſe illis immutabili lege templa libera, tutaque ad illa confugientium, vel in his depoſitorum perfugia, ac de aris, lucis, montibus ſacris, & Aſylis, è quibus colligitur, haec eſſe iuris maximè naturalis gentium primaeui, & diuini. Cap. IV.

Latè aperitur, ac ſingillatim probatur ex inſtitutis omnium gentium primitias, decimas, & optima quaeque omnium rerum, praeterea vero primos honores deberi ſacerdotibus ex omnium gentium primaeuo, ac maxime naturali iure neque quidquam tranſigi olim conſueſſe, niſi de voluntate ſacerdotum, quae lex maxime à Chriſtianis obſeruanda probatur: obſeruatio, quid egerit Daemon Chriſto concepto inter gentes. Cap. V.

Latè probatur Hebraeorum ſacerdotibus ab Abrahamo uſque ad Chriſtum fuiſſe a pleriſque omnibus Regibus inimiciſſimarum gentium conſeruatam ſuam libertatem, regiamque in ſuos poteſtatem; ab Amorrhaeis ſcilicet, Philiſtaeis, Aegyptijs, Syris, Idumeis, Babylonijs, Perſis, Graecis, Romanis; atque innumeris horum poteſtati ſubiectis populis admirabili quadam prouidentia Dei, è quibus conficitur eſſe aeterni, immutabilis, ac naturalis iuris Eccleſiaſticorum praeſulum in ſuos Regiam poteſtatem, libertatemque quoad perſonas, loca, & res ſacras, neque imminui iure ordinario poſſe per ipſos Pontifices ſummos. Cap. VI.

Oſtenditur poſt obitum Chriſti late amplificatam Eccleſiaſticam poteſtatem, cumque fuerint nonaginta tres, tum legitimi, tum non legitimi Imperatores Romanorum praeter Decem, qui conari ſunt auſi Epiſcoporum poteſtatem in Chriſtianos minuere ullo modo, ſed multi conſeruarunt, ac tutati ſunt multis modis. Cap VII.

Libertas & poteſtas Eccleſiaſtica eſt iuris gentium maximè hominibus naturalis, ac primaeui deducti per euidētem neceſſariumque conſequentiam à primo principio actionum humanarum practico, ac proinde eſt ac fuit inpertiſſimis gentibus notiſſima. ac retorquetur argumentum, quo ſaeculares utuntur, dicentes eſſe iuris naturalis iura ſua conſeruare ac tutari. Cap. VIII.

Ariſtoteles maxima quaeque Sacerdotibus danda in Rep. decreuit, & quales voluit eſſe in Repub. qui illam moderantur, talemque eſſe uniuerſitatem ſacerdotum comprobatur. Cap. IX.

Quicumque ab Eccleſiaſtica poteſtate maximè recedunt ij maximè Daemonibus appropinquant, & inferorum portas aperiunt, quod ſcriptura diuina, auctoritatibus & euentibus comprobatur. Cap. X.

Quicum-

Quicumque Principes inſenſi fuerunt Eccleſiaſticae *poteſtati, ac libertati pro modo culpae exciderūt à ſtatu felicitatis quoad quinque quoad ſe, quoad liberos, quoad agnationem, quoad nobilitatem ſubiectorum, quoad populos ſubiectos. ac primo de imperio occidentali* Romanorum. *Cap. XI.*

Orientales Imperatores quicumque vſque ad Carolum magnum *violarunt* Eccleſiaſtica *iura, in eaſdem calamitates cum ſuperioribus incurrerunt; & idem contigit Longobardorum* Regibus *quoad ſe, liberos, agnationem, nobiles, ac populos ſubiectos. tum nonnulla obſeruanda in euentibus horum* Regum *memorantur. Cap. XII.*

Referuntur ſummatiū cuncta euenta Imperatorum Occidentaliū *quoad ſe, filios, agnatos, nobiles, ac populos ſubiectos. Cap. XIII.*

Referuntur cuncta euenta Hiſpanicae cladis, cauſaeque illorum, cum fuere ab Arabibus occupatae, & cur ex alijs in alias agnationes germinaue illarum regna transferantur. Cap. XIV.

Recenſentur Martyres, qui pro tuenda Eccleſiaſtica poteſtate & libertate occubuerunt. & quid ſpectarunt illi, ſpectandumue eſt cum pro illa certamen ſubitur. Cap. XV.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
S. R. E. CARDINALI
PETRO ALDOBRANDINO

Ius ſtatus eſt vnum fieri cum Deo. Chriſtus Eccleſiaq; vna cum Deo ſunt. Huic eadem cum Chriſto in omnia mundi temporalia propter Sacerdotium coronã, & Regia poteſtas. à qua ſint quælibet humani generis bona, ac pendeat omnis omnium mortalium legitima poteſtas.

BOnorum temporalium ſtatum, iuraq; illius non aliunde eſſe, & pendere diuino, ac naturali iure directius, quàm à ſtatu eccleſiaſticæ libertatis, & poteſtatis cuncta propè euenta ab exordio mundi repetita, naturaliumq; rerum curſus apertiſsimè oſtendunt. Suffragantur huic veritati argumenta vndecunq; conquiſita. Illud nanq; gentes crediderunt, à Deo deriuari bona cuncta in humanum genus non potiſsimum per aliarum rerum ſtudia, vel artes, aut eos, qui diligenter his operam ſuam darent, ſed per illos, quos addictos rebus diuinis ſciendis procurandis tradẽdis antiqui Sacerdotes, nos paſsim ſolemus eccleſiaſticos vocare. Adhũc enim finem Deus naturalia cuncta, noſmetipſos eſt fabricatus, ad hoc ille, ad hoc natura nos noſtra impellit, vt Deũ colamus, illi quã maxime coniũgamur. hic omniũ finis: hic omniũ rerũ Status: hic firmiſsima & imperturbata omninò quies. Ad hunc finem quam directiſsimè dantur à Deo, naturaq; illius ancilla, & ab hominibus, qui Deum Naturamq; inſitam ſequuntur, quæcunq; ſunt naturalia, vel temporalia bona, quæcunq; eſt temporalis poteſtas; vt Deo coniungamur. Sed quoniam Deo cõiungimur, quoties Eccleſiaſticæ, ac Sacerdotali poteſtati, ac doctrinæ obedimus, hinc fit,

ab Eccleſiaſtica poteſtate, Sacerdotioq; cuncta in humanũ genus bona dimanare, ipſamq; temporaliũ bonorum copiã, temporaliũ poteſtatẽ, qđ vt intelligamus ita cõmodè videtur explicari poſſe.

Altiſsimus naturæ totius Artifex (PETRE ALDOBRANDINE Card. ampliſsime) eſt maximè ſibi vnus, ac maximè ſtat, licet in eo diſtinctiſsimæ ſint tres perſonæ. Poſt Deũ Chriſtus (quem non modò Hebræi, ſed etiã cunctæ gentes, vti ſecundo libro eſt explicatum, fore totius orbis, Vniuerſitatiſq; rerum ſiue temporalium, ſiue æternarũ directiſsimum Regem prædicauerunt) eſt maximè Deo, ſibiq; vnus, maximè ſtat, quãuis in eo ſint duæ Naturæ diſtinctiſsimæ diuina & humana in vna perſona diuina ſubſiſtẽtes. Poſt hos Eccleſia Sancta maximè Deo Chriſto, ſibiq; vna & coniuncta maximè omniũ ſtat in ſuos ordines triplici Hierarchia Trinitati reſpondentes diſtincta militãs in terris, triumphãs in Cœlo; quæ quidem primum diuinitatis vno eodemque Spiritu ob animi bona admirabiliter, & maximè connexa cum Deo, Chriſtoq; conſiſtit; Nec ſpiritu ſolum quoad animi bona; ſed etiam corpore cum Chriſto Deoq; quoad eius bona Deo, Chriſto, naturæq; recto appetitui, quæ ad finem ſuum naturalem peruenire haud poteſt abſque ſupernaturali, ſeruitura mirabilius coniungitur per Euchariſtiæ Sacramentum. Quamobrem Chriſtus non modo caput Eccleſiæ, ſed etiam corpus eſſe aſſeueratur. *Nam ſumus membra eius*, ait Paulus, *de carne eius, & de oſsibus eius.* Hoc proprijs libris cõfirmãt Algerius, Paſchaſius, Guitmũdus; tradunt Irenæus lib. 3. Cyrillus Hieroſolymitanus cathecheſis 5. Alexandrinus cap. 15. Ioannis lib. 10. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Atq; huc referunt verba illa Ioannis cap. 15. *Ego ſum vitis, & vos palmites*, & alia apud eumdem c. 17. *Rogo Pater vt omnes* (Apoſtoli ac Diſcipuli) *ſint vnum ſicut tu Pater in me, & ipſi in nobis, vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti, & claritatem, quam dediſti mibi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſumati in vnum.* Propter hanc igitur Eccleſiæ cum Deo Chriſtoq; coniunctionem quoad animam, & corpus ſponſa eſt illa, Ita, *vt non poſsit habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Cyprianus ait libro de vnitate Eccleſiæ ſubijciens huius poteſtatẽ eſſe vt in fonte, ac ſole in Pontifice Sũmo, penes quem clauis eſt infallibilis veritatis perducens hoĩes ad vltimũ ſuũ finẽ. Cum ſit igitur Eccleſiæ non aliud caput quam Chriſtus, rurſusq; huius, & Eccleſiæ ſit idẽ corpus per Euchariſtiæ Sacramentum neceſſario ſequetur, vt vtriq; eadem corona Regiæ poteſtatis imponatur, & eadem ſint bona corpori ſeruientia diſtribuenda pro diuerſitate membrorum corporis, eorumq; functio-

ctionibus. Nam quibus idem corpus, eadem ſunt etiam bona. Quod ſi Chriſtus eſt Rex Regum, Dominus Dominantium, ſimili modo Regina, ac Domina erit Eccleſia, ac ſi ille eſt Dominus omnium temporalium, Domina ſimiliter hæc erit non tollens, ſed continens, ac perficiens inſtar Dei temporalia, naturaliaq; ſimul aliorum dominia. Hæc apertè Iſaias cecinit. nam cum capite 60. dixiſſet, fore, vt ad Eccleſiam gentium fortitudo afferatur cum Regibus ſuis, & adorentur veſtigia pedum eius, & quidquid pulchri eſt, ac pretioſi, ei detur, ponatur in ſuperbia ſeculorum, ſugat lac gentium, Mamilla Regum lactetur: & ſequenti, fore, vt eius Sacerdotes fortitudinem gentium comedant, & in gloria eorum ſuperbiant, quæ ſingula ad temporalem fœlicitatem ſpectare, S. Cyrillus, Procopius Gazeus, Thomas, alijque omnes tradunt, ſubijcit deinde idem Propheta. *Gaudens, gaudebo in Domino, & exultauit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumentis Iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Hæc Iſaias quæ Origenes in c. 26. Geneſeos, ac Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. ad Chriſtum referunt, Euſebius Cæſarienſis lib. x. c. 4. ad Eccleſiam, S. Auguſtinus ad vtrumque ait ſpectare, quia caput Eccleſiæ Chriſtus, & Chriſti igitur corona eſt Eccleſiæ corona, rurſus Eccleſiæ, Chriſtiq; eſt idem corpus, idcirco ambobus eſt eadem non modò Regiæ Poteſtatis corona, ſed etiam ſunt eadem ſeruientia bona, quæ ſcilicet eo modo, quo degimus in terris, participari ab humana natura poſſunt, ſic ille in Pſal. 30. & 1. ad Cor. c. 12. ad Honoratum ep. 120. de vnitate Eccleſiæ Catholicæ lib. 1. cap. 7. de doctrina Chriſtiana lib. 3. c. 31. Hinc in expoſitione Epiſtolæ Ioannis tract. primo. *Sponſus, inquit, verbum eſt, & ſponſa eius caro. Vnde ſcriptum eſt, erunt duo in carne vna, & Dominus in Euangelio: Igitur non duo, ſed vna caro: & Eſaias optimè docet vnum eſſe hos duos, loquitur enim ex perſona Chriſti, & dicit, ſicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento. vnus videtur loqui, & ſponſum ſe ſponſamque facit, quia non duo ſed vna caro, quia verbum caro factum eſt, illi carni adiungitur Eccleſia, & fit Chriſtus totus caput & corpus.* Hæc Sanctus, quin ex Hebraico vertunt alij: *Induit me Deus Ieſus pro veſtimento, ſicut ſponſum fecit me Sacerdotem cum diademate*, En vt apertè ſignentur in Eccleſia, quicumque vnguntur Sacerdotes coronari eadem qua Chriſtus corona pro modo, (vt dicetur) ſuo. Nam & clericos primæ Tonſuræ poſt alios Patres volunt eſſe participes Regiæ dignitatis Rabanus Maurus, & S. Thom. vt infra dicetur, Ex his fit Ec-

 cleſiam,

cleſiam Sanctam eſſe omnium temporalium veluti à ſe dependentium Reginam, per eamque in homines cunctos, (vt iure aliquo, quod ſit conſonum coeſſentiali iuri, & appetitioni ipſius humanæ naturæ, habeant) deriuari bona iſta temporalia propter eiuſdem corporis cum Chriſto coniunctionem, quin eo, qui dicetur, modo bona etiam naturæ.

Apertè hoc etiam dixit Sanctus Cyrillus lib. Theſauri, ita ſcribens, *Pedes Chriſti humanitas eſt, ſcilicet ipſe homo, cui tota Trinitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quem vnus trium aſſumpſit in vnitatem perſonæ tranſuexit ad Patrem ſuper omnẽ Principatum & Poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli eius, quem Principatum totum, & Poteſtatem dimiſit per Sacramentum Petro, & Eccleſiæ eius*. Hæc Sanctus volens totum Principatum, poteſtatemq; quam Chriſtus habet à Deo ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli eius, datam Petro, Eccleſiæque eius à Chriſto, vt ſicut illam Chriſtus habet per hypoſtaſticam coniunctionem, ſic Petrus Eccleſiaq; per coniunctionem Sacramenti corporis Chriſti cum corpore Eccleſiæ Sanctæ. Huc etiam reſpexit S. Bernardus cum ſcribit Epiſtola 243. ad Conradum Romanorum Regem, *Nec dulcius, nec amicabilius, ſed nec arctius omnino Regnum, Sacerdotiumq; coniungi potuerunt, quam vt in perſona Domini ambo hæc pariter conuenirent, vtpote qui factus eſt nobis ex vtraque Tribu ſecundum carnem Summus & Sacerdos, & Rex, non ſolum autem ſed & commiſcuit ea nihilominus, ac conſociauit in ſuo corpore, quod eſt Populus Chriſtianus, ipſe caput illius, ita vt hoc genus humanum Apoſtolica voce genus electum Regale Sacerdotium appelletur*, Et mox, *nonne vt Apoſtolica Sedes, ita & Roma caput Imperij eſt?* Sic igitur S. Bernardus vult Regnum pertinere ad Eccleſiam, non modo quia Chriſtus eſt eius caput, ſed etiam quia corpus. Hinc Chriſtus Apocalypſis c. 12. alloquens Angelos, ſiue Epiſcopos Eccleſiæ non hoĩes priuatos vel ſæculares, vt aliqui poſſent opinari, ait, *Qui vincit, & qui ſeruat opera mea vſq; in finem, dabo illi poteſtatem*, Græce ἐξουσίαν *ſuper gentes, & paſcet eas in virga ferrea, & vt vas figuli comminuentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Quæ verba S. Auguſtinus homil. 2. in Geneſim, ſic interpretatur, vt eamdem poteſtatem, dempta excellentiæ, quam Chriſtus habet, Eccleſiæ detur in omnes gentes tamquam Sponſæ. Auguſtinum ſequitur Anſelmus, Andreas Cretenſis, ac poſtremò, ibidem Dionyſius Carthuſianus ita ſcribens *poteſtatem hãc ſanctã* (Chriſtus habet) *acceptione æterna, ſecundum quod Deus, & acceptione temporali ſecundum quod homo. Omnia enim filius habet à Patre iuxta illud,*

omnia

omnia mea ab te ſunt, & in ipſo Incarnationis inſtanti prælata eſt humanitas Chriſti omni Creaturæ, & data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra videlicet Poteſtas Iudiciaria Sacerdotalis ac Regia, miraculorumque operatiua, auctoritas quoque iubendi Angelis bonis, & malis propter hypoſtaticam vnionem ſuam cum verbo, ſed quantum ad manifeſtationem dicitur illa poteſtas in reſurrectione collata, vnde ipſe tunc dixit, data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Porrò hæc verba in pſalmo de Chriſto ad litteram ſcripta ſunt, vbi Pater, ait ad filium, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, quæ ſecundum hanc eorum introductionem de membris eius exponuntur. Hæc ille poſt memoratos Sanctos, & Doctores volens ad Eccleſiam pertinere, quod Chriſto ipſi eſt datũ, quia corpus eſt ipſius, vt S. Auguſtinus Cyrillusque, & alij ſuperiores eminenter contemplantur, propter adiunctionem veram veri corporis cum vero corpore Chriſti. Recte vero in oraculo adducto Iſaiæ dicitur Eccleſiam Sanctam Ieſu indutam pro veſtimento, datumq; illi Sacerdotium cum diademate. Naturà namq; humana prudens ſciensq; in Deum veluti naturalem finem tendens, neq; in hoc tanquam fine naturali quietem ſuam reperiens, impetu coeſſentiali, ac naturali, quo motori ſupernaturali haud reſiſtens, ſed obediens (quando ex ſe nõ habet, vt eo perueniat) fertur in Deũ, vti ſupernaturalẽ finem, neq; enim naturalem ſine hoc aſſequi poteſt; ab hoc appetitu libera non eſt, dominatur illi adeo ius hoc naturale ipſius eſſentiæ innatũ, nulla vt maior ſit dñatio. Sed ſine Eccleſia Sancta neq; ad naturalẽ, quẽ noſcit, neq; ad ſupernaturalẽ; quem neq; ex ſe nouit, neq; obtinere poteſt, peruenire vllo modo valet, quod ita ſit ab initio mũdi creata: non poteſt autem peruenire ſine Eccleſia Sancta, quod huic ſoli ſit infallibilis *doctrina* eo perducens, quin ſola det vires perueniendi ad vtrunque finẽ, neq; *poſſit habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Idcirco cogitur coeſſentiali iure in omnibus & habendis, & vtendis ſe ſe Eccleſiæ Sanctæ matri omnino ſubijcere: in omnibus inquam, habendis, & vtendis, iure namque illo coeſſentialiter illi infixo in omnibus, vel temporalibus, vel ſpiritualibus, adigitur ad quærendum finem quem ex ſe, neque ſcire certo, neque obtinere valet, neq; ei quies, niſi in ijs in illum, quaſi magnes in polum ſuum, rectæ lineæ directione inſiſtens reſpiciat, quod ſola Eccleſia *columna & firmamentum veritatis* nouit, ac proinde, vti dicemus, naturæ toti humanæ quam maxime vti amãtiſsima mater, ac mundi Regina dominatur. Quocirca ab ipſo mũdi initio ſe ſe Angeli coniunxerunt cum Chriſti humanitate, ac ſunt aſſecuti æternã beatitudinem

cleſiam Sanctam eſſe omnium temporalium veluti à ſe dependentium Reginam, per eamque in homines cunctos, (vt iure aliquo, quod ſit conſonum coeſſentiali iuri, & appetitioni ipſius humanæ naturæ, habeant) deriuari bona iſta temporalia propter eiuſdem corporis cum Chriſto coniunctionem, quin eo, qui dicetur, modo bona etiam naturæ.

Apertè hoc etiam dixit Sanctus Cyrillus lib. Theſauri, ita ſcribens; *Pedes Chriſti humanitas eſt, ſcilicet ipſe homo, cui tota Trinitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quem vnus trium aſſumpſit in vnitatem perſonæ tranſuexit ad Patrem ſuper omnē Principatum & Poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli eius, quem Principatum totum, & Poteſtatem dimiſit per Sacramentum Petro, & Eccleſiæ eius.* Hæc Sanctus volens totum Principatum, poteſtatemq; quam Chriſtus habet à Deo ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli eius, datam Petro, Eccleſiæque eius à Chriſto, vt ſicut illam Chriſtus habet per hypoſtaſticam coniunctionem, ſic Petrus Eccleſiaq; per coniunctionem Sacramenti corporis Chriſti cum corpore Eccleſiæ Sanctæ. Huc etiam reſpexit S. Bernardus cum ſcribit Epiſtola 243. ad Conradum Romanorum Regem, *Nec dulcius, nec amicabilius, ſed nec arctius omnino Regnum, Sacerdotiumq; coniungi potuerunt, quam vt in perſona Domini ambo hæc pariter conuenirent, vt pote qui factus eſt nobis ex vtraque Tribu ſecundum carnem Summus & Sacerdos, & Rex, non ſolum autem ſed & commiſcuit ea nihilominus, ac conſociauit in ſuo corpore, quod eſt Populus Chriſtianus, ipſe caput illius, ita vt hoc genus humanum Apoſtolica voce genus electum Regale Sacerdotium appelletur*, Et mox, *nonne vt Apoſtolica Sedes, ita & Roma caput Imperij eſt?* Sic igitur S. Bernardus vult Regnum pertinere ad Eccleſiam, non modo quia Chriſtus eſt eius caput, ſed etiam quia corpus. Hinc Chriſtus Apocalypſis c. 12. alloquens Angelos, ſiue Epiſcopos Eccleſiæ non hoīes priuatos vel ſæculares, vt aliqui poſſent opinari, ait, *Qui vincit, & qui ſeruat opera mea vſq; in finem, dabo illi poteſtatem*, Græce ἐξουσίαν *ſuper gentes, & paſcet eas in virga ferrea, & vt vas figuli comminuentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Quæ verba S. Auguſtinus homil. 2. in Geneſim, ſic interpretatur, vt eamdem poteſtatem, dempta excellentiæ, quam Chriſtus habet, Eccleſiæ detur in omnes gentes tamquam Sponſæ. Auguſtinum ſequitur Anſelmus, Andreas Cretenſis, ac poſtremò, ibidem Dionyſius Carthuſianus ita ſcribens *poteſtatem hāc ſanctā* (Chriſtus habet) *acceptione æterna, ſecundum quod Deus, & acceptione temporali ſecundum quod homo. Omnia enim filius habet à Patre iuxta illud,*

omnia

omnia meá ab te ſunt, & in ipſo Incarnationis inſtanti prælata eſt humanitas Chriſti omni Creaturæ, & data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terrâ videlicet Poteſtas Iudiciaria Sacerdotalis ac Regia, miraculorumque operatiua, auctoritas quoque iubendi Angelis bonis, & malis propter hypoſtaticam vnionem ſuam cum verbo, ſed quantum ad manifeſtationem dicitur illa poteſtas in reſurrectione collata, vnde ipſe tunc dixit, data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Porrò hæc verba in pſalmo de Chriſto ad litteram ſcripta ſunt, vbi Pater, ait ad filium, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, quæ ſecundum hanc eorum introductionem de membris eius exponuntur. Hæc ille poſt memoratos Sanctos, & Doctores volens ad Eccleſiam pertinere, quod Chriſto ipſi eſt datũ, quia corpus eſt ipſius, vt S. Auguſtinus Cyrillusque, & alij ſuperiores eminenter contemplantur, propter adiunctionem veram veri corporis cum vero corpore Chriſti. Rectè vero in oraculo adducto Iſaiæ dicitur Eccleſiam Sanctam Ieſu induram pro veſtimento, datumq; illi Sacerdotium cum diademate. Naturâ namq; humana prudens ſcienſq; in Deum veluti naturalem finem tendens, neq; in hoc tanquam fine naturali quietem ſuam reperiens, impetu coeſſentiali, ac naturali, quo motori ſupernaturali haud reſiſtens, ſed obediens (quando ex ſe nõ habet, vt eo perueniat) fertur in Deũ, vti ſupernaturalẽ finem, neq; enim naturalem ſine hoc aſſequi poteſt; ab hoc appetitu libera non eſt, dominatur illi adeo ius hoc naturale ipſius eſſentiæ innatũ, nulla vt maior ſit dñatio. Sed ſine Eccleſia Sancta neq; ad naturalẽ, quẽ noſcit, neq; ad ſupernaturalẽ; quem neq; ex ſe nouit, neq; obtinere poteſt, peruenire vllo modo valet, quod ita ſit ab initio mũdi creata: non poteſt autem peruenire ſine Eccleſia Sancta, quod huic ſoli ſit infallibilis doctrina eo perducens, quin ſola det vires perueniendi ad vtrunque finẽ, neq; *poſſit habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Idcirco cogitur coeſſentiali iure in omnibus & habendis, & vtendis ſe ſe Eccleſiæ Sanctæ matri omnino ſubijcere: in omnibus inquam, habendis, & vtendis, iure namque illo coeſſentialiter illi infixo in omnibus, vel temporalibus, vel ſpiritualibus, adigitur ad quærendum finem quem ex ſe, neque ſcire certo, neque obtinere valet, neq; ei quies, niſi in ijs in illum, quaſi magnes in polum ſuum, rectæ lineæ directione inſiſtens reſpiciat, quod ſola Eccleſia *columna & firmamentum veritatis* nouit, ac proinde, vti dicemus, naturæ toti humanæ quam maxime vti amãtiſsima mater, ac mundi Regina dominatur. Quocirca ab ipſo mũdi initio ſe ſe Angeli coniunxerunt cum Chriſti humanitate, ac ſunt aſſecuti æternã beatitudinem

nem

nem, cæleſtiũ, terrenorumq; dominiũ. Nam cum ſe ſe illi totos om nino ſupernaturali omniũ creatori Deo cõiunxerũt, fuit eis Incarnationis myſterium reuelatum, quod ſcribũt SS. Auguſtinus lib. 5. Geneſeos ad litteram cap. 19. Bernardus ſermo 27. in Cantica. Rupertus lib. 8. in Ioannem, Thomas 1. q. 64. art. 4. ad 1. quin ait Fulgentius gratia Chriſti effecit, ne caderent Angeli, ſic ille lib. 5. ad Traſamundum cap. 3. Gregorius lib. 2. Regiſtri cap. 3. Laurentius Iuſtinianus ſermone de Aſcenſione, hinc in eos omnis gratia, & gloria, Albertus in 3. diſtin. 13. art. 2. quos ſequuntur Ricardus art. 2. circa principium, & 8. Catherinus de eximia Chriſti prædeſtinatione, Galatinus lib. 3. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Arboreus lib. 3. Theoſophiæ cap. 13. Viguerius Inſt. c. 10. §. 1. verſ. 4. Naclantus ad Epheſ. 1. Melchior lib. de regno Chriſti, Iacobus de Valentia in Pſal. 102. ac proinde Chriſto, eiuſque humanitati ſe ſe ſubiecere, ac de plenitudine eius acceperũt, ait poſt alios. S. Thomas in cap. 1. Ioannis. Placet itaque eſſe omnium creaturarum finem Chriſtũ, *Propter quem omnia*; ſcribit Apoſtolus Heb. 1. hinc idem 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* ita Rupertus de gloria, & honore filij hominis lib. 3. & de Trinit. cap. 20. Cyrillus lib. 5. Theſaur. cap. 8. Irinæus lib. 3. c. 33. Auguſtinus de nuptiis lib. 1. cap. 21. Chryſoſtomus homil. 71. fuerit itaq; Adæ peccatum cauſa quædam materialis, vt Chriſtus fieret homo, ſed finalis fuit ipſius Chriſti gloria, præcipua ſit hæc & & prima, ſed propoſitam veritatem diſtinctius examinemus.

Deus Pater, cui potentiæ ſummæ fons attribuitur, cuncta efficit per filiũ, cui ſapientiã ſolemus attribuere, quod aliquo modo nouerant Platonici, Pythagorici, Ægyptij, Chaldæi. In perſona filij ſubſtitit humana natura primum proximũ coniunctumque altiſſimè, & maxime diuinitati cuncta efficienti inſtrumentum, Quocirca Chriſti vt hominis anima prima excipit à perſona diuina, in qua ſubſiſtit, poteſtatem ſcientiam voluntatemq; agendi, quicquid extra trinitatem fit, demimus creare, & ad nihilum redigere, vti dicemus. non tamen influit in damnatos, ac dæmonas. Tantum coercet hos, ac ſubijcit ſibi Imperio ſuo: ita vt, quamuis naturaliter adeo poſsint, haud valeant tamen exercere ſuam poteſtatem in homines maxime, ac ſupra terram, niſi quantum permiſerit ipſe. igitur prima excipit vt in humanum genus profundat. Verùm cum ſit Eccleſia ſic Chriſto coniuncta quoad Spiritum, Corpusq; Idcirco prima excipit ipſa (quoad meritum, meritamq;, & in omnia iuſtam poteſtatem, cui cuncta humana ſubijciantur) quidquid boni eſt à Deo generi humano elargiendum, quod apertè S. Paulus 1. Cor. 12. & Epheſ. 4. Dionyſius cap. 8.

de

de Eccleſiaſtica Hierarchia tradunt, temporalis itaq; poteſtas, Regiaque omnis primum reſidet in anima Chriſti, Deinde verò in Eccleſia ſponſa ipſius mundi Regina, ab hac in alios vel fideles vel infideles vti à fonte deriuatur. Eſt enim Chriſtus fidelium caput, atq; infidelium tam quoad animam, quam quoad corpus. Et infidelium quidem, quod illos diſponat in Deum finem bonas immittens cogitationes, placans illis iratum Deum, bona quæ habent, cum ſit hæres vniuerſorum, quod ſupra tetigimus, elargiens, & conſeruans deriuata in illos per Eccleſiæ ſponſæ preces, fidemque in Chriſtum, cuius corpus Patri cum Chriſto offert, *Pro totius Mundi ſalute*, ſemper infallibiliter aliquid impetrans a Deo. Hinc dictum legimus ad Coloſſ. 2. *In quo* (Chriſto) *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id eſt, vt omnes interpretantur in corpore Chriſti eſt omnis plenitudo diuinitatis in alia dimanantis. Et de Eccleſia ad Epheſ. 3. *Quæ eſt corpus eius*, (Chriſti) *& plenitudo eius*, atque ita recipit à Chriſto quod in corpore, & plenitudine eius eſt. Ruſuſque de illo, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Nos homines haud ſumus plenitudo vt Eccleſia vel Chriſtus, verum ſumimus de plenitudine illorum. En igitur, vt diuinitatis plenitudo ſit Chriſtus, Eccleſia ſit corpus, & plenitudo Chriſti. Per hanc illumq; de plenitudine tanta accipiunt mortales. Præclarè, hæc quæ diximus, videtur expreſſiſſe Clemens Alexandrinus ſtromatum lib. 6. *Non eſt*, ait, *abſurdum, datam quoq; eſſe Philoſophiam à Diuina Prouidentia prius erudientem ad eam, quæ eſt per Chriſtum, perfectionem, ſi non erubeſcat à barbara cognitione diſcere Philoſophia profectum ad veritatem. Sed tunc pili quidem numerati, & viles motiones. Philoſophia autem quomodo non eſt in verbo? Atqui Sampſoni quoque data eſt vis in pilis vt etiam reiectitiæ artes eorum, quæ ſunt in vita, quæ iacent, & humi manent poſt exceſſum animæ, cogitari non poſſint abſq; diuina poteſtate. Iam verò diuina prouidētia deſuper ex ijs, quæ ſunt principalia tāquā ex capite peruadit ad omnes. Sicut vnguentum, inquit, quod deſcendit in Barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius, hoc eſt magni Sacerdotis, per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, non in mundum corporis. Extrinſecus autem Philoſophia Populi eſt tamquā veſtis*, & paulo poſt. *Paſtor, itaque & ſingularum ouium curam gerit, eos maximè prouidendi & viſendi tenet ſtudium, qui ſunt & præclaro ingenio, & populo multum prodeſſe poſſunt, ij autem ſunt qui, & ad regendum, & docendum ſunt apti, per quos prouidentiæ euidentia apertè oſtenditur, quando vel per doctrinam, vel per magiſtratum aliquem & adminiſtrationē vult Deus prodeſſe*

deſſe hominibus. vult autem ſemper; & ideò mouet eos, qui ſunt apti ad ea vtiliter efficienda, quæ pertinent ad pacem, & virtutem & beneficentiam, hæc ille volens apertè per Chriſtum ſummum Sacerdotem, membraq; illi principaliter adnexa diſtribui cuncta hominibus bona, ſiue ad animũ pertineant, ſiue ad corpus, nam ad hæc cuncta ordinanda in Deum patrẽ ſubordinat preces, merita, ſuique corporis oblationem quæ fit ab Eccleſia Sancta. Probãtur hæc ex illo. Natura namq; humana, vt diximus in oĩbus ſeu tpalibus, ſeu ſpiritualibus Deum finem ſuum quærit, nulla ei quies vlla in re, niſi ita inſiſtat in ea, vt in finem ſuũ tendat, dominatur ei coeſſentiale hoc ius, ab huius iuris poteſtate nõ eſt exempta, inſiſtere non poteſt in vlla rerum ſuarum, neque in ſemetipſa conquieſcere, niſi ſubijciat ſe ſe poteſtati Sanctæ Matris Eccleſiæ, infallibilique eius directioni, ac veritati, Hæc enim ſola tradit quomodo inſiſtendum ſit in ſingulis rebus, vt recta in Deum feratur, hæc ſola tradit vires. adigitur itaque ab illo iure coeſſentiali ad omnia ſua ſubijcienda illius poteſtati. Hæc vt naturæ humanæ deſideriis occurrat, illãq; infallibili veritate illuſtret, ac ſupernaturali poteſtate confirmet perducens hoĩes in vltimum ſuum finem, preces, ac merita Chriſto, patriq; ſummo offert, qui per filium ſuum *illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum*, vt ad eius ſponſam naturamq; illam humanam ei adiunctã cuncta perducens eis, ſibiq; ſubiiciat iuxta illud, ***Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*** Sic itaq; vniuerſitas rerũ colligatur, ac reducitur in Deum luminum Patrem, a quo omnis paternitas, quæ in cœlo eſt, & in terra nominatur. Progrediamur adhuc tamen, & aliud à Theologis audiamus, quod illuſtrabit clariſsime quidquid diximus ac dicturi ſumus,

Chriſtus dici poteſt verè omnipotens ob idiomatum communicationem. Nam cum diuina, & humana natura ſubſiſtat in vna, eademque perſona diuina, ac perſonæ ſit agere, quidquid perſona illa agit, Naturæ attribuitur illius perſonæ ratione. Atq; idcirco homo ille dici poteſt creare, & ad nihilum redigere, non quatenus homo eſt, ſed quatenus perſona diuina, in qua humanitas ſubſiſtit. Verum præter hæc Chriſtus, vt homo, inquit S. Tho. 3. q. 13. art. 2. Poteſt immutare quælibet creata omnibus ijs modis ac multo potẽtioribus, quibus cunctæ creaturæ ſimul poſsunt vel viribus naturæ, vel ex gratia diuina. Nam ſic ille Matthæi c. vltimo, *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra*. Amplius vt inſtrumentum proximum primum coniunctumq; diuinitati poteſt omnia miracula efficere, ad quæ creatura vlla concurrere ali-

quo

quo modo poſsit: Ideò nihil illi denegatur, vt inſtrumento huiuſmodi niſi creare, & ad nihilum redigere. Chriſtus itaque vt homo poſſet integras nationes internecioni dare, eiuſdemq; anima cum fuerit ab inſtanti ſuæ creationis omnium donorum naturalium gratiarumq; plenisſima, & cognouerit quidquid eſt agendum, cum tempus eſt prima ipſa illuminat Angelos, alioſve, quos voluerit, iiſque & aliis præſcribit atq; imperat, quid agendum ſit in tota vniuerſitate rerum, cuius eſt Dominus directiſsimus à Deo conſtitutus, tam quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia; ita vt nihil niſi ex eius præſcripto ne minimum quidem moueatur. Hæc fuſius è SS. Dionyſio, Irenæo, Thoma, & aliis lib. 2. & 3. Cum verò Eccleſia militans ſit, q̃ maximè Chriſto Deoque vt diximus cõiuncta, & quo mágis aliquod agens eſt alicui coniunctum, magis iure naturali, ac diuino, quatenus tale eſt, ex eiuspoteſtate participet, Eccleſia participabit hanc eius poteſtatẽ præcunctis, cũ ſit præcunctis vna cum Chriſto ſponſa ipſius ad ſpiritus corporiſq; cõiunctionẽ mirabiliter euecta, geſtans eãdem cum ſuo ſponſo coronã inquit S. Auguſtinus. Atq; ita poterit quæcũq; vlli hoĩes poſſunt iure vllo ac poteſtate legitima, nam quatenus tales tendunt ad finem ſuum, ac proinde impulſu illo coeſſentiali, ac naturali feruntur ad hoc, vt ſubiiciant ſe Sanctæ Matris Eccleſiæ poteſtati, ſine qua non poſſunt peruenire ad finem, ad quem tendunt, quoties aliquid boni agunt, ac proinde etiam neceſſario tendunt, vt ſubiiciant ſe poteſtati illi, ſine qua ad finem naturalem peruenire haud poſſunt, in ipſa nanq; ſola eſt infallibilis veritas, quæ cunctis dominatur, quod hoĩes perducat efficaciter in vltimũ ſuum finem.

Præterea verò illi eſt datum, vt ſemper in ipſa ſint gratiæ Miraculorum. Nam ſic Apoſtolus 1 Cor. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro, & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, 2. Prophetas, 3. Doctores. Deinde virtutes, exinde gratias curationem opitulationes, gubernationes* quod ait virtutes Græcè eſt δυνάμεις poteſtates quod pertinere ad homines puniendos tradunt eo loco Sancti Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus. Cum verò natura inſita propenſionis coeſſentialis lege impellat omnes homines, vt aſſequantur finem ſuum domineturque illi ſemper huiuſmodi appetitus lex, Deuſque ita inſtituerit ab initio humanam naturam, vt non poſsit ſit aſſequi finem ſuum naturalem ſine ordinatione ſupernaturali. Hæc uerò ſint in ſola Eccleſiaſtica poteſtate atque in Pontifice Romano vt in fonte ſolcque ait S. Cyprianus libro de unitate Eccleſiæ. ſiue vt in apice ac fõte Sacerdotis, quod Iuſtinianus aiebat in authenticis ſuis, idcirco iure naturali velit nolit ex primæva

ipſius creatione natura humana, cum facere non poſsit, quin legē coeſſentiali in omnibus appetat Deum ſaltem tamquam finem naturalem, ſubijcitur Eccleſiæ Sanctæ cum ſuis omnibus rebus directè ordinanda in Deum. Nam cuncta facta ſunt, vt magis, quàm ſibi aut aliis ſeruiant fini ſupernaturali ab hominibus aſſequendo, neque in alium finem dantur a Deo, quocirca cuncti homines. Primo ex parte finis. Secundo ex parte naturæ ſuæ. Tertio ex parte ipſius Sanctæ Eccleſiæ. Quarto denique omniū mediorum ſubiiciuntur Eccleſiæ Sanctæ Matris poteſtati, cū nihil haberi poſsit niſi in finem Deum. ſed hæc fuſius infra. nunc aliud adducamus à Theologis conſtitutum.

Peccator ex rigore diuinæ Iuſtitiæ meretur ad nihilum redigi vt inter alios optimè tradit S. Tho. 2. diſt. 46. q. 4. ar. 2. & Caietanus 1. 2. q. 86. art. 4. Tamen Deus ex miſericordia damnatis quidem permittit eſſe ſatis habens eis imponere infiniti temporis pœnam, licet autem nolimus mereri hominem, vt ad nihilum redigatur ob peccatum, non negabimus mereri, vt moriatur ſimul atq; in Deum peccat, quod omnes admittunt, ac propterea qui naſcitur in originali peccato deſtitutus ab ea gratia, in qua Deus Adamum crearat, atq; à ſupernaturali ordinatione, protinus mortem meretur, ac priuari omnibus bonis vitæ huius. Ne hoc contingeret homini, ac diuinæ Iuſtitiæ ſatisfieret, ab æterno Deus ordinauit, vt Chriſtus rigori diuinæ Iuſtitiæ ſatisfaceret, & humanā naturā ab ordinatione ſupernaturali auerſam redimeret per ſe obnoxiam pœnæ mortiſve, & priuationis omnium bonorum. Factuſque eſt directiſsimus Dominus tum totius humani generis, tū verò omnium mediorum ſiue naturalium ſiue ſupernaturaliū, quæ ſunt à Deo facta magis ad hunc, q̄ alium finem, vt homini ſeruiant ad aſſequendum finem ſuum naturalē, qui non poteſt eſſentialiter diſtingui à ſupernaturali in aſſecutione vſuq; aſſecutionis. Verum ſimul etiam Deus ordinauit, vt inter homines eſſent, qui totam ſpem ſuam ſecundum Deum collocarent in hoc Chriſto, atque hæc fides Chriſto innixa, per quàm credimus fore, vt Deus nobis placetur, ſeruauit ſeruatq, adhuc humanum gėnus, ne deleretur, ac deleatur è terris. Huic fidei debetur incolumitas mortalium, cunctorumq; ad eos pertinentium bonorum, quod S. Iuſtinus in Apologia ad Senatum tradit: & habetur Sap. c. 18. idcirco inſtituta ſunt ſacrificia cruenta, quibus Chriſti paſsio, cui fidimus atque innitimur, ſignificaretur. Hæc autem fides eſt in ſola Eccleſia Dei, ſicut itaque Deus conſtituit ex æterno, vt naturalia forent, atque eo, quo progrediuntur modo, progrederētur, Sic etiam conſtituit, vt interuentu ſummi mediatoris, & eorum qui crederent in ipſum

cuncta

cuncta, quæ generantur, ac fiunt in terris bona conſeruarentur iuxta ordinem naturalium cauſarum. Quamobrem cum maxime fuerit imminuta Chriſti fides in terris, atque infallibili veritati vix erit locus, tunc omnia flammis comburentur, vt habemus ex illis Euangelii verbis. *Cum venerit filius hominis putas inueniet fidem in terra?* & illa Apoſtoli ad Theſſalonicenſes capite 11. *Niſi venerit diſceſsio primum & reuelatus fuit homo peccati* referunt ad tempus, quo maxime humanum genus deficiet ab obedientia Pontificis Romani. Ita S. Ioannes Chryſoſtomus, & Theodoretus, quos ſequuntur Theophylactus, Oecumenius, & alii S. Auguſt. lib. 20. de Ciuitate Dei c. 16. Quocirca Hyppolitus libello de cōſummatione mūdi vult fore, vt per impios in fine ſeculorū ponantur impedimenta, ne Chriſti corpus offeratur.

Comprobantur hæc omnia. Nam peccator eſt in dæmonum poteſtate, dæmoneſq; id ſolum volunt, ac maxime volunt, vt ille ad omnem nequitiam flagitiaq; omnia ſumma perducatur. Ne id poſsint impedit Eccleſia Dei; quæ offert Chriſti corpus, ac precatur pro totius mundi ſalute, ad quam magis minuſue aliquis diſponitur, vt magis minuſue à bonis moribus recedit. Idcirco Angeli ex præſcripto Chriſti applicantis Eccleſiæ preces ad eos, quos ipſe delegerit (vim namq; deſumunt à meritis ipſius) arcēt dæmones, ne quicquid volunt, ad exitium perducant, & bonas cogitationes immittūt, ob quas Theologi volūt infideles aliquod cōgruum mereri à meritis Eccleſiæ deriuatum. Quin iidem dæmones cuncta naturalia vaſtarent, & ad ſquallorem perducerent ob voluntatem peruerſam, ni ipſorum crudelitatem boni Angeli Eccleſiæ precibus concurrentibus cohiberent. Ita SS. Baſilius hom. 22. Inter varias Chryſoſtomus homil. 6. in Epiſtolā ad Epheſios, Hieronymus in cap. 1. Habacuch, Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano, & in pſ. 77. Gregorius lib. 33. moralium c. 2. Origenes homil. 12. in c. 1. Exodi. Hinc S. Auguſtinus *in filijs diffidentiæ, tamquam in ſuis mancipijs operatur diabolus, quemadmodum homines in pecoribus ſuis*, & mox enumeratis Ægyptiorum cladibus. *Ab hac poteſtate malorum Angelorum non liberat nos niſi gratia Dei*, & Baſilius *per illum* (diabolum) *ſentes & tribuli, per illū ſudor, & exilij principium*, & demum, *illius ſunt, quaſi germina, crudelitas, aſperitas, auaritia, contumelia.* Quæ ſanè omnia complexus eſt Dauid ijs verbis, *Angelis enim ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Regium verò dominatum eſſe Angelis in cūctas rerum ſenſibilium ſpecies

in homines Regna & nationes tradunt S. Auguſtinus lib. 83. q. 76. Damaſcenus lib. 2. c. 4. Origenes numerorum cap. 2. Quemadmodum verò boni Angeli dæmonas coercent, ſic præter memorata per exorciſmos Sacramentaliaque ipſi Sacerdotes Chriſtiani, vel quicumque eis maximè ſubijciuntur, cohibent illos, licet enim natura nos longè inferiores dæmonibus ſimus, ac poſſent illi cunctos homines occidere, omnia vaſtare, Poteſtate tamen ſupernaturali ſuperiores ijs ſumus & imperamus, timorique ijs vel ſola præſentia ſumus. Præclarè hæc omnia complexus eſt Clemens Alexandrinus ſtrómatum lib. 6. *Omnis vtilitas quæ ad vitam pertinet ſuprema quidem ratione à Deo omnipotente, qui præeſt omnibus. Patre perficitur per filium, qui etiam propterea eſt ſeruator omnium inquit Apoſtolus, maximè autem fidelium, proximè autem ab ijs, quæ ſunt proxima ſingulis per iuſſum & præceptum eius, qui eſt propinquus primæ cauſæ*, & poſt, *ſubiecta eſt vniuerſa militia Angelorũ & Deorũ verbo Paterno, quod ſanctã ſuſcepit œconomiã ac diſpenſationem, propter eum qui ſubiecit, per quæ ſunt etiam omnes eius homines*. Et mox *hic eſt, qui dat Græcis per inferiores Angelos ſapientiam, ſunt etiam iuſſu diuino, & antiquo pergentes diſtributi Angeli, ſed pars Domini eſt opinio credentium*. Hæc ille. Cur autem pars Domini opinio credentium, quod infallibili veritate nitantur, ac ſupernaturali naturalem confirmante, & illuſtrante.

Nouerunt & gentes à dæmonibus cuncta ad vaſtitatem perduci, malaq; per eos in humanũ genus inuehi; Sacerdotumq; ritibus nos ab horum malorum reatu liberari, & expiari. Quocirca Ariſtoteles lib. de Diuinatione ſomnia magis à dæmone, quam à Deo vult eſſe, quod malis quoque hominibus contingant; & Hippocrates lib. de morbo ſacro negat hunc eſſe à Deo, quod hic liberet à malis, expietque, nam ſic ille. *Non tamen ego puto hominis corpus à Deo inquinari ſordidiſſimum ſcilicet à puriſſimo, verum etiã ſi contigat ab alio inquinatum, aut quid paſſum eſſe, vtique à Deo purgabitur magis quam inquinetur. Deus itaque eſt, qui maxima, ac ſceleratiſſima peccata purgat, & purificat, & liberatio noſtra exiſtit. ipſiq; terminos templorum ac delubrorum Dijs aſſignamus vt nullus qui non purus ſit eos tranſcẽdat, & ingreſſi reſpergimur, non vt inquinemur. Sed ſi quod prius ſcelus habemus, purificemur.* Hæc ille ſacris ritibus mala expelli volens, a Deoq; non immitti. per bonos tamen Angelos aliquem puniri forſan iure dici poteſt, ſed ad propoſitum noſtrum maxime facit, quod narrat Plutarchus de Iſide, & Oſiride. Nam ſic ille, *hæc quidem plerisque, & ijſdem ſapientiſſimis probatur: exiſtimant enim alij duos eſſe Deos, quaſi con-*

contrarijs deditos artibus, vt bona alter, alter mala opera conſiciat. Alij eum, qui eſt melior, Deum, qui deterior dæmonem dicunt. Is ergo Zoroaſtres Magus, quem narrant bis mille annis antiquiorem bello Troiano extitiſſe, melioris nomen Oromazen, peioris Arimanium perhibuit, addiditque hoc enunciatum, de rebus ſub ſenſum cadentibus, illum maximè ſimilem eſſe luci, hunc tenebris & ignorationi, medium horum eſſe mitram; quæ cauſa eſt, quod mitram Perſæ meſytem ſeu mediatorem nuncupant. Hæc ille. qui ſi mediatorem vult eſſe ex doctrina a Noè tradita (Nam viuenre adhuc Noe regnauit Zoroaſtres) qui nos liberet à dæmonum crudelitate, Deoque conciliet, ac bona in nos ab eo deriuet rectè, & veritati haud diſsimilia tradit, cui conſona eſſe cuncta apparet. plura poſt hos Ægyptij, Chaldei, Pythagorici, Platonici, quantum pertinet ad dæmonum nocumenta hominibus inferenda. hinc illæ inferorum furiæ Græcis, ac Latinis vatibus decantatæ. Hinc à Gentibus Diuini cultus dæmonibus dati, ne officerent, quos adhuc ob huiuſmodi metum dari illis à Sinenſibus, & Iaponiis tradunt.

Ad ſummam ſupernaturalis ordo gratiæ imperat ordini naturalium, moralium q; bonorum; qui ſanè ordo gratiæ deriuatur à Deo, per Chriſtum ſponſamq; ipſius Eccleſiam in terras. Atque hoc eſt quod S. Ignatius ait. *Sacerdotium eſt omnium bonorum ſumma, quæ in hominibus conſiſtunt*, & S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 5. in cap. 6. Iſaiæ. *Medius eſt ſacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos defert, & noſtras petitiones illuc perferens. Dominum iratum reconcilians vtriq; naturæ. Nos qui offendimus eripiens ex eius manibus, eoque Deus ipſum Regale caput Sacerdotum manibus ſubijcit. Nos erudiens quod hic Princeps eſt illo maior*. Rurſus idem, *Columna eſt orbis Eccleſia*. Et Clemens, *Eccleſiæ conſtructio ex vnitate eſt omnia alia ſuperans, & nihil habens ſibi ſimile vel æquale*. Hoc verò ſimiliter, & gentes ipſæ nouerunt, ſic enim Diogenes, Laertius initio lib. 1. *Theopompus 8. Philippicorum libro reuicturos homines iuxta magorum ſententiam dicit, immortaleſq; futuros & vniuerſa illorum precationibus conſiſtere.* Hæc ille de magis, qui Ægyptijs Perſis, & orientalibus propè cunctis erãt Sacerdotes, & Plutarchus in lib. de Iſide, & Oſyride cum dixiſſet fore, vt mala ſuperarent bonis, ac pijs depreſsis ait, *appetere porro fatale tempus, quo neceſſe ſit peſte, & fame ab his adducta, Arimaniũ omnino perdi atq; aboleri terraq; æquabili, & plana facta vnam vitam vnamq; ciuitatẽ beatorum hominum vniuerſorum vnaq; lingua vtentium fore.*

Quamobrem mirabilis eſt inter homines connexio gratiæ, per

quam

quam veritas infallibilis efficaciter perducens homines in vltimũ ſuum finẽ naturæq; ac ſimiliter bonorũ naturæ,& gratiæ,q̃ S. Dionyſius explicat cap.8. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & S. Ambr. in illa Apoſtoli verba Epheſ.4. *Augeamur in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, hanc dicit eſſe veritatẽ, vt amorẽ Chriſti reſpicientes quo dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis omnia ſubyciamus ei, ſcientes, quia omniũ auctor eſt vitæ, vt quaſi capiti membra ſubdãtur, vt ſi alij errore, vel maleuolẽtia, & ſi volentes non fatentur omnia caput habere Chriſtũ, quia ab ipſo facta ſunt voluntate Patris. Nos tamen, qui Catholicæ fidei adhæremus hoc omni deuotione, & cura agere debemus, & huic fidei non damnũ, ſed lucrũ afferamus.* Et mox, *ex ipſo enim Chriſto totũ corpus ideſt Chorus Archãgelorũ, & Potentiarum, & Principatuum, & Poteſtatuũ ſubſiſtit.* Et deinde, *hoc laboretur, vt ad vnũ ſenſum creatura redigatur, & in ſenſu vnum ſit corpus, dum vna profeſſio eſt, ut concordet in charitate creatoris ad ſuum profectum. Reedificans enim ſe creatura, quæ deſtructa fuerat dementia, & furore diaboli.* Et paulo ante *Quædam concatenatio fit ad firmamẽtum ordinata deſcendens, ut totum iunctum ſit, & meritis tamen diſcernatur, meritis dico non ſolum officiorum ſed etiam naturarum.* Hæc Sanctus. E ſuperioribus veſte ita colligi poteſt.

Omnis poteſtas, cuius efficientia iugi, & eminenti eſt omnis à Deo poteſtas, eſt huius cauſa efficiẽs, & eſſentialis, vt nempe vt ſit, ac duret: Sed Eccleſiaſtica poteſtas eſt ea, cuius efficientia iugi, & eminenti eſt omnis poteſtas humana a Deo, eſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas cauſa efficiens, eſſentialiſque omnis humanæ poteſtatis, quæ aſſumpſimus patent. Nam per merita, fidẽq; Eccleſiæ, in Chriſtum, corporiſq; eius oblationem ſtetit, ac durat humanum genus. Hinc S. Iuſtinus Apologia ad Senatum, *Deus differt totius mundi conſumationem, atq; interitum, quando mali Angeli, & genij, hominesq; delebuntur, vt parcat Chriſtianorum ſemini, quod ſcit eſſe cauſam rerum naturæ incolumitatis.* Idcirco etiam tunc deſinet mundus, cum numerus electorum fuerit abſolutus. Cœli namq; motus non eſt a forma intima, alioquin aliquo loco finiret, cum natura quæuis appetat finem, fugiat infinitum motum; ſtare velit aliquo loco: mouetur ab intelligentiis cœlum quandiu Chriſtus ex Patris voluntate edixerit, vt ceſſent a motu, ita S. Thomas q.5. art.5. de potẽtia Dei, in diſputatis. Propter electos igitur cælũ mouetur, cuncta gignuntur. Ad eorum preces dæmonum poteſtas coercetur, ne perdat humanum genus; & iuſte agant, quidquid agunt homines, ac iuſta ſit eorum poteſtas. Rurſus recte ita concludemus.

Omnis

Omnis poteſtas,quæ eſt cauſa eminēs, perpetuaq; vt alia ſtet huic diuino,ac naturali iure dñatur, Eccleſiaſtica poteſtas eſt cauſa eminens,perpetuaq; vt quæuis hoīm poteſtas ſtet. Naturali igitur iure,ac diuino ei dñatur. Sic enim dicimus elementis cœlū,corpori aīam dñari,quod per eam quāuis alio modo ſtet. Hinc Iſaias cap. 60. *Gens,& regnū,quod non ſeruierit ſibi peribit.* Quod ſi dicas per Eccleſiæ merita,oblationemq; corporis Chriſti ſtant bona generis humani,non per Pontificis poteſtatē. Reſpondemus. Nullius Chriſtiani eſſet vllum meritum, niſi paratus eſſet obedire Pontifici ſummo edicenti, quoties expediret, vt gladium nudaret, ac ſtringeret,vel in hoſtes ouium Chriſti, vel in ſacrilegos, qui Saphiræ, Ananiæq; exemplo multo maiora prædantur, quam iſti, quos Petrus ex poteſtate occidit, ait S. Gregorius dialogi ſecundi cap. 3. Primaſius cap. 13. ad Romanos, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus,aliiq; 1. ad Corinth. 12. Nihil igitur vllus Chriſtianus mereri poſſet, niſi ita iubenti Vicario Chriſti obedire paratus eſſet. Merentur Chriſtiani,quia membra ſunt corporis illius,cuius Vicarium caput in terris eſt Pontifex ſummus. Quod huius poteſtati ſubiecti ſumus meremur. Huic debetur ob eos, qui obediunt ipſi,obedientium regnorum ſtatus, membriq; cuiuſlibet meritum,& poteſtas. Ac proinde omni iure omnibus dominabitur animo paterno, quamuis cogatur aliquando illud obſeruare,quod legitur, *Qui parcit Virgæ odit filium ſuum.* Cum vero Chriſti ſint oues ipſi quoq; infideles (Nam paſcit eas,ac per merita Eccleſiæ ad bona opera impellit) & infideles etiam ſunt oues Pontificis ſummi non intra Eccleſiam poſiti, & caulas proprij gregis; Pertinentq; ad eum,qui foris ſunt,vt lupos ab eis expellat, eaſq; intra ouile perducat. Ad eccleſiaſticum non pertinent ij, qui foris ſunt, vt eos excommunicet,ſic enim loquitur Apoſtolus, cum dicit, *quid ad me de ijs,qui foris ſunt?* vt omnes antiqui interpretantur, & apertiſsime conſtat ex eius verbis; ſed pertinent ad eum,vt quibuſlibet modis ad bonum perducat, quibus ipſe iudicauerit expedire, & quamuis aliter,atq; aliter,eſt omnium tamen Paſtor ſummus. ſic igitur primo loco reſpondetur ad eos, qui citāt illud Apoſtoli, vt aſſerant Eccleſiæ nullā eſſe cōtra infideles poteſtatem. Quamquam poterat recte Apoſtolus dicere, *Quid ad me, de ijs,qui foris ſunt,* quod non tanti faceret, ac prope nihili Chriſtianis eſſe conſuetudinem cum gentibus, ſed maximi faciebat non eſſe iis conſuetudinem cum Chriſtianis excommunicatis,aut facinoroſis. & ideo cum vetuiſſet, verſari ſuos cum facinoroſis excōmunicatis;interrogatus, an vetuiſſet verſari cum gentilibus eodem crimine inuolutis, Reſpondit, *quid ad me de ijs, qui foris*

ſunt?

ſunt? ideſt nihil ad me,neq; me tangit,ſi cum iſtis verſemini,modo non cum excommunicatis. Sic etiam Chriſtus dixit *quid mihi, & tibi mulier?* non quod nihil ad ipſum pertineret, quod aiebat mater, ſed quod non pertineret illa hora. eodem modo arma Eccleſiaſticorum non ſunt præcipue carnalia, vel bellica, ſi reſpiciamus ſpiritualia, quod hæc propria, potiſsimaq;, ſed illa præ his nulla. Eodem modo Chriſtus dixit, *non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt de domo Iſrael*, & nihilominus,erat *lux mundi*, datus in lucem gentium, vt eſſet eius ſalus *vſque ad extremum terræ*, & venerat,vt inueniret ouem, quæ perdita erat, naturam ſcilicet humanam, ſicut interpretantur Gregorius homil.34.in euangel. Hilarius, & Beda, in c. 18. Matthæi.

DE IVRE STATVS SIVE DE IVRE DIVINO ET NATVRALI ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS ET POTESTATIS

LIBER PRIMVS.

Natura humana appetitu coeſſentiali, quod eſt ipſius ius naturale, ita fertur in Deum, vt ſtare haud poſſit, niſi in eum tendat. Atque hoc ius ſtatus. bellua eſt Ariſtoteli, qui ab hac via recedit: non potuit affirmare ille vt Philoſophus naturalis ſupernaturalẽ beatitudinẽ. videtur eam cum gentibus alijs nouiſſe ex narrationibus antiquorum traditis à poſteritate Noe. ſine ſupernaturali directione, neq; naturalis, neq; ſupernaturalis fælicitas, ſeu finis poteſt obtineri ex primæua naturæ humanæ inſtitutione. Cap. I.

DVo ſunt à nobis hoc opere explicanda. Primum quidem ſupernaturalem, ſiue, Eccleſiæ Sanctæ poteſtatem iure naturali, ac diuino humanæ naturæ, rebusque temporalibus coeſſentiali ſubordinatione conato, & ineuitabili ab ortu mundi, hominibus cunctis, ac temporalibus quibuslibet regendis præeſſe, ac dominari dominio non tollente aliorũ dominia, ſed eſſentialiter continente; liberosque eſſe Eccleſiaſticos eodem iure ab ortu mundi, quoad perſonas, loca, & res, & his ſeruientia. conſtareque id peremni doctrina è manu in manum tradita, ſimiliterque omni actuum pu-

 blico-

blicorum, legitimorumq; perpetua conteſtatione. Secundum Principatuum bonorumq; omnium ruinam naſci hinc, quod hæc libertas, & poteſtas oppugnetur; idque conſtare omni euentuum publica, & iugi ſucceſsione. confirmabuntur hæc omni argumentorum genere. loca tamen ſcripturæ ſingula ad poteſtatem pertinentia plene ac ſolide examinanda, ſimiliter omnia Sanctorum Patrum, Doctorumque teſtimonia diſcutienda hinc inde cum ſingulis ad hæc pertinentibus quæſtionibus fratri noſtro relinquemus ſatishabentes iugem Sanctorum doctorumque è manu in manum traditam veritatem protuliſſe. Ad hæc vero illuſtranda neceſſe eſt in primis id, de quo diſputetur, deſcribamus.

Conſtat hoībus cunctis eſſe vltimũ finem DEUM. propter hunc expetimus, habemus molimur, atque efficimus cuncta; quin adeò fertur humana in illum natura, vt facere non poſsit, quin in eum coeſſentiali impetu feratur, neque eſt illi quies, niſi recta in ſingulis quibuſque tendat, atque ordinetur in ipſum; libera non eſt ab appetendo fine. Appetitus hic illi dominatur, hoc primum, ſummumque ius naturale, ac diuinum, à quo, omnia deriuantur; in hoc ſolo quies; ſtatus omnis inde ſumitur. Ac veluti incluſus ignis quieſcere non poteſt, ſed omnes vias inquirit, quibus quàm citiſsimè ad locum ſuum feratur, obſtantia quæque diſrumpit; ſic anima humana ſemper in omnibus DEUM quærit, niſi id ſit, inquieta eſt, & quibus in rebus in DEUM non tendit, perturbatur, ſi vehemens ſit appetitus, quaſi ignis obſtantia quæque eodem modo diſrumpit, ac diſijcit. hinc bona oīa, & imperia cadētia. Hinc magis, minuſve pro maiori minorive; naturalis huius appetitus impulſu naturaliter homines ſcire deſiderant, ac perfectiſsimis virtutibus DEO ſimiles eſſe, ac ſcire nõ modò per effectus, ſed etiã per cauſas, effectuumq; & cauſarũ mirabilē connexionē tenere, vſque ad omniũ primã cauſam, totiusq; naturæ auctorē DEŨ, ac deniq; ſuo principio per omnium virtutum conſecutionem maximè con iungi. Quocirca placuit acutiſſimis Theologis Scoto, & aliis pondere ipſo naturæ homines ferri ad intelligendum per eſſentiã DEUM, nolunt actu elicito, vel efficaci, id deſiderari. Sed quãdo perfectum dicitur illud, quod ſuum finem, ſuamque perfectionem conſequitur, vt habetur Metaphyſi. 5. tex. 39. & Phyſi. 3. tex. 64. finisq; naturalis, vt dicemus, non poteſt haberi abſq; ordinatione ſupernaturali, idcirco aīæ quærenti ſuum finem, ſuamq; perfectionē nulla quies, nullus ſtatus, ſine ordinatione ſupernaturali; tritũ namq; illud S. Auguſtini: *Feciſti nos Domine ad te, inquietum*

eſt

eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, Quamobrem S. Thom. cum libri tertij contra Gentes cap. 24. probaſſet ab omnibus rebus appeti bonum, & ſequ. Intelligere Deum eſſe omnis intellectualis creaturæ finem, dein verò aliis, non eſſe actum voluntatis, non in corporis, aut externis vllis bonis. cap. 39. decernit non eſſe naturæ humanæ fœlicitatem in cognitione, quæ habetur ex demonſtratione, & 40. non in cognitione quæ ex fide, ſequentibus autem non in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum, quod Auempaces, Alexander, & Auerroes ſuis modis poſuerunt, tandem concludit cap. 50. non conquieſcere naturale noſtrum deſiderium, niſi Deum per eſſentiam videat. Quocirca ſic argumento ſecundo: *Ex cognitione effectuum incitatur deſiderium ad cognoſcendum cauſam, vnde & homines philoſophari cœperunt cauſas rerum inquirentes. non quieſcit igitur ſciendi deſiderium naturaliter omnibus ſubſtantijs intellectualibus inditum, etiam cognitis ſubſtantijs effectuum, niſi ſubſtantiam cauſæ cognoſcant. Per hoc igitur, quod ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcunt omnium rerum, quarum ſubſtantias vident, eſſe Deum cauſam, nõ quieſcit naturale deſiderium in ipſis, niſi etiam ipſius Dei ſubſtantiam videant*. & quarto, *Nihil finitum deſiderium intellectus quietare poteſt, quod exinde oſtenditur, quod intellectus quolibet finito dato, aliquid vltra molitur apprehendere, vnde qualibet linea finita data aliquam maiorem molitur apprehendere, & ſimiliter in numeris. & hæc eſt ratio infinitæ additionis in numeris & lineis mathematicis, Altitudo autem & virtus eſt finita cuiuſlibet ſubſtantiæ creatæ. non igitur intellectus Subſtantiæ ſeparatæ quieſcit per hoc, quod cognoſcit ſubſtantias creatas quantumcumq; eminentes, ſed adhuc naturali deſiderio tendit ad videndam ſubſtantiam, quæ eſt Altitudinis infinitæ*. Rurſus idem cap. ſeq. *Cum autem impoſſibile ſit naturale deſiderium eſſe inane, quod quidem eſſet, ſi non eſſet poſſibile peruenire ad diuinam ſubſtantiam intelligendam, quod naturaliter omnes mentes deſiderant, neceſſe eſt dicere, quod poſſibile eſt ſubſtantiam Dei videri per intellectum, & à ſubſtantijs intellectualibus ſeparatis, & animabus noſtris*. Hæc Sanctus de naturali appetitu omnium bonorum, Beatitudiniſq; conſequendæ, de qua S. Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 5. *Verum eſt quod omnes homines Beati eſſe velint, idq; vnum ardentiſſimo amore appetant*, & lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. agens de Beatitudine, quæ Chriſti beneficio ab hominibus acquiri poteſt, ait, *omnes naturali inſtinctu volunt eſſe Bea-*

ſi. Quantus autem ſit Amor hic explicat Scotus in 4. diſt. 49. art. 10. inquiens: *de illo appetitu naturali, patet, quod voluntas neceſſariò, & perpetuò, ac ſummè appetit Beatitudinem, & hoc in particulari: quod neceſſitate; patet, quia natura nõ poteſt remanere natura, quin inclinetur ad ſuam perfectionem; quia ſi tollis illam inclinationem tollis naturam; ſed appetitus naturalis non eſt, niſi inclinatio talis, ergò vt ſic, neceſſario appetit Beatitudinem; quia illa eſt maxima perfectio. quod ſummè appetat; probo; quia ſumma inclinatio naturæ eſt ad ſummam perfectionem, ſic enim arguit Philoſophus primo Metaphyſ. Si omnes homines natura ſcire deſiderant, ergo maximam ſcientiam maximè deſiderant. ſed ſumma perfectio voluntatis eſt beatitudo, ergo, &c. Præterea in cuius poteſtate non eſt tendere, vel non tendere, in eius poteſtate non eſt remiſſe tendere, ergo ſi voluntas, vt natura determinatur neceſſario ad appetendam beatitudinem, ergo ſumme, &c.* Hæc ſubtilis doctor. Sed quomodo natura humana Deum quærit per eſſentiam videre, viamque ſpire, qua directè in eum pergat, cum, niſi aliunde cognoſcat, naturali ratione fieri id poſſe non percipiat, neque obtineri à ſe poſſe, atque ita non habeat ex ſe vt ſciat, aut obtineat tantum bonum? Quia nullibi ſcilicet, quod aiebat S. Thom. poſſit conquieſcere, quietemque appetitam participare, quouſq; non inſiſtat in directione ſupernaturali euolãs quaſi ignis eltatiſſimus in Spheram ſuam, in qua immobiliter ſtabit, cum per eſſentiam videbit Deum, quo fertur quaſi lapis in centrum. Nunc tanti ſtatus aliquid degustat, cum non auertit ſe ab illa ordinatione ſupernaturali, creaturæq; affigitur, ſed in linea directionis Eccleſiæ Sanctæ inſiſtens nullã in partem dimouetur, in ea firmiter cõſiſtit.

Nam cum ſit omnium bonorum dator Deus, à quo, *Alijs communicatum eſt, his quidem exactius, his autem obſcurius eſſe & viuere*, Philoſophus ait 1. Cœli text. 110. Idcirco contendit homo intelligens, ac naturæ impulſum ſecutus ei per virtutes aſsimilari, coniungi, & ab intellectu per illius coniunctionem rectè ordinato gubernari, *Nam qui* (ait idem cap. pen. Eth. vltimi) *ex intellectu operatur, huncq; excolit, atq; optimè afficit, is eſſe Deo chariſſimus videtur. Nam ſi aliquam humanarũ rerum curam Dij habent, ſicut videtur, conſentaneum eſt ipſos illa re, quæ optima eſt, atq; ipſis maximè cognata delectari, qui eſt intellectus, eoſque qui maximè eam amant, & honorant remunerari.* Quamobrem ſic ibidem. *Si igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpicias, ſic vita, quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ com*

pa-

paretur, diuina etiam ipſa eſt, neque verò oportet quemadmodum nonnulli monent, vnumquemq; cum ſit homo humana, & cum ſit mortalis mortalia curare. Sed quantum licet immortalem ſe reddere, omniaq; efficere, vt ex præſtanti omnium, quæ in ipſo ſunt, vitam traducat, nam licet id mole ſit paruum, vi tamen, & honoris gradu longe omnibus antecellit. Et verò pars hæc vnuſquiſq; noſtrum eſſe videtur, ſiquidem id quod Principatum obtinet, etiã melius eſt: abſurdum igitur fuerit, ſi non ſuam vnuſquiſque, ſed alterius vitam expeteret. Præterea, quod à nobis antea dictum eſt, huic etiam loco conueniet. Nam quod cuiuſq; proprium eſt natura, idem optimum cuiuſque eſt, & iocundiſſimum. Ergò & homini optima ea vita eſt, quæ menti conuenienter traducitur. Siquidem hæc pars homo maximè eſt. Hæc ille humanam vitam, quæ ſit hominis propria, in hoc ponens, vt virtutibus quiuis excultus totus ſit in Deo contemplando & colendo. Atq; hic hominis eſt proprius finis, atq; vltimus, propter quem cuncta expetuntur, habentur, fiunt, & in quibus nulla eſt quies, nullus eſt hominis ſtatus, qui homini, qua parte eſt propriè homo, cõuenire poſsit, rectæ ſcilicet ipſius naturæ. Hinc Philoſophus Metaphyſ. 12. tex. 51. Beſtijs & mancipijs facit ſimiles, qui non ordinant cuncta ad Deum contemplandum & colendum, ſiue excidunt ab ordine diuino. *Perſcrutandum autem eſt, ait, hoc; quonammodo natura vniuerſi habeat ipſum bonum & ipſum optimum, vtrum ſeparatum quiddam, & ipſum per ſe, an ipſo ordine, vel vtroque modo, quemadmodum exercitus, etenim bene eſſe in eius ordine, & Dux ipſe eſt, & magis ipſe, non enim ipſe propter ordinem, Verum ordo propter ipſum eſt. Cuncta autem ordinata quodammodo ſunt. Verùm non ſimiliter, & natantia & volatilia & plantæ, neque ità ſe habent, vt ſint nulli alteri ad alterum, ſed ſunt ad quidpiam, ad vnum namque ordinata ſunt omnia. Verùm quemadmodum in domo liberis quidem minimè datur quodcumq; facere, ſed ea omnia aut plurima, quæ ordinata ſunt, mancipijs verò & beſtijs parum quod ad commune conferat, ſed vt plurimum quodcumq; contingit.* Hæc ille, Beſtias vocans eos, qui ſua nõ ordinant iuxta ordinem diuinum, totiuſq; vniuerſi bonum, ſiue diuinas, ac naturales Dei leges non obſeruant; iure diuino, ac naturali non obſecundant.

Hinc rectè Theologi concludunt illud; dari ſane actus humanos in ſpecie indifferentes, non tamen in indiuiduo, qui à deliberata ratione procedant: ij namq; reuera humani. Hinc ſcriptum legi-

legimus Matth. c. 12. *Omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij* & 1. ad Cor. x. *omnia in gloriam Dei facite*. Ità SS. Hilarius in c. 12. Matthæi Hieronymus, Remigius ibidem, Gregorius homil. 6. in Euang. Baſilius in queſt. in Compendio explicatis q. 23. Auguſtinus lib. 9. de Trinitate c. 9. S. Thom. 1. 2. q, 18. art. 9. Albert. Magn. 2. ſent. diſt. 40. art. 4. Richardus art. 2. q. 3. non tamen eſt neceſſe, vt omnis actus expreſſe in Deũ referatur, ſiue vt ſit magis perfectus adhoc, ne excidat à fine agens, quod rectè alioquin Scotus conſiderabat. Vtcunq; ſit, natura humana ſuopte pondere fertur in illum finem, in quo conquieſcat.

Sed cum Deus duobus vt apparet modis ſit hominum finis, vt naturalis, atq; vt ſupernaturalis. Primo modo cognoſcitur naturæ viribus per effectus naturales, alio modo ſupernaturali directione, ac poteſtate fruendus per eſſentiam ſuam, vel per ipſum met Deum. Deum cognoſci, ac poſſe à nobis haberi hoc vltimo modo oſtendi non poteſt per effectus naturales, cum non ſit vllus effectus adæquatus, vel proprius naturalis, ex quo poſsit id demõſtrari, Sed tamen poſſe fieri, ideſt non cõtinere vllo modo repugnãtiam logicam, ſi fieret id, apparet; Quin credibile hoc eſſe videmus. An vllo modo cognouerit, vel crediderit Ariſtoteles, id nobis incertum. Multa ſuadent, eum vel ex antiquorum paſsim vulgaris narrationibus, vt dicemus, vel è Iudæorum ſcriptis, quæ volunt ab eo lecta, nouiſſe & poſſe fieri, & credibile eſſe, quippe qui nihil reliquerit, quod curioſe non indagaret, ac diſcuteret. nam vult Ethico 7. eſſe Heroas, qui ex hominibus efficiãtur Dij, ſiue Angelici, vt Auerroes interpretatur, vel, vt ait ibi. S. Thom. qui ſummo ſuo attingant diuinam naturã, eamque participent. Sic idem Philoſophus, ait, iſtos ſupra humanã naturã poſitos. ſancitq; Politico 10. templa illis conſtrui filios Dei, ſimiliter conſtituit in ciuitate eſſe oraculum, bonos à Deo remunerari, precibus ab ipſo, quæ deſiderantur, expetenda. Quocirca Auerroiſtæ, & Græci aliquot dicunt, in his eum locutum ad Populi captum, neq; animam intellectiuã ſingulis quibuſq; immortalẽ credidiſſe, aut aeternæ vitæ ſtatum. Verũtamẽ, ſicut ex eius principijs demõſtratur Deus independẽs, liber, infinitus, Omnipotens, ſic quæ vidit ille non poſſe à ſe demonſtrari, non potuit, aut voluit aſſerere veluti à ſe certo demonſtrata: neque tamen ſequitur illa non credenda. Plurima namque ſunt certò credenda, quæ demonſtrari haud poſſunt, ſiue in naturalibus, ſiue in Politicis. Veluti certum eſt mihi Paren-

rentes eſſe, id per demonſtrationem ſcire non poſſum, Credendum mihi, ac reliquis filijs eſt hoc; alioquin impii reddentur mortales. Quocirca idem Philoſophus, aiebat, Ethici 6. c. xj. *peritorum hominum, & Seniorum, ſeu Prudentum Pronuntiationibus, & opinionibus, non minus, quā demonſtrationibus eſt attendendum*, & 1. c. 3. *eſt enim eruditi eatenus exactam in vno quoq; genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt*, & c. 4. ex Heſiodo tradit duos eſſe ſapientum gradus,

Optimus ille, poteſt qui ex ſe cognoſcere cuncta
Ad finem vſque videns, quæ ſemper ſunt meliora.
Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat. At qui
Ex ſe nec nouit, nec, quæ benè conſulit alter
Percipit, admittitq; animo, nihil vtilis ille eſt.

Sic igitur humanæ naturæ eſt aliqua potentia, procliuitaſque, vt ſe in pleriſq; mancam dignoſcens indigentem conſilio Sapientiorum, quales ſunt Heroes, & ſiqui cognoſcuntur, quocumque cognoſci modo poſſunt, ſupernaturales directores, velit ſubijci illis & in ſpeculatiuis, & in actiuis, quod infallibili directione nitantur, ac titubet ipſa in omnibus ſuis. Fertur tamen illa ſemper ad Deum ſine vllo intellectus errore cognoſcendum, ſummeque contemplandum, cum ſit proprie ad hoc facta, neque ſe perfecte ſcire perſpicit, niſi huc omnia referat, ac reſoluat. hinc idem Philoſophus Phyſici primi initio, *Tunc enim putamus cognoſcere vnum quodq;, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſq; ad elementa*, quorum ſane verborum ſenſus eſt ille, vt mens humana appetat cauſarum connexionem ſcire vſq; ad Deum, ita poſt Theophraſtum, Eudemum, Alexandrum Simplicius, eumq; cæteri ſecuti. Idcirco illud hic ſatis erit adnotaſſe ad euidentiam clariorem dicendorum. Primum quidem decreuiſſe Philoſophum, quod ex adductis apparet humanam beatitudinem conſiſtere eſſentialiter in actione immanente in nobis, non ad alia tranſeunte. Sic ille Metaphy. 9. tex. 16. Quocirca eam ſic ille definiuit Ethici primi 7. *Vt ſit actio perfecta in vita perfecta ſecundum perfectam virtutem.* Actionem porrò perfectam vocat mentis DEUM contemplantis, quoties exculta eſt virtute perfecta, non hac duntaxat, vel illa, ſed omni; maximè verò maxima, quæ eſt ſapientia diuinorum veritatem cognoſcens. Hanc verò & eius inſtrumenta nimirum bona externa corporis, atque animi haberi à DEO, ac ſingulari DEI munere. Sic ille primi Ethici c. 9. *Si tamen aliquid aliud eſt à Dijs hominibus exhibitum*

donum

donum veriſimile eſt fœlicitatem quoque à Dijs exhiberi. Et mox. *ex diuiniſsimis rebus fœlicitas eſt,* & Politici vlt.cap.vlt.loquẽs de bonis naturæ, *quod ad naturã quidem attinet, in nobis non eſſe* (bona naturæ) *manifeſtum eſt, ſed ex quadam diuina cauſa ijs, qui reuera fortunati ſunt.* At Phyſici 2. text. 58. loquens de fœlicitate actiua, quæ ſeruit contemplatiuæ, *neceſſe eſt*, ait, *circa agenda eſſe fortunam. Signum autem eſt, quoniam videtur vel idem eſſe cum fœlicitate proſpera fortuna, aut propè. Fœlicitas autem actio quædam eſt, eſt enim bona actio.* Hucuſque Philoſophus. Verùm, quando id, quod dicimus accidere fortuna, nobis id accidit prouidentia diuina, Mox adiicit, tum de vniuerſi fabricatione, tum de reliquis, quæ dicuntur à fortuna eſſe. *Cum ſecundum accidens eſt prius ijs, quæ per ſe ſunt, manifeſtum eſt, quod neque cauſa per accidens prior eſt ea quæ eſt per ſe. poſterior itaq; caſus, & fortuna, & intellectu, & natura. quare ſi quam maximè Cœli ea eſt cauſa, neceſſe eſt prius intellectum & naturam eſſe & aliorum multorum, & huius vniuerſi cauſam.* Hæc ille, rurſus diuinitus immitti ſapientibus impulſus intimos, qui ſunt omnino ſupra humanam rationem, impelluntq; eos ad cognoſcenda ea, quæ perducunt ad fœlicitatem, tum multis in locis lib. 6. per nos allatis, tum verò in Eudemiis tradit ita inquiẽs. *Patet autem ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo Deus eſt, & viciſſim omnia in illo, mouentur autem omnia ab inexiſtente in nobis numine. Rationis autem non eſt ratio, ſed præſtantius quiddam eſt principiũ, quid autem ſcientia præſtantius eſt niſi Deus? Virtus enim organum intellectus eſt.* Et mox. *patet, quod ſpecies fœlicitatis duæ ſint humana altera, altera diuina. Ideoque, qui felix eſt, numine adiutum aliquid feciſſe dicunt. Is autem eſt, qui aliquid iuxta diuinum impetum facit.* Hactenus ille, aſſerens ſingulari opus eſſe auxilio Dei ad aſſequendam fœlicitatẽ, quam vult eſſentialiter conſiſtere in habenda diuinorum veritate, Deoque contemplando. hinc Philoſophus idem Metaphyſici primi cap. 1. de diuina ſcientia, *non humana eius poſſeſsio putanda eſt. Natura enim hominum in pleriſque ſerua eſt.* Idque apertiſsimè conſtat è contrariis Philoſophorum ſentẽtiis de natura Deorum, quas Cicero, plurimique è noſtris collegerunt. Multæ tamen gentes olim, eorumq; ſapientiores maiorum traditionibus, ac narrationibus, quæ à liberis Noè tranſmiſſæ ad omnes fuerant, vt initio Panarij S. Epiphanius refert, inſiſtentes non modo humanam fœlicitatem poſuere in Deo per effectus, ſpeciemque intelligendo, &

contemplando, ſed in eo perfectè eodem modo, quo ſemetipſum videt, quantum datur poſt obitum videndo, ac licet hoc non ita exacte, vt nos tenerent, tamen aliquo modo a Noè, liberiſq; eius traditã doctrinam retinuerunt, hinc dixere iuſtos euehi ad Cœlum, ciboque vti eodem cum Deo Deorum, cui nullus alius cibus eſt, niſi intellectio ſui metipſius. hinc fabuloſum veritatem tamen adumbrans nectar, & ambroſia. Cicero Tuſculanarum quæſt. 1. *Authoribus quidem ad iſtam ſententiam, quam vis obtineri, vti optimis poſſumus: quod in omnibus cauſis, & debet, & ſolet valere plurimum: & primum quidem omni antiquitate, quæ quo proprius aberat ab ortu, & Deorum progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat. itaque illud vnum erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum.* Et mox, *mortem non eſſe interitum omnia tollentem, atque delentem, ſed quamdam quaſi migrationem commutationemq; vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in Cœlum ſoleret eſſe, in cæteris humi retinerentur, & permanerent: tamen ex hac & noſtrorum opinione.*

Romulus in Cœlo cum Dijs agit aeuum
Vt fama aſſentiente dixit Ennius, & apud Græcos, indeq; vſque ad nos Oceanumq; prolapſus Hercules tantus, & tam potẽs habetur Deus, Hæc ille. huiuſmodi ſunt plena Homeri omnia, plena Heſiodi, vatumq; Græcorum: quid Trimegiſti, vel Chaldæorum teſtimonia multa producam? quid Pythagoricorum, vel Platonicorum, quos paucis immutatis nonnulli volunt eſſe Chriſtianos? Ariſtoteles omnium rerum ſententiarumq; diligentiſsimus inueſtigator, haud videtur hæc ignoraſſe. An aliquando crediderit ignoramus, demonſtratio non datur, conſona illi ſunt multa, Cũctæ Gentes fieri crediderunt, & aliquo modo etiam nunc credunt, ſed enim *quod omnes aut plures exiſtimant fidem præſtat*, ait idẽ lib. de diuinatione. Volunt certè quidem Sancti multos è Gentibus, etiamſi Iudæi non eſſent, neq; circumciderentur, ſupernaturalem beatitudinem conſequutos. id tradunt Dionyſius, Iuſtinus Apol. 11. Chryſoſtomus, Thomas, & Apoſtolus initio Epiſtolæ ad Romanos, vt ſuo loco dicemus. Quocirca neceſſe eſt iſtos ſupernaturalem directionem cognouiſſe aliquo modo, ſicut & Magi, qui ab Oriente venerunt orto Chriſto. Certè S. Iuſtinus adducto loco vult Heraclito, Socrati rectam Dei fidem fuiſſe. Ægidius in ſecundo ſenten. vul idem. At multa, inquies, perperam vel crediſſe, vel egiſſe ſcribuntur. Socrates, Æſculapio

propè mortem Gallum litauit. Concedet Sanctus, ſicut etiam Chriſtianorum multi aberrarunt credendo & agendo, quæ non obſtinatis animis credidere, & egere. Sic illi vnum Deum crediderunt diligentibus remuneratorem, ſpemque in illo ſuam poſuerunt omnem, lapſi ſunt aliquando, pœnituit eos. Sic reſponderet S. Iuſtinus.

Sed vt mittamus, quatenus gentes cognouerint, aut non cognouerint finem naturalem non poſſe haberi ſine ſupernaturali, aut hunc eſſe hominis ſummum finem: illud nobis eſt certum tum ex diuina ſcriptura, tum ex ipſa experientia notitiaque rerum, quæ contigere humano generi, & contingunt, naturalem finem (cuius appetitus humanæ naturæ dominatur ita, vt illa facere non poſsit, quin in eum feratur ſingulis quibuſque in rebus) non poſſe à nobis haberi ſine ſupernaturali, quemcumque ſtatum naturæ demus. Nam ſupernaturalis ordinatio in ſtatu Innocentiæ, ſicut & nunc duo præſtabat. primo ipſam naturam rectam tuebatur, ſecundo attollebat eam ſupra ſeipſam. Quamobrem ſimulatque natura humana abiungit ſe ab ordinatione ſupernaturali, protinus à fine ſuo proprio, directioneque in illum, ac proinde à quiete ſua, tranquillitate, ac naturalis impulſus rectitudine, & à recta natura, & integra decidit, ac vulneratur, quod habemus è SS. Ioanne Chryſoſtomo homil. 15. in Geneſ. & tom. 3. de cruce Dominica, Cyrillo lib. 1. in Ioannē cap. 9. Ambroſio libro de Iſaac, & Abraam, Auguſtino de littera & ſpiritu in Geneſ. ad litteram cap. 31: qui omnes aſſerunt non aliunde eſſe animam male ordinatam, niſi quod deſtituta eſt ſupernaturali ordinatione, hinc Pſal. 84. ſupernaturalis ordinatio comparatur honori extrinſecus in animam aduenienti, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*, & Eccleſ. cap. 17. Veſtibus, cum dicitur de Deo, qui Adamum creauit, *veſtiuit illum virtute*, Eſt itaque integritas naturæ in quodam dirigente extrinſeco, qui non fluat è principijs naturæ, ſed cui nos adhereamus, vt corpus veſtimentis, licet gratia charitaſque intimè ac penitus animam peruadant. Hinc Apoſtolus Epheſ. 4. vocat hominem nouum, quæ diximus ſunt de ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 85. art. 1. Scot. in 2. diſt. 29. q. vnica, Driedoni lib. 2. de gratia, cap. 3. Hoc cum ſit Theologis compertiſsimum, poſt alios optimè videtur noſtræ ætatis ſcriptor explicaſſe in 1. 2. q. 85. art. 3. Afferam verba eius. *Inter hominem* (inquit ille) *poſt lapſum nihilo differt* (*excepta culpa*) *quam inter hominem nudum, qui nunquam fuit veſtitus, & inter*

ter hominem expoliatum veſtibus, quibus veſtitus fuerat: ambo manent æquè nudi. Et mox, *quantum ad ſufficientiam naturæ humanæ ad opera naturæ proportionata, idem eſt iudicium de ea in puris naturalibus, & poſt lapſum*, & deinde. *Hæc eſt vera diuinaque Theologia, quam docent vniuerſi Theologi, nominatim Caietanus hoc in loco, vt infra q. 109. art. 1. Marſil. in 2, q. 18. art. 3. Doctiſsimus Pater Soto in libro de natura, & gratia, cap. 13.* & poſt *eadem eſt inclinatio hominis in puris naturalibus, & in peccato originali. ergo propter peccatum originale inclinatio naturalis ad bonum non eſt diminuta, alias eſſet minor in homine in peccato originali exiſtente.* Rurſus, *quinta concluſio appetitus ſenſitiuus poſt lapſum non intenſius fertur in bona ſenſibilia, quàm ſi eſſet conditus in puris, meriſque naturalibus. denique ex ſententia*, ait, *omnium Theologorum, naturalia manſerunt integra poſt peccatum, tum in Angelis tùm in hominibus. At natura humana poſt lapſum, non habet iſtam integritatem, & perfectionem, vt experientia demonſtrat, & Doctrina diuina oſtendit. Ergò hæc præſtantiſsima perfectio non inueniretur in homine, ſi in puris naturalibus conderetur.* Deinde. *homo, vt ex Philoſophia naturali euidens eſt, conſtituitur ex corpore, & anima, ex carne, & ſpiritu. Caro verò de ſe contradicit ſpiritui. Homo igitur in puris naturalibus conſtitutus ex neceſsitate haberet pugnam inter carnem, & ſpiritum, quæ illum ad peccãdum pertraheret.* Hæc ille, è quibus habemus ex omnium Theologorum ſentẽtia, illud quod ſolet dici, vulneratam naturam per hominis primi peccatum, ſic eſſe intelligendũ, non quod amiſerit aliquid eſſentiæ naturalis, vel naturaliũ potentiarum; verũ quod ſupernaturali ordinatione gratiaque fuerit deſtituta, ſeſe ab hac diſiunxerit; vulnerariq; & corrumpi illã quoad rectam propẽſionem, ſcientiã, moresq; naturales, ſiue naturali lumine cõformes, nihil aliud eſſe, niſi magis, minuſve abeſſe, ac recedere à ſupernaturali directione. ſic igitur finis, vel fœlicitas naturalis eſſentialiter depẽdet à ſupernaturali, neq; naturalis perfecte, & infallibiliter cognoſcere naturalia poteſt abſq; directione ſupernaturali. hinc Ariſtoteles putauit a ſe multa demõſtrari, quæ reuera non ſunt demonſtrata. titubat igitur natura in cunctis, niſi in linea directionis ſupnaturalis cõſiſtat. Hæc oĩa p̃ter ea, q̃ ſupra diximus, cõfirmantur. Nam ſi ſecus aſſeramus, non eſſet, quod ab Eccleſiaſtica poteſtate vetarẽtur cõtraria lumini naturali. ex quo oĩa Concilia deſtruimus, quibus vetantur oĩa tam ſupernaturali quàm naturali lumini repugnantia. quin eò redigeretur Eccleſia

Chriſti ſponſa, vt non niſi de ſupernaturalibus loqui, ac tractare poſſet: diceret enim naturalis hæc ad ſe pertinere, quod eſt dæmonis regnum ſtabilire. deniq; tum Meleuitani, tùm Auriſcani Concilij can.vlt.legimus Pelagium damnatũ, quod certò crederet à nobis tum naturalem, tum ſupernaturalem finem comparari abſq; gratia diuina poſſe: & vtraq; ſententia condẽnata eſt S. Aug. hæreſi 88. Corroborantur hæc ex cõi adhuc ſententia Theologorum, qua volunt abſq; gratia diuina haud poſſe omne verum ſciri, aut omne bonum mentis cõparari. S. Aug. de ſpi. & littera c. 14. 19. de gratia, & lib. arb. cap. 19. S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 4. Albertus, Bonauentura, & alij in 2. diſt. 28. Hinc ſi qua Reſpublica, vel poteſtas erit abſq; directione ſupernaturali, non aſſequetur illa finem ſuũ naturalem, neq; in illa eſſe poterunt omnes virtutes ſimul iunctæ perfectæ lumini ipſi naturali conformes, licet aliquæ poterũt eſſe, ſi quoſdam ſequamur, in ſuo genere perfectæ. Et homines illius Reipublicæ erunt in iugi dæmonum peccatiq; ſeruitute. quin nõ erit in ea vita hominis propria, cuius propriè eſt in Deum ſecundum omnes virtutes tendere, Deum ſine vllo intellectus errore contemplari: atque homines illius Reipublicæ erunt tamquam mancipia, vel Belluæ, vt Ariſtoteles quamuis hæc ita, vt nos ſcimus, ignorans aiebat. quod ſcilicet finis naturalis eſſentialiter dependeat à ſupernaturali. Ac licet Deus aliter potuiſſet inſtituere humanam naturam; tamen ſic ab initio illam creauit. & ſecundum quidem conſiderationem Logicam fieri poteſt, vt finis naturalis ſit abſque ſupernaturali, ac per abſolutam Dei potentiam: verùm iuxta ordinem naturæ, vt inſtituit eam Deus ab exordio mundi, non poteſt. Atque ità hæc dependentia eſt hominibus, quoad aſſequendum finem naturalem, coeſſentialis; vt in alio ſimili ordine coeſſentiale eſt ipſis vegetatiuam ſenſitiuamque haud eſſe in ipſis abſque intellectiua, ni velint eſſe Belluæ. Quin, vt humanus intellectus Deum perfectè cognoſceret, ac participaret, oportuit ita inſtitui genus humanum. Nam ſi Deus egiſſet tantũ, quæ ex ordine naturaliũ cauſarum dependent, neq; ipſum vel eius prima attributa perfectè homo cognouiſſet, neque participaſſet. Non enim cognouiſſet illum, ſaltem reſpectu humanæ naturæ, eſſe bonitate independenti, infinita omnipotentia, quique ſit ſemper ſuper quemlibet ordinem, vel effectum, vel cauſarum, poſsitq; humanæ naturæ dare aliquid, & non dare ſupra ipſius vires, ac ſupra id, quod è naturalibus effectis viribuſque haberi, & colligi poteſt. Sic itaque quantum videri poſſet, neceſſe

fuit ſic inſtitui genus humanum, vt Deum perfectè cognoſceret, ac participaret, vel eius attributa potiſsima, & maximè diuina, ac proinde à ſe homo diuulſus ſibique diffidens totum ſe proijceret in Deum, totus in Deum transferretur. igitur non eſſet humanus intellectus aſſequutus perfectionem ſuam, niſi cognouiſſet in ordine intellectuali, atque intellectum creatorum perfectione Deum independentem infinitum liberum non alligatum naturalibus cauſis. Quod ſi dicas poterat Deus efficere, vt humanus intellectus, ſimul atque creabatur, immediatè & immobiliter Deo coniungeretur; poterat: ſed non explicaſſet Deus in effectu potentiam, ſapientiamque ſuam, qua poteſt, ac ſcit plures entium gradus creare. ac ſicut primò voluit eſſe Chriſtum, qui ſua natura, ac per ſe deficere non poteſt inter intellectuales creaturas; ſic etiam ſecundo creauit aliquas intellectuales creaturas, quæ vno motu deficerent omnino à Deo, vel illi omninò coniungerentur: taleſque ſunt intelligentiæ abſtractæ boni aut mali Angeli: tertio denique creauit humanam naturam, quæ pluribus ad ipſum motibus pertingeret, eique immobiliter coniungeretur. Sic igitur apparent cuncta rectiſsimè, & conuenientiſsimè ordinata. Recteque S. Auguſtinus lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 25. *quamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitijs laudabiliter imperare. Si tamen Deo anima, & ratio ipſa non ſeruit, ſicut ſibi ſeruiendum eſſe ipſe Deus præcepit, nullo modo corpori & vitijs rectè imperat. Nam qualiter corporis, atque vitiorum poteſt eſſe mens Domina, veri neſcia neque eius Imperio ſubiugata, ſed vitioſiſsimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori, ac vitijs ad quodlibet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius, quàm virtutes. nam licet à quibuſdã veræ, & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, & ſuperbæ ſunt. Et ideò non virtutes, ſed vita iudicanda ſunt*, & lib. 2. cap. 2. *Vera autem iuſtitia non eſt, niſi in ea Republica, cuius conditor Rectorque Chriſtus eſt, ſi & ipſam Rempublicam placet dicere, quoniam eam rem Populi negare non poſſumus.* Hucuſq; Sanctus, Quæ ſic interpretamur. Regnis etiam, principatibuſq; non Chriſtianis eſſe multa iuſta bona, ac vera, ob quæ ſint illis regnis, ac principatibus ex ea parte iuſtæ, veræ, ac bonæ poteſtates. Sed tamen non poſſunt perducere hõies ſubiectos vllo momento ad oẽs virtutes perfectas ſimul iunctas, ac proinde neq; ad finem ipſo-

rum naturalem; cum ſit hic indiuiſus a ſupernaturali in aſſecutione, & vſu aſſecutionis; ac ſine ſupernaturali directione haberi non poteſt. hinc nulla ijs poteſtas. ſicut nulla eſt manuum poteſtas, quæ non poſſunt corpori neceſſaria perficere; nulla equi poteſtas, quæ non poteſt inire viam, quam natura appetit. Deum vero appetit natura humana ſemper, & omnibus in rebus. Secũdo nulla eſt ijs poteſtas, qui a cũcta facta ſunt, vt magis nos perducãt ad Deum, quam propter ſemetipſa, aut vllum finem, vel propriũ, vel cuiusvis, quocirca poteſtas illa eſt nulla, quia non aſſequitur id, propter quod tota eſt, quanta quanta eſt, vti dicemus. Ad ſummam liquet humanam naturam ſic eſſe ab exordio mundi à Deo factam, vt ſine ordinatione ſupernaturali nequeat aſſequi finẽ ſuũ naturalem, vel ſupernaturalẽ propter quem cuncta habet, ac vult, qui ſic illi dominatur, vt non ſit vllo modo quoad hoc libera, ſed in omnibus illum quærit non quieſcẽs, niſi in ſingulis quibuſque, quod fieri ſine ordinatione ſupernaturali haud poteſt, ordinetur in illum: ſicut lapis Herculæus non quieſcit, niſi recta in Polum dirigatur, conſiſtat ſemper, atque omniuo in linea Polum reſpiciẽte. Atque hoc eſt ius naturale, ac diuinum, mortalibus inſeparabiliter, & coeſſentialiter innatum; de quo ſumus acturi. propenſio nimirum coeſſentialis in Deum, quæ prima omnium cum genere humano proceſſit, vt aliis de rebus loquens aiebat Caius leg. 1. de acquiſ. rer. dom. quamuis Deum naturali appetitu velle, & maxime velle, ſit homini commune cum Belluis, cũ quibuslibet rebus creatis; alio tamen, atq; alio modo, vt mox è S. Thom. dicemus.

In Eccleſiaſticis ſolis eſt Poteſtas ſupernaturalis ordinandi humanam naturam in finem, vel fœlicitatẽ tam naturalem, quàm ſupernaturalem. hi ſoli habent clauim poteſtatis, ſcientiæq; huius. Laici quamuis baptizati non habent. quid ſit Eccleſia, & Eccleſiaſtica poteſtas. Cap. II.

SEcundo loco videndum nobis eſt, in quibuſnam vel hominibus, vel intellectualibus creaturis ſit hæc poteſtas ſupernaturalis dirigendi alios in finem, vel fœlicitatem tum naturalem, tum ſupernaturalem, ita vt humanam naturam perficiat in genere ſuo quantũ ad finem proprium; Præterea verò, attollat illam. Et quidem nemo

mo eſt,qui neget hanc poteſtatem ſupernaturalem eſſe in Eccleſia Dei,Eccleſiaſticiſque primis Eccleſiæ membris. ac nemo poteſt negare propter ſupernaturales eius effectus. Neceſſe eſt autem,ſit iure naturali,ac diuino in hominibus, licet enim Deus poſsit per ſeipſum,vel per intelligentias abſtractas regere humanum genus, ac perducere ad finem ſuum naturalem, cognoſcamusque per abſtractionem logicam diſtingui poſſe eſſentialiter finem naturalem a ſupernaturali. Tamen inſtituit ita ſapientiſsimus omnium gubernator ipſas res,vt eas regat per aliquod ſuæ naturæ, veluti homines per homines,elephantos per elephantos, apes per apes, oues per arietes. Rurſus voluit in humana natura eſſe ordinem; diſtinguique diuerſos hominum gradus imperfectos, perfectos, perficientes.talia namque ſunt hæc inferiora in terris collocata, ob cauſas ſupra adductas;vt ſapientia,potentia,bonitasque diuina in effectis eluceſceret,ac participaretur.

Et hoc igitur erit iuris naturalis,ac diuini,vt ſint homines,qui cumque illi ſint,quibus doctrina ſit,ac directio ſupernaturalis. ab exordio mundi ſupernaturalis director quantum ad homines per fidem Chriſto innitens in primis fuit Adamus, vt habemus è Sap. cap. 10. Deinde Caini progenie tanquam ſæculari in vltimum locum reiecta,conſedit hæc poteſtas in Seth,liberis eius, ac demum Noe quamdiu vixit,cæteriſq; de quibus eſt dictum lib. 6. At Chriſto Eccleſiam perficiente,& attollente ſupra cœlos,quos aperuit, altiſsimeque triumphanti coniungente militantem, conſentiunt omnes Theologi,hoc pertinere ad Eccleſiaſticos Sacerdotes,eiſq; tradi ob id diuinitus poteſtatis altiſsimæ in ipſa ordinatione duplicem clauium poteſtatis,ac ſcientiæ, (quæ ratione finis alioquin eis conueniret)per impreſsionem characteris intimi,vt lib. 2. latè habetur. Ita è diuinis ſcriptis poſt alios, quos ibi citamus Dionyſium,Ignatium,Irenæum,Cyprianum, Athanaſium, Cyrillumque S. Auguſtinus in Ioan. cap. 20. Hinc Alex. Alenſis 1. par. q. 20. mẽb. 3. art. 1, *Ordo*,inquit,*eſt ſignaculum ſpirituale,quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. huiuſmodi autem poteſtas diſcernendi inter lepram & lepram eſt eſſentialiter clauis.* Et membro 5. in reſolutione, *Actus aperiendi eſt in relatione ad finem vltimum.* Et membr. 8. in reſolutione, *Clauis enim habet duplex officium, eſt enim ſoluere & ligare in foro pænitentiæ, & hoc conuenit Presbyteris tantum:eſt iterum ſoluere & ligare in foro iudiciali,& ſic habentium dignitatem,& primo Epiſcoporum.* At S. Tho. in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. q. 2. ad primum: *Eadem poteſtas eſſe videtur per eſſen*

tiā qua Sacerdos corpus Chriſti conficere poteſt, & qua poteſt ligare & ſoluere, ſi iuriſdictio adſit, Et in 5.q.2. *Clauis, qua dicitur poteſtas, ligandi, & ſoluendi eſt, qua immediatè aperit ſeram peccati, ſed clauis, qua dicitur ſcientia, oſtēdit, cui aperienda ſit clauis illa.* Eadem Scotus, & Antonius Andræas diſt. 19. q. 1. art. 3. S. Bonauentura, ibidem q. 1. in reſolutione teſtans hanc eſſe ſententiam Sanctorum. è quibus habemus poteſtatem, qua Clericus exorciſta dæmones fugat contineri ordinum ſuperiorum characteribus, ac poteſtate, qua iam cōſecratus Epiſcopus excommunicare poteſt, & coercere delinquentes, ſed illam ab hac veluti particula quædā totius, vt aiunt, potentialis deriuari. ſimiliter habemus ex iiſdem eſſe eſſentialiter eandem poteſtatem, qua Sacerdos, vt publica perſona offerens, vel orans aliquid meretur, & qua puniuntur ab Epiſcopo criminum rei: quod ſcilicet à charactere procedant, quo Clericus ad officia minora inſignitur, & Epiſcopus potentiæ paternæ, vt aiebat S. Athanaſius epiſtola ad Serapionem configuratur, ex qua S. Ignatius, inquit Epiſcopos habere principatum ſecundum Deum, Sacerdotium vero ſecundum Chriſtum. Deriuatur autem clauis hæc per Chriſtū, de quo habetur Hebr. 1. *Cum ſit ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* & Iſa. cap. 22. *Dabo clauim domus Dauid ſuper humerum eius*, Quo loco Theodoretus, Procopius, Cyrillus, & alij volunt Chriſto homini datam Regiam ſimul, & Sacerdotalem poteſtatem, quam Petro Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis communicauit, cum Petro dixit, *Tibi dabo claues regni Cœlorum.* & Ioan. cap. 20. *Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis.* Ideoque S. Thom. in 4. diſt. 24. q. 3. art. 1. aiebat Clericos omnes ex eo, quod miniſteriis diuinis applicātur, adipiſci regiam dignitatem. quod ante ipſum dixere inter alios tum Rabanus, tum Dionyſius Areopagita.

Quocirca non eſt in Laicis vel ſæcularibus licet Baptizatis & Confirmatis hæc poteſtas ordinandi alios in finem vel naturalē, quoad ſcientiā moreſve, vel ſupernaturalē, niſi ob participationē ſpiritus vnius, quo regitur Eccleſia; & quo vt miniſtri tātæ Reginæ ſeſe eidem ſubiiciunt, nil aliud volētes, niſi quod illa decreuit, aut decretura eſt. natura nāq; licet ipſis, quoad aſſequēdū finē ſuū ſana, & integra; adhuc tū ſupernaturali directioni cohærens eſt, ac ſubiecta, quoad leges ab Eccleſiaſticis ferēdas: quibus primo quidem ſolis datæ ſunt claues. Secundo ad ſolos Eccleſiaſticos pertinent illa tria perficere, illuminare, ac purgare, vt benè poſt alios ex Dionyſio, cæteriſq; tradit S. Thomas, qui ob id 1.2.q.45. art. 5.

ad ſecundum ſcripſit. tertio loco ad propoſitum noſtrum, ſolis Prælatis dari ſapientiam gratis datam, quo iudicare poſsint actus humanos, quod apparet ex Epiſtola 1. ad Cor. cap. 12. & confirmatur quarto omnium Patrum teſtimonio quod lib. 2. cum de charactere diſputatur, eſt explicatum. Hinc quinto ad Eccleſiaſticos ſolos eſt dictũ, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sexto, ſi ſecus diceremus, non eſſet ordo in rebus humanis; eſſet ſicut populus, ſic Sacerdos. Septimo fruſtra characteris ordines imprimerẽtur. Octauo, fruſtra ab actibus ſæcularibus alioqn licitis Eccleſiaſtici ſepararentur. Nono, ob id in Conciliis votum laici non dant, etiamſi agatur de ijs, quæ vetita ſunt lumine naturali vt habet Concil. Chalced. act. 1. Cyprianus epiſt. ad Iulianum, Ambroſius 32. Auguſtinus 119. & ex omnibus Conciliis con ſtat. Decimo, ob eandem cauſam quotidie videmus ab Epiſcopis prohiberi appoſita pœna, quod lumine tantum naturali vetatur. Poſtremò non eſt eis regula infallibilis intellectus, idcirco non poſſunt alios ordinare, vt infra dicetur, neque enim poteſt obliquum menſura eſſe, vel ſuimetipſius, vel aliorum; ſed neceſſe eſt eſſentialiter dependeat à recta Eccleſiaſticorum menſura. Neque verò ad rem facit, ſi quis aduerſus id, quo aſſerimus Eccleſiaſticis eſſe hanc poteſtatem iure diuino ac naturali, dicat, ex beneplacito diuino eſſe, vt Chriſtus poteſtatis ſupernaturalis poſt Deum caput, Eccleſiaſticique hæc poſsint, non naturali, ac diuino iure. nam reſpondemus primo non ſequi, eſt ex beneplacito diuino, non eſt ergo iuris naturalis. ſatis eſt ab initio ob cauſas ordini vniuerſitatis conuenientes, proportionatas, aut neceſſarias ſic inſtitutũ fuiſſe humanum genus ex intima natura ſua, vt naturalis mortalium finis penderet eſſentialiter à ſupernaturali, quoad aſſequendam veritatem, & bonitatem vel naturalem, vel ſupernaturalẽ ex omni parte perfectam. Quamobrem primo cũ ex parte hominum natura humana iure coeſſentiali naturali ac diuino appetat Deũ, veluti finem ſuum naturalem, quin etiam naturali appetitu ſupernaturalem quærat non ſtans in ſuo fine; neque libera ſit ab hoc appetitu finis, dominetur illi hic appetitus & finis, neque poſsit vllo modo peruenire ad illum finẽ ſupernaturali directione ab ipſa ſua inſtitutione, ſimiliter eodem iure coeſſentiali naturali, ac diuino ſubiicitur ſupernaturali directioni, in quibuſcunque illa ſit. Secundo ex parte Eccleſiaſticorum non ſequitur; eſt ex beneplacito diuino eis hæc poteſtas, non igitur eſt iure naturali; alioquin nihil eſſet iuris naturalis, nam tota natura eſt, ac fuit à beneplaci-

to diuino. Quicumque igitur diuinitus hanc poteſtatem perducendi homines ad hunc finem ſortietur purgandique illuminãdi, aut perficiẽdi eos, illi erit naturali, ac diuino iure humana natura ſubiecta. Tertio probatur hoc. neceſſe eſt, ſit ſingulis quibuſq; ſuus pater, & tamen Deus poterat homines creare, vti Adamum creauit; & cuiuis poterat, ac poteſt alius, atque alius pater eſſe ex eodem beneplacito diuino: ſed qualiſcunque ſit, illi erit obediendum iure naturali, ac diuino. Simili modo in naturalibus poſſum nutriri quocumque cibo; ſi afferatur, quem Deus ipſe inſtituit ab ortu mundi iure naturali appeto illum, moriar ſine illo, non nutriar cibo, qui in me non ingredietur, ex beneplacito diuino fuit, vt humana natura cibo indigens inſtitueretur, fieri non poteſt, vt ſine illo viuat, afferatur panis, vel caro, vel quicũque alius cibus, vt poma, legumina, herbæ comedi ab hominibus ſolitæ, & conditæ, An non iure naturali, ac diuino hæc nutriunt, aut horum quod libuerit appeto? & tamen eſt ex beneplacito diuino, vt nutriar cibo, appetam cibum, cibus ſit in diuerſis rebus, quarum poſſum, quæ magis mihi placuerint, eligere.

Igitur eodem modo fuit ab initio ſic humanum genus inſtitutum, vt ab hominibus ordinarentur homines in finem tam naturalem, quam ſupernaturalem, perfectique & imperfecti homines eſſent, vt eluceſceret in humana etiam natura ſplendor potentiæ, ſapientiæ, bonitatisque diuinæ, non vnas res vno modo volentis ſcientis, ac potentis efficere, ſed multis ac diuerſis. Poteſtasq; hæc ſupernaturalis non apud quoslibet reſideret, & naturalibus cunctis, quæ ad hominem pertinerent, dominaretur, quod lib. 1. 6. & initio quarti habetur. Quocirca cum iure coeſſentiali naturali, ac diuino appetat humana natura Deum veluti finem ſuum, neq; vlla in re, vel vllo momento libera ſit ab hoc appetitu, & fine; dominetur illi hic appetitus & finis: non poteſt peruenire ad eum ſine directione ſupernaturali, quæ eſt in Eccleſia ſancta; ſimiliter itaque dominabitur illi eodem iure naturali, ac diuino Eccleſia Sancta Mater noſtra; cuius poteſtas, ac directio ſupernaturalis reſidet in Sacerdotibus, Epiſcopis, atque, vt in fonte, ſole, & apice Pontifice ſummo.

Quod ſi dicas per accidens, ob peccatum ſcilicet, Chriſtus eſt factus homo, ac proinde Eccleſiaſtici ab ipſo habentes poteſtatẽ non iure naturali congenito humanæ naturæ habent directionem ſupernaturalem. Reſpondemus nihil concludi, quod è ſuperioribus patet. Poſt obitum namque Adami, neceſſario danda erat hæc

dire-

directio poſteris eius,neque ſingulis erat.& ſi qui excidiſſent à veritate,danda erat ijs qui perſtitiſſent in veritate.Eccleſia vero ſola per fidei Petram, ſtat, ſtetit, ſtabitque infallibiliter in veritate. Et Chriſtus,noſque ſumus è poſteris Adami. & quamuis vterque illorum ſit homo verus,non tamen eodem,quo cæteri, modo facti ſunt. Ac licet hominum miniſterio ſupernaturalis hæc poteſtas ingeneretur indelebiliter per characteres,vti dicetur,naturali tamẽ iure,ac diuino dominatur.Sic ignis ꝑ accidẽs ligno iniectus opera humana, naturali tamen & coeſſentiali iure lucet, ardet, calfacit, vrit. Arbori ſilueſtri per accidens ex beneplacito humano inſeritur alterius naturæ ſurculus,iure naturali,ac diuino poma illa nutriunt. Homines inuenere artificium ſericarum veſtium, iure naturali,ac diuino operiunt fouent humana membra. Quamuis negetur adhuc Chriſti orituri fuiſſe primariam cauſam peccatũ;fuit hæc materialis;ſed gloria ipſius fuit finalis;vt ſupra eſt dictum.

Confirmantur hæc. Rex eligitur ex beneplacito prorſus humano,ſed electo cuicumque poſt illud humanum placitum iure naturali, ac diuino eſt obediendum; igitur longe maxime Eccleſiaſticæ poteſtati eſt obediẽdum iure naturali,ac diuino ab hominibus.nam Primo eligentes Regem non ingenerant illi indelebilem poteſtatem characteris, ex quo nanciſcantur infallibilem veritatem dirigendi homines infallibiliter in finem, vel naturalẽ, vel ſupernaturalem;vel dandi eis vires ad hoc.Secundo non appetit humana natura coeſſentiali iure illud bonum, ad quod dirigit Rex.Tertio ad quodcunque dirigit Rex eſſentialiter dependet à bono,ad quod dirigit *Eccleſiaſtica* poteſtas,vt oſtendimus,& ideo ius, quo illi obeditur eſſentialiter dependet à iure Eccleſiaſticæ poteſtatis. Quarto poteſtas ipſa ſæcularis intima & inſeparabili natura ſua diuinitus ſubiicitur Eccleſiaſticæ poteſtati,ni velit homo abnegare humanã naturam,quæ facere nõ poteſt,quin feratur in ſuum finem, viaſque oẽs inſtar ignis incluſi, ac tendentis ad locum ſuum inquirat,quibus conſequatur illum.Sic igitur princeps ſæcularis,vt priuata atque vt publica perſona facere non poteſt, quin iure diuino,ac naturali ſubiiciatur Eccleſiaſticæ poteſtati. Quinto,ſic eſt Princeps ſæcularis ex humano beneplacito, vt homines commodè poſſent conſequi omnem finem,ſine illo diſtincto ab Eccleſiaſtica poteſtate.Sed ſine hac, neque ſuum finem propriũ modo vllo,propter quem cuncta quærit,neq; tam commodè, tam copioſè,tam firmiter omnes alios fines huic intrinſeco, ac naturali ſeruientes. Atque ita humanæ naturæ nullam perfectionem ne-

neceſsario largitur ſæcularis,ſed Eccleſiaſticus eſsentialem perfe-ctionem ſemper,ac ſolus;oẽs verò alios fines optimè omnium,niſi renuant homines,largiri poteſt, atque ità ab initio Deus inſtituit humanam naturam,vt Eccleſiaſtica ac ſæcularis poteſtas conuenirent in eandem perſonam, ſed ſæcularis à ſupernaturali poteſtate diuiſus,eſt ex mero beneplacito humano.

E ſuperioribus apparet, quæ nã Eccleſia, vel Eccleſiaſtici ſint, de quibus eſt ſermo,vt rectè S.Thom.3.q.8.art,3.dixerit. *Dicitur vna(*Eccleſia*) multitudo ordinata in vnum ſecundum diſtinctos actus,ſiue officia.manifeſtum eſt autem,quod ad vnum finem, qui eſt gloria diuinæ fruitionis,ordinantur,& homines,& Angeli.Vnde corpus myſticum Eccleſiæ non ſolum conſiſtit ex hominibus,ſed etiam Angelis.Totius autem huius multitudinis Chriſtus eſt caput, quia propinquius ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius non ſolùm in hoc ſæculo.ſed etiam in futuro,& omnia ſubiecit ſub pedibus eius,& ideo Chriſtus non ſolum eſt caput hominum, ſed etiam Angelorum.* Eadem cum S.Thoma Apoſtolus Epheſ.2, *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ,ſed eſtis ciues Sanctorum domeſtici Dei,ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum,& Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Et ad Heb.12 *Acceſsiſtis ad montem Syon, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem,& multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælo, & Iudicem omnium Deum,* Sic igitur vna eſt Eccleſia,duæ partes integrãtes illam Triumphans ac militans: vtriuſque eſt caput Rex Regũ Chriſtus;ſed Angeli,qui & ipſi fuerunt aliquando in via, militaruntque pro ſeipſis,ac ſupernaturali ordinationi ſeſe ſubiecerunt ſunt omnes ait Apoſtolus Hebr.1. *Adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi,propter eos,qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Atque hos vidit Iacob è terra aſcendentes, ac deſcendentes. hi nobiſcum verſantur, nobiſcum militant adhuc, non pro ſeipſis, niſi quantum ad accidentale gaudium,ſed pro nobis aduerſus dæmones;præſuntque Regio dominatu naturalibus cunctis. Ordinibus horũ ſunt in Eccleſia ſancta reſpondentes ordines: quod è Dionyſio,Ignatio, totaque antiquitate habemus, ac ſecundo libro aperietur.

Arg.III. Sic igitur omnia colligentes dicemus:Omnis poteſtas,à qua iure diuino,ac naturali directè in omnibus eſt eſsentialis perfectio totius naturæ humanæ,dominatur directè in omnibus iure diuino,ac naturali humanæ naturæ. ſed Eccleſiæ ſanctæ poteſtas eſt illa,

la,à qua iure diuin o, ac naturali directè in omnibus eſt eſsentialis perfectio totius humanæ naturæ. Dominatur itaq; directè in omni bus iure diuino ac naturali toti humanæ naturæ. Vtraque propoſitio probata eſt è ſuperioribus. Natura namq; humana facere non poteſt, quin ſemper omni momento naturali impetu ſuo ſingulis quibuſq; in rebus appetat Deū, qui eſt perfectio naturæ humanæ, neq; hæc libera eſt ab hoc iure & lege. Coeſſentialis eſt ipſi hæc lex, hæc procliuitas; ideò dominatur illi omni momento in oībus ſemper. Perfectionem hanc ineuitabiliter ac ſemper appetit humana natura, nō poteſt vllo modo aſſequi ſine poteſtate S. Matris Eccleſiæ. Igitur Eccleſiæ Sanctæ poteſtas humanæ naturæ omni momēto ſemper, atq; ita in poteſtate Regia, tēporali, bellica, & compulſiua dominatur. eſſentialem vocamus perfectionem, quod perficiat humanam naturam, ſiue eſſentiā; non quod homo non ſit hō mo ſine illa; ſed quod homo lege, ac procliuitate aeterna eſſentiali ſibi inherente, & ab eſſentia ſua fluente appetat intimè ingenerandam, coniungendamque ipſi eſſentiæ perfectionem. Vtimur hoc verbo dominatur, quia poteſtatis Eccleſiæ Sanctæ reuera eſt Dominatio. Et ſi qua eſt, quæ dominetur mortalibus mortalium dominatio, hæc eſt. Cum natura humana nihil magis appetat quam ſuam eſſentialem perfectionem; quæ eſt in ordinatione, & coniunctione cum Deo: neque per ordinariam Dei potentiam poteſt habere hanc, niſi obediat Eccleſiæ Matri, ſit filius Eccleſiæ Matris: cuius poteſtas eſt in Sacerdotibus, Epiſcopis, & Pontifice ſummo, vt in fonte. ſed tamen Eccleſia Sancta quantum poteſt, non dominatur deſpoticè, ſed ciuiliter, ſed paternè, cum ſcriptum ſit, *non dominantes in clero, non dominamur fidei veſtræ, Reges Gentium dominantur earum*. Neceſſe eſt tamen aliquādo vtatur deſpotici dominij poteſtate extrinſecus, ob aliorum præfractos & obſtinatos mores, extrinſecus inquam; nam paternus animus debet eſſe Eccleſiaſtico viro, ac deſpotico vtetur inuitus, vt ad ciuile, ac paternum reducat. Diximus autem directè reſpectu cuiuſcumque humanæ poteſtatis, vel Angelicæ etiam, nō reſpectu Chriſti & Dei, qui directiſsimè dant hanc perfectionem. Atque hæc quæ diximus de his verbis directè, ac dominari, volumus toto hoc opere repetita.

Cum

Cum finis det medijs amabilitatem, menſuram, & ordinem poteſtas Eccleſiaſtica, quæ ſcientiæ, poteſtatiſque diuinæ habet clauim, præſcribit omnibus medijs, quatenus appetenda, & habenda ſint, vel fugienda. Cap. III.

ILlud præterea nobis eſt conſiderandum, quod nemo diffitetur à fine tria mediis dari amabilitatem, menſuram, & ordinem. Hinc amamus medicinam, quia perducit ad ſanitatem, quæ finis eſt medicinæ. Atque idcircò illi ſuo modo imperat inquit Philoſophus Ethici ſexti capite vltimo. Secundo finis dat mediis menſuram: non enim volumus medicinam, niſi tantam, quanta opus eſt ad ſanitatem, neque cibum, ſiquidem ſanitas ſit nobis finis, niſi quatenus facit ad eamdem. Tertio finis dat ordinem rebus, nam ſumitur medicina, & cibus cũ ſingulis quibusque circumſtantiis, quæ exiguntur ad aſſequendum propoſitum finem. Quãobrem cũ finis vltimus homini ſit ſupernaturalis, quantum pertinet ad appetitum naturalem, ſupernaturaliſque ſit ſine fine amandus cõtinens omne verum, & bonum, prout eſt in ſe, atque à nobis participari poteſt, ſit Deus iure diuino ac naturali, non poterit homo habere aliquid, vel ſuimet ipſius, vel externorum, niſi quatenus finis aſſequendus imperabit, ſicuti & tendẽs in portum non poteſt, vti tendens in portum, amare aliam viam, vel alia menſura & ordine, niſi quatenus ad portum perducit; qui portus naturæ humanæ eſt Deus, in eo namq; ſolo eſt perfectè quidquid quærit, ac ſitit, eſt eius ſanitas ac vita æterna. ſecundo propoſitũ probatur ex eo, quod ait Philoſophus in Eudemiorum fine. *Quæ igitur electio poſſeſſioq; naturæ bonorum, aut corporis, vel amicorum, vel reliquorum conſiderare maximè Deum facit, præſtantiſſima eſt, atque hic terminus eſt pulcherrimus; quæ verò vel ob defectum, vel ob exceſſum conſiderare colereque Deum minimè permittit, ea eſt peſſima, Atque ſic quidem res habet animæ, & is terminus eius præſtantiſſimus eſt, minimum inquam alteram irrationalemq; animæ partem ſentire, quatenus talis eſt.* Tertio probatur, nam homo quilibet

libet magis Deum vult, quam ſe. Hinc S. Thom. 2.2.q. 26. art. 3. *Non ſolum homo in ſuæ integritate naturæ ſuper omnia diligit Deum, & pluſquam ſeipſum, ſed etiam quælibet creatura ſuo modo id eſt vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel ſaltem naturali amore ſicut lapides, & alia quæ cognitione carent, quia vnaquæq; pars naturaliter plus amat cõmune bonum totius, quam participare bonum proprium.* Hucuſq; Sanctus. Rectè autem dixit Sãctus in ſuæ integritate naturæ, nã vti homo eſt deprauatæ naturæ, ac deflectit à proprio fine degenerans in Belluinũ, niſi appetat rationali, appetet inferiori, ac degeneri. Nobis autẽ conſideranda eſt humana natura recta. Sic enim Philoſophus Polyt. 1. cap. 3. *Oportet autem conſiderare naturam, non in corruptis, ſed in his, quæ magis ſe habent ſecundum naturam.* Igitur ex his, neceſſario ſequitur ab homine magis, ac prius appeti Deum iure naturali quam ſemetipſum, vel rem quamlibet; atque idcirco in re qualibet, ac ſemetipſo appetita appeti magis, ac prius Deum; cætera verò appeti, quia perducunt ad Deum, qua menſura, & ordine ad illum perducunt; cognoſcit namque humana natura nihili eſſe omnia præ illo ſummo bono, ac vero; quod continet omnia vera & bona, nullumque habet finem, temporis nulla meta circũſcribitur: nihili facit cuncta præ illo, tacite dicens, *Anima mea, quid quæris multa bona? quære vnũ bonũ, in quo ſunt omnia bona.* Quarto patet hoc etiam; nam cuncta creata non explent hominis deſideriũ naturale perueniendi ad Deum, quocirca vult ille amare, metiri, & ſingula ordinare, ita vt per ea perueniat ad finem ſuũ ſummum, alioquin quoties extra ordinationis, menſuræ, & amabilitatis iſtius regulam ponetur in vlla re, non conquieſcet, veluti Magnes poſitus extra lineam, vel piſcis extra aquam, dicetque *Sitiuit anima mea ad fontẽ viuũ, quando veniã, & apparebo ante faciẽ Dei?* Poſtremò vel appetitur aliquid, vt medium, vel vt finis, ſed vt finis vltimus vltimãs omnes alios fines naturæ, ſolus Deus appetitur, ergò cæterà appetuntur, vt media perducentia ad hunc finem; ſed nulla perducunt, niſi amentur, menſurentur, & ordinentur prout perducunt ad eum finem, alioquin creatura non Deus eſſet finis; in creatura, non in Deo ponerem finem; magis creaturam, quam Deum amarem. Stet igitur à fine medijs ad ipſum perducentibus dari amabilitatem, menſuram, & ordinem. Diximus autem ſupra, ac probauimus humanam naturam, non poſſe ad finem ſuum naturalem peruenire abſque ſupernaturali

dire-

directione, Et huius directionis tàm ſcientiam quam poteſtatem reſidere in Eccleſiaſticis; igitur hi ſoli ſcient, ac poterunt ſcire qui nam homines, & quæ media perducant, aut non perducant humanam naturam ad ipſius finem Deum, quæ menſura ſit cuique adhibenda in illis habendis, dimittendis, dandis, vtendis; ac denique qui ordo reſpectu noſtri, aliorum hominum, mediorum quorum libet, ac totius denique vniuerſitatis.

Sic itaque eſt neceſſe vt Eccleſiaſtica poteſtas nobis in nobiſmet ipſis amandis, & cunctis medijs præſcribat amabilitatem, ordinem, menſuram, ac proinde naturalibus, & temporalibus cunctis, quibus vtitur humana natura; atque adeo formaliter, & indiuidualiter cunctis temporalibus, ac naturalibus, quæ veniunt in humanos vſus, Eccleſiaſtica poteſtas amabilitatem, menſuram, & ordinem, quatenus media ſunt ad hoīs propriū finē conſequendū, præſcribet, ſiue appetant homines voluptatē, ſiue queſtum, ſiue honores; quibus ſanè tribus finibus cæteri omnes continentur. Alioquin homo iuri ſuo naturali ac diuino, ſuæ met naturæ, ſibi ipſi, coeſſentialitati, vt ita loquamur, ſuæ reluctaretur; qua impellitur intimè ſemper in ſingulis quibuſque ad Deum naturaliter conſequendū: quod fieri nō poteſt, niſi obediatur Eccleſiaſticæ poteſtati. Cōfirmantur hæc. Nam ſubordinatus eſt eſſentialiter inter ſe vſus trium bonorū, quibus humana fœlicitas completur, externorū corporis atq; animi, diuinoque, ac naturali iure externa ſunt ex intrinſeco principio magis ob corpus, quam ſemetipſa; corpus ob animum magis eſt, quam ob ſe; animus, cunctaque hæc omnino ob Deum. Quamobrem ſingula appetunt ineuitabili iure ex intrinſeco principio ordinari in Deum. Sed inanimata neſciunt ſe ordinare, neque ſcire poſſunt. Homo ſcit, ac ſcire poteſt ſemperque, atque omni in re appetit Deo coniungi, ac propterea maximè appetit ordinari in illum. è quibus apparet fieri non poſſe, vt vel horum, vel quorumuis temporalium Gubernator, aut Dominus aliquid agat temporale, quod conforme ſit naturali iuri penitus naturæ ipſius ingenito, ac rebus ipſis Deum ſuo modo volentibus, niſi mediante menſura ordineq; Eccleſiaſticæ poteſtatis, non modò vniuerſali, ſed ſingula quæque penitus atque omnino ſigillatim peruadente, menſurante, & ordinante; & ideo quantum pertinet ad quaſlibet actiones humanas, tam internas, quam externas agente, ita vt homo neque mente neque corpore aliquid appetat, vel moliatur ſine ipſa, ipſaq; agat tàm immediatione virtutis, quā imme-

immediatione (quando aliquibus ita loqui placet) ſuppoſiti agen tis. ipſum namque ſuppoſitum ſi mente eſt ſana id eſt, non præſcindit ſe à ſupernaturali directione ſanante, & ſanam tuente naturam agit, vt Eccleſiæ membrum. quin quanto eminentior, vniuerſaliorque eſt finis, eo potentius, immediatius, prius, ac principalius aget per cauſam particularem, quam cauſa ipſa particularis agit, vt habetur in libello de cauſ. propoſitione. I. Ex his liquet itaque fieri nunquam poſſe, vt diuidatur temporale ſæculare naturale à ſpirituali diuino Eccleſiaſtico ac ſupernaturali. ac nihil faciunt ad propoſitum noſtrum diſtinctiones, & reſponſiones illæ, quæ afferri ſolent, Eccleſiaſticæ poteſtati non eſſe eſſentialiter ſubiecta, niſi ſupernaturalia ſpiritualia diuina moralia, vel huiuſmodi. neque I. enim diuidi poteſt homo ab impulſu intimo in ſuum finem, proptereaque neq; diuidi poſſunt à fine media facta ob illum finem, quorũ II. nihil eſt, quatenus media ſunt, quod non ſit ob illum finem magis, vt dicetur, quam propter ſemetipſum, propriũve vllum finem; neque III. poſſunt à nobis haberi, niſi vt media reſpectu vltimi finis; ſi IIII. velimus agere hoĩs intellectu præditi propriam vitam, quod aiebat Ariſtoteles, neq; V. poni, quaſi moribundos piſces extra aquã, quam mens noſtra ſemper ſitit, Deum ſcilicet, diuinãq; ordinationem in Deum, vel VI. in belluæ naturam degenerare, & VII. contra noſtram naturã luctari, quæ tamquam magnes cõquieſcere haud poteſt, niſi in linea polum ſuum reſpiciente. Quamobrem quoties voluntas humana ponitur in vllo temporali, aut naturali bono extra ordinationis Eccleſiaſticæ lineam, facit contra ius ſibi coeſſentiale, nullus ei ſtatus, & pax. Nam *Pax*, ait S. Auguſtinus libro de ordine, *eſt tranquillitas ordinis*, ideſt ordine imperturbato in omnibus ferri in Deum, ſiue ab eo non detorqueri. Quod ſi dicas Eccleſiaſticus ignorat, quomodo inſtruendæ ſint acies, ædificãdæ domus, aliaque huiuſmodi, non eſt igitur illi in hæc poteſtas directa. Reſp. Primo non ſequi ex præmiſsis, quod concluditur, nam plerique omnes Principes temporales ignorant mechanicas artes, & tamen his directe imperant. Secundo ignorant homines; quomodo mel fiat ab apibus, neque ipſi ſciunt vllo modo illud efficere, & tamen habent in illud, illaſq; dominium directum, ſicut cætera huiuſmodi, quæ nimis longum foret, enumerare. & quamuis Chriſti exemplo Eccleſiaſticum non dedeceat cuncta ſcire, quantum datur homini; ac ſolum dedeceat aliqua exercere, etiamſi iure poſsit, idcirco hac in re Ariſtotelis diſtinctio nobis eſt aſſumẽ-

da, quàm tradit ille Phyſici ſecundi textu 24. Artium namque aliquæ præſcribunt formam, aliæ materiam. Reſpectu huius illæ imperant, & architectonicæ ſunt. Verbi gratia, gubernator nauis formam præſcribit, qua temo, & vnumquodque inſtrumentum ſit faciendum, vt ſit aptior nauigationi; faber lignarius, quod lignũ ſit vnicuique inſtrumento nautico, nauique aptum docet, imperiumque exequitur eius, qui naui gubernandæ præeſt, ac ſcit, quomodo nauis ſit cum quibuslibet ſuis partibus conſtruenda; atque ita ex huius imperio dat ligno formam præſcriptam. Sic, vt ait idem Philoſophus Ethici primi cap. 1. Ars equeſtris imperat arti efficienti fræna ordinans quomodo ſit efficiendum frænum regendo equo aptum; artifexque efficit, & quodnam ſit ferrum, materiave apta efficiendo fræno oſtendit. Sic itaque ſæculares tractant iſta omnia temporalia, ſciuntque artificia, quibus fiant, vt artifices memorati, ſed ignorant quo ordine, qua menſura, & quatenus his vtendũ ſit, vt oĩno, & adamuſsim quæritur à natura humana, Deũ ſitiente, præ quo nihili fiunt omnia; ſpectatq; ad eos omnia referre ad Eccleſiaſticos, vt hi decernãt, quid agendum ſit. ſic in ſingularibus, & contingentibus iidem certiores faciendi, vt quid facto opus ſit, deſignẽt. cum facta etiam prudentiſsimos fallant, ait Neratius L. 2. de ignorantia iure & facti. Sic etiam Iuriſconſulti oſtendent vtiliſsima generi humano, neceſſaria, nobiliſſimaque iura ſua Eccleſiaſticis, Eccleſiaſtici videbunt, an conueniant fini, tum naturali, tum ſupernaturali hominis. Hinc aiebat Henricus Gandauenſis à Principe ſæculari nullas leges admittendas, quæ non eſſent à Pontifice ſummo, vel Eccleſiaſtica poteſtate approbatæ: ac ſæpius repetit Iuſtinianus illud, *Noſtra leges non dedignantur ſacros Canones ſequi.* E ſuperioribus etiam colligitur non dedecere, vt Eccleſiaſtici exquirant vel à ſæcularibus Principibus, vel aliis quomodo ſe res habeant, de quibus ferendæ ſunt leges, priuſquam promulgent illas; atque ita pacifice colligentur cum illis. Quocirca ſic è ſuperioribus colligimus.

Arg. IV. Omnis poteſtas directè dominans naturali, ac diuino iure toti humanæ naturæ in quolibet bono naturali habendo, aut vtendo, directe eodem iure dominatur cuilibet bono naturali, ac temporali totius humanæ naturæ habendo, aut vtendo, ac proinde poteſtati compulſiuæ, bellicæ, & dominio cuiuis. Sed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas eſt huiuſmodi. Diuino ergo, ac naturali iure dominatur directè cuilibet bono naturali, ac temporali totius humanæ naturæ habendo, aut vtendo, at proinde poteſtati compulſiuæ, belli-

cæ,

ex,& dominio cuilibet. vtrumque aſſumptum patet è ſuperioribus. Natura namque humana iure ineuitabili, & coeſſentiali momentoque omni,& omni in re vult Deum, ſiue non vult ab eo detorqueri, *ardentiſsimo*, ait S. Auguſtinus, *appetitu* in illum fertur,neque poteſt eſſe libera ab hoc appetitu, dominatur hæc illi lex; nulla in re,nullo momento poteſt aſſequi illum, niſi ſubiiciat ſe obedientiæ ſanctæ Matris Eccleſiæ,neque enim vel naturalis finis,vel ſupernaturalis poteſt obtineri abſque illa, neque habere *Deum Patrem poteſt,qui non habet Eccleſiam Matrem*, cuius poteſtas,vt in fonte,ſole,ac trunco eſt,in Pontifice ſummo, inquit S.Cyprianus,aut in apice,ac fonte ſcribit Iuſtinianus.

Naturali iure externa magis ſunt, vt ſeruiāt humanæ naturæ, quam ſibi; humana natura magis eſt, vt ſeruiat humanæ naturæ ſupernaturali,quàm ſibi,ac proinde naturali iure omnia ſeruiunt Eccleſiaſticæ poteſtati.nam cuncta ordinem volunt. Cap. IIII.

ATque hæc ſanè ita ſe habēt ex parte humanæ naturæ. Sed aliud eſt caput,quod ſecundum ponetur à nobis, ex quo probari poteſt Eccleſiam ſanctam Chriſti Sponſam mundi Reginam dominari diuino, ac naturali iure omnibus rebus temporalibus, aliorum dominia non tollentem,ſed continentem. Atque hoc eſt ex parte ipſarum rerum. Nam cuncta externa bona, quatenus veniunt in vſus hominum, ſunt ad hæc eſſentialiter ordinata, vt corpori, ſed animæ imprimis; cuncta vero hæc bona externa,corpus,& anima cum quibuslibet ſuis bonis,vt omnino ſeruiant Deo,mentis apex illi immediate coniungatur, quod late explicant SS. Baſilius,Nyſſenus,Theodoretus,Chryſoſtomus in illa Geneſeos verba, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, & tum ipſi,tum alij in illud Pſalmī, *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*. Quamobrem vocatur homo finis harum rerum à Philoſopho Phyſici ſecundi tex.24.& à Iuriſconſultis l.in pecudum de vſuris l.iuſtiſsimè de ædilitio edicto. ita vt eſſentialis ſit ſubordinatio bo-

norum externorum, corporiſque ad animam, quod tum Sancti adducti, tum Philoſophus latè explicat Politici primi cap. 3. Cuncta verò hæc eſſentialiter ordinata ſunt in Deum, nẽpe, vt homo per illa Deum cognoſcat, cõtempletur, quam maxime præ cunctis amet. Sic enim Sapiẽtiæ primo habetur *Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarum*, & *hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Quin ipſa totius humani corporis fabricatio facta in primis ad hoc ipſum videtur, vt homo Deum ſuperaque cõtempletur, quod late perſequitur S. Baſilius hom. 10. in Hexameron, Cicero libris de natura Deorum. notumque illud:

Sanctius his animal, mentesque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Factus homo, &c.
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Licet itaque cuncta habeant (hic attẽde, hic eſt eſſentialis ſubordinatio) eſſentiam ſuam propriam, bonitatem ſuam propriam, finem ſuum proprium, ſingula tamen eſſentialiter ordinata ſunt ab auctore naturæ Deo generatim, ſpeciatim, ſingillatimque in omnibus, omnino, omni momento, vt hominem perducant ad Deum, quãuis hoc ignorent, neq; appetere poſsint. eſſentialiter, inquã, ſunt ordinata ad hoc, quia magis ſunt ad huuc finẽ, quam propter ſeipſa, propriũve finem, magisque, & eſſentialius ſunt ab hoc fine per auctorẽ naturæ Deũ, q̃ ſint a ſemetipſis, vel a proprio fine. illum namque prius iuxta ordinem rerum Deus vult, quam res illas, & eorum finem proprium. Sic tota natura humana, poteſtas eius, ac finis naturalis, ſi conſideretur diuiſa à ſupernaturali, facta eſt ob humanam naturam, poteſtatem, finemque ſupernaturalem, magisque eſt ob hanc, q̃am propter ſemetipſam. Nam propter hanc Deus illam fecit, ac vult. magis itaque, & eſſentialius eſt ab hac, quam à ſemetipſa per auctorem naturæ Deum, quamuis natura humana ex ſe neque appetat, vt aſsequi poſsit, neque cognoſcat, neque obtineat finem ſupernaturalem; licet pondere naturæ ad illum eo, quo diximus, modò impellatur. Sic etiã domus habet eſsentiam ſuam propriam, finem proprium, ſiue hunc velimus eſse formã domus, ſiue habitationem, nihilominus magis facta eſt, vt homini non modo habitationẽ qualẽcumque, vt dolium, vel ſpelunca, ſed etiam multiplices eius vſus commoditates, & voluptates præſtet. Sic frænum habet eſſentiam ſuam

pro-

propriam finem ſuum proprium, qui eſt frænare equum. Sed hic finis cum fræno, & eſſentia ſua magis, eſſentialiuſque eſt ordinatus ad vehendum commode dominũ, quam quidvis aliud. Quocirca ad propoſitum noſtrum natura humana cum quibuslibet ſuis temporalibus, naturalibus, poteſtate, fine, eſſentia ſua magis, & eſſentialius ordinata eſt (ſciat, neſciat, fugiat, refugiat) ad humanam naturam ſupernaturalem, poteſtatem ſupernaturalem, finem ſupernaturalem, quam ad ſemetipſam, & ſua. Scriptum nãque eſt, Prouer. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* & 1. Timo. 2. *Deus vult omnis homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Singulis igitur rebus præter eſſentiã ſuam propriam, finemque proprium coeſſentialiter incuitabili, æternaque ſubordinatione eſt adnatus hic finis ſupernaturalis, magisque ob hunc ſunt, quam propter ſemetipſa, ac magis ad hunc mouentur a primo motore, quam ad ſuum finem proprium. licet aſſecutio, & quantum ſpectat ad hominem cognitio, non ſit ex naturali poteſtate. finis igitur hic, & poteſtas in terris dñatur ſingulis quibusq; rebus: neq; liberari illæ poſsũt ab hac ſeruitute. Exemplum ponatur in Naui. Antennæ finis eſt ſuſtinere vela. mali antennam, velorum ventos excipere, funium circunducere vela & antennã, remorum propellere nauim, temonis curſum dirigere, nauis ferre vectores ac merces, nautæ perducere ad portum; finis hic & poteſtas complectitur omnium fines & poteſtates. Ni ſeruiant huic, nihil efficiunt quantumuis laborent. Qui pugnant aduerſus illum, pugnant aduerſus ſemetipſos, aduerſus omnes, ſuaque & omnium bona. Eodem modo finis ac poteſtas ſupernaturalis imperat omnibus omnium rerum poteſtatibus & finibus, præeſt omnibus: pugnans aduerſus illum, pugnat aduerſus ſemetipſum, aduerſus omnes, ſuaque, & omnium bona. Atque vt planius rem percipiamus, cogitandum nobis eſt illud. Deus intime mouet ſingula quæque ad effectus ſuos concurrens cum quibuſlibet quarumlibet rerum formis, non auferens eis efficacitatem ſuam, ſuumque finem naturalem, ſed ſemper, atque in omnibus iſta vult ſeruire fini ſupernaturali inanima, animata, intellectu prædita, eoque carentia. Quod intime moueat præclare vates expreſsit.

Principio cœlum, ac terram, campoſque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hinc hominum, pecudumque ſimul, genus omne volantum
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Hæc ille, quod ſiquid Chriſtiani habuiſſet, diceremus ab eo notari voci illis, *ſpiritus intus alit*, Spiritũ Sanctum, ſed illis *mens agitat molem*, filium, qui per modum intellectus procedit. Verum, quidquid ille dixerit ſciens inſciens Deo & ipſum mouente, illud certum ſingula moueri a Deo in finem ſupernaturalem, qui continet omnium rerum fines proprios factos ob humanam naturam ſupernaturalem. filius porro, *Splendor paternæ gloriæ, lux vera, lux mundi*, mouet intellectus humanos ad opera bona, quibus tendant in finem ſupernaturalem, ſubiiciantque ſe naturæ ſupernaturali, mouet naturalia cuncta ad fines ſuos, quibus ſeruiant totius naturæ vniuerſali, ac ſupernaturali fini, ſeruiant humanæ naturæ ſupernaturali, ſupernaturali eius directori. Natura humana, vt diximus ſupra, eò fertur pondere ſuo. Eodem diriguntur cuncta naturalia. filius quippe, per quem cũcta mouentur, ac fiunt, vult exaltari humanitatem ſibi altiſsimè coniunctam, proximum, primumque diuinitatis ſingula quæque efficientis inſtrumentum. Quamobrem diuiniſsima illa Chriſti anima à momento ſuæ conceptionis illuminat in quibuslibet agendis Angelos cœlorum motores, vt eorum motus, ſtellarumque varias altitudines, declinationes, progreſsiones moderentur in eundem finem ſupernaturalem, quod ſecundo libro è SS. Irenæo, Dionyſio, Thoma, cæteriſque omnibus Theologis aperietur, illuminat Angelos quarumlibet ſpecierum ſenſibilium Reges, vt ex Origene, S. Auguſtino, Theodoreto, & aliis infra dicetur, vt indiuidua quælibet ſenſibilia dirigant in eorum finibus, actibusque naturalibus, vt aſinam Balaam, leones Samariæ ad eundem finem ſupernaturalẽ, vt directius, quã ſibimetipſis & finibus ſuis, ſeruiãt humanæ naturæ ſupernaturali, & directoribus illius, *Nam ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſteriũ miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, ait Apoſtolus Heb. cap. 1. Idem porro filius, eademque anima coniuncta eidem, cum ſit ille, *Splendor paternæ gloriæ, figura ſubſtantiæ eius*, Græcè character, illuminat eiuſdem characteris participatione inſignitos Eccleſiaſticos edocens, quid in ſingulis quibusque agendum ſit, deſcenditque illud lumen per eos in alios homines ad quælibet adminiſtrãda iuxta voluntatem Dei. Nam ſicut ille dixit: *Ego ſum lux mundi*, Sic de Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, *Vos eſtis lux mundi, & qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*, Quæ verba ad rerũ

ſæcularium iudicia, refert S. Cyprianus epiſt. 69. ad Pupianum. Natura denique humana pondere ſuo fertur ad eundem finem, naturamque ſupernaturalem. Sic igitur, vt apparet, coeſſentiali iure immutabili, æternoq; ſingulis quibusq; rebus inexiſtente, & adſiſtente, ac præſidẽte ſingulæ quæq; res ſubiiciũtur directoribus ſupernaturalis poteſtatis, eòq; dirigũtur omni momento a primo ordinante, vt ſeruiant ſupernaturali poteſtati, ac directioni ſingulis quibusque momentis, neque ab hoc ſpiritu dirigente illas vnquã deſeri poſſunt, hoc ius, hæc lex, hic impulſus ſemper ijs adeſt, vt ſubiiciantur hominum poteſtati, ac directioni ſupernaturali, ac veluti nautica inſtrumenta proprios habent fines, eſſentiam propriam, diriguntur que illa ab hominibus ea mouentibus; ij vero, & illa ſeruiunt vni nautæ, qui nauim dirigit in portum, quò per ſe illa haud mouetur, ſic quælibet naturalia perpetuo ſapientiæ ſpiritu adſiſtente, & inexiſtente mouentur in finem ſupernaturalem, ſingulisque naturalibus ſpeciebus adſunt proprij motores Angeli ad eundem finem, iugiter id vnum quærentes, vt homines codẽ ſpiritu ijs vtantur, ſubiiciantque directioni ſupernaturali. Quãobrem, qui nolunt Eccleſiaſticam poteſtatem, vel ſupernaturalẽ, nolunt Deum dominari. hæc nempe eſt illa, quam S. Ambroſius aiebat, concatenatio à firmamento ordinata deſcendens, hoc eſt, quod S. Ignatius, aiebat, *Vnitas per omnia ſeruetur.* Quod ſi quoties aliqui renituntur ſupernaturali lumini, ac directori, iuſte à ſe id fieri poſſe contendunt, inſtumque id ſit, quod diuinæ voluntati eſt conforme, neceſſario dicent duas inter ſe contrarias Dei voluntates, ac neceſſario duos Deos. En igitur, vt dominium Sanctæ Eccleſiæ, ſit dominium Dei, quoad humana, ac terrena omnia regenda. En vt, qui repugnet Eccleſiaſticæ poteſtati, toti rerum naturæ repugnet. En vt abiungens ſe à ſupernaturali directione, ac fine indiſtincto à naturali humanæ naturæ fine quoad conſecutionem, conſecutionisq; vſum deordinet cuncta, mancipiumq; ſit, ac bellua, quod Philoſophus ex alio capite aiebat: ac proinde inde ſe auertens magis ſubiiciatur, vt infra è SS. Thoma, & Boetio dicemus Eccleſiaſticæ poteſtati, nam tamquam bellua, mancipiũq; ſubiicitur, qui filius obediens eſſe tantæ Matri, Reginæ mundi, & Chriſti ſponſæ recuſat. En vt rerum quarumlibet temporalium finis diuidi haud poſſint a fine ſupernaturali; quin hic præſit, inexiſtat & ſingulis momentis ſingula quæque moderetur, ſibi ſubijciat, atque ineuitabili iure omnia gubernet, vt ſicut à Deo, Chriſtoque ex Angelis in Angelos, deriuatur ad naturalia regenda,

ſic ab eodem deriuatur ex hominibus in homines ad eadẽ gubernanda: ad quem ſic facta ſunt, vt nihil ſit in illis, quod totum non ſit inſeparabili, & æterno iure ad hunc finem, poteſtatemque hanc factum, vt ei ſeruiat, ac ſubiiciatur. confirmantur ſuperiora.

Primo igitur Rectè Apoſtolus. Rom. cap. 8. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens; ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Quæ verba ita interpretantur Sancti Chryſoſtomus, Ambroſius, Theodoretus, Thomas aliique, vt quælibet creata moueantur in hunc finem; quo ſubiiciantur. Omnino ſupernaturali poteſtati.

Hinc ſecundo non multo poſt idem ſubiicit, *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* E quibus verbis, S. Auguſtinus homilia 2. in Apocalypſim S. Ambroſius, ac Theodoretus in explicatione capitis illius volunt ſupernaturali, & Eccleſiaſticæ poteſtati omnia temporalia ſubiecta eſſe.

Tertio, Comprobantur hæc ex illo, quia quod in intentione eſt primum, eſt vltimum in perfecta executione. Quamobrem cum numerus electorum fuerit expletus, vti dicemus, omnia renouabuntur, ac ſubiiceretur Eccleſiaſticæ, ac ſupernaturali poteſtati, ac tunc, *Erit omnia in omnibus Chriſtus.*

Quartò, Amplius apparuit hoc; cum Deus toties, vti videbimus infra, reuocauit omnium rerum gubernationem, dominiumque ad ſupernaturalem poteſtatem, & directionem deturbatis ex omnium rerum dominio dæmonibus, traditoq; illo Angelis permanentibus in ſupernaturali directione. Rurſusque cum fuit Adamo illud idem commiſſum permanenti in obedientia ſupernaturali. A qua cum diſceſſiſſet, & mox reuerſus eſſet, iterum nactus eſt orbis imperium. Quod ob eandem cauſam Caino, poſteritatique eius ablatum; Seth, liberiſque ipſius eſt creditum; donec & his ſupernaturalem directionem deſerentibus Noe totius orbis Rex, & Pontifex ſummus effectus diſtribuit orbis eiuſdem regiones filiis, ac nepotibus ſuis. Idem conſtitit, cum Moyſes eduxit ex Ægypto Hebræos, Remp. ſtabiliuit; ac denique cum Chriſto eſt, *Data omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, Et, *Omne quod nominatur in cœlo, & in terra.* E quibus aperte colligimus cuncta terrena & humana ſubiicienda naturali, ac diuino iure ſingulis

qui-

quibuſque rebus ineuitabiliter affixo,& inſeparabiliter præſiden te ſupernaturali poteſtati, cuius ſolius intelligentia ſpirituque totam naturam permeante, & ſingulas quaſque res per Angelos gubernante naturalia cuncta ad eundem finem reguntur.

Quinto, Sicut autem diuinus intellectus, ac ſpiritus cuncta regit, eadem natura humana, & intellectus, nec ſpiritus participatione,& imitatione regere ea debet. Nam recte ordinata natura, Deusque nobis eſt imitandus,vt infra dicetur.

Sexto, Ex hac porro totius naturæ concathenatione, vt S. Ambroſius vocabat,& admirabili in eundem finem gubernatione, ac directione contigit,aut quoties oppreſſa eſt,ac vexata ſupernaturalium directorum,ſiue Eccleſiæ ſanctæ poteſtas, quaſi diſſoluta, & perturbata totius orbis compage,extiterint prodigia cladesq; portentoſæ;terræmotibus,ac procellis omnia conquaſſata,vt late nos oſtendimus libris vltimis de Signis Eccleſiæ Dei. Hinc illa vt Pſalmi 81.verba, *Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* referunt Theodoretus, aliique ad illud tempus, quo propter impia ſceleſtorum iudicia variis modis concutitur, & commouetur orbis ipſe terrarum,depreſſa ſupernaturali directione, idcirco adijcitur in fine, *Surge Deus,iudica terrã, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*, quibus verbis illa Pſalmi ſecundi ſignantur ad Chriſtum dicta, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Iure igitur ponitur à nobis verum ius ſtatus in hoc,vt Eccleſiaſticæ poteſtati in omnibus obediatur, & eius libertas propugnetur.

Septimo, Apparet vero ex his,quæ diximus in propoſito,finem, cauſamq; efficientẽ ſimul in vnum cõuenire. Deus enim ſupernaturaliter fruendus eſt idem, qui cuncta in eundem finem ſubordinat, cuius altiſsima poteſtas eſt in Chriſto, & Eccleſia ſpiritus eiuſdẽ conſorte,cui ſeruire eſt Deo per gratiam, vel gloriam frui, ita vt merito huic naturæ incolumitas attribuatur à S. Iuſtino. facit ad hæc,quod dixere Iuriſconſulti, factum, datumve alterius contemplatione potiſsima eſſe iſtius, non eius,cui datur, aut cui datur,aut cui fit.l.& ſi quid.l.in profectitia.de iur.dot.Iaſon,l.cum oportet.C.de boni quæ liberis.Sed hoc cum ſit humanæ voluntatis eſt mutabile, illud nequaquam, cum ſit diuini, & æterni iuris.

Ad ſummam temporalia, terrena, humanaq; ſingula directius, eſſentialiusque iure naturali, ac diuino ijs inſeparabiliter affixo, & Præſidente facta ſunt,ac fiunt,vt ſeruiant, ac ſubiiciantur natu-

ræ ſupernaturali,ſiue Eccleſiæ Sanctæ; quàm vt ſeruiant, ac ſubijciantur ſibimetipſis,ac finibus ſuis proprijs,& naturalibus. Ideoque iure naturali,ac diuino directius, & eſſentialius ſunt Eccleſiæ Sanctæ non tollentis obedientium dominia, ſed dirigentis, & amplificantis,quam dominorum ſuorum.ab ipſo namque omnium Domino adhoc facta ſunt,fiunt, & conſeruantur. Sic enim colligimus ex adductis.

Arg.VII Omne quod naturali, ac diuino iure ipſi inſeparabiliter præſidente directius eſt, vt alij ſeruiat, quam ſibimetipſi, directius ei ſubiicitur eodem iure,quam ſibimetipſi. Sed omne terrenum,naturale,humanumque directius eſt iure naturali,ac diuino inſeparabiliter ſemperque illi affixo, vt ſeruiat Eccleſiæ Sanctæ,vel Deo ſupernaturaliter per gratiam, gloriamve fruendo, *Neque enim poteſt habere Deum Patrem,qui non habet Eccleſiam Matrem,* Quam ſibimetipſi: ergo omne terrenum,naturale,humanumq; iure naturali, ac diuino inſeparabiliter, ſemperque ei præſidente directius eſt,vt ſeruiat Eccleſiæ Sanctæ, cuius poteſtas vt in fonte,apice,& ſole reſidet in Pōtifice ſūmo, ab eoq; in Epōs, ac Sacerdotes deriuatur, vt S. Cyprianus, ac Iuſtinianus aiunt.

Quæcumque iure diuino, ac naturali ex tota eſſentia ſua ſunt ordinanda in aliquem finem, directe eodem iure ex tota eſſentia ſua ſubiiciuntur poteſtati ordinanti in illum finem; ſed omnia temporalia,terrena,& humana,ſunt iure diuino, ac naturali directe ordinanda in finem, tam naturalem,quam ſupernaturalem, qui ſunt indiuiſi quoad aſſecutionem, ſicuti eſt dictum ſubiiciuntur ergo diuino,ac naturali iure ex tota eſſentia ſua ſanctæ matris Eccleſiæ poteſtati.

Quod ſi dicamus,Ergo omnia fræna quæ fiunt ab artificibus in ciuitate,erunt eorum,qui ſoli habent equos. Reſpondemus,Primo vt fræna fiant, non eſt iuris naturalis,ac diuini. Secundo,non eſt totum ob illos equos,ſed ob artificium lucra,atque hoc in primis. Tertio non directe vel Deus ac natura, vel Reſpublica vult fieri fræna, vt ſine pretio ſint eorum, quorum ſunt equi. Quarto,neque eſt igitur artificium frænorum ex ineuitabili ordine naturæ, ac Primi ordinantis ineuitabili voluntate, ſicuti vt omnia naturalia, temporaliaque ſint ob ſupernaturalem ſtatum, naturaque humana ſeiuncta à ſupernaturali natura, ſit omnino ob ſupernaturalem naturam,ſupernaturaliſque inferioris ordinis, ob ſupernaturalem ſuperioris. Idem reſpondebimus, ſi dicamus, herbas medicas naturali, ac diuino iure magis eſſe ob ægrotos, quàm quid-

quiduis ſimile & tamen pharmacopolæ ſibi illas habēt. Non enim factæ ſunt, aut habentur ob illos ægrotos, ac ſine pretio. Res vero creatas nemo poteſt eximere à ſeruitute, creatori debetur ex æterna ipſius mente, ac lege, atque à poteſtate quæ ordinat ex mente, ac lege in terris. Sed mittamus iſtas nūgas vc dicemus, an ipſorū Principatuum ruinas? An Eccleſiæ Sanctæ læſam maieſtatē? An Chriſti, & Dei? Quod ſi dicamus eſſe ordinem naturæ hunc, nō actionū, legūve humanarū? Reſpōdemus ordinē naturæ diuinitus inſtitutæ & ordinatæ ſequemur, vel dæmonum? Secundo, Nonne actiones humanæ, ac leges ordinem rectum naturæ ſequuntur, & eatenus ſunt leges, & actiones hominum non beſtiarum? Tertio, Nonne actionibus noſtris humanis, legibusque addenda & ſupernaturalitas illa, ad quam Deus cuncta ordinauit, eique cūcta ſunt omnia, velimus nolimus, ſubiicienda? Oportet itaque exuere humanam naturam, rerum ordinem, ac totius vniuerſitatis immutare. Ex his autem, quæ diximus conſtat ius naturale, ac diuinum eſſe ordinem naturæ, Deique rebus ipſis innatum.

Iure diuino, ac naturali non eſt niſi vna Reſp. optima ſecundum naturā toto orbe terrarū: quod Ariſtoteles aiebat, ac proinde humana natura naturali appetitu vult ex hac eſſe. non intelligitur perfectus cætus humanus populuſve eſſe abſq; Eccleſiaſtica poteſtate. vna eſt ciuitas. Eccleſiaſtici sūt partes eius ſupereminētes eſſentiales cūcta tēporalia ſunt Chriſto directiſſime iure naturali, ac diuino ſubiecta. Cap. V.

TErtium caput in hac materia conſiderandum poſt humanam naturam, mediaque, eſt ipſa Sancta Eccleſia mater noſtra, Chriſti ſponſa, ac mundi Regina. E ſuperioribus vero conſtat; Primo Eccleſiam eſſe illam, propter quam cœli, quod aiebat S. Thomas, circumuoluntur, donec fuerit electorum numerus expletus. Quin ſecundo, ſancti Angeli, qui cœlos circumuoluunt, ſunt eius partes, ipſi vnius ſpiritus eodem tendentis, & omnia gubernantis vinculo connexæ

ſiæ, ac licet ipſa militet in terris, circumcurſant tamen Angeli, aſcendunt,& deſcendunt pro ipſa militãtes, quamuis ipſi in fine ſint, non in via; ſic Angeli iidem cunctas rerum ſenſibilium ſpecies cuſtodiunt,non ſibi, ſed Eccleſiæ Sanctæ,ad quam cũctos homines ipſis in cuſtodiam datos alliciunt, inuitant; à dæmonibus tutantur omnia vaſtare, ac perdere conantibus,vti eſt dictum. Tertio.Propter ipſam,merita, preces, in Chriſtum fidem,corporisque ipſius oblationem,fiunt in primis hæc temporalia, magis quam propter ſeipſa,& alios. Sic igitur ipſa eſt cauſa efficiens modo ſuo, finaliſque omnium rerum. Natura humana per ipſam tot modis eſt cum ſuis rebus, conſeruatur, atque ob ipſam veluti eminentiſsime omnia continentem, perficientemque facta eſt. Quarto conſiderandum nobis eſt,homines, vt homines,non congregari inter ſe præcipue,ob aliquod externum bonum,vel corporis,ſed ob optimum mentis ipſius bonum: natura namque modis omnibus hoc quærit, vtiturque iſtis externis, vt incitamentis & inſtrumentis.Hoc patet. nam Primo propter alia bona ſenſibilia congregantur etiam ſimul beſtiæ,veluti apes, formicæ, grues,elephantes,aliaque huiuſmodi. Sic igitur homines, vt homines,congregabuntur ſimul, vt ex illa ſocietate infallibiliter, immobiliterque Deo coniungantur, quantum fieri poteſt:& ad hoc impelluntur coeſſentiali illa lege cordibus humanis inſculpta, & inſeparabili,per quam natura humana non reperiens in quo ſtet, & conquieſcat,ſui ſuorumque in Deo ſtatum cæca conquirit. Hoc ſecundo dixit Philoſophus ipſo Politici primi initio, ita ſcribẽs, *Quoniam videmus omnem ciuitatem eſſe ſocietatem quandam, & omnem ſocietatem boni alicuius gratia conſtitutam (nam eius gratia,quod bonum videtur,omnia omnes agunt) patet,quod bonũ eſt, quod omnes conquirunt maxime vero principaliſsimum omnium, quæ eſt principaliſsima, & cæteras oẽs complectitur: eſt autem hæc illa,quæ ciuitas appellatur, & ciuilis ſocietas.* Hæc ille, primi libri primi verbis, principaliſsimum bonum vocans, coniunctionem mentis cum Deo. Idem tertio, probatur ex omnium gentium conſuetudine. Vt enim Cicero, ait libro de Legibus, vrbs illa definitur, quæ conſtat ex plurium domorum coniunctione cum templo. Non itaque prius eſt Vrbs,quam ſit templum. Confirmatur quarto ex ipſis Iuriſconſultis, qui dicunt, ius publicum, ſiue Reipubl. ſtatum ideſt populi conſiſtere primum in Sacris,& Sacerdotibus.Sic Vlpianus l.1.§.huius ſtudij. de iuſtitia, & iure. Eodem modo primum iuris gentium præceptum eſt pie-

tas

tas in Deum, quod ait Pomponius l. veluti, de inſtitia & iure, quia ſcilicet ob hoc primum conueniunt homines in vnum, gentemq; & populum conſtituunt. Similiter ſi diſputetur an locus, aut res ſit ſacra, in ambiguo ſacra eſſe definitur, quod inquit Papinianus l. ſunt perſonæ, de Religioſis, & ſumptibus funerum, quia nimirum conueniunt homines in vnum cœtum, vt habeant locum, resque ſacras, quarum commodo vſui poſsint Deo commodius, ac facilius, ſed infallibiliter omnino coniungi; hoc enim ſemper in omni loco, & re appetit natura humana, & propter hoc omnia iure diuino, ac naturali ſunt facta. Corroboratur quinto hoc ipſa Chriſtianorum lege. Apud eos namque Eccleſia non eſt, niſi in Epiſcopo, vt habet Cyprianus epiſt. 69. ad Pupianum. quod nimirum Chriſtianorum quorumlibet ciuitas ſit in Epiſcopo, vt in fundamento, & capite quod habet Apoſtolus 1. Corin. 12. Epheſ. 4. & Epheſ. 2. vocat Apoſtolos, quibus Epiſcopi ſucceſſere, fundamenta Eccleſiarum, ſiue cœtus cuiuslibet Chriſtiani, quod in plures per loca varia diuiſus, in vnum vinculo vnius ſpiritus congregatur. Sexto comprobatur ex omniũ Chriſtianorum communi conſenſu. Siquidem ob eãdem cauſam nõ ſolemus ciuitates vocare, niſi quibus ſit Epiſcopus. Septimo, quemadmodũ homines, tunc hominũ vitam degunt quod ſupra è Philoſopho dicebamus, cum Deo contemplando abſque vllo intellectus errore, atque animi vitio penitus inhærent, & ob id homines congregantur, ſic ciuitas humana eo, quo diximus, modo humana conſtituitur ex participatione ſocietatis diuinæ, ciuitatisque illius, quæ triumphat in cœlis, ac proinde ex eo, quod Eccleſiaſticis paret. Octauo S. Auguſtinus duas tantum Ciuitates conſtituit in terris Hieruſalem, & Babylona. Auguſtinum ſequuntur Theologi omnes. Quamobrem ſi aſſeramus Eccleſiaſticos non eſſe partes ciuitatis ſupereminentes, & eſſentiales loquemur contra naturale ius, contra Philoſophos, Iuriſconſultos, omnium gentium iura, totius populi Chriſtiani conſuetudinem, ſanctos Patres, Theologos, eoque redigemus populum Chriſtianum, vt eius ciuitas ſit Babylon. Ad ſummam, cum populus in vnum congregatus naturali lege in primis ob aſſequendam cum Deo coniunctionem congregetur, naturaque humana velit illi infallibiliter, & immobiliter, quantum poteſt, adhærere, cogitur, niſi exuere ſemetipſam velit, ſubiicere ſeſe Eccleſiæ Sanctæ ſuauiſsimo imperio, ſubiicere ſe ſuaque omnia poteſtati illius, alioquin nullibi quietem, nullibi ſuum, rerumque ſuarum ſtatum reperire vllo modo poteſt. Adigitur ad hæc

omnium

omnium virtutum ſplendore, de quibus tomo primo de Signis Eccleſiæ Dei, maxime vero, quod in ipſa ſola comperiat eandem ſemper extitiſſe diuinorum veritatem, neque vllo vnquam modo ab ortu mundo immutatam, quamuis nihil non conſpirarit ad eã labefactandam, potiſsimumque ad euertendam Pontificiam poteſtatem, Quamobrem nulla ſedes tot Sanctos, ac Martyres dedit, quot Romana, vt mox dicetur. Tantum vero ab fuit, vt hæc euerſa fuerit, vt contra acciderit. quicunque oppugnauit illam, cum ſuis omnibus miſerrime concidit, vt libro ſeſto aperitur. è conuerſo autem quicunque illi adhærent, omnium bonorum copia circunfluunt, quod naſci à virtutibus per Eccleſiaſticæ poteſtatis miniſterium, magiſteriumque inſertis tertio libro oſtendetur. Nono confirmantur ſuperiora ex eo, quod Philoſophus dixit Ethici quinti capite ſeptimo, *Vnam duntaxat eſſe toto Orbe Rempublicam eamque vbique optimam ſecundum naturam*. Ad ſummam ſicut quilibet homo naturali, & coeſſentiali iure appetit Deum, neque vllo momento vlla in re pati poteſt eius natura ab eo diuilli, niſi exuat ſemetipſam; ſic eodem modo appetit eius tantum Reip. ciuis eſſe, per quam ſolam Deo coniungitur, eoque fruitur, & in qua quatenus non eſt, eatenus diuellitur ab eo. ſic igitur ex adductis colligi poteſt.

Arg.VII. Quicumque diuino, ac naturali iure appetunt directe ſemper in omnibus ſuis Deo coniungi, directe eodem iure ſemper in omnibus ſuis appetunt ſubijci Reip. ac poteſtati ſupernaturali. Sed omnis homo directe naturali, ac diuino iure ſemper appetit in omnibus ſuis Deo coniungi; directe igitur ſemper appetit in omnibus ſuis iure naturali, ac diuino ſubijci Reip. ac poteſtati ſupernaturali. Quod niſi appetat, quatenus non appetit, Primo facit contra ius illud coeſſentiale, inſeparabile, æternum ſibique innatum, quo fertur naturæ pondere in finem ſupernaturalem. Secundo facit, contra ordinem coeſſentialem rebus externis, corporibus animiſque humanis adnatum, per quem magis ex intrinſeco principio ſunt finis ſupernaturalis, quam ſui.

Ar.VIII. Rurſus. Omnis Reſpublica ac poteſtas, propter quam directè diuino, ac naturali iure facta ſunt, ac fiunt omnia directe eodem iure omnibus dominatur. Sed Reſp. ac poteſtas ſupernaturalis eſt illa, ob quam directius naturali, ac diuino iure facta ſunt, ac fiunt omnia, quam propter ſemetipſa, aut aliud quiduis; Reſpublica igitur ac poteſtas ſupernaturalis directe eodem iure dominatur omnibus: intelligas, quibus homines dominari poſſunt, nequis

quis argutus noſtra aucupetur. Quod niſi dominetur eſt contra ius naturale, ac diuinum.patent aſſumpta ex ijs, quæ ſupra ſunt a nobis allata. Nam Deus Pater per filium in Spiritu ſancto cuncta agit; ac ſibi ſubijcit. filius per humanitatem ſibi adiunctam cuncta diſponit. Hæc per Eccleſiam Sanctam, cuius poteſtas, vt in fonte ſole & apice eſt in Pontifice ſummo. Ad Dei coniunctionem tendit iure naturali, & inſeparabili omnis homo, neque liber eſt ab hoc appetitu, ac lege, qua naturaliter in hanc ordinationem fertur, propter hunc finem iure diuino, & naturali magis omnia facta ſunt, quam propter ſemetipſa, & hominem quemuis; ad hunc finem concathenatione ineuitabili ferantur: hanc ordinationem contathenationis, quam nihil poteſt effugere, ſcit poſt Deum ſola anima Chriſti; ſcit eius ſponſa. Hæc præeſt huic ineuitabili concathenationi vniuerſitatem rerum, naturamque vniuerſam complectenti: homo relictus *in manu conſilij ſui*, ſi ex agit ex vna parte, vt aiebat Boethius, incidit infœliciter in aliam. fitque, vt aiebt Philoſophus hæc tractans, quamuis non exactè perſpiciens, beſtia, mancipiumque è filio Dei, ſic igitur omnia ſubiecta ſunt naturali, ac diuino iure Eccleſiaſticæ poteſtati per quam ſolam, filioſque ipſi obedientes quælibet in Deum Patrem reducuntur, cui gloria per filium in Spiritu ſancto, ac per Eccleſiam Chriſto filio coniunctam Mundi Reginam.

QVARTVM caput eſt in hac materia Deus ipſe ſupernaturaliter fruendus, & cuncta in ſupernaturalem finem mouens, & ordinans. Ita vt magis ſingula quæque ad hunc finem moueantur, atque ordinentur, quam ad quemuis finem. Sed Eccleſia Sancta ſola poteſt ordinare temporalia, terrenaque ſingula ad hunc finem. Sic igitur æterna, inuiolabilique, & cunctis rebus inſidente, & inexiſtente lege, ac iure omnia ſubijciuntur Eccleſiaſticæ poteſtati, ita namque è ſupra allatis argumentamur.

Omnis poteſtas ſupernaturalis inter homines iure diuino, ac naturali directe dominatur omnibus humanæ naturæ bonis; ſed omnis Eccleſiaſtica poteſtas eſt ſupernaturalis inter homines. Ergo diuino, ac naturali iure inter homines omnibus humanæ naturæ bonis directè dominatur. Vtraque propoſito clariſsime probatur. Deus Pater mouet per Filium ſingula quæque, vt æterna, perpetuaque lege ijs inexiſtente, & affixa ſeruiant fini ſupernaturali magis, quam ſibimetipſis, finique ſuo (ad quem ſolum iuxta vires intimæ formæ mouentur) vel aliis. Ad finem namque ſupernaturalem magis facta ſunt, fiunt, atque vti huic Arg.IX.

ſeruiant

ſeruiant conſeruantur ab ipſo Deo lege ineuitabili, perpetua, ac per totam rerum naturam diffuſa, quam cuilibet fini, ac domino. A poteſtate ſupernaturali, vt à capite omnium ſunt ab initio ſingula creata, & omnia mirabili modo terminabuntur in illam quaſi recapitulata, ac circulo perfecto, cum moueat, atque ordinet cuncta in ſemetipſam. Neque vlla res eſt, quæ non ordinetur ineuitabili, ac perpetuo iure naturis inſidente, ad hunc finẽ ſingulos quoſque naturales continentem, & ſingulis quibuſq; dominantem; finis hic omnibus dominatur coeſſentiali lege ijs inſidente. Sola Chriſti anima, & cui reuelat illa, ſcit quonam modo ſeruiant huic fini creata quælibet rationis expertia. Soli hoc Eccleſiæ ſponſæ ſuæ reuelat, ac proinde eſt Mundi totius Reginæ, poteſtas huius ſponſæ, ſcientiaque per claues cœlorum reſidet in Sacerdotibus Epiſcopis ac Pontifice ſummo. Quamobrem, qui non vult huic vti Pontifici rite procedenti, ac Sacerdotibus eodem modo obedire, pugnat contra totius vniuerſi colligationem, & complexum, ac mundi compagem diſſoluit. ordinem rerum, quibus abutitur in alium finem, quam quo diriguntur, & quo cuncta coniunguntur, diſsipat dilacerat. Hinc bona omnia & imperia cadentia.

Homo rurſus lege intimi, & coeſſentialis impulſus ineuitabili mouetur ad hunc finẽ. anima namq; illius ab initio particeps poteſtatis ſupernaturalis eſt creata, & ad eam reuocatur; quin neque naturalẽ finem conſequi ſine illa poteſt, non enim ſatiat iſte ipſius appetitum, ac diſiungens ſe ab ordinatione ſupernaturali neutrũ cõſequitur; quocirca cogitur, niſi velit ꝑpetuo contra ſemetipſum pugnare, huic obedire; neque vmquam ſtat, vti magnes, niſi inſiſtat lineæ dirigenti in ſuum polum Deũ ſupernaturaliter fruendũ. Sic neque erit quies rebus naturalibus ratione carentibus; donec aſſecutæ fuerint ſtatum ſupernaturalem; Materia namque non ſatiatur vlla forma, neque ſatiabitur niſi illa ſupernaturali. Sed ratione carentia non immediate Deo, a quo habent eſſe, coniunguntur. intellectus namque eſt ille eminentiſsimus. Homo intellectu præditus immediate coniungi poteſt per lumen gloriæ ſupra ſe euectus merito Chriſti, atque vti filius Eccleſiæ Matris. Cum vero hic finis homini dominetur in omni re loco & tempore, neque ad eum poſsit abſque Eccleſia Sancta peruenire, vt obediens, obediturusque illi, neceſſario veluti ſingulis rebus, ita & ipſi dominatur Eccleſia Mundi Regina. Quod ſi homo huic repugnet, & intimæ legi naturali repugnat, ſibi ipſi, ac toti vniuerſitati

rerum,

rerum, toti naturæ.

Infidelis porrò obedit Filio, per quem cuncta in ſe ſupernaturalemq; poteſtatem, quaſi in caput ſuum Pater reducit, quoties aliquid boni agit, neque illud contaminat appoſito malæ voluntatis actu (vt ſi eleemoſinam daret aditum ſibi volens hic aperire ad adulterium perpetrandum, vel occidendum Chriſtianum) ſed non ſatis eſt hoc egiſſe, neceſſe eſt obediat impellēti ad omne bonum, quod eſt ad Deum per eſſentiam videndum, modoſque perueniendi ad hunc finem tradenti, ac proinde Eccleſiæ Sanctæ. Hinc inter infideles tot contraria lumini naturali tamquam bona admittuntur, ac iubentur, quod impulſui, iurique naturali nō obſequundent. Dominatur tamen illis Eccleſia Sancta tum naturali illo iure eorum cordibus indebiliter inſculpto, tum ſupernaturali, a quo eſſentialiter illud continetur, quia ſcilicet ad finem ſuum peruenire haud poſſunt, ac perfici in genere ſuo, niſi obediant Mundi Reginæ, ac ſponſæ Chriſti Dei, quæ dominatur illis, quod liberi non ſint ab appetendo illo fine, ac lege coeſſentiali appetitionis huius, dominetur illis hæc lex coeſſentialis velint, nolint. ac niſi parati ſint obedire in omnibus omni tempore Eccleſiæ Sanctæ, ad finem ſuum, quò ſemper impelluntur, peruenire haud poſſunt.

Dæmones omnium maximè pugnant contra hoc ius naturale. Etſi enim ſciant omnia bona naturalia, veraque: Amplius etiamſi dicant plurima vera naturalia, agant multa bona naturalia, Tamen ſingula quæque huiuſmodi agentes contaminant hoc actu ſingulis quibuſquid appoſito, & adiecto, quod nolint Chriſto, Eccleſiæ Sanctæ, ac ſupernaturali ordinationi in illis, eorumque vſibus obedire, quamuis ob notitiam ſupernaturalis ordinationis, poteſtatis, beatitudiniſque iis indelibiliter impreſſam moueantur ad illam deſiderandam; ſed huic repugnant, omnia bona ſua peruertentes, & ideo contra ſemetipſos pugnant, ſua peruertunt, ac ſemetipſos torquent. Ac licet per eos, qui Eccleſiam Sanctam mundi Reginam non agnoſcunt, & colunt, ſupernaturali ordinationi repugnent; inuiti tamen repellentur in huius mundi conflictu, vincenturque ab Eccleſia Sancta, atque ab omni terrenorum dominio, quod iniuſte ſibi vſurpabant, detrudentur ad infera, ſubiecti velint nolint ſupernaturali ordinationi, ac poteſtati, cum Chriſtus cordis noſtri amor, Cui ſancta Eccleſia ſponſa, adſiſtet. *Regina a dextris in veſtitu deaurato circundata varietate euacuauerit omnem principatū, & tradiderit regnum Deo & Patri noſtro.*

Ex his clariſsime patet Eccleſiam Sanctam iure diuino, ac na-

turali

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

turali directè dominari omnibus humanæ naturæ, ac temporalibus bonis non dominio, quod alia tollat, ſed quo veluti diuino reliqua obedientia contineantur, confirmentur, amplificentur: ſin minus a ſuo ſe principio ſupernaturali, ſcilicet fine, ac poteſtate, vnde prodeunt, ac prodierunt præſcindentia miſerrime corruant, concidant, ad nihilum veniant.

Directe ordinat Eccleſiaſtica poteſtas, licet per alios ordinet, ſintque verè Imperatoribus, Regibus, ac Principibus iura ſua, poteſtates diſtinctæ, actus, ac leges, & Pontifex habeat duntaxat ius in ordine ad Deū, & aliquid boni verique ſciant, agantve quicunq; ei non parent: obligatus eſt Epiſcopus inſpicere ſæcularia, & cū opus eſt iudicare. Deſcribitur libertas, ac poteſtas Eccleſiaſtica. per eam dantur virtutes, ampliora q; & ſtabiliora bona. Cap. VI.

ET quamuis loco ſuo multa obiecta latius confutentur, bene eſt tamen aliqua hic breuiter ſaltem diluere. illud vero imprimis admonebimus. directum dominium non accipi hic ea ſignificatione, qua Iuriſconſulti tradunt, apud duos eſſe non poſſe dominium directum; ſed alia. Verum namque eſt, quod illi dicunt, cum duo forent æqualiter Domini: ſed in propoſito noſtro, dicūtur Eccleſiæ ſanctæ dominio contineri, non tolli aliorum dñia, participationēq; illud eſſe diuini, quo perficiuntur obedientiū dominia, non auferuntur.

Igitur non obeſt, ſi dicamus, Eccleſiam Sanctam directè, & immediate haud dominari; quia Principes, ac Reges, & Imperatores tractant ſua temporalia, ſummusq; Pontifex aſſerit. cap. per venerabilem. extra qui filij ſint legitimi. non ſe immiſcere eorū gubernationi niſi in caſu. Nam primo dicimus è S. Thoma opuſculi 20. lib. 10. cap. 19. Pontificem eſſe in mundo, vti in eodem mūdo Deū vel animam in corpore, Deus vero eſt omnium Dominus, immediate concurrit cum omnibus agētibus; & tamen paucíſsima per ſemetipſum ſolū, pauca per extraordinarias cauſas, pleraque per ordina-

ordinarias agit. atq; ita in aliquo tantum caſu,vt de ſe Pontifex ait eo capite, agit per extraordinarias cauſas. Eodem modo Eccleſia Sancta, ſeu Pontifex ſummus habet Principes temporalium immediatè,ait Hēricus Gādauenſis,ſubiectos,per eos,vti ſecūdas cauſas,ſemper ſua virtute concurrens cū eis,agit,ijs vtitur veluti membris,raro amouet eos, niſi in aliquo caſu, vt per ſe temporale aliquid in eorum Principatibus contingens agat,contentus habere actum, vel vſum temporalis regiminis per eos, vti membra à ſe eſſentialiter dependentia, ratione vltimi finis. Non eſt tamen alligatus Pontifex ſummus in adminiſtrandis temporalibus, (quorū nihil eſt quod non omni iure factū ſit magis ob ſpirituale,q̃ ob ſemetipſum)Prīcipi vlli;veluti intellectus externis agēdis, qui nō poteſt efficere, niſi vtatur hoc,illove mēbro corporis ad officiū ſuum,neque aliud ſubſtituere poteſt, quaſi alligatus illis. Eccleſia namque ſancta eſt corpus per ſimilitudinem. Pontificiſque eſt videre, & ſtatuere quodnam membrum ſit huic, illive actui aptum, diuinituſq; deſtinatū,vnūq; pro alio ſubſtituere in aliquo caſu poteſt. Sed hæc pro quolibet arbitrio non ſunt àgenda, vti dicemus, ſed pro diuina voluntate, cuius eſt interpres, atque executor, & quæ per ordinarias cauſas plerumq; agit,vt infra è S.Aug.dicetur.

Quoad immutādos pro arbitrio miniſtros in tēporalibus ſunt Pontifici,in Eccleſiaſtico ſtatu ſuæ iuriſdictiones; quorum populi, quo ad hoc, dicuntur ipſi immediate ſubiecti. Ad clariorem probationem ſecundo ſubijcimus, Principibus temporalium dari directam in ſuos poteſtatem. Neque tamen poſſunt amouere a gubernandis ſuis temporalibus Dominos rerum priuatarum, neque ſimiliter multos,quos vocant feudatarios, aut publicos Vrbium Magiſtratus; denique ferunt innumeras leges ad artificia ſpectantes, vel ad alia quæuis; earumque obſeruatio, & executio tota neceſſario pendet à priuatis. Eo caſu ſe ipſi admiſcēt, quo vidēt eas non obſeruari:nunquid igitur non eſt dominus directus? Sicut ciuile ipſius directum dñium non tollit aliorum, vel priuata, vel publica, vniuerſitatiſque alicuius dominia, ſic neque directius Eccleſiæ Sanctæ,& Pontificis ſummi dominiū tollit aliorum dñia, cum ſit illud altioris ordinis continens alia dñia quoad humana, ac terrena omnia regenda: Ad ſupernaturalē namq; finem & poteſtatē cūcta ſunt diuino,ac naturali iure magis ordinata, quam ad ſemetipſa,& alios fines,& eò naturaliter impellitur humana natura. non obeſt itaque, quin Imperator dici poſſit, quoad Orbem ſuum, totius Orbis Dominus iuxta.l.deprecatio. ad.l. Rhodiā,l.

bene a Zenone. C. de quadrienij præſcriptione cum ſimilibus; ac Reges, Principeſque ſunt Domini, ac directi Domini, ſed quatenus iuſti ſunt, non poſſunt eſſe, niſi ex vna iuſtitia, cui declarandæ, præcipiendæ, & quibuſlibet tuendæ præeſt Pontifex ſummus Vicarius Chriſti, Regum Regis, ac Dominantium Domini, qui factus eſt nobis, *Iuſtitia, & Virtus*. Poteſtas vero vlla publica non poteſt eſſe iuxta omnes virtutes humanæ naturæ neceſſarias ad aſſequendum ſuũ finem perfecta ſine ſupernaturali ordinatione, vt ſupra eſt dictum.

Quod ſi afferatur cap. nouit. de iudicijs cap. tua. de ordine cognitionum cap. cauſam quæſt. 2. qui filij ſint legitimi cap. ſi duobus §. denique de appellat. vel huiuſmodi alia, in quibus aſſeritur ſpectare ad Principes, ac Reges ius cognoſcendi quaſdam cauſas, non ad Pontificem ſummum. Reſpondet Ægydius Columna tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate loqui eos canones de iure conſueto, atque humano, ex quo placet etiam Pontifici, vt ex aliquibus fundis pendatur ſolitum tributum: de quibus late libro quarto. Quod ita, vt ſupra diximus, videtur intelligendum, iura eſſe illis eſſentialiter dependentia a primo iure, quod reſidet in Pontifice ſummo, neque tollit aliorum dominia iuſta, ſed confirmat, ac tuetur. Sic enim Deus agit, qui & dæmoni vult eſſe in damnatos ſuum Dominum, quod ſuo modo dicitur iuſtum, iure enim torquet, ac torquetur. Sic Magni Reges ſapienter nolunt ad ſe deferri Appellationum cauſas, recurſum non tollunt, ne ſcilicet impediant ordinem rectum in litibus, & cauſis expediendis. & nihilominus directa eſt ipſis in omnia poteſtas, & ius ad omnia regenda non auferens, minuenſve aliorum iura.

Quod ſi dicamus, Eccleſiaſticus negotijs ne ſe implicet ſæcularibus. Reſpondemus, primo non poſſe ipſum, niſi iure diſpẽſetur, ſe implicare in cæde vllius, vel mẽbro trũcando, Non quæſtus exercẽdo, non ſe alicui ſubijciendo & obligando in adminiſtrãdis eius rebus, procurãdo, aduocãdo; aut publicis oneribus ſe ſubmittẽdo, vt habetur titulo, ne clerici, vel monachi. Alioquin ſemꝑ poteſt, cũ fini vltimo expedit; ad quem ſunt oĩa facta, & ad quẽ ſæcularia ſunt ordinãda iure diuino, ac naturali, & an ordinata ſint, obligatus eſt inſpicere (hinc Eps græcè dictus) & iudicare; qđ ſolus ipſe habeat infallibilem doctrinam, clauimq; Regiam Dauid a Chriſto datam ſcientiæ, & poteſtatis. Hinc S. Paulus 1. Cor. 6. *Si Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia?* ex quo loco Epis eſt ius iudicandi omnia ſæcularia, ſicut definit Concilium Chartaginenſe

ter-

tertium,& S. Auguſtinus libro de opere monachorum. Ne tamen à maioribus Eccleſiaſtici auocentur, bene eſt iſta reijcere ad iudices ab ipſis delectos, non quia non omni iure poſsint, ſed quia Regem non decet ſtabulariam, ſtercorariamve artes exercere. & ideo Pontifex ſummus licet cogatur audire aliorum quærelas, nunquam tamen fert ipſe ſententias, mandat hæc alijs diligenter videnda, & difinienda, vel audit, cum diſcutiantur, in grauioribus, & publicis occupatus. Sic Epiſcopi, Vicariis ea ſuis committunt.

Neque dici poteſt Eccleſiaſticæ poteſtati non eſſe vim compulſiuam, quod nemo poſsit cogi, vt credat, vel vt agat ex virtute. Nam primo Reſpondetur ex hoc ſequi nulli iure eſſe compulſiuam, non enim poteſt eſſe vlli iure niſi in bonum. nemoque cogi poteſt, vt agat bonum. Secundo Reſpondetur, vt alia ſuis locis dicenda mittamus, dari Eccleſiæ virgam ferream, quod ex Apocalypſis cap. 2. vult S. Auguſtinus, Anſelmus, Andreas Cretenſis, Dionyſius Carthuſianus ad oues Chriſti, & res Chriſti tuendas aduerſus lupos, & prædones. Tertio datur ad alios terrendos, ne male agant, quando bene agere nolunt. Quarto datur ad infligendam pœnam, ex qua redeant ſceleſti ad ſemetipſos, ſicut aiebat Apoſtolus, *Vultis in virga veniam ad vos?* & Chriſtus *compelle intrare*.

Quod itaque adiicitur, non eſſe Eccleſiaſticam poteſtatem directe dominam, niſi in ordine ad Deum, manifeſtiſsime hinc concluditur eſſe omnium dominam, nihil alicui tollentem, ſed ſingula quæque ordinantem. Cum non ſit, niſi vnus ordo ab vno fine ſupernaturali dependens, vnusq; ordinans ad illum, qui dominatur toti naturæ humanæ appetitus coeſſentialis naturali lege in eundem tendenti, cui fini magis terrena, & humana ſeruiunt ex natura ſua, quam ſibimetipſis, ac finibus ſuis, vti eſt dictum, quod ſi aliter dicamus incidimus in duos Deos, duos ordines duos fines, quod in hac materia notarunt Scholaſtici multi, ac Doctores; deduciturque, vti oſtendetur, ex Irenæo, & aliis Patribus antiquis. Ac Pontifex eſt, vt in mundo Deus, ait S. Thomas opuſculo 20. lib. 10. cap. 19.

At diſtinctæ ſunt poteſtates, vt habetur in cap. cum ad verum. & cap. duo ſunt 96. diſtinctione. Vera omnia ſunt. Nam temporalis eſſentialiter dependet ab Eccleſiaſtica, & ſupernaturali, quæ vt aiebat Bacconus, omnia ſub ſe trahit. differunt itaque, ac diſtinguuntur vt continens à contento, independens à dependente, Dux exercitus à tribuno, centurione, equite, pedite: eſt namque

horum concathenatio,ſicut Clemens Alexandrinus ſtromatum 6. & Ambroſius ſupra allatus aiunt.

Quod ſi dicas, artifex vt artifex, politicus vt politicus, cogitat directe de arte, ac politia ſua, non de aliis. Reſpondemus; hunc eſſe prius hominẽ, quam politicum, & directius, ac prius naturali iure coeſſentialis appetitus ferri in omni re, ac tempore in Deum, q̃ in alia. ſecundo, immo eatenus in alia, quatenus per illa in Deũ fertur. tertio, quælibet magis facta ſunt ob finem ſupernaturalem, quàm ob ſeipſa, idcirco à quolibet eſt huic ſeruiendum, quod ſupra eſt explicatum.

Dices. Etiamſi Reſp. Principatuſve vllus non aſſequatur ſuum finẽ, tamen non videtur eſſentialiter pendere ab Eccleſiaſtica poteſtate, atq; eſſentialiter ei ſubordinari, vt temo naui, frenum equo, nauis nautæ. horum namque nullus vſus, niſi ſeruiant fini ſuo; ſed ſæcularis poteſtatis eſt aliquis vſus bonus, etiamſi non ſeruiat Eccleſiaſticæ poteſtati, Reſp; eſſentialiter pendere aliud ab alio dicitur, cum finem, propter quem omnium maxime eſt factum, vel ſuæ naturæ finem non aſſequitur, Metaphyſici quinti textu trigeſimonono, Phyſici tertij tex. 64. ſic nulla eſt nauis poteſtas, quæ non poteſt viæ perducenti ad portum inſiſtere; nulla pedis poteſtas, quæ non fert corpus, quò eſt neceſſe; nulla cibi poteſtas, quæ non poteſt nutrire, etiamſi alioquin bonum voluptatis, vel quid vis aliud ex his capi poſsit. Secundo ad explicationem dicimus è naui, temone, & equo maiora commoda, & bona capi, etiamſi haud ſeruiant fini ſuo naturali, quã è tẽporalibus poteſtatibus in ordine ſuo: illa enim paruã ſecũ ducunt deprauationẽ, nauis pro domo ſeruire poteſt, vt dolium Diogeni; frænum ad boues trahendos; temo ad currus; at temporalis poteſtas abſque ſupernaturali deſinit in Caligulas, Nerones, Domitianos, Commodos, Heliogabalos, Maximinos, Maxentios, & monſtra infanda; efficit, vt homo ſit omnium ferarum fera efferatiſsima, deſinet Græcia nobiliſsima in Turcogræciã. Tertio dicimus ad comprobationem, non ſatis eſſe, vt aliqua ſit Reſp. perfecta in genere ſuo, ſiue in genere humanæ naturæ, ab illa haberi vnam pluresve virtutes in ſuo genere perfectas, ſi velimus eas dari (neque enim pugno) ſed neceſſe eſt vt oẽs ſimul iunctas habeat. Homo enim non dicitur, vt aiunt, virtuoſus, quod vnam pluresve virtutes in ſuo genere perfectas habeat, ſed neceſſe eſt habeat omnes, quod poſt Scotum reliquoſque omnes recte aiebat Antonius Andreas in 3. diſt. 36. quæſt. 1. quarto dicimus nullum poſſe haberi à poteſtate

temporali abſque Eccleſiaſtica poteſtate finē. Nam finis externorū debet eſſe conueniens fini corporū, finis corporū fini animi tū naturali, tum ſupernaturali. quod ſola Eccleſiaſtica poteſtas tradit.

Natura, inquies, humana, ac proinde homo naturali lumine poteſt ſcire multa vera, & iuſta abſque Eccleſiaſtica poteſtate, non eſt igitur illi opus hac in iſtis, neque Eccleſiaſtica poteſtas poteſt dominari in iſtis naturali poteſtati. Reſpondetur, non ſatis eſt ſcire plurima vera, & iuſta. Nam dæmon ſcit omnia vera, & iuſta, quæ naturaliter ſciri poſſunt; nūquid igitur illi hominum committenda imperia? Hoc reſponſo id cōcluditur. Opus eſt nō modo ſcire iuſta, & vera; ſed etiam primo qūo iis vtendū, & ſecūdo poſſe rectè vti. id efficit ſola Eccleſiæ Sāctæ poteſtas in Sacerdotibus, & Epiſcopi configurata potentiæ Patris fontis Trinitatis, & omniū, quod aiunt. SS. Dionyſius, Ignatius, Cyprianus, Athanaſins Alexander Halenſis, aliique multi: fruimur ſola Trinitate; cæteris vtimur per Chriſtum, ſponſamque eius, ait S. Auguſt. lib. de doctr. Chriſtiana, quem ſequuntur omnes; naturaq; humana, niſi ijs vtatur ita vt, per illa inſiſtat viis tendentibus in Deum non conquieſcit. Nulla enim bonitate, iuſtitia, veritateque frui poteſt, cogitur impulſu, ac iure coeſſentiali cunctis rebus creatis vti ita, vt per illas ordinetur in Deum, Deoque in ijs fruatur.

Secundo adijcimus, licit habeant cuncta bonitatem ſuam, tamen magis facta ſunt, vt homo per illa adducatur ad ſuum finem, quam propter ſuam bonitatem. deprauatur itaque bonitas eorum, niſi ordinent homines, ordinenturque in Deum.

Tertio dicimus ad maiorem probationem, quò bonitas eſt præſtantior, eò deprauatior eſt, ac peior ex corruptione vſus. Cuncta autem naturalia, quin creata ſunt facta, vt ſubijciantur ſupernaturali directioni; vti illis, non frui poſſumus; ordinanda ſunt in Deum ſupernaturaliter fruendum, quò naturali pondere impellitur natura intellectualis. Atque ita, vt diximus tam ex parte rerum, quam naturæ humanæ ſunt ſubiicienda Eccleſiaſticæ poteſtati: alioquin bonitas præſtantiſsima propter vſum fit peſsima: optimi namque peſsima corruptio, ſicut contigit in Angelica natura.

Quarto ad maiorem probationem dicimus, cum natura humana experimento cognoſcat, ſe in pleriſque ſeruam, quod Metaphyſico primo aiebat Philoſophus, ac ſæpius exiſtimare à ſe demōſtratum certiſsimo, quod non eſt demonſtratum, propterea titubat in cunctis, niſi infallibili veritate corroboretur, qualis eſt ſu-

pernaturalis.faciunt ad hoc omnia principia Metaphyſica. Natura namque in omni progreſſu ſuo vult inniti immobili, & omnē quod eſt ſecundum aliquid reducitur ad id, quod eſt per ſe, ac tūc ſcire nos arbitramur, cum reducimus ea, quæ ſcimus, ad primam cauſam, vt ex Theophraſto, Eudemo, Alexandro, & omnibus Simplicius interpretatur illa Philoſophi verba, *Tunc putamus cognoſcere vnumquodque, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima.* Tum vero maxime reducimus ad Deum, cum per lumen ipſius cognoſcimus, quod eſt fidei lumen per os Eccleſiæ Sanctæ. Denique etiamſi ſciamus aliquid per ipſum Deum certiſsimo reuelantem, tamen Deus vult nos illud Eccleſiaſticæ approbationi ſubijcere Exemplo Apoſtoli, qui reuelata ab ipſo Deo contulit cum Petro, *Ne in vacuum currerem, aut cucurriſſem*, ait 1, & 2. ad Galathas, *Quia os Apoſtolorum erat Petrus, & vertex ipſius cœtus*, ait S. Chryſoſtomus hom. 87. in Ioannem, *ex officio, & iure eiuſdem fidei, & prædicationis*, inquit Tertullianus lib. de præſcriptio. & *Principi Apoſtolorum, quem par erat honorem tribuit.* ſcribit Theodoretus cap. 5. Epiſtolæ ad Galathas. Comprobantur hæc ijs, quæ à nobis capite tertio ſunt dicta. natura namque humana vult eſſe in eo cœtu, in quo eſt infallibilis cum Deo coniunctió animorum & mentium. Neceſſe eſt igitur illi ſe ſe cœtui ſubijciat in aſſecuta veritate, quem credit infallibilem. Deus vero ita decreuit, vt a Chriſto, & Eccleſia, quidquid boni habemus in terris, agnoſcamus, vt initio fuit a nobis dictum.

Tantum igitur abeſt, vt aliquis ſciens bonum, iuſtumue ex hoc non ſubijciatur Eccleſiaſticæ poteſtati, vt ex hoc ipſo maxime ſubiiciatur, quo maximum eſt bonum, ne deprauatus vſus efficiat, peſsimum, quod alioquin optimum foret. Omne namque ex parte infallibile reducitur ad illud, quod eſt omnino infallibile ex natura ſua tota, quale eſt ſupernaturale; quod continet, ac ſignat omne iuſtum, bonum, verum. Sed ſciens aut efficiens aliquid iuſtum, bonum, verum, eſt ex iſta parte infallibile. Ergo reducitur ad illud, quod in omnibus eſt ex natura ſua omnino infallibile. Quale eſt Eccleſia, *Columna, & firmamentum veritatis*, in omnibus veris, iuſtis, boniſque vtendis, atque, vbi opus eſt, ſanciendis.

Ex his conficitur fieri poſſe, vt homo ſit malus, idemque vt Rex ſit bonus, ſibi malus, bonuſque vt Rex legibus Eccleſiaſticæ voluntati conformibus in gubernando regno vtatur. Atque ita duplici de cauſa ſubiiciatur Eccleſiaſticæ poteſtati, vti priuata, atque

que, vti publica perſona. primo modo, vti materia ſubordinabitur; ſecundo, vt inſtrumentum ſic enim Philoſophus Politici ſeptimi, capite quinto. *Primum igitur dubitabit aliquis, vtrum illa diſciplina, quæ ad acquirendum ſpectat, idem ſit, quod facultas rei familiaris, vel pars aliqua eius, vel miniſtra; ac ſi miniſtra, vtrum quemadmodum pectinaria textoriæ, aut quemadmodum æraria ſtatuariæ. non enim eodem modo miniſtrant; ſed altera quidem organa præbet, altera materiam.*

Neque vero obeſt, ſi quis dicat, perfectioni conuenire, vt Eccleſiaſticus ſit pauper. Nam paupertas illa debet eſſe interna, iuxta illud, *Beati pauperes ſpiritu*, vt interpretantur SS. Hieronymus, Ambroſius, perfectioque eſt in charitate, hæc eſt *Vinculum perfectionis*, Ideoque ijs, qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ, conuenit habere, tum propria, tum communia bona, quod eſt definitum per Extrauagantem, cum inter nonnullos. de verb. ſignifi. & late oſtendimus tertio libro, vt habet S. Thom. 2.2.q.186.art.3.

Ex his apparet, quæ nam ſit Eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas. liberum namque eſt, ait Philoſophus initio Metaphyſici primi, quod non eſt alterius gratia, ſed alia propter ipſum, vel quod conſequi ſine illis finem ſuum poteſt, alia non poſſunt ſine ipſo, ait idem Metaphyſici noni tex. 16. Apparet enim ſine Eccleſiaſtica poteſtate humanam naturam conſequi finem ſuum non poſſe cuius appetitus cum legi coeſſentiali, & inſeparabili ſubiiciatur, neque ab eius ordinatione in illum quærenda poteſt eſſe libera in vllis rebus ſuis. Hinc fit, vt iure coeſſentiali ſubiiciat ſe ſua, ſibique & ſuis ſeruientia poteſtati Eccleſiaſticæ ordinanti in Deũ finem ſuum naturalem, qui ſine ſupernaturali eſſe, & conſeruari haud poteſt. Ac proinde non modo Eccleſiaſtici omnes, ſed etiã res, eorum loca, ſeruientiaque ipſis, & ipſorum rebus eximuntur iure coeſſentiali ab omni Principum naturalium temporaliumq; poteſtate. nõ enim poteſt vllus ordinare illius poteſtatis vllas res, cuius ordinationi cuncta ſua ſunt ſubiecta. Quin ex ipſa ordinatione rerum diuinitus à primo ordinante rebus affixa ſupernaturalis poteſtas omnibus dominatur: ab illa namque habetur omne bonum, ſed præcipuè, quod explet humanam naturam. Igitur Eccleſia Chriſti Deique ſponſa, ac poteſtas eius reſidens in Sacerdotibus, Epiſcopis, ac veluti in fonte, ac Sole, ait S. Cyprianus Pontifice ſummo cuncta in terris ordinabit, & quando poteſtates diſtinguntur per actus, & actus per obiecta, vt eſt primo de anima tex. 22. Conſtat è ſuperioribus obiectum materiale, &

adæ-

adæquatũ Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſe, quidquid ordinari in Deũ poteſt ab hominibus. Primo enim iure diuino, ac naturali coeſſentialiter inhærente cogitur homo, niſi abnegat ſuam naturam, in cunctis tẽdere in Deũ. Secũdo, ex natura ſua res eſſentialiter inter ſe ſunt ſubordinatæ altera ad alterã, quouſq; ad primã cauſam perueniatur, ac Trinitatẽ. Formale obiectũ eſt, quatenus in eũ poteſt ab hominibus vllo modo ordinari. Principale obiectũ eſt humana natura, hæc namque appetit Deum veluti finem ſuum, cunctaque quatenus ad eum perducunt. Hic finis complectitur omnes humanæ naturæ fines, ac ſine fine amatur, infinitusque eſt ex parte ſua, conſecutioque illius æterna continens omne verum ac bonum, ac proinde ſummo iure Eccleſia Sancta, Chriſti ſponſa, ac mundi Regina dominatur humanæ naturæ. Eccleſiæque poteſtas erit illa, quæ inter homines cuncta ordinabit in Deum; in quem nihil eſt, quod ex tota eſſentia ſua non ſit directè ordinandũ; vel erit ea, quæ continebit eſſentialiter omnium poteſtatum humanarum fines, imperabit omnibus actiuis & ſpeculatiuis ſcientiis, & artibus præſcribens vſibus earum, quid agendum, & à quibus abſtinendum, quæ deſcriptio deſumitur ex Ethici primi cap. 2. nam niſi humana natura ſubiiciat vſus artium ſuarum, vel ſcientiarum poteſtatis Eccleſiaſticæ ordinationibus, hisque inſiſtat, nõ perueniet ad finem naturalem ſuum Deum, quem ſitibunda in omnibus quærit, vt ſatiet ipſis intellectum quærentis omne verum, ſatiet voluntatem quærentis omne bonum, neque poteſt diuertere ab hoc coeſſentiali appetitu, ac iure illius ipſi dominante aliquando, non conquieſcet, non ſtabit, quouſque dirigatur quaſi magnes in polum ſuum. Neq; enim S. Cyprianus ait, *Habet Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam matrẽ.* E ſuperioribus adhuc alia concathenatio mirabilis ſequetur. Diximus fieri poſſe, ſi quoſdã ſequamur, vt abſque directione ſupernaturali, quæ mentem firmat, ne carnis ſenſuumque illecebris delinita effœminetur, atque ab ordine diuino, ac ſemetipſa recedat, habeantur aliquæ virtutes in genere ſuo perfectæ, quod fieri poſſe Scotus cum ſuis probat, non tamen, vt omnes ſimul perfectæ in genere humanæ naturæ habeantur. Atque ideo ſine Eccleſiaſtica directione nullus eſt ſimpliciter virtuoſus, vt aiebat Antonius Andreas in 3. diſtin. 36. quæſt. 1. Hinc fit abſque ſupernaturali directione, neque tot, neque tanta, neque tam ſtabilia corporis animi, atque externorum bona acquiri, aut acquiſita conſeruari poſſe. probat hoc Philoſophus cap. 1. ſeptimi Politici. Quatuor enim ſunt præcipuæ virtutes

tutes dictæ Cardinales. Tẽperantia, Fortitudo, Iuſtitia, Prudẽtia, verùm, niſi aliquis ſit tẽperatus, ſed crapulæ deditus, in morbos plurimos incidet, quibus oppreſſus doloribus excruciabitur ac breui morietur, & Reſpublica iacturam illius faciet, idem cuncta diſsipabit in parandis Epulis, Veneris œſtro percitus corporis vires perdet, Zelotypia torquebitur, nihili faciet omnia propter amoris impotentiam. Neceſſe eſt igitur homo ſit temperatus. Verum, niſi ſit etiam fortis, ad omnem rem metu examinabitur, numquam ſibi conſtabit; nemo erit, qui timore illum nõ quouis impellat, excidet ab omnis boni poſſeſsione ob pauorem. Quid autem de Iuſtitia dicemus? quam niſi quis amplectatur, ſed malis & immerentibus ſua donet, vel bonis ac merentibus neget, agminibus flagitioſorum circumuentus in præceps breuiſsimo temporis ſpatio dabitur. Quid? niſi ſit prudens, ac mala pro bonis, bona pro malis accipiat, non ordinabit, vti debet, res ſuas, omnia ſua ſubruet. Neceſſe eſt igitur homo virtutes omnes habeat perfectas in ſtatu, atque ordine ſuo, vt bona animi, corporis, atque externa acquirat, ac tueatur, in ordine, inquam, ſuo, Monachum namque & Eremitam multa non decent; Ciuem, Principem, Præſulem decent. Atqui oſtendimus abſque ſpirituali directione, omnes virtutes ſimul perfectas in humana natura haud dari. Neque igitur in Republica ex hiſce hominibus conflata poterunt eſſe tot, tanta, ac tam ſtabilia bona animi corporis atque externa, vt apparet, atque, vt aiunt, à priori eſt probatum. Probatur vero adhuc diſtinctius à priori. Prudentia, cum ſit vniuerſalis virtus, dirigit omnes artes, & actiones, vt propoſitum conſequantur. Quamobrem cum ſupernaturalis directio corroboret Prudentiam, ne ob voluptates, aliave effrænia deſideria deprauetur, hinc fiet, vt ob ſupernaturalem poteſtatis Eccleſiaſticæ directionem, firmius ac tutius congruos honores, lucra, & relaxamenta animi honeſta potiri valeamus. Vera eſſe hæc latè ab effectis probauimus vltimis libris de Signis Eccleſiæ Dei, de Gentium ruinis, & aliqua attingimus tertio, quarto, & vltimo operis huius. Quocirca inter exteras gentes, neque Regum, neque nobilium proſapiæ, neque Regna Vrbes & populi tamdiu ſteterunt, vt in Republica Dei, cui præſidet Chriſti amoris noſtri Vicarius Pontifex ſummus. Sic itaque Eccleſiaſtica poteſtas non modo efficit, vt homines à Deo bona mereantur, ſed efficit præterea directè, vt acquirãt, ac tueãtur bona corporis, atque externa. Vt autem magis ad ſingularia deſcendamus, illa vult, ac te-

netur velle & procurare, vt vel artifices ipſi ſint ſolertes, induſtrijque, nemo ſit deſes atque ignauus. Idcirco per Confeſſarios Sacerdotes exigit ab omnibus eorum quæ agunt, exactam quamdam rationem, tum quoad Deum, tum quoad homines, quos proximos vocamus, neminem patitur ocio torpere, *ſed ſuæ domui benè propoſitum*, ait Apoſt. 1. Timot. 3. Studiiſque operam diligentem nauare, caſtigat contumaces, inertes pro modo culparum, vires intimas per Sacramenta inſpirat, quibus natura perficiatur, Confeſſariis leges optimas præſcribit. Atque hæc quidem ſecretò abditiſsimè & intimè. Circumſpicit deinde omnia quæcumque oculis patere poſſunt, atque ex altiſsima diuinitatis ſpecula orbem terrarum, mortaliumque vniuerſitatem contemplans, *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, vt Sapientia cap. 8. habetur. En igitur inter mortales alia naturalis, ac ſupernaturalis ordinis externum regimen interno coniungentis concathenatio miranda, per quam cunctis eueniat, quod eſt Sap. cap. 7. *Datus eſt ſpiritus Sapientiæ, & omnia bona pariter venerant cum illa.*

Is maximè facit, quod vult, qui facit, quod Deus vult. poſſe deficere à dominio, defectus eſt dominij, quid ſit dominium. Cap. VII.

VErùm Dominus inquiet aliquis poteſt facere, quodlibet. At Sacerdos Epiſcopus Pontifex Summus non poſſunt facere quodlibet. Nam ſuam poteſtatem non habent, niſi in ordine ad Deum, non itaque Domini ſunt, ac Reges directi. Reſpondetur, Primo apparet eſſe falſum, quod aſſeritur in maiori propoſitione, ſi de iuſta poteſtate, ac rectæ naturæ noſtræ in finem proprium tendenti adæquata loquamur. Alioquin (hoc maximè aduertas) ſequeretur dæmones, ac flagitioſiſsimos quoſque eſſe omniũ maximè Dominos. Videamus itaque, qui ſit ſenſus illius propoſitionis.

Secundò itaque reſpondemus eos qui ſubordinãt in Deum, vel habent aliquid in ordine ad Deum maximè omnium facere quod eis libet, atque omnia, quæ volunt. Animæ enim noſtræ, ac voluntatis maior eſt procliuitas in Deum, quam in quodlibet; imò

quia

quia magis fertur in Deum quam in ſemetipſam, maximè in ſemetipſam fertur, ac vult ſemetipſam. Nam etiamſi ipſa non eſſet in ſemetipſa, & eſſe indiuiduali, ac materiali (detur nobis ita loqui) tamen eſſet in eſſe Ideali diuino, in generica, ac ſpecifica natura. at ſi Deus non eſſet, neque Idea, neque genus, neque ſpecies eius vel eſſet, vel eſſe poſſet. igitur quia vult ſemetipſam, pro ptcrea magis iſta vult, quam ſemetipſam. Quamobrem lege naturali magis Dei voluntatem volumus, quam quoduis aliud; voluntaſque animæ eſt hæc prima, & maxima; hoc ille vult, ac propterea qui hanc ſequitur, maximè Dominus eſt, ac maximè omnium liber. Multipliciter hoc apparet, & vndique comprobatur (nam verò omnia conſonant) ex eo, quod S. Thomas aiebat q. 69. art. 8. ad 4. & 12. q. 88. art. 4. ad primum. *Poſſe velle malum, neque eſſe libertatem, neque partem libertatis*. Addimus hoc. libertati liberoque nihil magis eſſe contrarium, quam violentiã & violentum. Violentum eſt, quod extrinſecus adueniens nos ad ſe trahit, liberum quod intrinſecus immanens ſibi coniungit: quoties obiectum extrinſecum dimouet me ab illa libera, prima, maximaque in Deum voluntate, & impetu; per quam meo eſſe, meæque vnitati coniungor à memetipſo me diuellit, è libero ſeruum facit, libertatem, potentiam, dominiumque meum mihi aufert, & quo longius à Deo fuerit illud obiectum, eo magis à memetipſo abducor, magis efficior ſeruus, impotens, captiuus. Hinc idem Sanctus 1. q. 117. art. 4. *Hoc eſt quod Boethius dicit, quod ea quæ ſunt diuinitati propinquiora ſtabiliter fixa fatalis ordinem mobilitatis excedunt, ex quo etiam patet, quod quanto aliquid longius a prima mente diſcedit, nexibus fati maioribus implicatur, quia magis ſubijcitur neceſſitatibus ſecundarum cauſarum*. Hæc Sanctus, ſic itaque quoties, ago aliquid contra mentem, & voluntatem diuinam, ago contra mentem voluntatemque meam. Atque eſt illud inuoluntarium ſecundam optimam, maximamque mei partem, ſecundum aliquid, licet ſimpliciter loquendo voluntarium ſit illud ac dicatur. Nam niſi facto adfuiſſet voluntas inferiorũ partiũ mearũ trahẽs me non fuiſſet illud factum, ſic igitur eſt in ſe factum voluntarium, ſed inuoluntarium iuxta id, quod facto non omnino adfuit, ac facto obſiſtebat, ac proinde facto non omnino ineſt, vt inuoluntarium dici poſsit.

Rectè igitur Ariſtoteles Metaphiſici 5. cap. 8. aiebat efficere mala eſſe defectum potentiæ, quia ſcilicet efficiens abripitur extra Deum, extra ſe, extra ſuam poteſtatem, dominiũ, libertatem, hæc

omnia diminuit,atque infringit eo ipſo,qui malè agit,*Aliquando enim eos inquit,qui ſolū ambularunt,aut dixerunt,ſed nō bene,neque vt elegerunt, Dicimus non poſſe dicere, vel ambulare, ſimiliter quoque, ſi patiantur impotentiæ dicuntur, quicumque habitus, ſecundum quos aliqua impoſsibilia omnino vel immutabilia ſunt, aut difficulter in deterius mouentur. nam franguntur, & conteruntur,& flectuntur,& omnino corrumpuntur,non quia poſſunt, ſed quia non poſſunt, & aliqua in re deficiunt, verum non patiuntur ab alijs, quæ propter potentiam, & quia valent, vel aliquo modo ita diſpoſita ſunt, ut uix, aut parum non patiuntur.*

Hæc Ariſtoteles,quocirca idem repetit in Ethicis, & Politicis fieri non poſſe,quod iuſte fieri non poteſt.

Videre hoc etiam iuriſconſulti,legumque externarum latores, Hinc Proculus L. nepos de verb. ſign. fieri non poſſe decreuit, quod decenter haud fieri poteſt. Contra Pomponius l. quod te ff. ſi cert. pet. dixit illud in poteſtate noſtra eſſe cum iuſta cauſa ad eſt, ex qua intelligamus fieri à nobis aliquid oportere, ac per nos contigit ne fieret,aut fieri nequeat.

Hinc etiam loco eodem reputari ſolet turpe eſſe,aut impoſsibile eſſe, vt apparet apud Martianum l.non ſolum de act.& oblig.apud Vlpianum l.generalia,de verb.oblig. Quin lex ſtatuit aliqua omnino eſſe nulla, quoties in maximum Reipublicæ detrimentum vergunt, quaſi nulla ijs adfuerit poteſtas. Non omnia decernit, quia non poſſunt omnia probari. Non poteſt omnibus afferri ſuum remedium. & conari afferre eſt Rempublicam totam conturbare: atque ideo ſatius eſt quædam vitia permittere. Ac veluti Chriſtus Dominus noſter dixit zizania relinquenda, ne omnino ſata extirparentur; eodem modo legum latores, quædam mala, quamuis mala & reſcindenda, exitum tamen ſuum ſortiri permiſere, quod humana prouidentia conſulere omnibus non poſsit. Prouidentiæ diuinæ omnino relinquenda, penes quam non rectè acta reſcindi debent, atque in integrum reſtitui. Sic etiam quilibet eſt omnino Dominus membrorum ſuorum, quæ enim mihi magis ſeruiunt,quàm membra mea, quid magis animæ eſt ſubiectum, quàm corporis quodlibet membrum? Deſpoticum vocat huiuſmodi dominium Philoſophus Politici primi cap.3. Totum namque,quod corpus molitur,eſt animæ,atque animæ ſeruire debet,neque corpori quidquam, quod ſuum ſit, eſt relinquēdum,niſi vt iſtud ipſum ſeruiat animæ eidem. Quamobrem, neque in conſilium vocatur corpus ab anima, niſi quantum deſpicit anima è

re

re ſua eſſe. Et tamen homo corporis adeò Dominus, nullum ſibi membrum præſcindere poteſt, neque adhoc, quod nullo modo poteſt eſſe commodo publico, eſt vllo modo Dominus. Quod vlpianus dixit l. liber homo ad l. Aquiliam, ſic eædem leges irritos, ac nullos eſſe contractus volunt, qui ab impuberibus contra vtilitatem ipſorum fiunt, & qui à puberibus minoribus eodem modo facti fuerint, dat aduerſus hos contractus in integrum reſtitutionem, quaſi nulla eis adſit poteſtas, Adeò poteſtas omnis communi bono eſt, & illa tantum poteſtas eſt, quæ iuſta eſt poteſtas. ſic etiam prodigis interdicit ad miniſtrationem bonorum l. is cum bonis de verb. oblig. Ac donationes factæ meretricibus per milites, Iuriſconſultos, & Clericos reſcinduntur.

Diuinior verò ac potentior Sacerdotum poteſtas obligat ad reſtitutionem, quacumque in re factum fuerit contra iuſtitiam, vel diſtributiuam, vel cõmutatiuã ſuis vnumquemque modis; vel alia nulla quoad Deũ declarat. Hinc diſpenſatio ſine cauſa nõ excuſat, cum ſit diſsipatio; quod aiebat S. Bernardus libro deſpenſatione.

Diuiniſsima autem Dei continens omnium poteſtates poteſtas ex omni peccato, (quod Rempubl. genusq; humanum lædat) exigit ſatisfactionem, refici vult ac reſtaurari, quod malè actum fuerit, atque euerſum, quaſi à nulla poteſtate tranſactum. nam fecit hominem liberum ad eligenda oppoſita, non vt amitteret libertatem, poteſtatem, dominium; ſed quando ad vniuerſitatis complementum requirebantur mutabiles etiam creaturæ, vt actu eluceſceret ampliſsima Dei poteſtas, liberum fecit hominẽ, qui deligens melius magis, ac magis liber, ſui potens, ſuique ac ſuarum rerum Dominus fieret, donec Chriſto Domino noſtro omnium creaturarum poſt Deum fini; Deoque eſſentialiter Domino immobiliter per eſſentiam coniungeretur, quod fit ſubordinando ſingula quæque in ipſum.

Rectè igitur Ariſtoteles conſpiciens ea, quæ ſubordinationẽ nõ tenebant inter ſe, atque meliora, eſſe omnium maximè imperfecta, dixit eos, qui minus in Deum ſubordinabãt, eſſe ſimiles beſtijs, ac ſeruis. Ità Philoſophus ille Metaphyſici 12. tex. 52. Adeò falſum conſtat eſſe eos, qui poſſunt abſumere ſua in malos, aut inutiles vſus, vel quomodolibet alienare, aut non ordinare in bonũ, vel Deum, directos eſſe dominos, alioquin Deus non eſſet Dominus directus. neque enim poteſt abſumere in vſus inutiles, ſicuti neque vllus bonus. Ex his porrò conſtat enunciatum hoc eſſe verum: primo illud tantum fieri poſſe, quod iure fieri poteſt,

ac iure fieri, quod ordinatur in Deũ, iuſtũq; ſecũdo eſſe illud, quod iuri illi naturalis appetitus Deum quærentis, Deoque appetito eſt conforme, & adæquatum, noſque diuinæ voluntati volentes, & appetentes adæquat; aut Deo, ac rectæ noſtræ naturæ.

Neque verò ſequitur ex his, eum qui peccat in alicuius rei Adminiſtratione, idcirco rei Dominio priuari, vel Regem Regno, ac Regia poteſtate, nam in eo quod male agit, non eſt iure Dominus, neque habet poteſtatem; ſed in reliquis remanet adhuc ei, quoad reliqua omnia libertas poteſtas dominiumq; iuſtũ ſubordinãdi in Deum; neque eſt peccator, cui non remaneat huiuſmodi libertas, & voluntas flexibilis ad bonum non obdurata in aeternum, qualis eſt in damnatis, qui ſingulos actus contaminant, & in ſingulis actu ſeſe auertunt à fine ſummo; in quem facta eſt recta ipſorum natura, impelliturque irrito conatu, ex quo eſt pœna acerbiſsima damni aeterni.

Infideles itaque & peccatores ſunt iuſti, ac veri Domini, neque iuſto, ac vero Dominio priuantur, alioquin & dæmones veri ſunt Domini, iuſtumque eſt ipſorum dominium, non quod rectæ ipſorũ naturæ ſit adæquatũ, vel quod in eo vt explente ipſis naturale deſiderium, vel eò tendente illa cõquieſcat, ſiue quod ordinetur ab ipſis in finem ſummum; non quod actus eius vllus ſit, qui non peruertatur ab ipſis; ſed quod ipſis inuitis ordinetur à Deo in gloriam iuſtitiæ, potentiæ, ſapientiæ, bonitatiſque ſupernaturalis, ac proinde ad gloriam Chriſti, & Eccleſiæ ſuæ, iuſteque dæmones ſe ſe inuicem torqueant, ac torqueantur. Sed dæmones, ac damnati in aeternum priuati ſunt illo ſemetipſius, ac rerum ſuarum dominio, vel poteſtate, ex quibus recta natura impulſus coeſſentialis lege ad appetendam coniunctionem cũ Deo, conſequi illam, & conquieſcere in vltimo ſuo fine poteſt. Huiuſmodi dominio poteſtateque haud priuãtur infideles. Ab his enim multi actus prodeunt ex natura ſua boni, in quibus non eſt peccatum. veluti cum pauperum miſerentur, & eis opem ferunt, humanitatis pietate ducti, puniunt flagitioſos, vt reliqui pœnis deterreantur ab omni ſcelere admittendo. Ob has cauſas eſt ipſorum poteſtas iuſta, dominium iuſtum. Huiuſmodi actus ſemetipſis, ſiue ex actuum natura ordinantur in Deum à poſſuntque, ac volunt ſæpe ordinare in Deum diſpoſitione aliqua, quamuis non perfectè ſecundum voluntatem illam, quà dirigantur rectà in Deum, veluti magnes in polum ſuum, ſecundum quam diſpoſitionem non ordinat, qui veniale aliquod crimen admittit, hoc namque diſpo-

nit

uit ad mortale,& ad dæmones,ac Belluas. Ita vt verè dici videatur, formaliſque ſit conſequentia, quidquid non ordinatur in Deum,ordinatur in diabolum, & contra,qua parte ſcilicet non ordinatur,vel ex parte agentis,vel ex parte actus,operiſve ipſius. Et veriſsimum ſit quod ait Chriſtus Lucæ cap. 11. *Qui non eſt mecum contra me eſt,& qui non colligit mecum diſpergit*,ſimulque illud etiam ſit veriſsimum, dominio poteſtateq; abuti eſſe poteſtatis, ac dominij defectum, quod cõprobabitur infra è S. Auguſt.

Ex his apparet diſtinctio dominij iuſti & iniuſti in propoſito noſtro, & qua parte ſit huiuſmodi. Dominium namque eſt, vt ait S. Thom. q. 7. de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ, poteſtas coercens ſubditos, ordinanſque, & terminans eos in Dominum. diuiditur nãque dominium in iuſtum, diuinum, Regium, & in Diabolicum, Tyrannicum. Iuſtum eſt poteſtas coercens ſubditos, ordinans terminansque eos in Deum. Poteſtas Eccleſiæ ſola infallibiliter, & efficaciter hoc facit, ac facere poteſt, aliæ quatenus ab ea dependent,eique ſunt conformes. Illa igitur ſola,dũtaxat omnibus eminẽter, ac per ſe inter homines iure naturali ac diuino dominatur aliorum dominia non tollens, ſed confirmans,vti eſt dictum.

Eccleſia iure diuino,ac naturali directe imperat vſibus omnium rerum atq; omnẽ poteſtatẽ, dominiumq; omnium rerum gubernandarũ iuſtum continet: Reſpondetur obiectis quibuſdam. & auctoritate Sancti Auguſtini omnia comprobantur.

Cap. VIII.

COlligentes igitur omnia, quæ hucuſq; dicta ſunt, ita argumentamur. Omnis poteſtas naturali, ac diuino iure directè imperans omnibus omnium rerum vſibus; quatenus in humanam naturam cadunt, eodem iure, ac directè imperat omnibus rebus, quæ in vſus humanos cadunt; ſed Eccleſiæ Sanctæ põtas eſt huiuſmodi, naturali igitur,ac diuino iure directè imperat oĩbus rebus,quæ in vſus humanos cadunt. Maior probatur.excepto enim Deo, natura hu- Arg. X.

mana iure naturali,ac diuino non poteſt vlla re frui, ſingulis quibusque rebus, ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus ac temporalibus vtitur dirigens illas in Deum, ſiue ordinans,vt per illas coniungatur Deo, vel iuxta Dei voluntatem, nam ſe ſe hæc inuicem conſequuntur. Ita S.Auguſtinus lib.1. de doctrina Chriſtiana cap.5. *Res aliæ ſunt,quibus fruendũ eſt,aliæ quibus vtendum. Illæ quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt; illis,quibus vtendum eſt,tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quaſi adminiculamur, vt ad illas, quæ nos beatos faciunt peruenire, atque his adhærere poſſimus. Nos vero, qui fruimur, & vtimur, inter vtraſque conſtituti, ſi eis, quibus vtendum eſt,frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur; vt ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis, vel retardemur; vel etiam reuocemur inferiorum amore præpediti: frui enim eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam. Vti autem, quod in vſum venerit, ad id,quod amas, obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt. Nam vſus illicitus, abuſus potius nominandus eſt.* Et mox. *in huius mortalitatis via peregrinantes à Domino, ſi redire in patriam volumus,vbi beati eſſe poſſimus,vtendum eſt hoc mundo, non fruendum,vt inuiſibilia Dei,per ea,quæ facta ſunt,intellectu conſpiciantur.* Et deinde *in his igitur omnibus rebus,illa tantum ſunt,quibus fruendum eſt, quas æternas, & incommutabiles commemoramus, ſcilicet Patrem,& Filium,& Spiritum Sanctum. Cæteris autẽ vtẽdum eſt,vt ad illarum perfruitionem venire poſſimus.* Et poſt. Exponens illud, quod de Philemone dixerat Paulus, *ita frater ego te fruar in Domino,* ait,*ſi non addidiſſet in Domino,& te fruar,tãtũ dixiſſet,in eo conſtituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ.* Et tandem. *totius Sacræ ſcripturæ hæc ſumma, vt vtamur vtendis,& fruamur fruendis,vt ea,quibus ferimur,qualia ſunt temporalia, propter illud, ad quod ferimur,diligamus,*& libro 83.quæſt.30. quæſt. *Omnis itaque humana peruerſio eſt, fruendis vti velle,atque vtendis frui.Et,omnis ordinatio,quæ virtus nominatur eſt fruendis frui, & vtendis vti,&,uti autem aliqua re, non poteſt,niſi bono. Scire namque, quò quidque referendum ſit, non datum eſt rationis expertibus, ſed neque ipſis rationalibus ſtultis, quare abuti rectius dici ſolent, qui non bene vtuntur. Perfecta igitur hominis ratio utitur primo ſeipſa ad intelligendum Deum, ut eo fruatur, à quo etiam facta eſt. Vtitur autem cæteris animalibus ratiocinantibus ad ſocietatem, irrationabilibus, ad eminentiam, uitam etiam ſuam ad id refert, ut fruatur Deo; ita enim beata eſt. Deo autem,non utitur,ſed fruitur*

tur, neque enim ad aliquod aliud Deus referundus eſt. Eadem Sanctus lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 25. & in Pſalm. 147. lib. Meditationum, & in Manuali libro de doctrina Chriſtiana, & de Trinitate, lib. 8. cap. 19. Auguſtinum ſequuntur Theologi omnes in 1. diſtin. 1. quæſt. 1. Sic igitur poteſtas, quæ directè imperat vſibus, imperat rebus. Nihil namque eſt ylla in re, excepto Deo, quod non cadat in humanos, ſiue illud ſit directum, ſiue indirectum. cum vero potentiæ paſsiuæ reſpōdeat actiua, ſi iure naturali ac diuino directè aliqua poteſtas imperat vſibus, directè imperat eodē iure rebus.

Quod vero Eccleſiaſtica poteſtas directè imperet iure naturali, ac diuino vſibus rerum, patet è ſuperioribus. Natura namque humana coeſſentialis appetitus ineuitabili, & coeſſentiali lege, appetit Deum, dominatur illi hæc lex inſeparabilis, atque æterna, neq; poteſt ad eum peruenire, & ſatisfacere appetitui ſuo, legique iure naturali abſque ſponſa Chriſti, & Dei, ac niſi ſit ei filius obediens omni in re paratus omni momēto obedire, *Nec poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Quod ſcilicet hæc habeat clauim ſcientiæ, poteſtatiſque infallibilem, ac ſola infallibiliter ſciat, quid nos Deo coniungat, quomodo ſit vtendum rebus, vt Deo per eas coniugamur, ſimus voluntati ipſius conformes, ordinemur ad illum. Cæteri non habent, vt ſupra eſt dictum. Ac licet aliquis aliquid ſciat, non poteſt tamen eſſe ita ex ſe certus, quomodo ſit re cognita vtendum, ita vt aliter eſſe non poſsit. Et quamuis adhuc certus eſſe poſſet, tamē vult conferre, ac tenetur conferre cum Eccleſia quæ nec falli, nec fallere poteſt, ne decipiatur in grauibus exemplo Pauli dicentis, *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem,* ob eas quas attulimus cauſas.

Quod ſi dicas. Eccleſiæ poteſtas non imperat gratiæ, vel charitati. Reſpondemus, imperat præſcribens, quomodo ſit illa vtendum, quomodo conſeruanda, quomodo comparanda. ſi Vrgeas, charitas eſt finis, illa ergo imperat Eccleſiaſticæ poteſtati, non contra. Reſpondemus hoc argumento, non aliud concludi, niſi, vt quidquid agit Eccleſiaſticus, agat ex charitate, iuxta illud, *Petre amas me, Paſce oues meas.* Atque vt agat ad ingenerandam charitatem vel in eo, quem corrigit, aut re aliqua priuat decernēs illa non eſſe alicui modo vllo vmquam vtendum, atque ita vtendū, vt ſe omnino ea priuet, vel in aliis, qui malo alicuius exemplo à virtutis via auertuntur: Quod ſi adiicias, aliquis Deo per charitatem fruitur, non eſt ergo opus illi vlla Eccleſiæ poteſtate. Reſpondemus: opus eſſe, vt ab ea dirigatur ad conſeruandam, vel

exercendam charitatem. Nam charitatis eſt coniungere;ſed ordinare,ac dirigere pertinet ad infallibilem ſapientiam; quam nemo
Arg.XI. quãtumuis perfectus habet, ſola Eccleſia Sancta id habet per Pontificem Summum. quocirca ſic argumentamur.

Omnis poteſtas humana fallibiliter, & ſecundum aliquam partem iuſta directe naturali ac diuino iure eſt ab infallibiliter, & ſecundum omnem partem iuſta. Sed omnis humana poteſtas eſt fallibiliter, & ſecundum aliquam partem iuſta, ergo naturali, ac diuino iure eſt directe ab infallibiliter, & ſecundum omnem partem iuſta. Patent aſſumpta. Toto namque hoc opere nos agimus de poteſtate iuſta, diuina, ciuili, Regia, non de tyrannica, iniuſta, diabolica, & belluina. Maior eſt clara è principiis Metaphyſicis, quibus aſſeritur omne fallibile ab infallibili eſſe, omne quod eſt, ex parte, ac per aliud eſſe ab eo, quod eſt per ſe, atque omnino tale; Et in propoſito probatur Secundo, quia quodlibet temporale, ac naturale magis eſt ob infallibile, & optimum ſupernaturale, quam ob ſemetipſum; magis vt illis, quam ſibi ſubiiciatur. Tertio quia natura humana in omnibus Deum ſemper quærit, & quoties impellitur ad aliquod bonum iuſtūve agendum, quærit in illo, ac per illud coniungi Deo. Quamobrē ſi ex hoc vellet aliquis recedere ab illa poteſtate, per quam vero Deo coniungitur, ſibi ipſi in eo ipſo, quod eius natura agit, quo ſemper impellit ipſum, diſsideret. Atque hic erit damnatorum perpetuus cruciatus: intimo namque bello torquebuntur. Nulla vero in re humana natura quantumuis illa ſit iuſta, ac bona Deo coniungi poteſt, niſi obediat mundi Reginæ infallibiliter tradenti, quid bonum, verumque adeo ſit, vt nos Deo coniungat, quod ſupra eſt explicatum. Quocirca, qui nollent Eccleſiæ ſubiici, atque in omnibus ei parere, quia faciunt, ſciuntve aliquid boni, & iuſti, perinde eſt, ac ſi oculus nollet eſſe corpori coniunctus, quia videt aliquid; aut homo nollet in omnibus ab intellectu regi, quia belluæ aliquid boni agunt; aut eſſe Cyclops, quia Cyclopes aliquid boni agebant. Cumque anima ſenſitiua, & vegetatiua boni aliquid agit, nolit ab intellectu regi, ſed ab anima ſenſitiua præciſa ab intellectu. Quod ſi dicas ſenſitiua, & vegetatiua habent opus proprium; concedo, ſed intellectus eſt videre non modo ne quid male agant in opere ſuo, ſed vt optime agant, ita vt per illud perueniat ad Deum. Quocirca morti ſe obiicit homo, nil vegetatiuam, ſenſitiuamve curans ob Deum.

Quod ſi dicas nemo cogitur eſſe perfectus. Reſpondemus nos

hic agere de perfectione Religioſorum, ſed de perfectione, quæ conuenit cuilibet homini, & quam cuiuslibet natura inſeparabili iure in omnibus quærit, ſed neque temporalium, neque naturalium rerum gubernator poteſt infallibiliter ſcire, quomodo ſit vtendum re vlla abſque regula infallibili intellectus, quæ ſola eſt in Eccleſiæ poteſtate, *Quæ eſt columna & firmamentum veritatis.* Ac ſine illa Eccleſia ſupra petram fundata, aduerſus quā *Portæ inferi non praualebunt*.

Quamobrem tertio probatur maior. In Eccleſia namque eſt omne bonum, verum, iuſtumque, quod appetit infallibiliter humana natura, & quod aliquis habet, & quod præterea quærit per illud, quod habet. Hinc ſanctus Auguſtinus in Enchiridio. *Cur ergo vagaris per multa homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt*. Et meditationum lib. 9. *Dilige in bonis illius, quæ data ſunt ab illo, illum tibi, & te illi*. Sic igitur in eo ipſo, quod agimus, oportet agere, vt Eccleſiæ filium obedientem, obediturumque illi omni in re, ac tempore omni.

Quæcumque poteſtas iure diuino, ac naturali directè continet omnem dominij iuſti rationem ad naturalia, temporaliaque omnia regenda, directe iure diuino, ac naturali, omni ratione iuſti dominij dominatur omnibus naturalibus, ac temporalibus regendis. Sed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas continet directè iure diuino, ac naturali omnem dominij iuſti rationem ad omnia naturalia, temporaliaque regenda. Igitur directe iure diuino, ac naturali omni ratione iuſti dominij dominatur omnibus naturalibus ac temporalibus regendis. Maior eſt clariſsima. Minor eſt ſupra abunde probata. Primo namque ex eo ipſo, quod aliquis homo boni & iuſti aliquid agit iure naturali, ac diuino directe impellitur ad Dei coniunctionē, quicum coniungi non poteſt in eo ipſo, quod boni agit, niſi ſubiiciat ſe Eccleſiæ Sanctæ mundi Reginæ, *Quæ eſt plenitudo corporis Chriſti*, in quo habitat, *corporaliter omnis plenitudo diuinitatis*, vt ab initio diximus. Secundo, in eo ipſo, quod aliquis boni aliquid agit, aut ſcit, impellitur diuino, ac naturali iure ad hoc, vt ſit ex ijs hominibus, qui perfecte Deo coniūgūtur, ſiue Eccleſiæ Sanctæ. Tertio, in eo ipſo impellitur, vt ſe ſubijciat ſupernaturali poteſtati, propter q̄ magis eſt factū, ſitq; illud bonum, q̄ propter ſeipſum (natura quærente ſuā pfectionē) alioquin ab eo ſe disiungens natura humana in eo bono, quod agit, illud corrūpit, Arg. XII

 ſit

fit corruptæ naturæ exẽplo dæmonis,vt dicebamus,ad nihilum miſerrime properat,ac ſe diſiungens perinde eſt, ac ſi quis Florentiã maxime cupiẽs, viæque ad illam ducenti inſiſtens,aut non procul aberrans, nolit audire infallibiliter eò ducenti, ſine quo, vel infallibiliter ſcit,ſe non poſſe eò peruenire, vel ſcire omnino debet, nolit vero audire illi, quia non procul aberrat, vel illi iam viæ inſiſtit. Audiamus Auguſtinum Sanctum pulcherrimè hæc explicantem, clariſsimèque, vbi ſit verum ius ſtatus, aperientem. *Deficiunt autem omnia per corruptionem ab eo,quod erant; & nõ permanere coguntur non eſſe. eſſe enim ad manendum refertur. Itaque, quod ſummè, & maximè eſſe dicitur, permanendo in ſe dicitur. nam quod mutatur in melius, non quia manebat mutatur, ſed quia peruertebatur in peius, id eſt ab eſſentia deficiebat. cuius defectionis auctor non eſt, qui eſt auctor eſſentiæ. mutantur ergo quædam in meliora,& propterea tendunt ad eſſe: nec dicuntur illa mutatione peruerti, ſed reuerti, atque conuerti. peruerſitas enim contraria eſt dominationi. Hæc vero, quæ tendunt ad eſſe, ad ordinem tendunt: quem cum fuerint conſecuta, ipſum eſſe conſequuntur, quantum id creatura conſequi poteſt. Ordo enim ad conuenientiam quandam, quod ordinat, redigit. nihil eſt autem eſſe, quam vnum eſſe. Itaque inquantum quodque vnitatem adipiſcitur, in tantum eſt. Vnitatis eſt enim operatio, conuenientia,& concordia; quæ ſunt, inquantum ſunt ea, quæ compoſita ſunt. nam ſimplicia per ſe ſunt,quia vna ſunt. quæ autem non ſunt ſimplicia, concordia partium imitantur vnitatem,& intantum ſunt, inquantum aſſequuntur: quare ordinatio eſſe cogit, inordinatio vero non eſſe, quæ peruerſio etiam nominatur, atque corruptio. quidquid igitur corrumpitur, eò tendit, vt non ſit. Iam veſtrum eſt conſiderare, quò cogat corruptio, vt poſſitis inuenire ſummum malum: nam id eſt, quo corruptio perducere nititur. Sed ò Dei bonitas eò rem perduci non ſinit; & omnia deficientia ſic ordinat, vt ibi ſint, vbi congruentiſſime poſſunt eſſe, donec ordinatis motibus ad id recurrant, vnde defecerunt. Itaque etiam animas rationales, in quibus eſt potiſſimum liberum arbitrium, deficientes a ſe, in inferioribus creaturæ gradibus ordinat, vbi tales eſſe decet. fiunt ergo miſeræ diuino iudicio dum conuenienter pro meritis ordinantur.* Hæc Sanctus lib. 2. cap. 6. aduerſus Manichæos concludens non dari niſi vnum finem, vnum ordinem, qui cunctos ordines eſſentialiter contineat. Ita vt temporalem, naturalemve finem conſequi non poſsimus, vel naturali, vel ſupernaturali lumini conue-

nientem,

nientem, ſine ſupernaturali directione, quod ſi ſecus dicamus, incidimus in duos Deos, quod acutiſsime in propoſito noſtro viderunt Franciſcus Mayronis, Bacchonus, Auguſtinus Triumphus, & alij multi. Audiamus igitur eumdemmet Auguſtinum pulcherrime idem concludentem contra eoſdem Manichæos libro de vtilitate credendi. Ac Primo oſtendit multa à nobis credenda, quamuis certiſsimo argumento probari non poſsint, vt ferè cuncta ſunt contingentia. Sic igitur ait capite duodecimo. *Quæro enim ſi quod neſcitur, credendum non eſt; quomodo ſeruiant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant, quos parentes eſſe ſuos non credant. non enim ratione vllo pacto ſciri poteſt. Sed interpoſita matris auctoritate de Patre creditur. de ipſa vero matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius poteſt, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta dicipere? credimus tamen, & ſine vlla dubitatione credimus, quod ſcire non poſſe confitemur. quis enim non videat pietatem, Sanctiſsimum generis humani vinculum, niſi ita ſit, ſuperbiſsimo ſcelere violari?* Secundo oſtendit, non ingenioſos, & cordatos eſſe ſapientes, ſed qui ita viuunt, vt non peccent in ſuis adminiſtrandis, vel temporalibus, vel naturalibus. Talis vero eſt ex natura ſua ſupernaturalis ordo vti eſt probatum, comprobabiturque infra & rationibus, & euentis; & addit ingenioſos, & cordatos alios eſſe inſtrumenta, miniſtros, ac ſeruos ſapientum, quibus eſt infallibilis ſapientia perducens ad Deum, noſque coniungens in omnibus rebus Deo, & ait, *Nemini dubium eſt omnes homines aut ſtultos, aut ſapientes eſſe. Nunc autem ſapientes voco, non cordatos & ingenioſos homines; ſed eos, quibus ineſt, quanta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis, Deique firmiſsimè percepta cognitio; atque huic cognitioni vita, moreſquè congruentes: cæteros autem cuiuſque modi artibus, inertijſq; affecti ſint, ſtultorum in numero deputauerim.* Et mox, *Nec, vt ita dicam, Dominus ſui facti ſtultus eſt exiſtimandus, cum eſt tanquam inſtrumentum, miniſteriumque ſapientis. quare ſi omnibus hominibus non peccare, quam peccare melius eſt, melius profecto omnes ſtulti viuerent* (licet ingenioſi, & cordati, vt ſupra dixit) *ſi ſerui poſſent eſſe ſapientum. Atque hoc, ſi in rebus minoribus, vt in mercando, & colendo agro, in vxore ducenda, in ſuſcipiendis, educandiſque liberis, in ipſa denique re familiari adminiſtranda.* (En dicit in quibuslibet obediendum infallibiliter ſapientibus) *expedire nemo ambigit, multo magis in religione.* (En

dicit & in hoc illis obediendum) *Nam & res humanæ promptiores ad dignoſcendum ſunt, quam diuinæ: & in quibuſcunque ſanctioribus, & præſtantioribus, quò maius obſequium, cultumque debemus, eò ſceleratius, periculoſiuſque erratur*. Hæc Sanctus peccare nos aſſerens, niſi obediamus ſapientibus in qualibet re adminiſtranda, ac multo magis in religione, quæ ſibi omnium rerum, ſcientiarum, artiumque vſus ſubordinat.

Tertio ſcribit, qui ſit infallibiliter ſapiens, qui nos omni in re Deo coniungat, & inquit hunc eſſe Chriſtum hominem ita ſcribens, *Quid potuit indulgentius & liberalius diuinitus fieri, quàm vt ipſa Dei ſincera, æterna, incommutabiliſque ſapientia, cui nos hærere oporteret, ſuſcipere hominem dignaretur?* Tandem concludit hanc ſapientiam, quoad cuncta humana regenda Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi communicatum, Et inquit. *Cum igitur tantum Dei auxilium, tantum profectum, fructumque videamus, nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede, per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Hinc idem lib. 1. de Moribus Eccleſiæ, ſingula quæque enumerans naturali lumini conformia, temporaliumq; adminiſtrationem iuxta Eccleſiæ præcepta ordinatam ſic ait, alloquens ipſam cap. 30. *Merito Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima non ſolum ipſum Deum, cuius adeptio vita eſt beatiſſima puriſsime, atque caſtiſsime colendum prædicas.* Et mox. *Sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, vt variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenes, quietè ſenes, prout cuiuſque non corporis tantum, ſed & animi ætas eſt, exerces, ac doces: Tu fœminas viris ſuis non ad explendam libidinem, ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem caſta, & fideli obedientia ſubijcis? Tu viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem ſexum, ſed ſinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam ſeruitute ſubiungis, patres filijs pia dominatione præponis; tu fratribus fratres, religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quam ſanguinis nectis; tu omnem generis propinquitatem, & affinitatis neceſsitudinem ſeruatis naturæ, voluntatiſque nexibus mutua caritate conſtringis. Tu Dominis ſeruos*

uos non tam conditionis neceſsitate, quam officij delectatione doces adhærere. Tu Dominos ſeruis ſummi Dei, ſcilicet communis Domini conſideratione placabiles, & ad conſulendum, quam coercendum propenſiores facis; Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorſus hominibus homines non tantum primorum parentum recordatione ſocietate, ſed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces Reges proſpicere populis, mones populos ſe ſubdere Regibus, quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reuerentia, quibus timor, quibus conſolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus diſciplina, quibus obiungatio, quibus ſupplicium ſedulo doces, oſtendens quemadmodum non omnibus omnia, & omnibus caritas, & nulli debeatur iniuria. Hæc Sanctus omnium naturalium, temporaliumque regimen ab Eccleſia pendere decernens.

Quam ſanctus ſit ordo Eccleſiaſticus, & quomodo non erret, in ſuis decretis. Sæcularis ab ordine Eccleſiaſtico præciſus eſt corruptæ naturæ. diſtinguuntur aliquot quæſtiones, ac medium formale opinionis noſtræ aperitur. Cap. IX.

POſtremò illud addemus; in omni quæſtione, & proinde in hac etiam conſiderari ea, de quibus agitur, iuxta naturam ſuam. quod ſi aliter in aliquibus, aut aliquando contingat, per accidens eſt, neque in conſiderationem venit, id apud omnes peritos eſt in confeſſo. Quocirca Eccleſiaſtica poteſtas, quæ eſt ſupernaturalis, ex natura ſua ſecum ducit omnem bonitatem, ſcientiam, poteſtatemque, quæ dari hominibus poſsit, quin immediatã cum Deo coniunctionem. atque Eccleſiaſticus, vt Eccleſiaſticus, non errat, veluti neq; medicus vt medicus, artifex vt artifex. Per accidens eſt, vt iſti errent, quatenus artifices, medicive non ſunt, artificium medicinamq; ignorãt; Sed temporalis vt temporalis, ſæcularis vt ſæcularis, naturalis vt naturalis, ſi disiungitur a ſupernaturali, protinus eſt corruptæ, ac vulneratæ naturæ, vt ſupra eſt demonſtratum.

Ne

Ne verò poſsit Eccleſiaſticus errare (licet aliquis erret) multis modis Deus cauit: Poſſentque hic innumera euenta proferri, è quibus colligeremus Deum prouidere, ne erretur ab aliquo, ac mirabiliter afferre, ſi quando erratum fuit, non modo remedia, quæ corrigant erratum, ſed afferant præſtantiora his, quibus aliquid imminutum videbatur, & attingimus aliqua libro 5. Ob id 1. Eccleſiaſticus ordo ſanctiſsimos, prudentiſsimos, ac doctiſsimos in omni doctrinam genere ſemper habuit atque habet. Etenim cum toto Orbe terrarum tot fuerint Reges, & Imperatores à mundi exordio, ſintque adhuc, mirabiliſsimum tamen ſit illud, ex iſtis neque fuiſſe, neque idcirco numerari tot ſanctos, quot è Pontificibus Romanis; cum tamen ſit vnus dumtaxat Pontifex Romanus in terris. Reges verò toto orbe terrarum termille pro vno Pontifice Romano. Quì fieri potuit igitur, vt per tot ſæcula, neque viginti Reges fuerint Sancti, cum tamen è Pontificibus Romanis fuerint ſeptuaginta, & plures poſt aſcenſionem Chriſti? Ex his porrò aſſerunt martyres 24. alij plures volunt. ex quo patet, nulli Epiſcoporum ſucceſsioni in vlla ciuitate tot Sanctos diuinitus datos, vt Sedi Romanæ, & tamen innumeræ ſunt Sedes. Sic igitur meritò cunctis illa præcellit. Eodem modo in qualibet Vrbe innumeri extiterunt Principes & Iudices; neque tamen ex his tot Sancti extiterunt, vt ex Epiſcoporum ſerie, cum nulla ſit paulo antiquior Epiſcoporum ſeries, quæ non oſtendat duos, tresve, aut multò plures Epiſcopos Sanctos: numerus porrò Epiſcoporum, qui Sancti fuerunt, eſt maior numero Sacerdotum, vel aliorum, qui ſpeciatim Religioni ſeſe addixerunt: nam pro vno Epiſcopo in vna vrbe plurimi ſunt Religioſi, ac Sacerdotes, ſeruata igitur numeri proportione in ſingulis Ciuitatibus comperiemus multo plures eſſe ex Epiſcopis Sanctos, quam è quolibet ordine. præſtiterunt autem ſingulis tum Pontifices ſummi, tum Epiſcopi charitate diuina in omnes, conſtantia tuendæ veritatis, prudentia, iuſtitia, fortitudine, temperãtia (ſine quibus neque hominum cœtus, neque vlla bona ſtare poſſunt,) quin omnium rerum peritia, vt ſigno de religione oſtendimus. reliqua conſtant è Martyrologijs Bedæ Angli, Vſuardi Galli, Adonis Germani, & alijs. & modo quinam gentes efferas ad humanitatem perducunt, niſi miſsi à Pontifice? qui inuicti aduerſus tot hæreſes, niſi ſucceſſores Petri? Vt igitur minus digni aliquando tantam Sedem tenuerint, meritò tamen hæc cunctis imperabit. Secundo datum eſt Eccleſiaſticis

ne

ne poſsint errare in vniuerſalibus fidei, morumque decretis, hinc 1.Timot.3. *Eccleſia Dei viui columna & firmamentum veritatis.* Id verò maximè proprium eſt Pontificis ſummi. Ad ipſum namque ſolum eſt dictum, *Paſce oues meas*, Matth. cap.vlt. ad nullos alios hoc vti ſingulos eſt dictum, ſed vt ad vniuerſos ſimul coniunctos cum ipſo. *Super ipſum ædificata eſt illa* Eccleſia, aduerſus quam *Portæ inferi non præualebunt*, Matth. cap.16. pro ipſo ſolo eumque ſequentibus Chriſtus rogauit, ne vnquam deficeret fides eius Luc.cap.22. Hinc SS. Cyprianus lib.3. Ep.3. *Ad Romanam fidem perfidia non habet acceſſum*, & Hieronymus cap.3. contra Ruffinum, *Præſtigias non admittit*; & Auguſtinus pſalm. contra partem Donati, *Neque illam vincunt inferorum portæ*, & Epiſcopi Africani ad Bonifacium Papam, *In ea ſemper extra maculam eſt Catholica ſeruata religio*, Et Bernardus ad Innocentium Papam, *Neque ibi poteſt fides ſentire defectum*. Hinc Apoſtolica Sedes vocatur *Immobilis fidei petra*. Tertullianus lib.4. aduerſus Marcionem, & lib. de præſcriptionibus S.Baſilius homilia de pænitentia. Ambroſius lib.2.cap.2. in Lucam. S. Thoma. opuſculo 20. lib.10. cap.3. S. Leo Ser mone tertio de aſſumptione. Hinc Concilium Chalcedonen. Epiſtola ad Leonem vocat eum *Caput Eccleſiæ*, & in Conſtantienſi damnatus eſt Ioannes Huſ. cap.15. qui Papã negabat eſſe Eccleſiæ caput, ſed latè hoc lib.2. cap.7. è S. Dionyſio, Ignatio, Irenæo, Cypriano, & aliis, hinc ſepè concilia, quæ alioquin vniuerſalia erant, errarunt; tredecim nos enumeramus lib.5. de Sign.Eccl. Dei cap.8. inſtar omnium ſit Epheſinum Concilium Prædatorium dictum ab ipſo ſummo Põtifice conuocatum, cui tres Orientes Patriarchæ adfuerunt, innumerique Epiſcopi, & aſſenſere omnes paucis exceptis, ac legatis Pontificiis, qui reſtitere, reſtitit ac reſcidit omnia S. Leo, Leonemque eſt ſequuta Synodus Chalcedonenſis. Tertiũ, ne Eccleſiaſti per accidens errent, eis dati ſunt impulſus diuini à charactere procedentes, quibus impelluntur ad cognoſcenda, & perficienda quæcunque ſunt iuſta. Quartũ pollicitus eſt Chriſtus in medio ſe ipſorum futurum, cum fuerint in nomine ipſius congregati, ne errent in rebus tranſigendus, vt colligimus è Matth. cap.18. ijs verbis. *Vbi fuerunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, vt declarant eo loco. SS. Chryſoſtomus. Hilarius, Hieronymus, Cyprianus de vnitate Eccleſiæ, Gregorius lib.7. Regiſtri cap.110. Concilium Chalcedonenſes epiſtola ad Leonem in fine

fine tertiæ actionis Sexta Synodus act. 17. Celeſtinus Epiſtola ad Epheſin. Concilium Toletan. 11.non procul ab initio,Cyrillus in expoſitione Symboli Nicæni circa principium Innoc. apud Gratianum diſt. 20. cap. de quibus.

Eſt igitur temporalis, ac naturalis proponere quomodo ſint res, naturalis ſcit ita eſſe,cum facta etiam prudentiſsimos fallant aiebat Neratius Iuriſconſultus l. 2. ff. de igno. Iur. Eccleſiaſticus verò ex altiſsima cauſa,ac ſenſu Domini, ex altiſsimis cauſis reuelatis decernet quid ageñ. leges bonas confirmabit,ac malas reijciet, quod egit in Gentilium Romanorumque legibus, alias pro varietate gentium decernet, easque Iuriſconſultis exequendas tradet,atque abipſius fine,ac poteſtate eſſentiali quoad actiones quaſlibet,vſumque,& dominiũ iuſtũ quarumlibet rerum pendebunt.primo quidem, quod ex eſſentia ſua tota quælibet magis facta ſint ob finem ſupernaturalem, quam propter ſe ipſa, atque ita poteſtas temporalis eſt ex ſua natura magis facta cum rebus ſuis omnibus, vt ſeruiat ſupernaturali, quam ſibi ipſi. Secundo natura humana coeſſentiali iure, & impetu ſic illum quærit, vt nullibi conquieſcat, niſi ordinata ad illum, quaſi ignis in Sphæram ſuam tendens, & quoties impeditur omnia concutiens, ac diſrũpens, vt eo dirigatur. Formalitas itaque, ex qua Eccleſia, ac per illam quilibet in ordine ſuo Eccleſiaſticus quoad perſonas, loca, & res,atque his ſeruientia, liberi ſunt, ſimulque omnibus humanis, terreniſque eo, quo dictum eſt modo,dominantur, eſt, quia ſunt ſupernaturales.ſupernaturalitas namque ex ſe ipſa habet, vt cunctis naturalibus, atque hinc dependentibus dominetur, quod acutè Ioannes Bacconus conſiderabat,vti ſuo loco dicetur, ſic locus ſupernaturalis, aut ſupernaturali ſeruiens, eodemque modo res,libera ſunt. Nam ſupernaturalis ſecum ducit omne bonum,potentiam,ſapientiamque, idcirco omnia dependent eſſentialiter ab illo, eſſentialiter ei ſubiiciuntur,libera ſunt cuncta illi ſeruientia vſque ad primum principium totam rem retexendo. Nam primò Deus elargitur humanæ naturæ quidquid boni habet ob merita Chriſti, & Eccleſiæ, fons omnium meritorũ Chriſtus, à quo per Eccleſiã dimanat omne meritũ,vel condigni,vel congrui, ex quo vel tpale vel naturale aliquid bonum,dñiumve iuſtũ habemus, ſicut enim per filium omnia *facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil*, ſic per Chriſtum hominẽ in ſecunda filij perſona ſubſiſtentẽ, ſidemque in illum ſtant cuncta, & conſeruantur ab interitu, ac perdi-

perditione vindicata ſunt, vindicantur, ac proteguntur. Fides hæc in Eccleſia Sancta eſt, in eius precibus, meritis & oblatione diuiniſsimi corporis, *De cuius plenitudine* nos indigniſsimi, beneficiorum tantorum, ac tot immemores, accipimus. ſecundo ratione eſſentialis ſubordinationis ex determinatione æterna, perpetuaque, & immobiliter affixa innataque vniuerſitati rerum, ex qua externa bona magis ſunt ob humanum corpus, quam propter ſe ipſa; ſed corpus, & bona corporis magis ſunt ob animum, quam propter ſe ipſa. Rurſus animus in ſtatu naturali conſideratus cum ſuis naturalibus bonis, eſt magis propter ſtatum animi ſupernaturalem, bonaque ſupernaturalia, quam propter ſeipſum, ſicut ſcriptum eſt, *Omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Supernaturalis porrò infimi characteris eſſentialiter ſubordinatur ſupernaturali ſuperioris characteris, quod vt benè aiebat S. Thomas, continet eminẽter inferiores, & altius attollitur, vt magis dominetur. tertio ſubordinatur eſſentialiter naturalis ob infallibilem diuinitatem veritatemque, quam Sancta Eccleſia dilargitur, & quam natura humana appetit; neque conſequi illam poteſt appetens ſine Eccleſia Sancta Matre noſtra, ac mundi Regina. Quarto denique ob appetitum non quemlibet naturæ humanæ, ſed coeſſentialem, ex quo numquam quieſcit, niſi vtcumque dirigatur in polum ſuum parturiens vnà cum tota vniuerſitate rerum, ſecumque tacitè gemitibus inenarrabilibus illud repetens, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*. Iugis eſt hic appetitus ineuitabilis. Sic igitur bona eſt hæc conſequentia, ſupernaturalis eſt, ergò eſt liber; ſupernaturalis eſt, ergò omnibus naturalibus dominatur, ſi loquamur de his, quibus eſt poteſtas iuriſdictionis. Seruit hæc res, aut perſona ſupernaturali, ergò non ſubiicitur naturali, aut ſupernaturali inferioris characteris. Et viciſsim liber eſt ab omni naturali poteſtate humana, ergò eſt ſupernaturalis. Ratio deducta à SS. Dionyſio Areopagita, Clemente Alexandrino, Thoma, Ægidioque, & aliis eſt. Nam ſicut tota natura, regimenque naturale cum ſuis naturalibus dependet per intermedias cauſas à ſupernaturali poteſtate Dei, & ab illa regitur, mouetque omnia, per ſuam liberam, independentem, ſupernaturalemque poteſtatem, & voluntatem in finem ſupernaturalem, Sic in regimine intellectuali, regimen intellectuale per intermedias cauſas dependet à ſupernaturali, ita tamen, vt natura humana recipiat influxum à Chriſto capite, damnati nullum recipiant

in-

influxum, ſed tamen coercéantur à ſupernaturali poteſtate, nam ſicut habent eſſe naturale à Deo, ſic eis remanet. Quamobrem ſic
Ar.XIII argumentamur. Omne naturale cũ ſuis rebus eſſentialiter dependet à ſupernaturali in regimine humano, quod quatuor ijs modis eſt explicatũ, ſed omnis humana poteſtas eſt naturalis, ergo eſſentialiter dependet à ſupernaturali in regimine humano. quod vero eſſentialiter dependet, eſſentialiter ſubiicitur, atq; ita, tum quilibet priuatus in quauis re agenda, tum Princeps obedire Eccleſiaſtico eſt obligatus, in ipſa etiam vi compulſiua. Quocirca optimè & acutiſsimè aiebat S. Thom. Eccleſia poſſet eximere ab omni Infidelium poteſtate Chriſtianos, non hoc agit ob ſcandalum. Similiter vult, vt multæ temporalium cauſæ deferantur ad Iudices ſæculares, quod idem Sanctus ſcripſit, quod ſuo loco dicetur, tùm vt ſæcularis poteſtas filiorum non diminuatur, ſed augeatur, gaudeantque ij benignitate Matris, tùm vt Eccleſiaſtici minus occupentur iſtis tricis; nihilominus vult aditum apertum cuilibet ſæculari ad Eccleſiaſtica Tribunalia iuxta l. Epiſcopale C. de Epiſcopali audientia. Idcirco Euangelicæ denunciationi locus datur in multis, vt notatur, cap. nouit. de iudic. Stat igitur, quod diximus hæc conſequentia: Supernaturalis eſt res, aut ſupernaturali ſpeciatim ſeruiens, ergò libera eſt à naturalium poteſtate; ſi ſecus fuerit decretum, per accidens eſt, quod eſt ad regulam ſuam, naturamque ſuam reuocandum, & ei ſubiiciendum. Atque hoc ſolo reſponſo ſupernaturalitatis cuncta obiecta diluuntur, quæ fiunt aduerſus Eccleſiaſticam libertatem, & poteſtatem, vt ſuprà eſt explicatum.

Verum, quò clariora fiant omnia diſtinguendæ ſunt à nobis aliquorũ ſententiæ, illudq; in primis: Pontifici prohibito non licet Imperia, Regna, Principatuſve ſæculares auferre, aut Magiſtratus ab eis poſitos deiicere, vel ſæcularium cauſas, quæ ad eos pertinẽt ad ſe aduocare, ac multo minus Epiſcopis quorum iuriſdictio tota eſt ab apice Pontificiæ iuriſdictionis, & propterea nõ ſunt aliorum temporalia ſubiecta eodem modo Pontificiæ poteſtati, quo loca immediate ſubiecta Apoſtolicæ Sedi, ſicuti non eodem modo ſubiecta eſt Deo terra, & cœlum. Nam proprius hoc à Deo influxum recipit, atque, vt ita dicamus, immediatius, quam terra, quod hæc ſcilicet in ſuis rebus generandis dependeat à pluribus cauſis.

Secundo à Pontificali, & Eccleſiaſtico dominio non tollitur dominium Regale, ciuile, & œconomicum, & proprium cuiuſli

bet priuati, aut Principis alicuius, ſed continentur vnum quodque ſecundum ſuam naturam vti à conſtituente, & perficiente illud; ſic ab anima intellectiua perficitur ſenſitiua, & vegetatiua, quæ tamen in Belluinam degenerant quatenus non ſeruiunt illi. Quamobrem Reſpublicæ, Regna, Principatusq; perficiuntur, ac promouẽtur in ſua natura eo ipſo, quod continentur ab Eccleſiaſtica poteſtate.

Hoc itaque contendunt meritò noſtra ætate Theologi multi, & ſcriptores; & in his doctrina, ac pietate Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus, cum quibus nos ſentimus. Veruntamen, quoad alios, in aliis quibuſdam ſecus dicendum nobis videtur cum ſanctis omnibus, cum maximis Theologis, & tota antiquitate.

Primo. Reſpublica humana non poteſt ad finem ſuum naturalẽ, qui eſt Deus, peruenire abſque Eccleſiaſtica ſupernaturali poteſtate, ità vt finis naturalis eſſentialiter dependeat à ſupernaturali ordinatione, poteſtasque à poteſtate, alioquin erit Belluina non humana, quod ſecundo libro explicatur. Quocirca nulla eſt poteſtas recta naturalis ijs, qui diſiunguntſe à ſupernaturali directione, natura enim vel numquam, vel rarò fruſtratur ſuo fine 2. Cœli tex. 59. 1. Cœli tex. 32. 3. de anima tex. 45. 46 naturale eſt illud, quod ineſt ſemper, aut plerumque. 2. Phyſici tex. 77.

Secundo. Imperia temporaliaque cuncta dominia iuſta dependent eſſentialiter ait Sanctus Thomas opuſc. 20. lib. 3. cap. 10. ab Eccleſiæ Sanctæ poteſtate ratione finis humani, qui eſt Deus, & ratione meriti, & Chriſti, cui data eſt omnis poteſtas; Vtique illa dantis.

Tertio. Eccleſiæ Sanctæ Matris noſtræ Chriſti Sponſæ ac mũdi Reginæ dñium directè, atq; eminẽter depta imperfectione cõtinet omnium dominia, tamquam dependentia, firmatq; non tollit illa. Nam decet eſſe in Eccleſia Dei Principes, Imperatores cum poteſtatibus ſui ei ſeruituros, ipſamque eſſe Reginam circumdatam varietate. Hanc opinionem videntur aliqui noſtræ ætatis Theologi aliquo modo amplexati, cum dixere ab Eccleſiaſtico Dominio contineri eminenter aliorum dominia. Quod ſi volunt dempta imperfectione contineri, ex hoc directè, veluti anima intellectiua continet eminenter ſenſitiuam, & vegetatiuam; vt, à denario continetur quinarium, quaternarium, ſimiliter à tetagrono trigonum, directè autem continebuntur, quia poteſtas Eccleſiaſtica vult actu quodlibet bonum temporale

finem-

finemque illius, vt conueniens fini ſupremo iubetque adeſſe iuxta ſtatum cuilibet conuenientem, voluntatemque diuinam.

Quarto. Eccleſia Sancta, Mater noſtra, Chriſti ſponſa, ac mundi Regina, cuius poteſtas vt in fonte eſt in Pontifice ſummo, poteſt quoties ordo vniuerſi, ſiue eius bonum, vel Dei ſuprema voluntas, bonumque diuinum, quod eſt omnium maxima cauſa, exigit, propria iura alterius in alterum transferre ſicuti Princeps ſecularis domus priuatorum deiicere ad vrbis ornatum, vel tributa imponere ob cauſam publicam, quæ in propoſito noſtro tradit Sanctus Thomas, vt eius verba referimus lib. 2. cap. 7.

Quinto. Poteſt hoc ex iuſta cauſa, licet nihil errarit is, à quo in alium iura transferuntur: Alioquin cum dederit Pontifex ius acquirendi Indias Caſtellanis, & Luſitanis, quod ius commune erat ijs cum qualibet natione, male egiſſent, (quod nemo poteſt dicere) Caſtellani, cum claſſes exterorum, vel loca ab iis occupata in Occidentalibus Indiis debellarunt non alio iure, niſi quod Pontifex eis aſsignarat ea ſecluſis aliis, atque omni iure priuatis, neque poſſent vetare aliis, cum vellent illa occupare; ſimiliter male Franci Gallias, Viſigothi Hiſpanias, Angli Britanias Imperio Romano contra omne fas ereptas retinuiſſent, & Rodulphus male fuiſſet electus Imperator ſecluſis, qui iure delecti erant. Alphonſo decimo Caſtellæ Rege, & Ricardo Cornubiæ comite. Sed veluti Rex, cum propter bonum commune aliquid aufert alicui, debet procurare, vt illi tantumdem, ſi fieri poteſt, è communi rependatur, quod Iuriſconſulti dixere l. venditor §. ſi contra ff. comm. præd. l. 2. C. pro quib. cau. ſerui. liber. Bart. Bald. l. omnes Populi de Iuſt. & Iur. Rol. conſ. 71. lib. 3. ſic, vbi fieri poſſet, ijs refundendum foret, quibus aliquid ablatum fuiſſet; ſin minus cuncta ſeruiunt bono diuino. Quin ſi aliquando ob crimen alicui regnū auferretur, cōuenit, vt ad alios propinquos benemeritæ cognationis merentes deferatur. ſicuti legimus regnum Dauidis ob merita ipſius Dauidis non fuiſſe ablatum poſteris eius, tandemque translatum fuiſſe in Chriſtum videmus. neque tamen dici poteſt, hæc poſſe Pontificem ſummum, ſiue Eccleſiam Sanctam, Epiſcoposque eius ad vitanda maiora mala, vel ad conſeruandam quietem. Sic enim liceret abſoluere quemuis latronem, quoties timeretur maius malum, vel perturbatio quietis. Quin maiores prædones magis eſſent abſoluendi, ac magis eſſent venia digni, quam minores; hi namque maiora mala efficere, & magis quietem perturbari poſſunt. Amplius remitteretur in terris, quod non remit-

titur in cælo, & clauis Eccleſiæ, non eſſet clauis cœli. Quamobrem tunc videntur ſummi Pontifices hæc egiſſe, quoties illi, qui occuparunt, re vera ſubditos populos magis ordinaturi erant in Deũ, quod natura humana in omnibus appetit, & ad quod cunctæ res ex intrinſeco principio naturæ habent, vt ordinentur; quod vt inanimata facere queant, ipſa ex intrinſeco principio non habeant; habent tamen ex illo, vt eorum natura id requirat, quod tota ad hoc ſint facta; & aliud agere, eſt totius vniuerſi compagem diruere, res ipſas ſuas diſperdere, quod eſt contra iura ſtatus. Quod ſi occupantes non ordinarent magis in Deum, non video quomodo poſſent eſſe tuti in conſcientia. Sed quando hæc poteſtas à ſolo Pontifice Summo deriuatur, idcirco eius eſt ordinare, quomodo poſsint, & quatenus huiuſmodi regna, & Principatus haberi.

Sexto. Supernaturalis poteſtas, ac libertas Eccleſiaſtica, quoad perſonas, loca, & res, incœpit cum mundo ipſo, cum Angelis, Adamo, Seth, poſteris eius, Noeque, & ſequentibus, & continuata eſt ſemper vſque ad nos, quamuis eam portæ inferi, vt vocant SS. Gregorius, ac Thomas expugnare ſint conati, vt oſtendimus late libro 6. coæua eſt igitur mundo, ac rebus ipſis innata; nam magis ob illam, quam ſe factæ ſunt.

Septimo. Reges, & Principes ſæculares non ſunt immediatè à Deo, ſed interuentu Eccleſiæ Sanctæ, Pontificumque eius ob eaſdem cauſas. Ideo non legimus à Deo Reges inſtitutos, niſi per Imperium, manumque Sacerdotis, qualis fuit Adamus, Noe cum poſteris, cæteriſque, de quibus libro 6. Rectè enim poſt alios Doctor irrefragabilis Alexander Halenſis Anglus, & Hugo cognomento Magiſter Saxo poſt omnes alios dixerunt; *Spiritualis poteſtas terrenam habet inſtituere, vt ſit & iudicare vtrum bona ſit.*

Octauo. Libertas locorum, rerum, ſeruientiumq; cultui diuino ex rei natura ſunt libera ab omni temporali poteſtate, idque iure naturali, ac primæuo, ſimiliter & libertas omnium ſeruientium, perſonis cultui diuino dedicatis, vt ſexto libro habetur. Quamobrem neque Pontifex ipſe ſummus iure ordinario poteſt Clericos ſubiicere Tribunalibus, & iuriſdictioni laicorum, quod ſuo loco dicetur.

Nono. Non licet ſæcularibus vllis Principibus iure naturali primæuo, ac diuino cognoſcere, aut diiudicare cauſas, & actiones vllas Eccleſiaſticorum, vel eis quidpiam præcipere, aut ſtatuere de vllis eorum rebus, licet per accidens aliter aliquando veluti

ab

ab Eccleſiaſticæ poteſtatis exequutoribus, id ab illis fieri contingat, vt libro quarto cap. 12. eſt dictum; euenire enim ſolet, vt Eccleſiaſtici obligentur ad bonum commune temporale, ſed ex vi rationis ab Eccleſiaſticis conſideratæ, vt cõſiderat Grazias tract. de vltimo fine 13. illatio num. 158. & 160. Purpurat. conſi. 335. num. 1. & 3. Vaſquius de ſucceſsionum creatione leg. 1. §. 10. num. 651. Bald. l. nemo. C. de ſent. & inter loq. Quamobrem, cum clericus ex natura ſua ſit euectus ob diuinum characterem diſpoſitionemue ad illum ſupra poteſtatem ſecularem, non poteſt ex vi poteſtatis huius ad aliquid cogi, ſimiliter cum ſit intellectus eiuſdē ob eumdem characterem, diſpoſitionemue ad illum euectus ſupra intellectum laicalis poteſtatis, non poteſt cogi ex vi rationis per eam conſideratæ ad aliquid cogi. canones tamen dant aliquando Laicali poteſtati, vt cogat, cum poteſtatis Eccleſiaſticæ copia non adeſt, attolluntq; ad vniuerſitatis ordinē conſeruandū Laicalem poteſtatem ſupra ſeipſam; veluti aqua quandoque attollitur in altum, ne vacuum detur; ſed veluti hæc reſidet, cum vacui cauſa ceſſat, eodem modo poteſtas laicalis ad ſemetipſam reuertitur; cum præſta fuerit Eccleſiaſtica poteſtas.

Decimo. Supernaturalis Eccleſiaſtica poteſtas, quoad temporalia cuncta, ac libertas quoad perſonas, loca, & res eſt iure naturali, ac diuino notiſsima, vel imperitis veris, vt ſer. 6. libro cap. 8. & infra confirmabitur.

Decimoprimo. Non licet vllo modo vel directè vel indirectè ſæcularibus Principibus vetare, aut efficere ne ſeculares ad Eccleſiaſtica Tribunalia, cum litigant etiam de rebus ſæcularibus accedant. Ex natura enim ſua poteſtas Eccleſiaſtica iudicat de omnibus, quod Arcadius, & Honorius viderant l. Epiſcopale C. de Epiſcopali audientia, definitumque eſt in Concilio Chartaginenſi 3. cap. 5. & habet S. Auguſtinus libell. de opere Monachorum, & S. Paolo 4. ad Cor 6.

Decimoſecundo. Non poteſt vllo iure ſæcularis Poteſtas prohibere Epiſcopis, ne ſatellites armatos habeant ad coercendos contumaces, puniendos Reos, quod adeò verum credidit Hieronymus Albanus, vt libro de poteſtate Eccleſiaſtica dixerit opinionem contrariam eſſe hæreticam. per accidens tamen ſtatui poteſt à Pontifice ſummo ad libitum, ne aliquis Epiſcopus habeat ad tempus.

Referuntur ſex tempora ab exordio mundi, creationeque Angelorum, è quibus conſtat ſupernaturalem poteſtatem cunctis naturalibus, ac temporalibus dominari, liberumque eſſe quoad perſonas, loca, & res ſuas. Cap. X.

CVm ſupremus omnium conditor, ac gubernator Deus cõſtituiſſet ex æterno ſingulis rebus largiri, vt eſſent, cõſtituit ſimul filium ſuũ, per quem cuncta agit diſponit ac regit, hominem futurum eſſe omnium Dominum, Regemq; ſummũ, vti hoĩem; à quo oĩa penderent, ac regerentur, qui occaſione ab Adami peccato ſumpta naſceretur alioquin naſciturus, omniaque ad perfectionem non modo naturalem, ſed etiam ſupernaturalem perduceret, atque in altiſsimo ſtatu collocaret. Sic enim Prouerbiorum cap. 10. habetur, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, Siue vt ſeptuaginta verterunt, *Dominus creauit me in initio viarũ ſuarũ*, Quæ verba referri ad filium hominem factum volunt Latini, & Græci, SS. Clemens Romanus lib. 5. Conſtitutionum cap. 19. Irenæus lib. 3, cap. 33. Athanaſius ſerm. 3, aduerſus Arianos, Gregorius Nazianzenus orat. 36. Cæſareus dialogo 2. Ambroſius primo de fide cap. 2. Nyſſenus de fide ad Simpliciũ, Hilarius 12. de Trinitate, Hieronymus lib. 2. in Michæam, & ad Epheſios cap. 2. Chryſoſtomus ſerm. de ſancta Trinitate. Epiphanius in Ancorato, & hæreſi 69. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Theſauri, cap. 4. & 8. Auguſtinus ſerm. 58. de verbis Domini, & lib. 1. de Trinitate cap. 12. & lib. 1. de nuptiis cap. 21. Concilium Hiſpalenſe ij. cap. 13. Fulgentius lib. ad obiectiones Arianorum in reſponſione ad tertiam. Idacius Clarus lib. contra Varimanum tom. 5. Bibliothecæ Sanctæ, Iuſtinianus ad Ioannem Papam citans Baſilium lib. 4. contra Eunomium, Damaſcenus libro quarto cap. 19. Rupertus libro 3. de gloria & honore filij hominis in Matthæum, & lib. 13. de gloria Trinitatis cap. 20. vbi inter alia ſcribit. *Religioſe eſt dicendum, reuerenterque eſt audiendum, quia propter hunc hominem gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.* Et infra,

Rectius dicitur non hominem pp Angelos, ſed Angelos quoque pp huc hominẽ factos eſſe, vt cætera omnia, & S. Auguſt. adducto ca. 12. de Trinitate lib. 1. *Secũdum formam,* inquit, *Dei ante omnes colles genuit me, ſecũdum formã ſerui Dominus creauit me initiũ viarũ ſuarum.* Quamobrem Galatinus lib. 7. de arcanis Religionis Chriſtianæ cap. 2. & 4. tradit communem eſſe Rabinorum ſententiam fuiſſe omnia creata à Deo ob amorem Meſsiæ; ac propterea Iſaiæ cap. 4. vocari *Germen*, & Pſal. 67. vocari *Fructũ* terræ, quia quemadmodum ſunt iſta finis, ac pulchritudo arboris, ita Meſsias vniuerſi totius: ſic ille. Hæc vero omnia cum ſæpius alibi Apoſtolus indicauit, tum vero ad Coloſſenſes cap. 1. inquiens de Chriſto; *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ,* imago pertinet ad diuinitatem, primogenitus ad hominem, vt interpretatur Concilium Sardicenſe Epiſtola ad omnes fideles, & deſumitur è Concilio Epheſino tomo primo cap. 4. & 5. & tomo quarto cap. 26. Sic etiam verba illa Apoſtoli exponunt SS. Hieronymus, & Anſelmus ibidem, Chryſoſtomus hom. 15. ad Romanos cap. 8. Nazianzenus orat. 43. Auguſtinus contra Epiſtolam fundamenti cap. 37. Quocirca idem Chryſoſtomus hom. 61. in Ioannem ſcribit à Patre cuncta effici ob gloriam filij. Hinc Irenæus adducto loco; *Propter hoc Lucas genealogiã, quæ eſt à generatione Domini noſtri vſque ad Adam texens, ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit finem coniungens initio; & ſignificans, quoniam ipſe eſt, qui omnes gentes exinde ab Adam diſperſas, & vniuerſas linguas, & generationes hominum cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt. Vnde & à Paulo typus futuri dictus eſt ipſe Adam, quoniam futuram circa filium Dei humani generis diſpoſitionem in ſemetipſum fabricator omnium verbum præformauerat prædeſtinante Deo primum animalem hominem, videlicet vt à ſpirituali ſaluarentur, cum præexiſteret ſaluans, oportebat, & quod ſaluaretur fieri, vti non vacuum ſit ſaluans.* Hæc Sanctus, qui & capite 30. *De ventre Dauid ſuſcitatur Rex æternus, qui recapitulat omnia in ſe.* Et ſequenti. *Et antiquam plaſmationem in ſe recapitulatus eſt.* Sic itaque Pater quemcumque agit, ac regit per filium; per eumdem filium hominem factum omnia recapitulat in ſe, qui deinde filius homo per humanitatem ſuam nobis in Euchariſtia coniunctam fide ſpirituque omnia conglutinante in ſe, Patremque omnia recapitulat miniſterio Clericorum, Sacerdotum, Epiſcoporum, Pontificis ſummi, qui eſt Eccleſiæ militantis caput in terris. Atq; hoc eſt, quod Chriſtus dixit Ioan. c. 13.

Nunc

Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, ſi Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo. Quæ declarans S. Ioannes Chryſoſtomus, ait, *Quomodo autem clarificauit per ſeipſum? omnia ad filij gloriam operatus. Atque omnia filius fecit.* Rurſus idem Chriſtus, Ioan. cap. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.* Et mox. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſumaui, quod dediſti mihi.* Et poſt. *Et ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Hæc Chriſtus dicens Apoſtolis à ſe eamdem claritatem datam, quam dedit ei Pater, poteſtatem omnis carnis, ob coniunctionem veram fidei, charitatiſque interuentu cum vero corpore ipſius, vt operis initio dicebamus. Eſt igitur Chriſtus mediator, per quem cuncta perficiuntur, ac modo ſuo diuinitati coniunguntur, Patrique, & ſibi, atque Eccleſiæ ſubiiciuntur.

Quocirca Eccleſiaſticæ poteſtatis, vel ſupernaturalis eſt immediate & infallibiliter nos coniungere cum Deo; ac proinde cum Chriſto, ſeu Chriſti corpore, *De cuius plenitudine nos omnes accipimus.* Et ideo vel implicitè, vel explicitè tam Angeli, quam homines Chriſto futuro homini ſe ſe ſubiecerunt, cum ſe ſe per gratiam Deo coniunxere, ſiue immobiliter, vt beati per eſſentiam videntes illum, ſiue mobiliter. Implicitè inquam, quia parati erant quibuſlibet ſe ſe ſubijcere, quibus Deus voluiſſet quacumq; in re. Sex autem temporibus conſtitit maximè ſupernaturalem, ſiue Eccleſiaſticam poteſtatem dominari omnibus tam temporalibus, quam naturalibus rebus, atque eſſe liberam quoad perſonas, loca, ac res, in omnibus ab omni alia poteſtate.

Primum tempus eſt in ipſo mundi exordio, eodem quo creatus eſt, momento. Nam cum Deus Angelos in gratia creaſſet, ſiue in ſupernaturali ſtatu, ordinibus nouem diſtinctos, ex his aliqui perſtiterunt in ſupernaturali directione, ei ſe ſe ſubiecerunt, eam ſicuti ſunt, immobiliterque Deo ſunt coniuncti eum per eſſentiam videntes, id aſſecutos ex fide Chriſti ſupra diximus e SS. Auguſtino, Fulgentio, Gregorio, Bernardo, Thoma, Ruperto, Laurentio, Iuſtiniano, Alberto Magno, & aliis.

Quidam vero in ordinatione ſupernaturali haud perſtiterunt, ſed conuerſi ad naturalia ſunt eiecti è cœlo, dominijque vſu omni in temporalia, detruſi ad infera, cap. 2. Petr. 2. Luc. cap. 10. S. Thomaſ. 1. q. 107. art. 16. & q. 109. art. 1. q. 62. art. 4. & 5.

Angelis vero qui ſupernaturalem directionem ſecuti ſunt, da-

tum eſt Regium in omnes ſenſibilium rerum ſpecies dominium, ſimulque dati ſunt Orbes cœlorum mouendi, atque hoc Angelis infimi ordinis. Sic enim S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum 76. q. *Vnaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam*. Et Damaſcenus lib. 2. cap. 4. *Diabolus erat ex his Angelicis virtutibus, quæ præerant terreſtri ordini*. Origenes in illud numerorum cap. 20. *Cum vidiſſet aſina Angelum*, ait, *opus eſt mundo Angelis, qui præſunt ſuper beſtias, & præſunt animalium natiuitati, & virgultorum, & plantationum, & cæterarum rerum incrementis*.

Ex his conſtat ab ipſo mundi initio Eccleſiaſticam, vel ſupernaturalem poteſtatem cunctis temporalibus, ac naturalibus Dominari, liberamque quoad perſonas, loca, & res; Angeli namq; ſunt Eccleſiæ partes, & fuere in via, militantque adhuc pro nobis, vt eſt ſupra dictum, Chriſtusque eſt eorum caput, ac licet ex his aliqui ſint, quantum ad naturam inferiores potentia, ſcientiaque proueniente à principijs naturæ, tamen imperant apoſtatis Angelis; ſed hi nullo vnquam modo, aut tempore imperant, aut imperarunt illis; ijdem rerum temporalium dominium conſecuti ſunt; quo vtuntur ad finem ſupernaturalem ſemper, hic namque eſt vniuerſaliſsimus omnia complectens; ordinando ſiquidem temporalia mortales inuitant ad bonum, vel deterrent à malo, puniunt, remunerant in illis homines, vt inducant ad gratiæ motus excipiendos, vel ne longius ab illa abſcedant, quod Caietanus bene aduertit 1. quæſt. 110. art. 1. Quocirca interdum ſinunt ea vaſtari à dæmonibus, & occupari; quoties homines, quibus ea ſeruiunt, id merentur, aut conuenit fini ſupernaturali, vt cum Iob percuſſus eſt ab illo, ignis è cœlo, ventusque in eius bona immiſſus. Quin Chriſtus ipſe aſportatus, ſic ipſo volente, ac permittente, ſupra montem, ac ſupra pinnaculum templi.

Loca tamen Angelorum propria cœli dicuntur, eò nullus eſt aditus dæmonibus. ea vocari templa oſtendimus libro ſexto. Templa enim ſunt loca, in quibus extraordinariæ, vel ſupernaturalis potentiæ, ſapientiæ, bonitatisque diuinæ effecta eduntur, non ſunt illa in parietibus, ac tecto. Idcirco, quoties Deus aliquo in loco alicui loquebatur, vel aliquid huiuſmodi extraordinarium Dei opus apparebat, habebatur pro Dei domo, ac templo. Hinc Geneſis cap. 8. Cum locutus eſſet Deus ad Noe, eo in loco Noe fabricatus eſt altare; & obtulit holocauſtum; ſimile egit Abraham cap. 12. & Iacob cap. 28. cum Deus illi dormienti apparuiſ-

ſet,ac locutus eſſet in ſomnis, dixit, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli*, Et mox vncto lapide, quem capiti ſuppoſuerat dormiturus, ait, *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*. Et cum Deus Moyſi apparuiſſet in rubo Exodi cap. 3. *Ne appropries*, inquit, *huc ſolue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra Sancta eſt.* Similiter cum Deus loqueretur in monte Sinai, iuſsi ſunt Hebræi procul ſtare, & ne montem tangerent, ne morerentur, Exodi cap. 19. *Cauete ne aſcendatis in montem nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem morte morietur*. Et Ioſue cap. 5. dictum Ioſue in loco, quo Deus illi apparuit, *Solue calciamentum tuum de pedibus tuis. locus in quo ſtas terra Sancta eſt*. Sic etiam Dauid templum Domino ædificauit, in quo illi Angelus apparuerat, vt habemus 1. Reg. vlt. Hoc verò & gentibus fuit commune, vt locum pro ſacro haberent, ac templo, in quo putaſſent Deum conſtitiſſe non ſolito modo. Virgilius lib. 8.

Iam tum Religio pauidos terrebat agreſtos
Dira loci, iam tum ſyluam, ſaxùmque tremebant
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
Quis Deus incertum eſt, habitat Deus.

Quin adhuc videmus homines ad ea loca colenda duci, in quibus effectum fuerit aliquod diuinæ potentiæ miraculum. Cœli ſunt igitur templa; quod in eis beatæ mentes, Deuſque, vt libris de cœlo ait Philoſophus, ab omnibus gentibus habitare dicatur, & maxime ſuæ poteſtatis opera efficere ibi conſtet. Reſpondent illa templis noſtris ob ambas cauſas. Quin tertio loco, in noſtris templis Angeli dicuntur habitare, & vnicuique altari adeſſe Angelus ſuus, hinc Dauid, *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, & adorabo ad templum ſanctum tuum.* Et conſtat ex illo Iacobi viſu Geneſeos. cap. 28. Quarto apparet hoc quia Chriſtus, ac tota ſcriptura ſacra appellat templum *Domum Dei*. Quinto, ſicut Chriſti corpus eſt ſupra omnes cœlos, illique Angelorum nouem chori miniſtrant, ſic templa noſtra referunt cœlum, verumque in ijs eſt Chriſti corpus per Euchariſtiam, nouemque illi ordines clericorum ducto à prima tonſura vſque ad Epiſcopum initio miniſtrantes aſsiſtunt; ac veluti per hos, & per illos Eccleſia ſpiritu vno coniuncta vere repræſentatur ſub vno capite, ac Rege Chriſto, Sic per templa noſtra cœli referuntur, illaque cœlorum tem-

pla his noſtris, ordineſque ordinibus eodem modo reſpondent, quin ipſa templa noſtra referunt ipſam Chriſti Eccleſiam, quæ ex hominibus, & Angelis conſtat, vt habemus e 1. Petri. cap. 2. S. Auguſtino in anniuerſario dedicationis inter ſermones de tempore ſer. 251. & in pſalmum 121. Quocirca quemadmodum cœli ſunt liberi ab omni temporalium, naturaliumque poteſtatum viribus, ſic templa hæc noſtra, ſi de iuſta poteſtate, iuſtoque dominio, non de poteſtate tenebrarum, dominioque dæmoniaco, ac belluino agatur. Ac ſicut illa corporibus cunctis præferuntur, dominantur; Ita hæc cunctis locis, ac domicilijs, vt ex omnium gentium conſenſu tum ſupra, tum ſexto libro conſtat, ac ratio perſuadet. Eodem modo, veluti cunctæ in terris rerum ſpecies ſunt ſub Angelorum Regio Dominio, neque in eas vel dæmon, vel vllus poteſt, niſi quatenus Angeli volunt, ac permittunt iuxta Dei leges, atque ordinationes æternas, quod ſcilicet illi ſupernaturali poteſtate præditi ac ſupernaturali ordinationi præſidentes eas regant, ita neque vlla vel naturalis, vel temporalis poteſtas aliquid iure poteſt in res & homines Eccleſiaſticæ, ac ſupernaturalis poteſtatis, quin nullas in res, niſi quatenus iuxta Dei leges, & ordinationes æternas Eccleſiaſtica, & ſupernaturalis poteſtas illarum interpres & promulgatrix permittit. A poteſtate enim ſupernaturali hoc deſcendit, non ab vlla alia poteſtate, alioquin dæmon iuxta vires naturæ eſt potentior Angelis inferioris ordinis, quibus horum gubernatio eſt commiſſa. Omnis namque ſupernaturalis poteſtas omnibus dominatur. Omnis Eccleſiaſtica eſt ſupernaturalis, omnibus itaque dominatur, vt aiebat Bacchonus, ac ſupra eſt deductum. Sunt porro Angeli partes Eccleſiæ Sanctæ, militant pro nobis, miniſtrant nobis, vt diximus, eorum caput Chriſtus. Ex hoc itaque tempore cœpit Eccleſiaſtica ac ſupernaturalis libertas, ac poteſtas eſſe libera, & omnibus dominari. atque ita creaturæ intellectuali eſt coæua. Comprobantur hæc omnia. Angeli namque participant Sacerdotium noſtrum. Primo, quia purgant, illuminant, ac perficiunt, vt habemus è S. Dionyſio, quem ſequuntur omnes. Secundo dicuntur idcirco Græcè ἱερεῖς Sacri, aut Sacerdotes. Hinc Hierarchiæ tam cœleſtes, quã noſtræ. Tertio, propter ordinationẽ ſupernaturalẽ ſteterunt, ac regnant. Quarto quodcumque eſt illorum Sacerdotium continetur, ac ſuperexceditur à noſtro, veluti prima tonſura ab ordine Epiſcopali. Ideoque & nos Angeli vocamur iuxta illud Malachiæ. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius requirent*

rent Angelus enim Domini exercituum eſt. Sic igitur Eccleſiaſtica poteſtas, ordoque ipſe Eccleſiaſticus, ipſo mundi initio dominari omnibus per Angelos cœpit. Noſtra autem multo magis inter homines iure dominabitur, quia multo maior eſt nobis poteſtas ſupernaturalis, ſacerdotiumq; perfectius, ob quæ illi dominãtur, nam iuſti dominij cauſa eminẽs eſt ſupernaturalis poteſtas.

Secundo; idcirco autem ſupernaturalis, atque Eccleſiaſtica poteſtas dominari cœpit per Angelos, quia vel implicite, vel explicite, vt multi Sanctorum Patrum volunt, (licet idem ſit quoad noſtrum propoſitum) ſe ſe Chriſto ſummo omnium Pontifici, ac Regi ſubiecerunt. Hinc ſequitur ſecundo, vt aſſecuti ſint hoc dominium ſupernaturale in omnia, tamquam Chriſti membra, ac partes Eccleſiæ Sanctæ. Ex quo fit tertio loco, vt nati fuerint, tamquam participantes ſacerdotium Chriſti, Ac proinde vltimo, vti participantes influxum ſacerdotij Chriſtiani, quod defluit à Chriſto totius Eccleſiæ capite hinc S. Thomaſ. in illud Ioannis. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, ſcilicet*, inquit, *omnes Apoſtoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iuſti, qui fuerunt, & erunt & etiam omnes Angeli*; Et infra. *quia plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.* & 3. quæſt. 7. art. 9. ait Chriſto datam gratiam, *vt vniuerſali principio, & vt eam ad alios tranſmittat*. & art. 11. inquit datam, *vt vniuerſali principio gratificationis in humana natura*. Quia ſcilicet humana eius natura eſt vniuerſale principium gratiarum. ob id S. Fulgentius lib. 2. ad Thraſamundum cap. 3. *Vna*, ait, *in vtroque* (homine, & Angelo) *gratia operata eſt; in hoc, vt ſurgeret; in illo, ne caderet*, hos vero ſequuntur alij, quos operis initio recẽſebimus. Verum quando nos ſumus eiuſdẽ cũ Chriſto naturæ maiori modo nobis eſt eius poteſtas cõicata, patet hoc, nam Chriſti corpus cõficimus, gratiãq; per ſacramenta infundimus quod Angelis non datur. Quidquid tñ ſit hac in re, militarunt Angeli, vt Eccleſiæ miltantis partes, Sacerdotiumq; Chriſti, & eius influxũ participantes, ob ordinationẽ, poteſtatemq; ſupernaturalem, fidemq; in Chriſtũ cunctis tẽporalibus, ac naturalibus dñantur dominio iuſto: q̃uis Deo permittente, atq; Angelis, Chriſtoq; iniuſtũ ſibi dominiũ, vel eius vſum ſibi Dæmon in terris, abuſumve potius per ſuos, quatenus abutuntur (cũ detur ad finem poteſtatemque, & ſtatum ſupernaturalem) vſurpat.

Secundum tempus eſt, cum fuit creatus Adamus eadem ſupernaturali poteſtate, ſiue gratia, & ordinatione ornatus, ita vt pri-

mo mentis actu totum ſe ſe cum rebus omnibus ſuis, ſuaque poſteritate Deo deuouerit ad omnia iuſſa ipſius paratiſsimus, & Imperium quodlibet, ex quo alteri ſubiiceretur, excipiendum promptus, atque adeo Chriſti naſcituri, quod multi volunt hoc ipſo momento fuiſſe illi diuinitus apertum, ſicuti fuit illi explicatum fore, vt ex ipſius corpore gloriam ſupernaturalem genus humanum conſequeretur, & Eccleſia conſtrueretur. Sic itaque duo diuerſis temporibus illi myſteria volunt clarè patefacta. Primum momento eodem, quo ſe ſe cum ſuis omnibus Deo, Chriſtoque homini ex ſe naſcituro ſubiecit, quod ab ipſo diſtinctè cognitum ſcribunt explicitèque, non implicite dumtaxat præſtitam fuiſſe Chriſto orituro obedientiam. Secundum, cum nouit ab eiuſdem Chriſti corpore corpora omnia gloriam ſupernaturalem conſecutura, illudque corporibus humanis in eumdem finem mirabiliter adiungendum. Ita Suarez Illuſtriſsimæ Societatis Ieſu ſcriptor egregius multis probat in tertiam ſancti Thomæ partem, quæſt. 1. art. 3. Verum ſiue explicitè, ſiue implicitè Chriſto homini ſe ſe primo illo mentis actu ſubiecerit; conuenit inter omnes omnino ſe ſe ſubieciſſe; & quod naturali iure ei debebatur Orbis Imperium non in effectu ſibi acquiſiuiſſe, niſi poſt hunc actum. Sic enim Primo legimus Eccleſiaſtici cap. decimotertio, *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum; & conuertit illum in ipſum, & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute. Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum, & volatilium.* Conſtat porrò è cap. 2. Geneſeos poſt hunc primum mentis actum fuiſſe adducta animalia, ad ipſum quaſi omnium Dominum, ſimulque ab eo nomina ſingulis impoſita fuiſſe. Neque prius vel illi ſoli; vel illi, & Euæ ſimul fuiſſe à Deo dictum, *Replete terram, ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram,* Niſi poſt hunc actum. ſic igitur ordinationem, poteſtatem, actumque ſupernaturalem ſequitur naturalis in omnia poteſtas. Hæc ab illa pendet; quod ſit omnino, vt diximus, ob illam facta, magis quàm ob ſemetipſam. Quod autem Secundo tum ex hoc actu, tum verò ſimul ex fide Chriſti datum fuerit, Adamo in effectu orbis Imperium, tum è dictis liquet, tum vero ex illis Pſalmi 8. verbis: *Domine, quid eſt homo, quia memor es eius, aut filius hominis quia viſitas eum? minuiſti eum paulo minus ab*

Angelis gloria & honore coronaſti eum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Quæ verba cum de Adamo & vniuerſa humana natura ſint dicta, à Dauide, in primis tamen ad Chriſtum ſpectant humanæ naturæ caput, vniuerſorum Dominum, & hæredem, ex cuius fide ſiue explicita, ſiue implicita Deus actum dominij naturalis Adamo in omnia dedit, ea porrò verba ad Chriſtum pertinere vult Apoſtolus ad Hebræos cap. 2. & Epheſ. 1. & 1. Corinth. 15. Tertio deinde hinc conſtat, quia conuenit inter omnes Theologos omnem gratiam, ſupernaturalemque ordinationem, & poteſtatem deriuari à plenitudine Chriſti, vt ſupra eſt dictum, Atque ab ipſo veluti capite cuncta dimanare, darique temporalia non ad alium finem niſi, vt gratiam nobis diuinam conciliemus, ſiue Deo coniungamur. Quarto inde etiam conſtat, ob huiuſmodi actum fuiſſe illi actum dominij naturalis datum, maximamque in omnia poteſtatem, quod ſimulatque ab hac ordinatione ſupernaturali receſsit, excidit ab illo ampliſsimi dominij iure, reusq; mortis eſt factus. quod apertè ait S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 18. hinc vates Pſalm. 48. *Homo cum in bonore eſſet non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quinto liquet etiam propoſitum. Non enim pœnam mortis cum tota ſua poſteritate potuit alio modo effugere, veniamque perpetrati delicti obtinere, niſi ex fide Chriſti, ac ſupernaturali in ipſum ſpe; vti dicemus. Non enim ſolùmmodo cognouit omnem ſpem beatitudinis adipiſcendæ in Chriſto collocandam, quod eo momento, quo creata eſt ipſius anima, multi Theologorum volunt ipſi clarè, ac diſtinctè fuiſſe patefactum, ſed poſt Euam fabricatam vidit etiam lumine ſupernaturali fore, vt Chriſtus ex ipſo naſceretur Dei filius, è cuius corpore, coniunctioneque humanorum corporum cum illo, animorumque cum animo (alioquin dixit Chriſtus, Ioannis capite ſexto, *Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt, qui viuificat.*) Tum noſtra, tum cuncta corpora, quæ ſeruierint illi immortalem, ſupernaturalemq; gloriam conſequerentur, quod colligimus, ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 5. vt exponunt SS. Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, hom. 10. Anſelmus aliiq; eo loco, Auguſtinus ſerm. de Natiu. & lib. 9. in Geneſim ad litteram, cap. 19. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. Epiphanius hæreſi 48. Leo Papa epiſt. 22. Proſper lib. 1: de promiſs. par. 1. cap. 1. Bernardus ſerm. 6. in Vigilia Natiuitatis Domini, Tertullianus lib. 5. contra Marcionē cap. 18. & 3. & de anima cap. 11. & 21.

Sciens

Sciens itaque Adamus in Chriſto venturo omnem ſpem collocandam, pendere illinc omne humani generis bonum, tota mentis deuotione ad illum confugit, ſeque, ac poſteros ſuos ab interitu, ac perditione ſeruauit; quod etiam diſcimus è Sap.cap.10. Ad ſummam non alia de cauſa Adamus in omnia conſecutus eſt actum Regalis,& apertiſsimi dominij,niſi quod Chriſto ſupernaturali ordinatione adhæſit.

Iam vero Adamum fuiſſe in ſtatu innocentiæ ſummum totius poſteritatis Sacerdotem colligimus è multis. Ac Primo, ait Apoſtolus Hebr. cap.5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Adamus autem poterat pro cunctis hominibus iure ſuo, ac poteſtate diuinitus tradita eſſe in ijs, quæ ſunt ad Deum; quin ſi qui peccaſſent offerre pro his dona, atque, vti videbimus, ſacrificia, ſummus itaque Pontifex erat. Secundo, vt dicemus, reuera inſtituit poſt admiſſum peccatum ſacrificia. Tertio. Sacerdotis eſt homines Deo, Chriſtoque homini, ſiue eius corpori per fidem, gratiamque coniungere; quod poterat Adamus non ſolum docendo, ſed iuſtitiam ſimul originalem tranſmittendo ad liberos; quæ nihil aliud erat, niſi maxima, ſupernaturaliſque hominum coniunctio cum Deo,& Chriſto. Quarto reuera inſtituiſſet Adamus, etiamſi nemo peccaſſet, modos, quibus non animo tantum, ſed etiam corpore, geſtibus, & compoſitione illius homines Deo ſeruiſſent,quique communes eſſent cunctis in vnum conuenientibus, non quod externis ſignis illi indiguiſſent, ſed quia neceſſe eſt hominem Deo ſeruire non mente tantum, ſed etiam corpore, ex vtroque enim conſtat, Deoque eſt ex totis viribus ſeruiendum; ſocietaſque communis exigit, vt in idem conſentiant homines maximéque in maximis & humanam ſocietatem colligantibus;qualis eſt Dei cultus vt ait S. Auguſtinus contra Fauſtum lib.19.cap.21. Quinto veriſimile eſt, in ſtatu innocentiæ fuiſſe aliqua dona offerenda, quibus homines cultum debitum Deo præſtarent omnibus in rebus, quas ab illo habebant. Nam quamdiu ſumus in via, in omnibus eſt obedientia Deo præſtanda; & cuncta, quibus vtimur ad cōparandam nobis Dei coniunctionē, ſpeciatim ſunt ab illo agnoſcenda, vt Domino; illiq; idcirco offerēda, quod in æterna patria non erit agendum: nulla enim tunc re vtemur, vt Deo coniungamur. Hæc namque eſt ratio, cauſaque oblationum, quod ait ſanctus Thomas 2. 2. quæſt.85.art. 1. hinc 1. Paralip. 29. *Tua ſunt*

omnia,

omnia,vt de his, quæ de ſua manu,accepimus,reddimus ſibi. Quod ſi volumus futura in eo ſtatu ſacramenta, vt placet Alberto 4. par. 1. memb. 2. art. 1. & non diſplicet Durando 1. quæſt. 1. art. 9. & Scoto q. 3. art. 3. multo magis dicetur ſummus Sacerdos Adamus.

Sed enim prius ab Adamo eſt editus actus Religioni, ſupernaturalique ordinationi ac poteſtati attributus; quam virtuti vlli pertinenti ad alia diſponenda, ac proinde argumenta illa, è quibus concluſimus ſupra ab Angelis participatum fuiſſe Chriſti, noſtrumque Sacerdotium, concludunt etiam fuiſſe ab Adamo idem participatum. quocirca non repetentur à nobis.

Loca porro Adami fuiſſe ab omni poteſtatis alterius iure libera conſtat. Nam liberum dicimus locum, è quo non poteſt aliquis educi, aut abſtrahi abſque eius, qui Dominus eſt loci illius, licentia, & maxime ad ſupplicium, & mortem. Sed è paradiſo nõ poterat vllo modo expelli Adamus, niſi à Deo, neque inde auelli ad vllum malum, neq; ingredi eò quidquam luctuoſum. fuiſſe vero locum ſacrum, templique inſtar dedicatum Deo, liquet ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, ea loca ſacra habita, in quibus Deus loqueretur, ac ſupernaturalia opera ſpeciatim conficerentur.

Tertium tempus eſt, ex quo Adamus eſt expulſus ob admiſſum crimen è Paradiſo. Ac tunc inſtituit Adamus cruenta ſacrificia, quibus Chriſti paſsio ſignificaretur, delerentur peccata, & Deus hominibus conciliaretur, quod docet S. Ioannes Chryſoſtomus in 4. caput Geneſeos, Caſsianus collatione 8. cap. 23. Hugo è S. Victore. S. Thomas 2. 2. quæſt. 85. art. 1. & 2. ac neceſſe eſt ita dicamus, cum legantur Abel, & Cain obtuliſſe Deo ſacrificia, quod non niſi à parente edocti effeciſſe creduntur. Cunctique Patres, ac Theologi volunt ijs ſignificatum fuiſſe Chriſti ſacrificium in Cruce, ob quod ſeruatus eſt Adamus. Hinc S. Thomas adducto loco ad ſecundum, ait, *Dicendum eſt, quod Adam, & Iſaac, ſicut & alij iuſti Deo ſacrificium obtulerunt, ſecundum ſui temporis congruentiam, vt patet per Gregorium lib. 4. Moralium cap. 2. qui dicit, quod apud antiquos per ſacrificiorum oblationes remittebatur pueris peccatum originale. non tamen de omnibus iuſtorum ſacrificijs fit mentio in ſcriptura, ſed ſolum de illis, circa quæ accidit aliquid ſpeciale, poteſt tamen eſſe ratio, quare Adã non legitur ſacrificium obtuliſſe, ne, quæ in ipſo notatur origo peccati, ſimul etiam in eo origo ſanctificationis ſignificaretur.* Secundo autem loco ob eaſdem cauſas, quas ſupra commemorauimus, dicendus eſt idem fuiſſe generis humani ſummus Sacerdos, quas, quan-

quando ſuperuacaneum foret, non repetemus.

Verum rerum naturaliũ, & tpalium dominiam, illorũq; vſum pendere oĩno à ſupernaturali ordinatione hinc patet. Primo nãq; lex data eſt Adamo ſupernaturalis, ideſt, nil habens, quod lumen naturale vetaret, ne pomum ederet, adiecta interitus pœna; ob eam violatam, pulſus eſt è paradiſo, conſuetamq; illi obedientiam cuncta denegarunt, quaſi detorta à fine in quem facta erant. Secundo tamẽ, ob fidẽ in Chriſtũ meruit ab interitu protinus merito liberari. Tertio ob eãdẽ ſupernaturalẽ fidẽ meruit retinere totius orbis Imperiũ per annos nongẽtos triginta, hinc Sap. cap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarũ, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit & eduxit illum è delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Græcè eſt, ἔδωκεν ἰσχὺν ἁπάντων; ideſt, ſapientia filij, qui futurus erat homo, & cui fidit Adamus ipſum liberauit à delicto, & morte, vim dans imperãdi oĩbus. Quarto cum naturalia, temporaliaq; tota facta ſint omnino, ac directiſſime ob finẽ ſupernaturalẽ; quin perpetuo gubernationis tenore à ſapientia diuina, & Angelis diſponantur in eũdem, retinuit Adamus eatenus in illa vſum dominij, quatenus fidem in Chriſtum, directionemq; ſupernaturalẽ; ſed quatenus non retinuit, cuncta ſe ab illo abiunxerunt, quaſi rupto illo ordine; de quo ſupra S. Auguſtinus; vel rupta, ac debilitata concathenatione, de qua S. Ambroſius, & Clemens Alexandrinus, vel dominij attenuato defluxu per fidem Chriſti cælitus in nos delabente, vt loquuntur SS. Dionyſius, Clemens Alexandrinus, Thomas, Aegidius, aliique multi, idq; ob ſuperbiam, qua noluit Adam ſubeſſe ſupernaturali legi, vt volunt SS. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius, Damaſcenus, Bernardus, Thomas 2.2. quæſt. 163. Quinto, cum Cain primogenitus occidis Abel & fratrem ſuum, reiectus eſt à Sacerdotij Principatu, qui alioquin ad eum veluti primogenitum pertinuiſſet. Nam ſacrificia in lege naturæ offerre pro tota familia, vel ad parentem familiæ ſpectabat, vel ad primogenitum, ſic pro toto populo ad eum, qui totius populi hac in re Princeps erat, (fuiſſe autem ſemper eundem ſummum Sacerdotem ſimul, & Regem mox aperiemus) veruntamen excludebantur, vel tota vita ſua, vel aliquo tempore, duo genera hominum vel cæde aliqua polluti, vel libidine, vt ſexto libro aperietur. Quocirca Cain ob fratricidium commiſſum, neque totius generis humani ſacerdos, neque Rex fuit poſt Adami parentis obitum. Principatum ſummum, Sacerdotiumque tenuit tertio loco genitus Seth, vt è Sancti Auguſtini

guſtini, Chryſoſtomi, Theodoreti, Caſsiani auctoritate, Chaldaica, Hæbraicaque interpretatione docemur libri ſexto capite ſecundo. E quibus habemus annexam ſemper fuiſſe poteſtati ſupernaturali, vel Sacerdotio, vero, ac diuino omnem Regiam poteſtatem. Nam Cain excluſus á ſummo Sacerdotio, ſimul etiam fuit á ſummo temporalium Principatu excluſus. quin ob hoc tota eius poſteritas vſque ad Noe, qui genus duxit a Seth, vt deducimus adducti libri capite eodem. Quamobrem poſt annos nongentos, ac triginta quibus Adam ſummus omnium Sacerdos, Rex, & parens omnia tam temporalia, quam ſpiritualia gubernauit, hi ſummam rerum omnium poſt eius obitum tenuerunt, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Iared, Enoch, Mathuſala, Lamech, per annos ab ortu mundi mille ſexcentos quinquaginta ſex. tot enim rectè a noſtris numeratur vſq; ad obitum Lamech, qui Noe pater fuit. Hoc defuncto contigit diluuium. Sic igitur ſupernaturalem poteſtatem ſemper eſt ſecuta omnium temporalium Regia poteſtas; penes Eccleſiam Sanctam, Mundi Reginam, Chriſtique ſponſam reſidens; á Chriſti fide incipiens Adamo impreſſa vſque ad Noë. quamobrem ſic Epiphanius initio Panarij ſui. *Vbi vixiſſet (*Adam*) annos nongentos triginta naturæ debitum exoluit. Huius filius fuit Seth, huius vero Enos, & per ſucceſsionem Cainan, Malalael, Iared. (*Hic eſt ab Adamo ſextus*) Quemadmodum autem traditio habet, quæ ad nos deuenit, hinc incepit fraus in mundo fieri, & ab initio quidem per inobedientiam ipſius Adam, deinde per ipſum Cain parricidium. Nunc autem in temporibus Iared & vltra, veneficium, incantatio, petulantia, adulterium, & iniuſtitia. Non opinio aliqua alia, non doctrina immutata, ſed vna lingua, vnum genus in terra illo tempore diſperſum. Huic Iared naſcitur filius nomine Enoch, qui complacuit Deo, & non reperiebatur: tranſtulit enim ipſum Deus, & non vidit mortem; Enoch autem genuit Mathuſala, Mathuſala Lamech, Lamech Noe.* Et mox. *Sicut nunc eſt fides, quæ in ſancta Catholica Eccleſia verſatur, quæ ab initio fuit, & poſtea reuelata eſt. Si quis enim pro veritatis ſtudio expendere velit, Sancta, & Catholica Eccleſia principium omnium eſt (*nota hæc verba*) Ex hoc nimirum ſcopo. Adam protoplaſtus formatus eſt, non circumciſus, ſed carne præputium habens. Non autem erat Idololatra, & nouit Patrem, Deum, & Filium, & Spiritum ſanctum, Propheta enim erat. Itaque cum non haberet circumciſionem, non erat Iudæus: & cum ſimulacra non adoraret, aut aliquid aliud,*

non

non erat Idololatra Propheta enim erat Adam, & nouit, quod Pater dixit Filio, faciamus hominem, quid igitur erat? neque circumciſionem habens, neque ſimulacra colens, ſed Chriſtianiſmi formã oſtendens. Sic etiam de Abel, & de Seth, & de Enos, & de Enoch, & de Mathuſala, & de Noe, & Heber vſque ad Abraham accipiendum eſt. Hæc Sanctus aſſerens Eccleſiam Sanctam Chriſtianiſmi ob Chriſti ſcilicet fidem toti humano generi imperaſſe vſq; ad Abrahamum. Sed in hac Eccleſia Sanctã poſteritas Seth, quæ ſeruata eſt in Noe, tum Sacerdotium ſummum, tum vero Regiã poteſtatem ſemper obtinuit, vt libri ſexti capite ſecundo aperimus, atque ex his quæ diſſerimus hic, ac mox diſſeremus facile colligi poteſt. Declarat autem ſanctus Epiphanius libri ſecundi, tomo ſecundo aduerſus hæreſim ſexageſimam ſextam, cum diſputat aduerſus dogmata Manichæorum non longe poſt medium, Chriſti fidem fuiſſe in cauſa, vt poſteritas Seth, ac Noe regnaret, à quo deinde Noe diuiſus eſt filiis totus orbis terrarum, quod mox ex eodem conſtabit; & ait, *Quandoquidem ab origine prima erat lux lucens (Dei filius, ſplendor paternæ gloriæ, homo futurus) velut ſcintilla in lege naturæ, quam vbi conſpexit Enoch, complacuit Domino; per quam deductus Abel complacuit Domino; per quam inuenit Noe gratiam coram Deo cognita via, per quã Abraham credidit Deo.* Hæc ille.

Ad ſummam vixit, ac regnauit Adam per annos nongentos triginta ſummus per fidem Chriſti Sacerdos, ac totius orbis Rex, quod è Sapientiæ cap. 11. habemus. Ab eius obitu ad diluuium numerantur anni ſeptingenti viginti ſex, quibus ex ordine imperarunt Seth, eiusque liberi vſque ad Lamech ab Adamo nonum, quo defuncto Diluuium terras, & omne hominum genus vaſtauit ſuperſtite ipſius filio Noe, qui ab Adamo eſt decimus ſupernaturalis fidei, directionisque hæres.

Iam vero, vt ſuperiora adhuc clariora fiant, conſtant ex hoc etiam tempore loca etiam ſacra, & ſeruientia ſupernaturali poteſtati fuiſſe libera. neque illhinc quiſquam licet mortis reus potuiſſe abripi ad ſupplicium, niſi ipſo Deo volente, atque edicente. Nam Deus ipſe expulit è loco in quo habitabat Adamus homicidam Cain, qui videns ſe inde expelli, cum ſciret ſe ibi lumine naturali dictante ſecurum dixit, *Ecce eÿcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Probauimus autem ſupra late loca, in quibus aliquem Deus alloquebatur habita pro

templis

tẽplis fuiſſe. Atq; ita locus, in quo tunc habitabat Adã cum ſuis, & in quo Deus eſt allocutus Cain, dicẽtẽ, *Omnis, qui inuenerit me, occidit me*, vt diximus, erat loco tẽpli. extruſusq; inde Cain protinus agnouit ſe è loco tuto extrudi ad ſuppliciũ, cuius erat reus, in quẽ nulli erat poteſtas, niſi ſupernaturaliũ Directori. hinc à ſolo Deo pulſus. comprobantur hæc ex interpretatione Hebraica, Chaldaicaque, & auctoritate Sanctorum, quæ libri ſexti cap. 2. habentur. Quin ipſum nullo loco futurum, neque vllibi certas habiturum ſedes, edixit Deus inquiens, *Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos, vagus, & profugus eris ſuper terram.* Hæc Deus omnibus prope temporalibus bonis Cainum primogenitum nudans, quem & multi volunt à Lamech abnepote fuiſſe occiſum. Sic enim Hieronymus epiſt. 125. ad Damaſum. *Maiorum*, inquit, *noſtrorum iſta ſententia eſt, quod putent in ſeptima generatione à Lamech interfectum Cain.* Cui ſubſcribit S. Ambroſius lib. 2. cap. 10. *Longæuitas vitæ indulta, vindicta eſt, eo quod vixit in metu, & prolixum ſpatium multo cucurrit, & infructuoſo labore, qua pœna nihil grauius, quàm vt ipſe ſibi maiorum cauſa pœnarum ſit.* Poſteritatem porro Lamech, Cainique ipſius mechanicis artibus externiſque addictam fuiſſe cognoſcimus è cap. 4. Geneſeos. Sicuti è ſexto habemus poſteritatẽ Seth dominatam, cum dicitur *Filij Dei, filias hominum*. Nam filios Dei volunt eſſe eo loco liberos, ac nepotes Seth, eoſdemq; Principes, Sacerdotes, ac Iudices, vt eius libri loco adducto oſtendimus è SS. Chryſoſtomo, Auguſtino, Theodoreto, Caſsiano, hinc Tho. 1. quæſt. 51. art. 3. ad ſextum argumentum, *Per filios Dei intelliguntur filij Seth, qui boni erant, filias autem hominum nominat ſcriptura eas, quæ nata erant de ſtirpe Cain.*

Ex his itaque apparet ab ipſius mundi creatione vſque ad ipſum Diluuium fuiſſe eumdem ſummum Sacerdotem, & Regem, hunc autem ſupernaturali poteſtate præditum, atque ex Eccleſia Dei, Chriſtique, locaque huic ſeruientia fuiſſe libera ab omni omnium poteſtate, & dominio; ſi de legitima, & iuſta poteſtate, legitimoque eſt iuſto dominio, agamus. neque enim poteſt, vt diximus, lumen naturale actiones noſtras, leges noſtras, poteſtatem noſtram perficere in genere ſuo, licet aliquid in genere ſuo perficere de aliquorum ſententia poſsit. Natura quippe humana ſemetipſam ſuis viribus perficere haud poteſt in actionibus, legibus, ac poteſtate ſua, niſi ſubiiciat ſe ſupernaturali poteſtati, ac dire-

directioni, quò Deus naturæ auctor, ac motor illam mouet, vt eam per hominem ſubſiſtentem in ſecunda perſona reducat in ſemetipſum, reducat ad potentiam paternam, ad patrem fontem Trinitatis finemque, & poteſtatem ſupernaturalem, cuius inter creaturas caput eſt Chriſtus, cui potētiæ Epiſcopos S. Athanaſius configurari ait & S. Ignatius formam tenere patris omnium, quibus idem dicentes multi ſubſcribunt, vti apparebit.

Quintum tempus eſt, cum Noe diſtribuit orbem terrarum liberis ſuis, ac ſeptuaginta duabus eorum familiis adiecto iureiurando, vt puram religionem ſeruarent, terminosque ſortium, & diuiſionis haud violarent. Hinc S. Epiphanius adducto loco diſputans aduerſus Manichæos, ait, *Qui dicit*, Deus, *non concupiſces, quomodo dedit ipſis* (Iudæis) *aliena? & nouit idiota ille* (Manes) *quod propriam ſuam terram* (Iudæi prognati & ſtirpe Seth) *receperunt abreptam ab ipſis, & punita ſunt, quæ facta ſunt inter ipſos mutuo conſtituto termino veritatis, & iureiurando. Noe enim ſeruatus à Diluuio, eiusque coniux cum tribus filijs, totidemque filiabus, ſolus diuidens totum mūdum tribus filijs ſuis Sem, Cham, & Iaphet diuiſit iacta ſorte in Rhinocoturis, velut etiam conſequentia habet, & nihil eſt vanum, neque adulteratum. Rhinocotura enim interpretari queas Neel, & ſic natura indigenæ ipſam vocant. Ex Hebraica vero lingua ſignificat ſortes. quandoquidem Noe illic miſit ſortes tribus filijs ſuis.* Hæc Sanctus, E quibus apparet, Noe, qui ſummus tunc erat Sacerdos, tanquam totius Orbis monarcham liberis ſuis orbem terrarum diuiſiſſe. immiſſum porro fuiſſe diluuium, quod ſupernaturali poteſtati non obediretur, fides illi non haberetur, cum poteſtas omnis, ac dominium, poteſtasque omnium naturalium, temporaliumque in hunc finem detur, vt poteſtati, ac dominio ſupernaturali in ſingulis quibuſq; ſeruiat, ac ſubiiciatur, oſtendit idem Sanctus initio Panarij ſic ſcribens, vt ſupra etiam protulimus eius verba, *Sancta, & Catholica Eccleſia principium omnium eſt, ex hoc nimirum ſcopo. Adam protoplaſtus formatus eſt, non circumciſus, ſed carne præputium habens. non autem erat Idololatra, & nouit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Propheta enim erat*, Et mox de eodem Adamo loquens, *erat Chriſtianiſmi formam oſtendens. Sic etiam de Abel, & Seth, & de Enos, & de Enoch, & de Mathuſala, & de Noe, & Heber vſque ad Abraham accipiendum eſt. operabatur autem tunc & pietas, & impietas, fides, & incredulitas: fides quidem Chriſtianiſmi imaginem obtinens, incredulitas autem impietatis,*

pietatis, & iniquitatis formam exhibens contraria legi naturæ, vſque ad præiudicatum tempus. Hæc Sanctus, Quæ oportuit repetiiſſe, vt ſciamus idcirco ereptum fuiſſe per aquas diluuij dominium, poteſtatemq; in omnia naturalia, temporaliaq; viuentibus; quod non ordinarent illa in finem ſupernaturalem, non ſubiicerent ſupernaturali ordinationi, cuius eſt princeps Chriſtus,& eius ſponſa Eccleſia Sancta mundi Regina: ſicuti etiam Dæmonibus fuit vſus eorum ereptus, dataque omnium Regia poteſtas Angelis Sanctis ob eamdem cauſam; atque, vti in tertio tempore eſt dictum,fuit Adami imminuta poteſtas, dominiumque in omnia, quod ab eadem ſupernaturali ordinatione abſceſſit ſupernaturale præceptum violans, faciens contra propriam fidem, præceptumque ei à Deo datum. Sed probemus adhuc teſtimoniis diuinæ Scripturæ idcirco fuiſſe mortalibus vitam,temporaliumque vſum per aquas diluuij ablatum, quod ſupernaturali ordinationi non audirent. Sic enim Sanctus Petrus 1.cap.3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. In quo & his, qui in carcere erant ſpiritu prædicauit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Hæc S. Petrus. Idcirco immiſſas aquas explicans, quod obeditum non fuerit Noe ſupernaturali directori, ob quam cauſam vult à Chriſto, cum deſcendit ad inferos, exprobatam fuiſſe damnatis incredulitatem, tum quia ſupernaturale erat, quod prædicabat, nempe aquas vniuerſalis diluuij futuras, tum quia ſupernaturalis ipſe erat director, & ſummus omnium Sacerdos, neque ad præcepta ſolummodo lumini naturali conformia genus humanum reuocabat, ſed imprimis ad ſupernaturalia, ſupernaturaliſque poteſtatis, & Chriſti venturi obedientiam; nam propterea ſpeciatim Chriſtus his prædicauit. Confirmantur hæc apertè ab ipſo Baruch cap.3. loquente de multis nationibus, quæ ſapientiã naturali lumine acquiſitã profitebantur. *Viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius.* Mox oſtendens hanc eſſe ſupernaturalem ſubiicit. *O Iſrael, quæ magna eſt domus Domini, & quam ingens locus poſſeſſionis eius; magnus & non habet finem; excelſus, & immenſus.* Deinde oſtendit gigantes illos, ſubmerſos aquis diluuij, de quibus habetur Geneſis cap.6. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis,poſtquã enim ingreſſi ſunt filij Dei,ad filias hominum, illaque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi,*

Additq; idem vates, *Ibi fuerunt gigantes nominati, qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum. non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, & quia non habuerunt ſapientiam* (ſupernaturalem) *interierunt propter ſuam inſipientiam. quis aſcendit in cœlum, & accepit eam?* Poſtremo vt concludat eam ſitam in Deo, qui factus eſt homo ait. *Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ.* (neque igitur excipitur naturalis, quod hæc eſſentialiter pendeat ab illa) *& tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo*. Sed quinam Deus iſte? *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*: En igitur, vt ob abiectam, vel aliquo modo reiectam ſapientiam Chriſti hominis ſupernaturalem, ordinationem, poteſtatemque immiſſum fuerit diluuium, cunctis hominibus ablata omnis oīum naturaliũ poteſtas, quæ eſſentialiter à ſupernaturali (modo ſupra dicto) pendet, neque diuidi ab ea poteſt. Eodem reſpexit Iob, cum dixit cap. 26. *Cui dediſti conſilium? forſitan illi, qui non habet ſapientiam? quem docere voluiſti? nonne eum, qui fecit ſpiramen tum? ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* Hæc Iob aperte aſſerens non alia de cauſa fuiſſe à diluuio merſum genus humanũ, cũcta vaſtata, niſi quod ab illo ſupernaturali ſapiẽtia fuiſſet contempta; illa, inquam, quæ, vt ait Baruch, *poſt hæc*, cũ induit hominem verum, *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*; illo, inquam, Chriſto, qui idcirco deſcendens ad infera, *Prædicauit ijs, qui in carcere erant*, exprobans illis incredulitatem. Sic igitur, vt apparet, iterum poſt Adami caſum, temporalium, naturaliumque bonorum, vel dominium, vel eius vſum mortales amiſere diluuio ſubmerſi. Nam cum tota omnino, ac directiſsimè facta ſint, vti diximus, ob finem ſupernaturalem, perpetuoque ordinationis iure ijs inexiſtente, ac præſidente à ſapientia diuina, & Angelis ad illum dirigantur, quoties homo ab eo ſe fine diſiungit, ab eo fine vſum, dominiumve temporalium, vel naturalium abiungit, protinus rumpit ordinem illum, à quo diſputans aduerſus Manichæos aiebat S. Auguſtinus ſupra adductus eſt eſſe, percutit eſſentiam rerũ, frangit illam totius vniuerſi concathenationem à firmamẽto, inquit S. Ambroſius, vt diximus operis initio, deſcẽdentem, de qua Clemens, vt videbimus Stromatum lib. 6. extenuat illum dominij diuini, diuinæque largitatis, vt loquuntur SS. Dionyſius, Thomas, Ægidius, aliique multi defluxũ cælitus promanantem à Chriſto hærede vniuerſorum, cuius

ius pedibus omnia ſunt ſubiecta, propter quem omnia, à Chriſto, inquam, ſic enim Pater conſtituit ex æterno, promanantem, per Eccleſiam ſponſam, mundi Reginam, cuius tunc in terris Princeps erat Noe. Quocirca ad eum veluti ſupernaturalis ordinationis Pontificem ſummum, Regemque orbis ab eadem diuina prouidentia nihil non temporale in terris bonum poſt aquas diluuij reuocatum fuit. Is orbem terrarum Pontifex, ac Rex ſupremus liberis ſuis eſt partitus. Hinc ad eum, liberosque ipſius eum ſecutos dixit Deus, ex quo Chriſtum reſpiciens, ex arca egreſſus attigens terras, obtulit ſacrificia cruenta, *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram; omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt; & omne, quod mouetur, & viuit.*

Igitur cum Noe diſtribuiſſet orbem terrarum liberis ſuis, venturique Chriſti doctrinam, ritus, ac fidem ijs tradidiſſet, quod è multis Sybillarum prædictionibus, Zoroaſtris, aliorumque libris, & traditione apparet, id obſeruatum fuit apud omnes gentes, vt idem Sacerdos ſummus, ac Rex foret. Ad tantum vero Principatum non niſi Heroes deligebantur, ideſt, qui ſupernaturalibus impulſibus à Deo mouerētur, vt ſupra diximus, ac libro ſexto repetetur, ita vt nemini dubium poſſit eſſe, apud omnes gentes confuſam quandam ſupernaturalium notitiam permanſiſſe, quando & Patres, & reliqui omnes Theologi velint, ſine circumciſione eas æternam beatitudinem potuiſſe adipiſci, ac re vera ex ijs aliqui ſint adepti. Quod vero gentes ſummum Sacerdotium, regnumque ad Heroas, quos ſupernaturalium participes exiſtimabant ob accepta ab ijs beneficia deferrent, teſtis eſt grauiſsimus auctor Peripateticæ Philoſophiæ Princeps, qui ſic Politico tertio. *Quarta ſpecies regni eſt, qualis erat Heroicis temporibus ſpontanea ſecundum morem, & legem: propter beneficia enim à Principibus collata in populis, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel propter acquiſitionem regionis delatum fuit de populorum voluntate Regnum eis, & ſucceſſoribus; id erat ſecundum morem. Hi & Imperium habebant belli, & rei diuinæ cultum exhibebant, niſi talia eſſent ſacrificia, quæ Sacerdotium ſolum requirerent; Præterea de controuerſijs iudicabant; & hoc faciebant alij iureiurando præſtito, alij ſine iureiurando. erat autem illis iuſiurandum per ſceptri eleuationem. Veteres igitur illi Reges antiquis temporibus ciuitates, & gentes, & nationes exter-*

nas continuo gubernabant: poſtea verò partim ipſis Regibus admittentibus, partim multitudine detrectante illud ſolum in quibuſdam ciuitatibus relictum eſt Regibus, vt ceremoniarum erga Deos haberent facultatem, & belli duces in externis eſſent. Hæc ille. E quibus conſtat poſt gentium diſperſionem priſcis temporibus ad Heroas ob accepta eorum virtutibus, expectataue beneficia fuiſſe delata regna, & eumdem fuiſſe apud gentes ſummum Pontificem ſimul & Regem. Sed hæc, aliaque eodem ſpectantia, quatenus attingunt poteſtatem, libertatemque, & immunitatem rerum ſacrarum, latius libro ſexto.

Habemus porro è diuina Scriptura, vt ſupra attulimus, tantam fuiſſe & locis, & rebus ſacris habitam reuerentiam, vt ad illa accedere, vel ea tangere ſæcularibus nefas eſſet, niſi de licentia Sacerdotis quaſi diuinæ voluntatis interpretis, atque executoris, quod ex actis Abraham, Iacob, Moyſis, Ioſueque eſt à nobis ſupra explicatum.

Quintum tempus eſt à Moyſe, vſque ad Chriſtum. Nam diſperſis gentibus Deus prouidens futurum, vt gentes à ſupernaturali directione lumen naturale diſiungerent, ac propterea, maximè poſt obitum Semi, vt dicetur, obſcuraretur, & in maximã veri caliginem miſerrimè præcipitarentur; & tam quoad rerum diuinarum veritatem, quam quoad mores lumini naturali conformes longiſsime aberrarent, paulo poſt obitum Noe ſeuocauit Abrahamum ex Hur Chaldæorum, deligens illum, poſteritatemque ipſius, è qua Chriſtus naſceretur, ac ſupernaturalium veritas in ea conſeruaretur, quæ fuſius explicantur libro ſexto. Verum cum conſediſſet illa in Ægypto, ac non modo Principes eius propriæ genti, ſed toti propè Orbi ob ſupernaturalium ſcientiam præſiderent, poſt aliquot annos maxima eſt in eam commota à Pharaone tempeſtas, & ad internecionem penè adducta. Quocirca Deus Moyſem miſit, eique virgam dedit, qua cunctis elementis, ac rebus naturalibus, & temporalibus imperabat, quod Exodi liber clariſsime teſtatur. Virga illa Chriſtum, potentiamque ipſius in omnia temporalia ſignificatam, quin cuncta Chriſti ipſius virtute, ac fidei fuiſſe acta, cuncti Patres teſtantur, vt aperiſsimum cũctis ſit, à Chriſti hominis poteſtate, ac virtute omnia directiſsime adminiſtrari. Hinc Irenæus libri tertij aduerſus hæreſes cap. 29. *Propter hoc autem & Moyſes oſtendens typum proiecit virgam in terram, vt ea incarnata omnem Aegyptiorum præuaricationem, quæ inſurgebat aduerſus Dei diſpoſitionem, ar-*

gueret,

gueret, & abſorberet, vt & ipſi Aegyptij teſtificarentur, quoniam digitus eſt Dei, qui ſalutem operatur populo. Ita Sanctus Irinæus. At S. Ambroſius libro de Salomone. *Moſes virgam proiecit in terram, quæ & ipſa imago erat corporis Domini, ideo omnium Aegyptiorum poteſtatem abſorbuit.* Et de officijs lib. 3. cap. 14. *proiecta virga, & ſerpens facta eſt, qui deuorauit ſerpentes Aegyptiorum, ſignificans, quod verbum caro fieret. & Virga eſt verbum directum, Regale, plenum poteſtatis, inſigne imperij. Virga ſerpens factus eſt, quoniam qui erat filius Dei ex Deo Patre natus, filius hominis factus eſt natus ex Virgine.* S. Auguſtinus ſerm. 86. de tempore, *Virga proiecta in terram verſa eſt in ſerpentem, quid ſignificet videamus. ſerpens pro ſapientia reputatur, ſicut Dominus in Euangelio, eſtote, inquit prudentes, ſicut ſerpentes. Virgam crucem diximus figuraſſe. crux ergo, quæ infidelibus ſtultitia eſſe creditur, ſicut dicit Apoſtolus gẽtibus ſtultitia, poſteaquam in terram Miſſa eſt, id eſt ad paſſionem Domini præparata, verſa eſt in ſerpentem, hoc eſt in ſapientiam, & in tantam ſapientiam, quæ omnẽ iſtius mundi ſapientiam deuoraret; denique omnes ſerpentes, quos Magi incantationibus ſuis fecerant, deglutiuit. Per Virgam ergo Aegyptus flagellatus, & per crucem mundus vincitur.* Eadem Gregorius Nyſſenus libro de vita Moyſis, Gregorius Magnus, Proſper, Beda. Iam vero operæpretium eſt ſcire eodem tempore, quo Pharao conatus eſt opprimere Eccleſiam Dei, & Chriſti, in qua ſpeciatim reſidebat ſupernaturalis poteſtas, ordinatio, fideſque in Chriſtum futurum, ac propterea tum Rex ipſe, tum populus eſt omnium prope temporalium bonorum, naturaliumque magna ex parte priuatus, eodem tẽpore, inquam, contigiſſe Deucalionis diluuium, ſimulque omnia prope mundi regna euerſa, genteſque in maximas omnium rerum clades perductas, vt libri quarti cap. 8. de ruinis gentium late ex antiquis hiſtoricis aperimus. Quid ita? quia primo, vti diximus, ac ſæpius repetendum nobis eſt, ſingula quæq; temporalia, naturaliaq; facta ſunt, fiunt, & conſeruãtur ex ſua natura ordinanda in finem ſupernaturalẽ, reducẽda in Chriſtum, ſubijcienda illi. quoties diſceſsio fit ab illo fine, concathenatio, quod aiebat S. Ambroſius, rerum temporalium, naturaliumque a firmamento deſcendens diſſoluitur, & omnium rerum ſequitur conturbatio. Nam reguntur illa ſemper ab æterna ſapientia ſingulis quibuſque rebus inexiſtente, ab Angelis ſupremis omnium rerum ſenſibilium Regibus, ordinantur, & ineuitabili iure diſponuntur in eundem finem ſupernaturalem. quoties

ties igitur inde abſtrahuntur, deficiunt, aiebat S. Auguſtinus, ab eſſentia ſua; ad nihilum vocatur defluxus ille, de quo SS. Dionyſius, Thomas, Ægydius, aliique, qui deriuatur a Deo per Chriſtũ ſponſamque ipſius Mundi Reginam, & quo participatur tum Dominium poteſtaſque iuſta temporalium rerum, & naturalium, tum rectus vſus, quo ducimur ad fruendum cum Chriſto, Eccleſiaq; eius per eundem Chriſtum ſponſamque ipſius Eccleſiam, Deo ſummo.

Oppreſſo igitur Dei populo, ac ſupernaturalis ordinationis apice, parum propè abfuit, vt cæteras clades omittamus, quin non modo Ægyptus, ſed etiam totus prope orbis rurſus diluuio nouo, quem Deucalionis vocauit antiquitas, obrueretur, eodem namq; tempore illud obtigit, quo & Ægyptii ſunt mari rubro ſubmerſi, vt Euſebius in chronico notat; ne id contingeret tum multa obſtitere, tum pactum, quo Deus Noe promiſit, non amplius hæc euẽtura. promiſit vero interuentu ſacrificij cruenti vim deſumentis à Chriſti naturalium, ſupernaturaliumque Rectoris ſupremi ſacrificio, quo ſe pro nobis ingratiſsimis obtulit Deo Patri; ex quo ſic ad Noe Deus, *Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominē, ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua, non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem ſicut feci.*

Sed quomodo Deus Hebræorum Remp. conſtituerit, eiquam, ac ſupernaturali Eccleſiaſticæ, & Sacerdotali poteſtati in omnibus deferri, ac primas dari conſtituerit, abundè eſt dictum lib. 5. capite ſexto. & quomodo rurſus eam protexerit inter gentes, & quò magis alii deprimere eam conabatur, ipſe multo magis amplificarit, quamuis & hæ quamdam ſupernaturalium confuſam notitiam haberent, dictum ſimiliter eſt libro ſexto. Rurſus quomodo cuncta regna ſubuerterit quoquo modo illi aduerſantia, late explicauimus libro tertio, quarto, & quinto de Ruinis gentium, & regnorum. quamuis autē pigeat me reſpondere ineptiis quibuſdā, reſpondendum tamen videtur, quando cunctis debitores ſumus, *Sapientibus & inſipientibus*, Nam quidā ſcripſit Adamum, Noe, reliquoſque huiuſmodi haud fuiſſe veros Sacerdotes, quia fuerunt vmbra Chriſti, & Chriſtiani Sacerdotij. Id ſi eſt, quæcumque contigere antiquis, vera haud fuerunt, neque Dauid figura, & vmbra Chriſti verus Rex fuit. mittamus tamē nugas iſtas. Sed illud omittendum non videtur, Moyſemque & Aaron fuiſſe ambos Sacerdotes, vti ſcriptum legimus Pſal. 98. *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus*

tibus eius, Sed hic fuit illi petenti datus coadiutor à Deo, quod habemus Exodi cap.4. in quo ait ad Moyſem Deus, *Ipſe (Aaron) loquetur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.*

Sextum tempus eſt, quo Chriſtus Dei ſapientia ſumma factus eſt homo, eodemque momento, quo ipſius anima eſt à Deo creata, protinus illi eſt omnis omnium rerum temporalium, naturaliumque poteſtas data, ita vt, quæcumque data eſt creaturæ rationali, & humanæ ex vi ipſius naturæ, eadē data ſit vnius Chriſti animæ, atque innumeris partibus amplior. Præterea vero, quæcumque poteſtas data eſt ſupernaturalis omnibus creaturis ſimul coniunctis eadem data ſit vnius Chriſti animæ, atque innumeris partibus amplior, tum quatenus illa eſt *Plena gratiæ & veritatis*, tū quatenus eſt inſtrumentum diuinitatis. quocirca, quod Chriſtus dixit Matthæi cap. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* id interpretantur plerique omnes, *Data eſt*, quantum ad externam manifeſtationem. Nam re vera alioquin ipſius anima, ſimulatque eſt creata, cœpit ſingula quæque exequenda in cælo per Angelos, quos in agendis rebus illuminabat, adminiſtrare in tota vniuerſitate rerum creatarum, quod abunde libro ſecundo, tertioque aperitur. Hinc S. Iuſtinus in Apologia ad Senatum, *Chriſtus quidem, eò quod vnctus ſit, & per ipſum Deus diſponat, ordinetque omnia, vocatur non vulgaris ſignificationis nomine.* Hanc eſſe omnium Theologorum ſententiam conſtat. aſſerunt enim præterea, quod ſupra operis initio dicebamus, eſſe illi, vt inſtrumento diuinitati coniuncto omnipotentiam datam, ita vt duo tantum negentur illi, creare, & ad nihilum redigere, hæc enim non poteſt, niſi vt Deus eſt. cætera ſunt communicata; ac poteſt, vt homo, atque vt is, cuius natura ſit diuinæ adiuncta, & in perſona diuina ſubſiſtat, quod habet S. Thomas 3. quæſt. 13. art. 2. SS. Anſelmus, Rhemigius, Thomas, alijque, capite vltimo Matthæi adducto, S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 26. Athanaſius contra Arianos ſermone, *Ex Deo Deum verbum.* Nyſſenus de cognitione verbi, S. Vigilius libro contra Euthycem. Quamobrem, qui volunt Chriſto non eſſe in temporalia directam poteſtatem, non poſſunt intelligere, vt aliqd Chriſto quod poteſtatis ſit, ſiue ſignificet maiorem poteſtatem, fuerit denegatum. Quod ſi dicant non poſſe quidquā fieri ab ipſo, quamuis poſſit omnino, niſi quod Pater velit. Reſpondemus, poſſe aliquid agere, aut agere præter ordinem,

ſeu

ſeu voluntatem Dei eſſe, vt ſupra dicebamus, impotentiam, vel vt loquitur S. Auguſtinus, eſſentiæ defectum, potentiæ defectum. Nullum quippe ens fingi poteſt quod Chriſto non ſit ſubiectum. Sic enim legimus Epheſ. cap. 1. *Conſtituens* (Deus hominem Chriſtum) *ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomẽ, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius.* Quibus innumera multa ſequenti capite à nobis dicenda conſentiunt, aut igitur iſtud directum eſt ens, aut non eſt. Quod ſi erit, neceſſario Chriſto ſubiicitur. Verum quando apparet è ſuperioribus, paſsimque apparebit, Chriſto omnem fuiſſe in omnia poteſtatem ſubiectam, concludimus Eccleſiæ communicatã quamcumque habet quoad homines regendos, (excepta excellentiæ poteſtate, per quam poteſt ſolus ipſe inſtituere ſacramenta, & abſque illis infundere gratiam) præcipue vero Regiam in cuncta temporalia mundi totius, ac naturalia regenda, quæ reſideat in Sacerdotibus, Epiſcopis, atq; ſicut in Fonte, ac Sole Pontifice ſummo. Id vero apparebit maxime in ſeptimo tempore, ideſt die iudicij, cum Chriſtus vna cum ſponſa ſua, *Euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & tradiderit regnum Deo, & Patri*, ac tunc, *erit omnia in omnibus Chriſtus.* Cuius quidem iudicij ſunt imagines quædam tempora illa, quibus Eccleſiã Tyranni perſequuntur, ac totus orbis concutitur innumeris cladibus, & prodigiis, de quibus vltimo libro de ſignis Eccleſiæ Dei. Quemadmodum vero Chriſtus cuncta ſibi ſubiecerit, & quæcumque Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, omnino ſe ſe ſubiecerunt, amplificauerit, ornauerit, tum multa libro tertio, tum libris vltimis de Signis Eccleſiæ Dei, ac ſeptimo, & octauo de Ruinis gentium, contra autem quemadmodum ſponſæ ſuæ, mundique Reginæ aduerſantia ſubuerterit & libris adductis, & vltimo operis huius aperitur. Imperatores namque omnes Romani peſsime, omnes, qui Eccleſiæ ſanctæ aduerſati ſunt, obierunt; translatumque eſt è gente in gentem Romanum Imperium, nullusque ad nepotes agnationis ſuæ trãſmiſit, cumq; per tot bella, tot ac tantas hoĩum ſtrages vrbiũ, gentiumq; ruinas intra annos mille, ac ſeptuaginta quatuor ad amplitudinem ſummam perueniſſet, qualis numquã fuerat, breui, ideſt intra annos ab obitu Chriſti, Eccleſiaq; per illa pſum Spiritus Sancti conſtituta ducentos ſeptuaginta nouẽ, Chriſto, Eccleſiæq; ipſius imperante Conſtantino eſt ſubiectum, quod

cate-

eatenus ſtetit,ac cum reliquis aliorũ regnis ſtat,quatenus Eccleſiæ, Chriſtoque ſeruit; ſcriptum namque eſt, *Gens, & regnum; quod non ſeruierit tibi peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur*. Sic igitur Primo vidimus Angelos bonos ſtetiſſe, omniumque imperium nactos ,per obedientiam Chriſto vel implicitè,vel explicite exhibitam. Sic Secundo Adamus omnibus mirabiliter dominabatur. Sic Tertio,cum defeciſſet ab obedientia per fidem Chriſti retinuit vitam, terræque imperium & ad poſteros Seth tranſmiſit, Pontifex, ac Rex omnium ſummus. Sic Quarto Noe ſimiliter Pontifex,& Rex totius orbis ab ordinatione ſupernaturali deſciſcentibus cunctis,diluuioq; ſubmerſis,vniuerſæ terræ imperiũ tenuit ,ac ſuis eſt pa[illegible]us. Sic Quinto eumdem Moyſes elementis imperauit,& omnibus aduerſariis proſtratis Hebræorum Rempublicam conſtituit, cui Pontifex ſummus ſummo iure præſideret. Steterũt omnes,atq; imperium nacti ſunt in omnia naturalia, temporaliaq; ob fidem Chriſti,præſtitãq; illi obedientiã, vel implicitam,quod nemo diffitetur,vel explicitam, quod plerique omnes hac de re agentes tradunt, illi igitur omnia in omnibus,ne ſubruant, ſunt ſubiicienda ex æterno Dei conſilio, cuius regnum, *Non eſt de hoc mundo*, quod omnia mundana perducat ad Deum Patrem, *Non eſt de hoc mundo*,quia à Patre accepit illud non à mundo : non eſt de hoc mundo, *Quia mundus eum non cognoſcit*. Sic enim Sancti interpretantur illa verba.nos Chriſtum nouimus omnium Dominum. Quocirca à Deo Patre petimus, tam ſpiritualia , quam temporalia bona. *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, Cui non obedit, qui non obedit ipſius ſponſæ Eccleſiæ, neque enim *poteſt habere Deum Patrem,qui non habet Eccleſiam Matrem*,ait S.Cyprianus de vnitate Eccleſiæ, *Et habere caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia*, ait eiuſdem tituli libro ſanctus Auguſtinus. Sed videamus è diuinis litteris tantæ ſponſæ eſſe in omnia Regiam , ſupremamque poteſtatem nil vlli auferentem.

Argu-

Argumenta è diuinis ſcripturis ſummatim collecta, quibus probatur temporalia cuncta, temporaliumque Principes in omnibus eſſe Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiectos. Cap. XI.

IAm vero nihil æquè eſt in diuinis litteris illuſtre, quam fore, vt Eccleſiaſticæ poteſtati terrena, téporaliaque omnia ſubijcerentur, Epiſcopis eſſet Regia poteſtas, quæ veluti ex apice, fonte, & capite dimanaret in eos à Pontifice ſummo. cũ verò ſint innumera diuinæ ſcripturæ loca id clariſsime ſignificantia plurimis modis, quo ſcilicet id teſtatiſsimum cunctis foret, redigemus illa in modos ipſos, quibus id Spiritus Sanctus voluit apertiſsime explicari.

Primus modus eſt, cum dicitur fore, vt Eccleſia ſit Regina, eamdemque cum Chriſto Deoque coronam geſtet, ſedeat ipſa & ipſius filii ſedeant in throno Dauidis, ſint Reges, regnent, habeant Regnum: multa autem ſunt loca id ſignificantia. primus eſt Iſaiæ cap. 61. in quo loquitur Eccleſia dicens, *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumentis iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis,* Ex his verbis ait Sanctus Auguſtinus Eccleſiam vocari ſponſum Chriſtũ, quæ geſtet eamdem cum Chriſto coronam. Pertinere verò hæc ad temporalem Eccleſiæ fœlicitatem tradunt eo loco, & capite ſuperiori Sancti Cyrillus, Procopius Gazeus, Thomas, & alii.

Secundus locus eſt ibidem, cùm dicit; *Stabunt alieni, & paſcẽt pecora veſtra, & filij peregrinorum agricolæ, vinitores veſtri erunt, vos autem Sacerdotes mei vocabiminiſ.* Tertius eſt ibi cum protinus ſubiicitur, *fortitudinem gentium commedetis, & in gloria eorum ſuperbietis* Pro his verbis. Vertit Aquila *purpura, veſtiemini.* Addit ibi S. Hieronymus, *vt inſigne regij decoris oſtenderet.* Ipſe verò vertit, *& in diuitijs earum eritis admirabiles.* Quartus locus eſt capitis ſuperioris, cum dicitur ad Eccleſiam. *Aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur.* Quintus eſt paulopoſt. *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium*

dium in generatione & generationem, & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis; vel vt alij vertunt, *Diuitias Regem comedes*, quæ cuncta ad temporalem poteſtatis Eccleſiaſticæ potentiam pertinere aperte conſtat, & volunt memorati Doctores, ac Sancti. Ita vt Regum temporalia ſint ipſi Eccleſiæ ſubiecta, veluti cibus comedenti. Sextus locus complectitur plurima oracula, quibus prædicitur fore, vt Chriſtus ſedeat in Throno, domo, aut ſede Dauidis. Thronus autem Dauidis fuit in terris, ac rerum temporalium vt pſalm. 88. *Si Dauid mentiar, ſemen eius in aeternum manebit*, & *Thronus eius, ſicut ſol in conſpectu meo*. & Luc. cap. 1. *Et dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum*; quæ verba pertinere ad Epiſcopos ſeſſuros cum poteſtate Regia in Diœceſibus ſuis, volũt SS. Paulinus ad Cytherium, & Epiphanius hereſ. 29. eodem ſpectant illa pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã*. Septimus eſt pſal. 44. cum de Eccleſia dicitur. *Adſtitit Regina à Dextris tuis*, & mox, *filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes Diuites plebis*, quæ verba ad Eccleſiam pertinere cuncti interpretes tradunt. filias Tyri Chaldæus intellexit Prouincias, munera ſunt tẽporalia, quæ à prouinciis ad eã veluti Reginã deferãtur. Octauus eſt eodẽ pſal. Cum dicitur ad Chriſtũ. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi virga directionis virga Regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. Hæc vltima verba referunt omnes ad Epiſcopos, qui tamquam Reges vngantur, vt ex Iuſtino Dialogo cum Triphone apparet, & patet è ſuperioribus, Cum Chriſtus Rex ſemper appellatur, Nonus eſt cum Hieremias de Hieruſalem, vel de Eccleſia antiqua threno primo ait *Domina Gẽtium Princeps Prouinciarum*, quæ verba non poſſunt illi eo tempore conuenire, cum neque Gentium Domina, neque Princeps vmquam re ipſa Prouinciarum foret actu ipſo, dici aliquo modo poterat, ſed multò verius, ac iuſtius reſpiciunt tempora Eccleſiæ Chriſtianæ, cuius illa vmbra erit, vt interpretatur S. Gregorius pſal. 4. penit. cuius verba citamus ad finem libri 5. Decimus, eſt 1. Petri 2. *Vos eſtis regale Sacerdotium*, vt S. Ambroſius, Bernardus, S. Thom. opuſc. 20. & Henricus Gandauenſis exponunt. Vndecimus continet multa loca, quibus Epĩ, aut Sacerdotes nuncupantur Paſtores, & dicuntur paſcere, quæ nomina ſignificant poteſtatem Regiam in temporalia, quod tradunt Origenes, Lucifer Calaritanus, Arnobius. Sic Chriſtus dixit ad

Petrum

Petrum *Paſce oues meas*, huc pertinent illa Ieremiæ cap. 3. *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum*, quæ verba pertinere ad Epiſcopos & Sacerdotes, qui inſtar Moyſis, & Samuelis iudicent omnia, vult Ireneus lib. 4. cap. 44. vt citamus lib. 2. cap. 7. & Ezechielis cap. 34. *Suſcitabo Paſtorem vnum*, & 37. *Dauid rex ſuper eos Paſtor erit*, quibus apertè Pontifex ſummus temporalium Rex ſignificatur, nam Dauid temporalium Rex erat, hinc Chriſtus, *fiet vnum ouile, & vnus Paſtor* Ioannis cap. 10. Duodecimus eſt Apocalypſis cap. 2. Vbi Chriſtus alloquitur his verbis Epiſcopos vel Angelos Eccleſiarum, *Qui vicerit & cuſtodierit opera mea vſque in finem dabo illi poteſtatem (Græcè ἐξουσίαν) ſuper Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo*, vt interpretantur eo loco SS. Auguſtinus, Anſelmus, Andreas Cretenſis, Dionyſius Carthuſianus.

Secundus modus continet loca omnia, quibus *omnis poteſtas*, Chriſto dicitur data vt Matth. cap. vlt. Cum ſit igitur à Deo data Chriſto omnis poteſtas in Cœlo & in terra, Nulli alii poteſt eſſe poteſtas, niſi à Chriſto dependens, ſiue à Chriſto data. Quamobrem Chriſtus vult eſſe infidelibus Regiam, quæcumq; eſt iis, vt libro ſecundo, tertioque aperitur. Sed quando Eccleſiæ ſoli, ac Petro, vt Eccleſiæ capiti, apertè communicata eſt in terris hæc poteſtas (dempta excellentiæ poteſtate) idcirco cuncti Reges habent ab Eccleſia dependentem.

Secundus locus eſt, Rom. cap. 13. cum dicitur, *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubiecta eſt*. Supernaturalis autem ſublimior, vt ex SS. Nazianzeno, Bernardo, Primaſio, Auguſtino, Baſilio, Chryſoſtomo aperimus lib. 4. Tertius locus eſt ſancti Petri initio ſecundæ, *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri, quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ*. (Græcè eſt δυνάμεως poteſtatis,) *Quæ ad vitam, & pietatem, donata ſunt*.

Tertius locus eſt, cum dicitur datum à Patre ipſi Chriſto, vt homini, omne iudiciũ, vt Ioan. cap. 5. *Pater omne iudiciũ dedit Filio*, Et mox, *Dedit ei, iudiciũ facere, quia filius hominis eſt*, At Chriſtus Eccleſiæ ſoli hoc iudiciũ cõicauit in omni re pertinẽte ad iuſtitiã. Mat. c. 18. *Si Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, & ſoli Petro, Io. vlt. *paſce oues meas*. Quicũq; igitur iudicant habent iudicandi poteſtatem à Chriſto, & Eccleſia dependentem. Huic enim ſoli Chriſtus iudicij poteſtatem legitur communicaſſe. Secundus locus eſt, cum Lucæ cap. 18. dicitur, *Qui audit vos, audit*

dit me, vt interpretatur S. Cyprianus epiſt. 69. Tertius Malachiæ cap. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Angelus enim Domini exercituum eſt*, vt eodem loco interpretatur S. Cyprianus, & ibidem s. Hieronymus. Quartus locus eſt 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo omnia iudicat, & à nemine iudicatur*, quod non modo ad iudicium diſcretionis in homine ſpirituali, ſed ad iudicium poteſtatis pertinere in Epiſcopis, Volunt rectè S. Auguſt. de vera Religione cap. 31. Vgo, Alexander Halenſis, Ægidius Columna, & Mayro q. 11. in Quolibetis. Quintus eſt Deuteronomij cap. 17. cũ dicitur, *Si difficile & ambiguum*, & quæ ſequuntur, è quo loco S. Cyprianus ep. 69. & alibi vult iudicium rerũ quarumlibet ad Epiſcopos pertinere. Sextus 1. Cor. 6. *Si Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia*, quod patet è Cõcilio iij. Carthaginenſi, S. Auguſtino de opere Monachorũ, vt diximus lib. 4. cap. 10. lib. quinto cap. 12.

Quartus modus continet loca, quibus oſtenditur data Eccleſiæ poteſtas bellica militaris compulſiua in homines, Reges, Principes, nobiles, munitiones, gladios, ſunt vero loca hæc multa, quæ expendit inter alios, S. Auguſtinus epiſt. 48. & 50. Primus eſt Lucæ cap. 14. cum dicitur, *Compelle intrare*, ex quo loco ſæpè in Epiſtolis ſuis, S. Gregorius vult infidelibus beneficia quædam neganda, aut ſeuerius eos puniendos, vt Chriſto obediant. Secundus locus eſt Iſaiæ cap. 60. Cum Deus alloquens Eccleſiæ dicit, *Gens, & Regnum, quod non ſeruierit tibi peribit*. Tertius eſt Pſalmi 149. *Gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in Populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conſcriptum*, vti conſiderat S. Bernardus, cuius verba lib. 4. referimus, de conſideratione ad Eugenium lib. 3. Quartus eſt Apoſtoli 2. Corin. 10. Cum ſcribit, *Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed Deo potentia; ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus Deum*; vt declarat adductis Epiſtolis S. Auguſtinus. Quintus ac Sextus eſſent, qui pertinent ad vim bellicam, gentes, regna, ac res ſimul de quibus infra agetur. Quintus itaque ſit Pſalmi 2. cum dicitur *Reges eos in virga ferrea*, vt idem Sanctus interpretatur, qui multa præterea ad idem propoſitum rectè expendit, quæ licèt ad ſpiritualia potiſsimum ſpectent, tamen ad temporalia ſpectare, quæ facta ſunt ob ſpiritualem finem, dubitari non poteſt. Sextus eſt *Sunt duo gladij hic*, Luc. 22. vt è SS. Ambroſio, Chryſoſtomo, Beda, Euthi-

Euthimio, Bernardo, libro 2. cap. 10. explicamus, ac ſubtiliter hæc verba expendit Mayro quæſt. 11. in Quodlibetis ſeptimus Pſalmus 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime & ſagitta tua acuta populi ſub te cadent in corde inimicorũ Regis,* quibus apparet occidendos, ac perdẽdos temporaliũ Dños malos à Chriſto Rege in Regno ſponſæ, & in terris degentes. Octauus eſt Sap. 3. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, iudicabunt nationes, & dominabantur populis,* vt interpretatur Sanctus Bernardus ſermone ad Patres in Synodo congregatos.

Quintus modus cõprehendit loca, quibus res generatim ſubiectæ dicũtur Eccleſiaſticæ poteſtati. Ac Primus eſt cap. 16. Matthæi cum dicitur, *Quodcũque ligaueris ſuper terram, & quæcumque ligaueritis, & quæcumque ſolueritis,* non tantum quoſcumque, vt expendunt S. Thom. opuſc. 20. lib. 3. cap. 10. Bacconus in Prologo in quarto ſententiarum, Mayro quæſt. 11. in Quodlibetis, & alij multi. Secundus eſt Matthæi cap. 24. *Super omnia bona ſua conſtituet eum.* ideſt Petrum, & Sacerdotes, vt interpretatur S. Irenæus lib. 4. cap. 14. Chryſoſtomus libro 2. de Sacerdotio. Tertius eſt *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes,* quantum eſt de iure, licet de facto, non ita ſit. Ita S. Auguſtinus in Pſal. 103. Quartus eſt, *Omnia cum illo nobis donauit.* ad Rom. cap. 8. vt S. Auguſt. hom. 2. in Apocalypſim, & S. Ambroſius, ac Theodoretus illa verba referunt ad temporalia bona. Quintus eſt 1. Corin. 13. *Omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei,* ſed quomodo veſtra ſunt? ſunt veſtris legibus, ac poteſtati legitimæ ſubiecta, igitur Petrus, ac Paulus erant Chorinthiis, vel Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecti? erant in priuatis actionibus ſuis ſubiecti & ipſi publicæ, quam gerebant ac ſuæ poteſtati. Veluti homo ſubiectus eſt intellectui ſuo directioni ac poteſtati illius. Huc pertinere etiam videtur locus Tertius S. Petri ſupra modo ſecundo adductus.

Sextus modus complectitur loca, quibus ipſi homines gentesve dicuntur generatim ſubiectæ, vt è multis locis ſupra etiam conſtat in primo, & quarto modo huius verò modi ſpeciatim. locus eſt Pſalmi 41. *Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris.* vt ibi interpretatur S. Auguſtinus.

Septimus eſt continens loca, quibus ipſa terra dicitur ſubiecta, vt Pſalmus 44. de Eccleſia conſtituente Epiſcopos dicitur, & omnes interpretantur. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.*

Secun-

Secundus eſt, cum Princeps prouinciarum vocatur à Ieremia, vti ſupra, è S. Gregorio expendimus.

Octauus modus eſt, cum declarãtur Eccleſiaſticæ poteſtati gentes ſubiectæ, ac regna, vt deſtruantur, & ædificentur, hoc apparet cum dicitur ad Hieremiam. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*, Quæ verba pertinere ad Chriſtum, & Eccleſiam vult S. Hieronymus: neque enim poteſt afferi primò Ieremiæ conuenire niſi, vt homini ex Eccleſia. Secundò niſi ob preces, & merita ipſius, vt clarè oſtendimus libro ſexto. Tertiò multò igitur magis hæc pertinent ad Eccleſiam, poteſtatemque eius.

Nonus modus, quo ſignificatur ab Eccleſia conteri, contineri regna, occupari omnem terram vi, ſiue propria Religionis, ſiue militari, quod conſtat è lapide Danielis. nam volũt omnes à Chriſto communicatam Petro non modo petræ ſignificationem, & dignitatem, ſed etiam potentiam. Tertull. lib. 4. aduerſus Marcionẽ, S. Baſilius homil. de pœniten. Ambroſ. lib. 2. cap. 2. in Lucam, quæ libro 6, cap. 15. referimus, & in hoc ipſo propoſito noſtro, Otho Friſingen. libro 6. cap. 36. S. Thom. opuſc. 20. lib. 3. cap. 10. cuius verba referuntur lib. 2. cap. 11. Neceſſe eſt verò omnes meminiſſe in Diuina ſcriptura eſſe ſemper duos ſenſus ſpiritus, ac litteræ. Quocirca cum legunt in ſacris Interpretibus aliquando afferri ad ſuperiora loca ſenſum ſpiritualem, meminerint ineſſe ijs prius litteralem, qui eſt adductus, neque vnum tolli ab alio poſſe, & maximè in propoſito noſtro; temporalia namque cuncta ſunt facta ob ſpiritualia; naturaque humana iure coeſſentiali ſemper ad hæc tendit; Ac Deus, Chriſtus, Angeli, ac iuſti omnes ad hæc gubernant. Ex his verò omnibus, quæ ſupra à nobis allata ſunt, conſtat temporalia cuncta, temporaliumque Principes eſſe omnibus modis vſquequaque Eccleſiaſticæ poteſtati, & gubernationi ſubiectos, quot enim modis, vt inſpicienti apparet, aliquid ab aliquo haberi, aut obtineri poteſt, tot modis à Deo dari temporalia dicuntur Eccleſiæ ſanctæ, Epiſcopis eius, Sacerdotibus, & Pontifici ſummo, vt gubernent; quos modo fruſtra explicatos dici non poteſt.

Recenſentur ſancti Patres, ac Doctores, qui ab ipſa Chriſti ætate vſq; ad S. Bernardum perenni, atq; è manu in manum tradita doctrina ſcripſerunt Epiſcopis, ac Pontifici ſummo eſſe in omnia temporalia Regiã, ac ſupremam poteſtatem. Cap. XII.

Quamuis Romani Imperatores omnia tenerent, iidemq; nullo modo pati poſſent aliquid dici, ex quo Imperij iura minui viderentur, haud tamen Chriſtiani ſcripto deſtiterunt memoriæ prodere Epiſcopis eſſe omnia ſubiecta, eorum gubernationi in omnibus obediendum, ſiue iuxta ipſorum leges omnia tranſigenda, dominiumque iis ciuile, ac regale eminens eſſe, à quo reliqua eſſentialiter penderẽt. Hoc igitur initio ducto ab Apoſtolicis temporibus ex ætate in ætate perennem teſtium ſucceſsionem texentes eam ſub oculos legentium ponemus, plurimos tamen relinquemus à fratre noſtro colligendos, & diligenter examinandos. vt omittamus itaque in Apoſtolicis conſtitutionibus ſcripta. Sanctus Dionyſius epiſtola ad Demophilum. *Nefas eſt,* inquit, *Sacerdotem à miniſtris, qui te ſuperiores ſunt, aut à tui monachis ordinis corrigi & reprehẽdi, ſiue aliqđ impiũ in diuina facere videãtur, ſiue aliquid aliud eorũ, quæ vetãt leges, feciſſe arguatur,* ex his habeamus à prĩcipibus ſæculariũ, qui, & ipſi Dei ſunt miniſtri, vt habeamus. c. 13. ad Romanos. argui non poſſe iure ordinario Sacerdotes, cum quid egerint eorũ, quæ leges vetant, etiam ſi ad diuina haud ſpectẽt, ſed ad ſæcularia. Ac ne dicas à Sacerdotibus Principes ſæculares in ſæcularibus nõ eſſe iudicãdos, audi eundẽ. *Si Dei eſt, vt ſcripta diuina loquuntur, iudicium, Sacerdotes autem nuncij atque interpretes poſt pontifices ſunt diuinorum iudiciorum, ab eis rectè, & ordine tu per medios interiectosque miniſtros, cum tempus poſtulabit, diuina diſce,* Hæc ille aſſerens iudicia Dei, qui tum ſæcularium, tum ſpiritualiũ iudex eſt, primò ab Epiſcopis, deinde Sacerdotibus haberi: per hos iudiciumq; eorum deriuari in alios iudicandi poteſtatẽ. Hinc idẽ

cap.

cap. 8. de Eccleſiaſtica eſt Hierarchia. *Mos quidem hic eſt diuinitatis veriſſimus per prima deducere ſecunda, & inferiora ad diuiniſſimũ lucem ſuam. An non videmus elementorum naturam, quæ ſenſibus percipiuntur, primum ad ea, quæ magis eis cognata ſunt, venire, deinde per illa in alia ſuam tradere vim, & actionem? Iure igitur ac merito omnis deſcriptionis, & quæ videtur, & quæ non videtur (*Nota hic*) principium, & ſedes primùm ad eos qui maxime diuinitatem imitantur, vult diuinos radios peruenire deinde per illos, quod ſint clariores ipſis, aptique ad accipiendum lumen, alijsq; tradendum in inferiores pro eorum captu diffundit.* Hæc Sanctus. E quibus colligit etiam poſt alios Aegidius libro de Eccleſiaſtica poteſtate, omnem poteſtatem humanam pendere, & eſſe eſſentialiter ab Eccleſiaſtica poteſtate, quia ſcilicet omne fallibile dependet ab infallibili, ac proinde a Petri infallibili claui, & ſupernaturali, & S. Thomas ex eadem doctrina tradit in humana natura neceſſariò dandos ſuperiores, quibus obediamus, ita ſcribens 2.2. quæſt. 104. art. 1. *Sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentijs naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. oportuit autem in rebus naturalibus, vt ſuperiora mouerent inferiora ad ſuas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitus, vnde etiam oportet in rebus humanis, quod ſuperiores moueant inferiores per ſuã voluntatem ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ. mouere autem per rationem, & voluntatem eſt præcipere. & ideo ſicut ex ordine ipſo naturali diuinitus inſtituto inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubijci motioni ſuperiorum; Ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis, ac diuini tenentur inferiores ſuis ſuperioribus obedire.* Hæc Sanctus. E quibus habemus tunc, quãlibet Rempublicam generatimque humanam rectè eſſe inſtitutã, cum ſequitur ordinem vniuerſi, in quo ab vno deriuatur ex aliis in alios poteſtas & imperiũ. Quod ſi dicas ergo primum mouens, ac prima poteſtas, qualis eſt Pontificia non mouebit alias immediatè, ſed mediantibus aliis. Reſp. Primo mouebit immediatius immediatione virtutis, quàm moueat ſecunda in ſubiectas cauſas, vt habetur in prima propoſitione libelli de cauſis, qua aſſeritur primam cauſam magis influere in ſubiectas, quàm ſecundæ influant. Nam ſecundæ non influunt niſi per primam, vt brachium non influit in manum, niſi per influxum capitis. Secundo reſpondemus, Eccleſiaſticam poteſtatem, quæ reſidet vt in capite in Pontifice ſummo, non eſſe ſimilem primo mobili naturaliter

moto, ſed eſſe ſupernaturalem ſimilem Deo poſito ſupra naturam, qui quidem Deus non modo ineſt rebus per ſuam poteſtatē, ſed per eſſentiam, & præſentiam. Quamobrem quidquid Chriſtianus operatur, aut homo perfectæ, ac non deordinatæ naturæ operatur, vt Eccleſiæ membrum; ac proinde Eccleſiaſtica poteſtas operatur in illo tam virtutis immediatione, quam ſuppoſiti, veluti dicitur homo agere, quidquid ex eius imperio manus agit.

Sanctus Ignatius fuit ipſa ætate Apoſtolorum, ſic vero ille epiſtola ad Philadelphienſes, *Omnis Clerus ſimul cum omni populo, & militibus, atque Prinoipibus, ſed & Ceſare obediant Epiſcopo. Epiſcopus vero Chriſto, ſicut Patri Chriſtus, & ita vnitas per omnia ſeruatur.* In quibus duo notanda. Primum à militibus, Principibus, & Ceſare obedientiā præſtandam Epiſcopo, ſicut Chriſtus obedit Patri; at Chriſtus obedit, tam in tēporalibus, quàm ſpiritualibus regendis, Nihil vt ab eius obedientia recedat, vlla in re. Secundo, vult vnitatem ſeruari per omnia. Sic igitur, quod aiebat S. Dionyſius, tēporalia reducēda ſunt in Deum per Epiſcopos, ſiue iuxta canonas eorū ſunt adminiſtranda. Rurſus idem epiſtola ad Smyrnenſes ſcribit. *Honora*, inquit, *fili Deum, ac Regem: ego autem dico honorare quidem Deum, vt authorem omnium, ac Dominum, Epiſcopum, vero tamquam Principem Sacerdotum imaginem Dei ferentem, principatum quidem ſecundum Deum, Sacerdotium vero ſecundum Chriſtum, Et poſt hunc honorare oportet etiam Regem. Nemo enim potior eſt Deo, neque ſimilis ei; neque Epiſcopo in Eccleſia, Sacerdotium Dei gerenti pro mundi ſalute; neque Regi, quis ſimilis eorum in exercitu pacem, & beneuolentiam omnibus Principibus cogitanti. qui enim honorat Epiſcopum honorabitur à Deo; & qui inhonorauerit eum, a Deo inhonorabitur. ſi enim quis contra Regem inſurgens damnatione dignus eſt, vt pote qui tranquillitatem, & pacem communem diſſoluat, quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Epiſcopum aliquid egerit? Sacerdotium enim ſumma eſt omnium bonorum quæ in hominibus conſiſtunt.* Ex his multa obſeruanda. Primo diſtingui in Epiſcopo Principatum, & Sacerdotium, quoad illum ſimilis eſt Deo, quoad hunc ſimilis Chriſto. Secundo Epiſcopum ſimilem Deo ob principatum, vt auctor eſt omninm. Ratio eſt quia Deus ordinat cuncta per Chriſtum; Reducitq; illa in ſe, atque, vt ait Apoſtolus, *Deus eſt in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, ſic itaq; Deus eſt in Epiſcopo mundum ſibi reconcilians, ideo dicitur ab eodem ſancto, Epiſcopus forma Patris omnium, Patrique adaptari per vn-

ctionem

ctionem Epiſcopalem, quod ait S. Athanaſius epiſtola ad Serapionem. Et poſt alios conſiderauit Alexander Halenſis, neque dici poteſt ipſum Principem, quia Princeps eſt Sacerdotum, dumtaxat. Sic enim non diſtingueretur in eo principatus à Sacerdotio, neque eſſet forma Patris authoris omnium, neque eſſet in hoc niſi Chriſto ſimilis, qui & ipſe non modo eſt Princeps Sacerdotum, ſed etiam Princeps Regum terræ, ac Dominus Dominantium. Tertiò vult honorari, Primò Epm̄, deinde Regem, affert rationē: quia nō modo eſt Sacerdos, ſed etiā Princeps ſimilis authori oĩum. Quarto peius eſſe aliquid agere præter Epi voluntatē, quam inhonorare in effectu Regē. Poſtremò rurſus adhuc cōcludit, nihil boni eſſe in terris, niſi per Sacerdotiū. idem ſanctus epiſt. ad Trallianos. *Quid eſt enim Epiſcopus, niſi omnem principatum, & poteſtatem omnium illorum tenens, ſecundum quæ deceat hominem tenere imitationem Dei factum ſecūdum virtutem.* ex his notamus illud, cum lege coeſſentiali homo in omnibus quæ tractat, ſiue temporalibus, ſiue ſpiritualibus, Deum velit imitari, ſaltem vti eſt cauſa naturalium, neque poſsit ad hoc peruenire, niſi iuxta ordinationem ſupernaturalem, iure aſſerit S. Ignatius omnium tam tēporalium, quam ſpiritualium principatum poteſtatemque eſſe pœnes Epiſcopum. S. Irenæus, S. Polycarpi diſcipulus tempora S. Ignatij ex cepit: qui ſic lib. 4. cap. 44. *Quemadmodum Moyſes, cui tantus Ducatus eſt creditus, bona conſcientia fretus purgabat ſe apud Dominum dicens, Non concupiſcens alicuius illorum quid accepi, neque malè feci alicui eorum; quemadmodum Samuel tot annis iudicans populum, & ſine vlla elatione ducatum gerens ſuper Iſrael in fine purgabat ſe dicens, Ego conuerſatus ſum in conſpectu veſtro à prima aetate mea vſque nūc, reſpondete mihi in conſpectu Dei, & in cōſpectu Chriſti eius, cuius veſtrum vitulum accepi, aut aſinum, ſuper quem potentatus ſum, aut quem oppreſſi, aut ſi de alicuius manu accepi propitiationem vel calciamentum, dicite aduerſus me, & reddam vobis. Cum dixiſſet autem populus ad eum neque potentatus es, neque preſſiſti nos, neque accepiſti de manu cuiuſquam aliquid, teſtificatus eſt dominum dicens, teſtis eſt Dominus, & teſtis Chriſtus eius in die hac quoniam non inueniſtis in manu mea nihil; & dixerunt ei, teſtis; quemadmodum & Paulus Apoſtolus cum eſſet bonæ conſcientiæ dicebat ad Corinthios, non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur nemini nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus, Tales preſ-* S. Irenæus.

byteros nutrit Ecclesia; de quibus & propheta ait, & dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in iuſtitia, de quibus, & Dominus dicebat, quis igitur erit fidelis actor bonus, & ſapiens, quem praeponit Dominus ſuper familiam ſuam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille ſeruus, quem veniens Dominus inuenerit ſic facientem, Hæc Sanctus. è quibus colligimus Presbyteros Eccleſiæ (ſic ille ſæpè Epiſcopos vocat nomine communi) eſſe inſtar Samuelis, ac Moyſis in Eccleſia Dei, Ac ne dicas ſimiles eſſe quoad integritatem, vel quoad regimen poteſtatis tantum ſpiritualis Reſpondemus ab Irenæo cōparari Epiſcopos, quoad ipſa iudicia, & ſpeciatim temporalium: & ad maiorem comprobationem Secundo colligimus eſſe illos, de quibus Iſaias ait loquens de iudicibus prauis, & iniuſtis quoad temporalia iudicanda cap. 1. *Et reſtituam iudices, tuos vt prius, & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus*, quo loco loquitur Iſaias de iudicibus temporalium rerum, & 32. *Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in iudicio praeerunt*. Et mox, *Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ, ſilentium*, quo ſimiliter loco agit de temporaliū iudicio. Ex his verbis texit illa, quæ citat ſanctus, alibi nāq; ipſa illa non inueniūtur, quæ tamen vndecunque ſint ſumpta, non aliud ſignificant niſi principatum temporalium. Clemens Alexandrinus attigit Irenæi tempora qui ſic libro ſtromatū ſeptimo, *Maxime autem, vt arbitror, poteſtatis eſt omnium partium, etiam vſque ad minimam, accurata examinatio peruadens ad primum vniuerſorum adminiſtratorem, qui ex voluntate patris gubernat omnium ſalutem aliis ordinatis, qui ad alios praefectos reſpiciūt, donec perueniamus, ad magnum Pontificem. ab vno enim deſuper principio, quod conuenienter voluntati operatur, dependent prima, ſecunda, & tertia. Deinde in ſummo fine eius, quod apparet, beati poſiti ſunt Angeli, atque adeò vſque ad nos ipſos alij, ſub alijs ſunt collocati, qui ex vno, & per vnum, & ſeruantur, & ſeruant. quomodo ergo vel minima pars ferri vno mouetur ſpiritu lapidis Magnetis extenſa per multos anulos ferreos, Ita etiam, qui ſunt virtute prediti diuino ſpiritu attracti, cum prima manſione coniunguntur, Deinceps autem alij vſque ad poſtremam, qui autem ſunt mali ex imbecillitate cum propter iniuſtam imbecillitatem in malum habitum inciderint, vt qui nec teneant nec teneantur, circumeunt circumacti animi perturbationibus, humique decidunt. quocirca praecepta quoque quæ in lege, & ante legem erant, non legibus*, (iuſto enim non eſt lex lata) *ſtatuerunt*. Hæc Clemens apertè volens primo poteſta-

Clem. Alexandrinus

teſtatem, ſcientiamque, qua poſsit aliquis cum Deo coniungi, & ſtabiliri, à Deo deriuari in Chriſtum Pontificem magnum, ab hoc in ordines ſuos, veluti vis magnetis in ſummo annulo conſtituti, ex alijs in alios annulos dependentes; Et quoniam natura humana Deo ſaltem naturaliter noto vult in omnibus coniungi, & aſsimiliari, neque vlla prorſus in re poteſt ad hoc peruenire, vt finē ſcilicet attingat abſq; ordinatione ſupernaturali, idcirco omni in re vult illi poteſtati, ſubeſſe quæ reſidet in Eccleſia Catholica atque, vt in ſole, & fonte (aiebat S. Cyprianus in Pōtifice) ſummo. Rurſus idē lib. 6. *Vt ſemel dicam, omnis vtilitas, quæ ad vitam pertinet ſuprema, quadam ratione à Deo omnipotente, qui præeſt omnibus, poteſtate perficitur per filium, qui etiam propterea eſt ſeruator omnium, inquit Apoſtolus, maximè autem fidelium, proximè autem ijs, quæ ſunt proxima ſingulis, per iuſsionem, & præceptũ eius, qui eſt propinquior primæ cauſæ, nempè Domino.* Hæc Clemens apertè volens quicquid eſt vtile ad vitam deriuari à Deo per eos, qui ſingulis ſunt propinquiores, At ſæcularis poteſtas eſt vitæ vtilis; deriuatur itaque in alios per eos, qui ſunt Deo proprinquiores, ait ex natura ſtatus propinquior eſt Pontifex ſummus. Hinc idem ſexto. *Ad vniuerſi enim ſalutem ab vniuerſorum Domino omnia ſunt ordinata, & vniuersè, & ſigillatim. eſt ergo officium iuſtitiæ ſalutaris, vnumquodque ſemper deducere ad id, quod eſt melius, prout contingit, & conceditur. ad ſalutem enim, & permanſionem eius, quod eſt præſtantius, conuenienter ſuorum morum proportioni adminiſtrantur etiam, quæ ſunt minora*, Hæc ille aſſererens tam maiora, & vniuerſalia, quam minora, & ſingularia adminiſtrari per eos, quibus mādatur, vt humanam naturam perducant ad Deum. Nam quando cuncta ad hunc finem facta ſunt, neque iure naturali, ac diuino poſſunt dirigi, tractari, & haberi in alium finem. Clemente adhuc viuente erat S. Cyprianus. Sic igitur ille Epiſtola 69. ad Pupianum, qui à Chriſtianis electus Iudex cœperat inquirere aduerſus Cyprianũ, *Ego te frater credideram tandem iam ad pænitentiam conuerti, quod in præteritum tam infanda, tam turpia, tam etiam gentilibus execranda, aut audiſſes de nobis temerè, aut credidiſſes. porrò autem etiam nunc in litteris tuis animaduerti eumdem te adhuc eſſe, qui prius fueras, eadem te de nobis credere, & in eo quod credideris, perſeuerare, & ne forte charitatis, & martyrij tui dignitas noſtra communicatione commaculetur, in mores noſtros diligenter inquirere.* & poſt. *Dei iudicem, qui Sacerdotes facit, te velle,* S. Cyprianus.

non dicam de me (quam enim ego ſum) ſed de Deo , & Chriſti iudicio iudicare . Hoc eſt in Deum non credere; hoc eſt rebellem aduerſus Chriſtum , & aduerſus Euangelium eius exiſtere. Et mox, *Perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrij ſublimitatẽ prouexit , me autem proſcriptionis onere depreſſit , cum publicè legeretur , ſiquis tenet , vel poſſidet de bonis Cæcilij Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum,vt etiam,qui non crederet Deo Epiſcopum conſtituenti , vel Diabolo crederet Epiſcopum proſcribenti, Nec hæc iacto , ſed dolens profero , cum te Iudicem Dei conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos,ac per hoc ad omnes Præpoſitos,qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt , qui audit vos,me audit, qui me audit, audit eum,qui me miſit.* Hæc ſanctus vocans Diabolos , in Deum non credentes , rebelles aduerſus Chriſtum , qui inquirunt in Sacerdotes.Dices hoc pertinere ad libertatem, non poteſtatẽ . Atqui ſanctus affert,quod pertinet ad poteſtatem nempe, *Qui vos audit me audit*,& ea pertinere vult,ad omnia.nam tpalia magis facta ſunt ob ſpiritualia,q̃ propter ſeipſa;caroq; cum bonis externis facta eſt, vt ſeruiat ſpiritui cũ bonis illis . Audiamus igitur eundẽ libello de vnctione chriſmatis . *Hoc oleo antiquitus Sacerdotes ſacrabantur,& Reges,& ipſi altarium lapides delibuti ſpiritualem intelligi volebãt ſacris myſterijs ineſſe pinguidinem , & ſicut oleum fluitat, & humidis quibuſlibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis , & Regiae dignitatis ſecundum formam Dei, & Chriſti, ſub ſe omnia continens regimen & munimentũ, tã actiuae,quam contemplatiuae vita obtinet,& ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones,quas Spiritus Sanctus prout vult , ſingulis diſtribuit, & largitur .* Hucuſque ſanctus,è quibus primo habemus agi hoc loco de vnctione ſacerdotali;quod patet; ait enim ex hoc humore conſtat,deſcendere omnes gratiarum diuiſiones , quas Spiritus ſanctus , prout vult, ſingulis diſtribuit , & largitur , agit itaque de ſupernaturali effectu vnctionis , qui eſt in ſolo Sacerdote, ſiue ordine clericali : Secundò attribuit duo Sacerdoti, ſiue Epiſcopo(idem namq; ambobus character,ſed Epiſcopo dilatatus,quo ad iuriſdictionẽ fori exterioris)formam tenere eũ Dei, & Chriſti; vt videamus doctrinam,quæ à Chriſto deriuata per manus tradita eſt ſingulis : cognouimus namque Dionyſium , Ignatium , & Clementem,eadem tradidiſſe, Nempe Epiſcopo formam Patris attribui , ſicut etiam videbimus , attribui eidem ab Athanaſio potentiam Patris. Tertio, vult ab excellentia Sacerdotalis , ac Regiæ dignitatis omnia contineri. Quarto vult conti-

neri

neri ſecundum formam Dei, ex qua diximus attribui à patribus Epiſcopo potentiam. Pater namque, vti Pater, origo eſt omnium. Nam communicatur Epiſcopo omnis poteſtas, quæ communicatur cuilibet humanæ poteſtati naturali ad humanam naturam regendam, ſed & prætereà multò amplior. Poſtremò, vult ſub Epiſcopo eſſe regimen, & munimen tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ. Cum vero hic actiua intelligatur, vti complectitur omnes actiuæ vitæ partes; Epiſcopusq; eſt in ſtatu perfectionis exercẽdæ in alios, neceſſe eſt, igitur habeat ex hoc ipſo etiã quæcunq; alios munire poſſunt, atque idcirco vim militarem. Arnobius ſæculo Cypriani adhuc viuentis ſucceſsit. Sic igitur in Pſalm. 139. *Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti, quod vt doceam, illud oſtendo, quia nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit, ſolus enim dominus Ieſus Chriſtus dicebat; Ego ſum paſtor bonus*, Et iterum, *Me*, inquit, *ſequuntur oues meæ, hoc ergo nomen Sanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt Reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſsit, & negatus negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, poteſtatem, vt non ſolum recuperaſſe, quod amiſerat, probaretur, verum etiam multo amplius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquiſiſſe*. Hæc Arnobius volens Primò datum Petro ſoli, non ſolum Paſtoris nomen, & dignitatem, ſed etiam poteſtatem. ſed in ſacris Scripturis nomen, hoc præcipuè refertur ad Regiam poteſtatem, quod habetur 1. Reg. 25. 1. Paralipom. 2. & 27. & 2. Paralip. 10. Item Pſal. 77. Ieremiæ 3. & 23. Ezechielis 34. Oſeæ 4. Micheæ 5. & 7. Sophoniæ 2. & 3. & notant Lucifer Caralitanus libro de non parcendo in Deum delinquentes, Origenes hom. 2. in Geneſim. Secundò probatur, quia dicit ſoli Petro datam poteſtatem, quam ſolus Chriſtus habet. At Chriſtus non modo ſpiritualium, ſed etiam temporalium ſupremam poteſtatem ſolus habet. ſi quid ergo conuenit ſoli Chriſto, quoad poteſtatem, conceſſum Petro cenſebitur, niſi probetur negatum.

Arnobius.

Arnobij tempora excepit S. Athanaſius, qui ſic Oratione ſecunda in Arianos de Chriſto inuncto loquens, ait, *Thronus tuus Deus in ſæcula ſæculorum, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, proptereà vnxit te Deus tuus, oleo exultationis præ participatoribus tuis. videte Ariani, & ſaltem vel hinc cognoſcite participatores Domini, cæteros omnes Pſalmiſtam appellaſſe*, Et mox oſtendens Epiſcopos, ac Sacerdotes fieri Reges, ait, *Et hic quidem* (Chriſtus) *vngitur, non vt Deus*

S. Athanaſius.

fiat,

ſiat, nam id erat: neque vt Rex efficiatur, cum iam ab aeterno regnaret, quippe qui erat imago Patris, quemadmodum ex hoc elogio oſtenditur, ſed pro nobis (hoc nota) *quoque hoc inter caetera ſcriptum eſt. Nam reges Iſraelitæ inungendo Reges fiebant, cum antea priuati homines eſſent, vt Dauid, Ezechias, vt Ioſias, cæterique alij.* Hæc Sanctus volens Chriſtum, vt hominē fuiſſe inunctū, tamquam Regem, vt nos efficeret, tam quoad ſpiritualia potiſsimum, quàm quoad temporalia Reges, vti fuerant Dauid, Ezechias, & alij, *pro nobis* inquit. Rurſus idem ad Serapionem Epm, *Sigillum porrò formam Chriſti ſigillantis habet, eiusque participes efficiuntur, qui ſignantur ſecundum eam ſpeciem conformati dicente Apoſtolo, filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis Chriſtus formetur: ita porro ſignati conſortes efficimur*, Et mox. *Conſtat igitur vnguentum, quo imbuti ſumus, & ſigillum, quo ſignati ſumus, non eſſe naturæ rerum conditarum, ſed filij, ob ſpiritum, qui in eo eſt, qui nos coaptat Patri.* Hæc ille. Primo volens Chriſtum, vt hominem per admirabilem inunctionem eſſe omnium, tam ſpiritualium, quam temporalium Regem. Secundo nos participare eamdem vnctionem Regiam, veluti Dauid, & Ezechias. Tertio per illam coaptari Patri, cui potentia ſumma attribuitur. Nam licet vngantur alij, tamen per ordinis vnctionem ſoli ſacerdotes, atque Epiſcopi vnguntur, atque vti diximus, non ſolum bonitatis, ac ſcientiæ, ſed etiam potentiæ diuinæ, quoad omnia regenda, cum datus fuerit vſus, ex natura diuinitus inſita participes efficiuntur, ex quibus etiam videas quid ſibi velint alij patres, cum ſcribunt Epiſcopos formam Patris auctoris omnium tenere.

Gregorius Naziāzenus. Athanaſio ſuccedit eadem, ætate viuens Gregorius Nazianzenus qui ſic in oratione decima octaua ad ciues trepidantes alloquens Principes, ac præfectos ſæculares in cauſa ſæculari ad ipſum met Imperatorem pertinente. *Quid vero vos Principes, & præfecti? Ad vos enim iam noſtra ſe conuertit oratio.* Et mox, *Nam vos quoque meæ poteſtati, meoque tribunali lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, Addo etiam præſtantius, ac perfectius, niſi oporteat ſpiritum carni cedere, & terrenis cæleſtia.* Hæc ſanctus aſſerens ipſos Imperatores ipſius Imperio ſubiectos in cauſa ſæculari. obſeruemus enim ſanctum vocabulis vti quæ ſpectant maxime ad ſæcularia, nempe tribunalis, & Imperij. Secundo aſſerere in ipſa re ſæculari eſſe Imperium Sacerdotis præſtantius, ac perfectius. Nam de illa agebatur. Tertio Imperium Sacerdotis reſpectu ſæcularis eſſe, vt ſpiritū reſpectu corporis. ex

quo

quo ſequitur Primo, vt quemadmodum ſi quid agit corpus præter Imperium ſpiritus, malè agit, ita & ſæcularis. Secundo ſpiritum non modo exigere à carne, ne erret, ſed præterea, vt ad culmẽ virtutis aſcendenti ſeruiat. quòd igitur quidam dixit ſpiritum carni non imperare, niſi quoties errat, viam virtutibus, ac maximè ſupernaturalibus interclusit, & habet inumera abſurda. Sic enim ieiunia non eſſent obſeruanda, niſi cum libido vrgeret. Tertio carnis non eſt, vlla in re imperare, ſed exequi Imperium rationis in ſingulis quibuſque actibus ſuis quantumuis naturalibus, ideòque ſpiritus corpori imperat, vt morti ſe ſe obijciat. quod ſi dicas corpus habet officium diſtinctum, videndi, audiendi, ſentiendi, vegetandi, quod non poteſt, neque debet impediri à ſpiritu. Concedimus, verum ſpiritus exigit, vt quam maxime hæc ipſius Imperio ſubijciantur: quamobrem poteſt ſpiritus iubere, ne videam, niſi quod erit ex ipſius præſcripto, ſubtrahit alimenta ne caro ſit nimium vegeta, ac potius mortem ſubiri volet, quàm comedi in opprobriũ diuinæ legis idolis immolata, vel aliud perpetrari indignum Chriſtiano, ſic igitur, auferet vim vegetatiuam. Quarto obſeruemus ab eodem ſancto comparari ſæculare Imperium terrenis, ſpirituale & Eccleſiaſticum cœleſtibus. Sed omnia terrena, quæ generantur, ac mouentur eſſentialiter dependent, quo ad poteſtatem motus ac generationis à cœleſti motu, qui ſi ceſſaret, nihil in terris poſſet moueri, aut gigni. Sic igitur poteſtas ſæcularis nihil poteſt mouere, aut efficere abſque Eccleſiaſtica poteſtate, & re vera ita eſt; nihil enim iure naturali, ac diuino fieri poteſt, niſi ordinetur in Deum, & quatenus in hunc, vel ex virtute actus, vel agentis particularis, vel vniuerſalis, ordinatur eatenus iure naturali, ac diuino fieri aliquid poteſt. Ordinare autem pertinet ad patrem luminum per Filium ſplendorem paternæ gloriæ, humanitatemquè illi in eadem hypoſtaſi, ex qua Filius eſt, coniunctam, configuratoſquè eidem potentiæ paternæ ſupernaturaliter ab eodem Filio Sacerdotes. Nazianzeni ſeculo vixit S. Ambroſius, qui in epiſtola prima ad Corinthios cap. 3. ita ſcribit, *Omnia namque veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei, poſtquam dixit Paulũ, & Cæpham eſſe Chriſtianorum, quia miniſtri ſunt in Chriſto, ſicut & Chriſtus de ſe dixit*, Lucæ 22. *Sum in medio veſtrum, non vt miniſter, ſed vt miniſtrẽ, adijcit mundus vtique noſter eſt, ſed vt de illo ſecundum Dei voluntatem ſentiamus.* Et mox S. Ambroſius.

ex-

explicat quomodo intelligantur omnia veſtra, *Quomodo hæc, ait, iudicio noſtro conceſſa ſunt, & ſubiecta, ita & nos Chriſto ſubijciamur.* Hæc Sanctus. Volens omnia ſubiecta Eccleſiæ (Nam veluti vniuerſos Chriſtianos alloquitur Corinthios) ſicut Eccleſia Chriſto, & Chriſtus Patri. Rurſus idem 1. Corin. 6. explicans illa, ſi Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia, *Hoc eſt*, ait, *non vtique indigni ij, qui ipſum mundum iudicaturi ſunt, ea iudicare, quæ mundi.* Et poſt, *Quia ergo ſunt*, inquit, *ſapientes fratres, aliqui horum eligantur ad iudicandum; quorum iudicio iudicetur mundus, magnus enim pudor eſt, ſi inter eos, qui dicuntur Deum cognouiſſe, non inueniatur, qui examinare poſſit negocia iuxta ius Euangelicum. Ideò autem fratrem eligendum Iudicem dicit, quia adhuc Rector Eccleſiæ illorum non erat ordinatus.* Ita Sanctus. E quibus primo colligimus mundum, cunctaque Eccleſiæ ſubiecta eſſe, vt Chriſtus Patri, neque poteſt dici, aſſeri mundum ſubiectū Eccleſiæ, ſicut & quibuslibet hominibus, neque enim conueniret interpretatio verbis Apoſtoli, qui ſupra dixit humanam ſapientiam deſpici à Deo, deinde ſubijcit, omnia namque veſtra ſunt; ideſt Eccleſiaſtico iudicio ſubiecta, poteſtatique illius iuridicæ, quod falli non poſſit. Secundo habemus idcirco ab Eccleſiaſticis Rectoribus Eccleſiarum, ſiue Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus cuncta iudicanda, quia iudicabunt Angelos. Non eſt igitur alia ratio, ex qua Paulus neceſſariò concludat, & concludi pateat, ab Epiſcopis omnia iudicanda, niſi illa, quod ipſi ex natura ſui ſtatus Apoſtolici Dæmonas iudicabunt, atque ita iudicabunt, vt ab omni terrenorum dominatu pellant, vt ſciamus terrena cuncta Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecta. Tertio vult Sanctus omnia iudicanda iuxtà ius Euāgelicum, ideſt leges ab Eccleſiaſticis iudicatas eſſe Euangelio conformes, iuxtà quas Iuriſconſulti decernunt. Quarto, tum demum vult eligendos eſſe à Chriſtianis iudices ſæcularium rerum, cum deeſt ijs Rector, ſiue Epiſcopus: nullus namq; tunc Corinthiis erat Rector. Hæc ſanctus cætera lib. 5.

S. Hieronymus. S. Hieronymus S. Ambroſium ſequitur, qui ſic in Iſaiæ cap. 60. In illud *gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi peribit, gentes autem & Reges earum, qui ſeruire Eccleſiæ noluerint bonam, & vtilem ſeruitutem, vt in Apoſtolicam transferantur dignitatem, peribunt.* Et mox, explicans illa Iſaiæ, qui iam dixerat Reges perituros, & alios eorum loco ſubſtituendos, & indicans, qui futuri ſint, *Ponam viſitationem tuam pacem, & Præpoſitos tuos iuſtitiam, ſcriptura Sancta, ait, admiranda maieſtas, quod Principes futuros*

Eccle-

Eccleſia nominauit Epiſcopos, nam ſic tranſtulere etiam ſeptuaginta. Et ſequenti capite interpretans alia, *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis; fortitudinem gentium comedetis, in gloria earum ſuperbietis, non ea*, inquit, *ſuperbia, quæ in vitio eſt, cui Deus reſiſtit, vt humilibus det gratiam, ſed ea, quæ pro potentia, & gloria accipitur, vnde & Moyſi cornuta facies erat, qui dicere poterat, in te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & pro ſuperbia gloriæ interpretatus eſt Aquila, purpura veſtiemini, vt inſigne regij decoris oſtenderet.* Hæc ille. Primo volens, ita ſeruituros Eccleſiæ Reges, ex Iſaiæ prædictionibus, vt in Apoſtolicam transferantur dignitatem, ideſt Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus ſint ſeruorũ loco. Secundo Epiſcopos fore Eccleſiarum Principes loco Regum, qui ob contumaciã peribunt, & ita locum hunc Irenæus, vt ſupra vidimus, interpretatur, vt Epiſcopi iudicent cuncta exemplo Moyſis, & Samuelis. Tertio, vult fortitudinem gentium, ſiue potentiam dãdam Sacerdotibus. Quarto Regia purpura ſimul cum poteſtate Regia veſtiendos, conſentiunt hæc cum ijs, quæ ſupra adduximus de Corona communi ſponſæ, & ſponſi. Succeſsit his inter alios Chryſoſtomus, qui ſic lib. 3. de Sacerdotio, *Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt, atque id perquam meritò, quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quaevis creata potentia, ſed Deus ipſe ordinem huiuſmodi diſpoſuit*, Et mox. *Etenim, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs cõmiſſum eſt, vt ea, quae in cœlis ſunt, diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archãgelis datam eſſe voluit.* Et dein. *Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit. Ceterum video ipſam eamdem omnifariam à Filio illis* (Sacerdotibus) *traditam. Nam quaſi in caelum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt.* Hæc Sanctus. E quibus notamus. Primò illam eamdem omnifariam poteſtatem, quam Pater Filio dedit, datam fuiſſe à Filio Sacerdotibus. At Deus dedit Filio omnem poteſtatem in Cœlo & in terra, in temporalibus, ac ſpiritualibus. Ita vt nihil in terris fieri poſsit abſque eius vel iuſſu, vel permiſſu. Secundo Sacerdotes eſſe ſupra humanam naturam poſitos, atque in cœlum translatos, quibus, & ſuperioribus verbis indicat Sanctus diem, quo Chriſtus Aſcenſurus in Cœlum dixit Matthæi cap. vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.*

S. Chryſoſtomus.

uectum, propter coniunctionem hypoſtaticam; *Super omnem principatum, & poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli*, Vultque *hunc principatum, & poteſtatem totam*, dimiſſam Petro, & Eccleſiæ eius per Sacramentum, propter coniunctionem ſcilicet corporis Eccleſiæ cum corpore Chriſti per Euchariſtiæ Sacramentum, quod ſupra eſt à nobis commemoratum. Cyrillum ſequitur S. Auguſtinus homilia ſecunda in Apocalypſim prope finem in illa verba, *Qui vincit, & qui ſeruat opera mea vſque in finem. Dabo ei poteſtatem ſuper gentes, & paſcet eas in virga ferrea, & vt vas figuli comminuentur, ſicut, & ego accepi à Patre meo*, Quo loco ſpiritus alloquitur Angelos, vel Epiſcopos Eccleſiarum, quocirca non pertinent illa verba ad priuatos, vt recte interpretatur, idem Sanctus, ac ſubiicit, *In Chriſto habet Eccleſia hanc poteſtatem, ſicut dicit Apoſtolus, cum illo omnia nobis donauit. virgam ferream, dicit propter iuſtitiæ rigorem, & de ipſa virga corriguntur boni, confringuntur mali*. Ex his habemus primò, à Chriſto ipſo dici, a ſe dari virgam ferream ad regendas gẽtes illi Eccleſiæ, quæ ſeruat verba Chriſti, dariq; eodem modo, quo accepit ipſe à Patre. Igitur, dempta excellentiæ poteſtate, habet Eccleſia hãc poteſtatem, Nam ſeruat ipſa Chriſti verba, quod ſi qua ſingularis non ſeruat, vt in Oriente videmus, nil prorſus habebit. Secundo *omnia cum Chriſto donata*, fuiſſe Eccleſiæ à Deo. Sic igitur, &, *virga ferrea*, qua gẽtes regũtur, & ipſa vis cõpulſiua eſt data. probantur hæc è manifeſtiſsimis euẽtis, de quibus libris de Ruinis gẽtiũ, & ad finẽ ſexti huius. ſemper enim quæcũq; gens maximè pia fuit, maximè ſub Imperiũ ſuum miſit alias gentes: contra accidit repugnantibus Eccleſiaſticæ poteſtati. Rurſus idem homilia 50. de vtilitate credendi, *Vnctus erat Dauid vnctione venerabili, qua regale Sacerdotium præfigurabatur Eccleſiæ*, & pſal. 103. *Petrus, vt ſequeretur Dominum, cum piſcator eſſet, quid potuit dimittere? vel frater eius Andreas, Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, etiam ipſi piſcatores? & tamen quid dixerunt? Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Non eis, dixit dominus, oblitus es paupertatem tuam, quid dimiſiſti, vt totum mundum acciperes? multum dimiſit fratres mei, multum dimiſit. quid? non ſolum dimiſit, quidquid habebat, ſed etiã quidquid habere cupiebat. quis enim pauper non turgeſcit in ſpe ſæculi huius? quis non quotidie cupit augere, quod habet? ibat in immenſum, accepit modum, & nihil dimiſſum eſt. prorſus totum mundum accepit Petrus, quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes*, Hæc Sanctus docens nos Primò dimiſſa

S. Auguſtinus.

S. Cyril.

à Petro cuncta temporalia mundi, quatenus ab ipſo priuatam perſonam gerente poſsideri, & haberi poterant, data illi fuiſſe à Chriſto omnia temporalia mundi, quatenus ab ipſo publicam gerente poſsideri,& haberi,ſi ius ipſum naturale, ac diuinum ſpectemus, poterant. Secundo reddita fuiſſe Petro illa ipſa,quæ demiſerat ideſt eamdem functionem recipientia in genere ſuo, ſiue eiuſdem generis, ac functionis. Nam quàcumque piſcator ille pergebat,deducebatur cum magno honore alienis impenſis,ac veluti Deus honorabatur, ita vt Hieroſolymis ex præſcripto ipſius, & opibus ad pedes eius proiectis hominum multa millia paſcerentur, & verè ad ipſum cuncta ſpectarent dominij cuiuſdam Regij, ac paterni iure. Auguſtinum ſequitur S.Paulinus, qui poſt S. Auguſtini obitum captiuus in Africa fuit. Sic igitur ille ad Cytherium ſcribens. S. Paulin.

Habes & illud, ventris è fructu tui,
In ſedibus ponam tuis;
Qui ſermo Dauid quamlibet Chriſtum ſonet:
In Chriſto & illis concinit,
Qui Chriſtiani corporis collegio
In ſede ponuntur Dei.

Hæc S. Paulinus, volens Regiam Dauidis poteſtatem pertinere ad Epiſcopos, vt ſupra è S. Epiphanio latè expendebamus. ætatem horum excepit Caſsiodorus Senator quod è quarta Epiſtola libri primi variarum ac certis hiſtoriarum monumentis, quæ non eſt opus, affere, conſtat. Sic vero hic, cum creatus eſſet Præfectus prætorio lib. 11. ad Ioannem Papam. Caſsiodorus. *Nolite in me tantum reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis,vos Patris nomine vniuerſa diligitis. ſecuritas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus commiſſa eſt cuſtodia.quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia. paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem; Tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate; Ita boni patris eſt,vtraque refouere,* Et mox.. *Sum quidem Iudex palatinus, ſed veſter non deſino eſſe diſcipulus; Nam tunc iſta recte gerimus, ſi à veſtris regulis minime recedamus.* Hæc Senator. è quibus colligimus primo, Pontificis eſſe, non ſpiritualia modo, ſed etiam temporalia cuſtodire; de temporalibus loquitur his verbis Caſsiodorus, nã

cum dicit; à ſe cuſtodiri aliqua, à Pontifice omnia; Neceſſe eſt verbum (omnia) referatur ad temporalia, ſicut & aliqua. Alioquin ineptè loqueretur. Secundo Pontificem non poſſe, etiam ſi velit, negligere temporalia. Tertio ſequi hoc neceſſario, ex ipſa humana natura. Homo enim per ſe eſt vnum, qui rectè conſulit igitur animæ, neceſſariò conſulit corpori, & viciſsim. Poſtremo tum rectè adminiſtrari ſæcularia, cum iuxtà Eccleſiaſticas regulas, vel leges ab ipſis approbatas adminiſtrantur.

Viuente adhuc Caſsiodoro, viuebat Gregorius Magnus, qui ſic in Pſalm. 4. Pœnitentialem verſ. *Vigilaui, & factus ſum, ſicut paſſer ſolitarius in tecto,* Exclamans aduerſus Imperatorem Mauritium, ac cæteros libertatis Eccleſiaſticæ violatores, *Sponſam Chriſti captiuam cupit adducere, & paſsionis Dominicae Sacramentum auſu temerario contendit euacuare: Eccleſiam quippè quam ſuis ſanguinis precio redemptam, Saluator noſter voluit eſſe liberam, hanc iſte poteſtatis Regiae iura tranſcendens facere conatur ancillam. quanto meliùs foret, ſibi Dominam ſuam eſſe agnoſcere; eique religioſorum Principum exemplò deuotionis obſequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuae dominium accepit poteſtatis. ipſe enim eſt, qui ait, per me Reges regnant.* Et mox. *In tantum autem ſuae temeritatem extendit veſaniae, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam, ſibi vendicet, & in dominam gentium terrenae ius poteſtatis exerceat.* Hæc Sanctus. è quibus Primo colligimus Eccleſiam eſſe Imperatorum dominam, neq; dicas eſſe in Epiſcopalibus, vt enim cætera mittamus, eò loco agit Gregorius de Imperatore, vt Imperatore, qui tamquam talis Eccleſiæ ſibi iura vendicare audebat, Imperator verò, vti Imperator, non habet niſi Imperium, cuius domina Eccleſia eſſe poſsit: & Mauritius haud negabat ſe Eccleſiæ in ſpiritualibus ſubiectum, Catholicusque maximè erat, neque item dicas Imperium ſubiici Eccleſiæ, cum pro tuenda Chriſti fide, aut virtutibus militatur; Mauritius namque, & pro Chriſti fide, & virtutibus alioquin militabat, neque adhuc dicas, in hoc non agnoſcebant dominam, quod eius iura vſurpabat; Gregorius enim dicit, non modo Eccleſiam liberam agnoſcendam, ſed prætereà Dominam. Secundo colligimus Eccleſiæ dominium non aliud eſſe, niſi Dei dominium, à quo ſunt omnia dominia. Clarè enim S. Gregorius ait, extendere in Eccleſiam ſuum dominium, nihil aliud eſſe niſi extendere dominium in Deum, à quo ſunt omnium dominia. Tertio ſcribit Eccleſiam

 eccleſiam

ſiam eſſe dominam gentium; ſed Eccleſia non poteſt dici dominā ſpiritualium, ſed miniſtra, ac diſpenſatrix: quod ſi dicas eſſe dominam diſpenſationis. Reſpondemus, tunc non erat domina gentium. Rurſus patet, vnde hoc deſumptum ſit à Sancto, nempè è threnis Ieremiæ, in quibus agitur de regno temporali Hieruſalem ſubuerſo.

Poſt hæc in multis Toletanis, & Hiſpanicis Conciliis apparet, omnia tam Regiæ, quàm cuiuslibet ſæcularis poteſtatis, omnino diſponenda ex auctoritate Epiſcoporum, recitamus illa libro ſexto cap. 14. Toletana.

Cum verò de auctoritate Pontificis Hormiſdæ ab Archiepiſcopo Rhemenſi cōferretur vnicuique Francorum Regum Galliæ regnum, quod eodem capite aperitur; Zacharias miſſo Bonifacio Archiepiſcopo Maguntino; & coacto Epiſcoporum Concilio, re tota maturè perpenſa, & examinata, tranſtulit illud à Chilperico ſtupido viuente in Pipinum Caroli Martelli filium. de qua actione ſuo loco dicetur. Archiepiſcopi Rhemenſis.

Angelomus vixit hoc ſæculo, qui ſic libri Regum primi cap. 2. *Per Imperium, quod à Patre Filius accepit, ſpecialiter Eccleſia, tantummodo deſignatur, de quo per Pſalmiſtam Pater loquitur dicens: Poſtula à me, & dabo tibi gentes in haereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terrae; cuius terminos indicat, ſicut ſuperius dictum eſt, Dominus indicabit fines terrae. Pater non iudicat quemquam, inquit, in Euangelio, ſed omne iudicium dedit Filio, & illud, poteſtatem dedit ei facere iudicium quia Filius hominis eſt; de quo etiam alibi ipſe Filius dicit, ego autem conſtitutus ſum ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius; de quo etiam Imperio ſubnectit dicens; & ſublimabit cornu Chriſti ſui, hoc ad corpus eius, quod eſt Eccleſia referri omnes volunt, omnes quippe vnctos eius Chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere; quod tamen totum cum ſuo capite; corpus vnus eſt Chriſtus: cuius Chriſti regnum, ideſt corporis ſui, ipſe Filius ſublimauit, quando vbique dilatauit, & in fide firmiter ſtabiliuit, & regna mundi confregit, & ſuperari ea fecit, iuxta quod per Pſalmiſtam ait, & omnia cornua peccatorum confringam, ideſt regna, & exultabuntur cornua iuſti, ideſt populi electi.* Ex his Angelomi verbis colligimus, illud ipſum Imperium, quod Chriſto Deus dedit, eſſe ipſam met Eccleſiam. Secundo cornu Chriſti, eſſe ipſius corpus, ideſt, Eccleſiam. Tertio propterea Chriſtianos, omnes eſſe Chriſtos, ideſt vnctos, ac Reges, quia participant cuncti Chriſtiani, hanc Angelomus.

Regiam poteſtatem in Eccleſia pro modo ſuo. Idcircò, aiebat S. Gregorius epiſtola ad Phocam Chriſtianis imperari, vt liberis modo conſultiuo; & ciuili, cæteris modo deſpotico, & herili: Quocirca, qui in Eccleſia Dei primas tenent, vt Clerici, Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifex ſummus omnium maximè participant hanc poteſtatem. Quarto, extrà hanc poteſtatem non eſſe aliã: poteſtas namque omnis, & iudicium, gentes, ac termini totius terræ, cuncta hæc Filio, vt homini data ſunt. Gentes igitur exteræ iura habent, quia Chriſtus, & Eccleſia volunt eas habere. Poſtremo eſſe idem Chriſti regnum, quod Eccleſiæ regnum, vel populi electi, à quo cuncta regna aduerſantia conterantur. ſuffragatur Angelomo, & his, quæ dicta ſunt.

Rabanus. Rabanus Maurus de inſtitutione Clericorum capite tertio, *Quod vero detonſo ſuperius capite, inferius circuli corona deſcribitur, Sacerdotium, regnũq; Eccleſiæ in eis, vt exiſtimo, figuratur. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta rotunda erat, & hoc ſignificatur in parte capitis, tonſura: corona autem aurea latitudo eſt circuli, quae Regum capita cingit. Vtrumque ſignum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine, quod ſcriptum eſt, Petro Apoſtolo dicente, vos eſtis regale Sacerdotium.*

Anſelmus. Sæculum Rabani ſecutus eſt S. Anſelmus, qui 1. ad Corinth. 3. Interpretans illa Apoſtoli verba omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei, *Omnia enim*, inquit, *Quaecumque ſunt, veſtra ſunt ad poſſidendum, ſed vos eſtis Chriſti poſſeſſio, non hominis: vt quomodo omnia iudicio veſtra conceſſa ſunt, & ſubiecta, ſic & vos Chriſto ſubijciamini.* Et mox. *Cur ergo ad iniuriam Chriſti de hominibus ſperatis, cum ipſe vobis, & homines, & omnia ſubiecerit, vt illi ſubijciamini?* Hæc Sanctus. Primo volens Eccleſiæ data & ſubiecta. (Nam tamquam membra Eccleſiæ Corinthios alloquitur) quæcumque ſunt in terris ad poſsidendum, & iudicandum. Secundo ſubiectos eſſe illi homines. eadem tradit Sanctus cap. 2. Apocalypſis, prope finem.

Otho Friſingẽſis. Anſelmi ætate Otho Friſingenſis excepit, qui ſic libri 6. cap. 36. *Romanum Imperium ferro in Daniele comparatum pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec à lapide praeciſo de monte ſine manibus eſt exciſum, quẽ Eccleſiam capitis ſui corpus ſine carnali commixtione ex Spiritu Sancto conceptum ex Virgine natum, ipſam quoque ſine humana operatione, & ex Spiritu, & aqua regeneratum dixerim; quae Virgo ſpecioſa, quia ſine macula in*

nouum

nouum hominem, tamquam iuuencula regenerata, ideoque ſine ruga, ſic quotidie virgo manens nouum, ac ſpecioſum parit populum; ſicut mater eius virgo manens, contra legem naturae nouum, ac ſpecioſum edidit partum, ſic de virginitate gaudens, vt tamen ſterilis non maneat. Hoc nimirum regnum circa finem ſuum, quem pedes ſignificant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte, quae infirmior fuit percuſſit, dum Regem orbis, non tamquam orbis Dominum vereri, ſed tamquam de limo per humanam conditionem factum fictilem gladio anathematis (ſignat Henricum Tertium) ferire decuit: ipſa vero, quà antea parua fuit, & humilis, in quantum montem exereuerit, ab omnibus iam videri poteſt. Hæc Otho volens Eccleſiam ſignificatam lapide illo Danielis, qui totam terram regnaque complectens, & continens occupauit.

Concludet antiquorum Patrum, Doctorumq; dicta ab Apoſtolicis temporibus temporũ ſeruato ordine deducta S. Bernardus, lib. 3. cap. 8. ad Eug. cuius verba referimus eò reiicimus lectorẽ: ex ijs certè habemus. Primò gladium bellicum ex ipſius Chriſti verbis eſſe Eccleſiæ, Pontificisque ſummi. Secundò, ſic eſſe huius magis, quam Imperatoris, vt è vagina educendus ſit ſimul atque annuerit Pontifex: ſed cũ vult Imperator educi, ſit huius expectanda iuſsio. Tertio, niſi gladius ſic Eccleſiæ foret, Eccleſia non haberet, quod ipſi eſt ſatis, ſiue ſibi ſufficiens. Poſtremo quoties eſt educendus, Primò Sacerdotis, deinde militis eſt manu educendus. Alia verba eiuſdem Sancti, adducuntur initio tertij libri, quibus ita alloquitur Eugenium *Tu es primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus.* Alia ſunt eiuſdem epiſt. 243. ad Conradum Romanorum Regem, *Nonne vt Apoſtolica Sedes, Ita & Roma caput Imperij eſt?* ſed omnium pulcherrimum, ſimulque euidentiſsimum ſancti Bernardi eſt illud teſtimonium ſermone ad Paſtores in ſynodo congregatos in fine. *Si tantum faceretis iudicium, neque aliquod haberetis dominium, iudices tantum eſſetis, non iuſtificatores; & ideo iuſtitiam facere non poſſetis. propter hoc, qui dedit vobis iudicium, dedit & dominium, vt praedixit Propheta, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. duplex eſt dominium Prælatorum; habent enim claues Eccleſiae, quibus claudunt, & nemo aperit; aperiunt, & nemo claudit; habent & regalia, quia Domini ſunt vrbium, & oppidorum; nec ſolum Epiſcopatus, ſed & conſula-*

S. Bernardus.

non dicam de me (quam enim ego ſum) ſed de Deo, & Chriſti iudicio iudicare. Hoc eſt in Deum non credere; hoc eſt rebellem aduerſus Chriſtum, & aduerſus Euangelium eius exiſtere. Et mox, *Perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrij ſublimitatē prouexit, me autem proſcriptionis onere depreſſit, cum publicè legeretur, ſiquis tenet, vel poſſidet de bonis Cacilij Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum, vt etiam, qui non crederet Deo Epiſcopum conſtituenti, vel Diabolo crederet Epiſcopum proſcribenti, Nec hæc iacto, ſed dolens profero, cum te Iudicem Dei conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, qui audit vos, me audit, qui me audit, audit eum, qui me miſit.* Hæc ſanctus vocans Diabolos, in Deum non credentes, rebelles aduerſus Chriſtum, qui inquirunt in Sacerdotes. Dices hoc pertinere ad libertatem, non poteſtatē. Atqui ſanctus affert, quod pertinet ad poteſtatem nempe, *Qui vos audit me audit*, & ea pertinere vult, ad omnia. nam tpalia magis facta ſunt ob ſpiritualia, q̄ propter ſeipſa; caroq; cum bonis externis facta eſt, vt ſeruiat ſpiritui cū bonis illis. Audiamus igitur eundē libello de vnctione chriſmatis. *Hoc oleo antiquitus Sacerdotes ſacrabantur, & Reges, & ipſi altarium lapides delibuti ſpiritualem intelligi volebāt ſacris myſterijs ineſſe pinguidinem, & ſicut oleum fluitat, & humidis quibuſlibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis, & Regiae dignitatis ſecundum formam Dei, & Chriſti, ſub ſe omnia continens regimen & munimentū, tā actiuae, quam contemplatiuae vitæ obtinet, & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas Spiritus Sanctus prout vult, ſingulis diſtribuit, & largitur.* Hucuſque ſanctus, è quibus primo habemus agi hoc loco de vnctione ſacerdotali; quod patet; ait enim ex hoc humore conſtat, deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas Spiritus ſanctus, prout vult, ſingulis diſtribuit, & largitur, agit itaque de ſupernaturali effectu vnctionis, qui eſt in ſolo Sacerdote, ſiue ordine clericali: Secundò attribuit duo Sacerdoti, ſiue Epiſcopo (idem namq; ambobus character, ſed Epiſcopo dilatatus, quo ad iuriſdictionē fori exterioris) formam tenere eū Dei, & Chriſti; vt videamus doctrinam, quæ à Chriſto deriuata per manus tradita eſt ſingulis: cognouimus namque Dionyſium, Ignatium, & Clementem, eadem tradidiſſe, Nempe Epiſcopo formam Patris attribui, ſicut etiam videbimus, attribui eidem ab Athanaſio potentiam Patris. Tertio, vult ab excellentia Sacerdotalis, ac Regiæ dignitatis omnia contineri. Quarto vult contineri

neri ſecundum formam Dei, ex qua diximus attribui à patribus Epiſcopo potentiam. Pater namque, vti Pater, origo eſt omnium. Nam communicatur Epiſcopo omnis poteſtas, quæ communicatur cuilibet humanæ poteſtati naturali ad humanam naturam regendam, ſed & præterea multo amplior. Poſtremò, vult ſub Epiſcopo eſſe regimen, & munimen tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ. Cum vero hic actiua intelligatur, vti complectitur omnes actiuæ vitæ partes; Epiſcopusq; eſt in ſtatu perfectionis exercẽdæ in alios, neceſſe eſt, igitur habeat ex hoc ipſo etiã quæcunq; alios munire poſſunt, atque idcirco vim militarem. Arnobius ſæculo Cypriani adhuc viuentis ſucceſsit. Sic igitur in Pſalm. 139. *Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti, quod vt doceam, illud oſtendo, quia nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit, ſolus enim dominus Ieſus Chriſtus dicebat, Ego ſum paſtor bonus,* Et iterum, *Me,* inquit, *ſequuntur oues meæ, hoc ergo nomen Sanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt Reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſsit, & negatus negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, poteſtatem, vt non ſolum recuperaſſe, quod amiſerat, probaretur, verum etiam multo amplius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquiſiſſe.* Hæc Arnobius volens Primò datum Petro ſoli, non ſolum Paſtoris nomen, & dignitatem, ſed etiam poteſtatem. ſed in ſacris Scripturis nomen, hoc præcipuè refertur ad Regiam poteſtatem, quod habetur 1. Reg. 25. 1. Paralipom. 2. & 17. & 2. Paralip. 10. Item Pſal. 77. Ieremiæ 3. & 23. Ezechielis 34. Oſeæ 4. Micheæ 5. & 7. Sophoniæ 2. & 3. & notant Lucifer Caralitanus libro de non parcendo in Deum delinquentes, Origenes hom. 2. in Geneſim. Secundò probatur, quia dicit ſoli Petro datam poteſtatem, quam ſolus Chriſtus habet. At Chriſtus non modo ſpiritualium, ſed etiam temporalium ſupremam poteſtatem ſolus habet. ſi quid ergo conuenit ſoli Chriſto, quoad poteſtatem, conceſſum Petro cenſebitur, niſi probetur negatum.

Arnobius.

Arnobij tempora excepit S. Athanaſius, qui ſic Oratione ſecunda in Arianos de Chriſto inuncto loquens, ait, *Thronus tuus Deus in ſæcula ſæculorum, virga rectitudinis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus, oleo exultationis præ participatoribus tuis. videte Ariani, & ſaltem vel hinc cognoſcite participatores Domini, cæteros omnes Pſalmiſtam appellaſſe,* Et mox oſtendens Epiſcopos, ac Sacerdotes fieri Reges, ait, *Et hic quidem (*Chriſtus*) vngitur, non vt Deus*

S. Athanaſius.

ſiat, nam id erat: neque vt Rex efficiatur, eum iam ab aeterno regnaret, quippe qui erat imago Patris, quemadmodum ex hoc elogio oſtenditur, ſed pro nobis (hoc nota) *quoque hoc inter caetera ſcriptum eſt. Nam reges Iſraelitæ inungendo Reges fiebant, cum antea priuati homines eſſent, vt Dauid, Ezechias, vt Ioſias, cæterique alij.* Hæc Sanctus volens Chriſtum, vt hominẽ fuiſſe inunctũ, tamquam Regem, vt nos efficeret, tam quoad ſpiritualia potiſsimum, quàm quoad temporalia Reges, vti fuerant Dauid, Ezechias, & alij, *pro nobis* inquit. Rurſus idem ad Serapionem Epm, *Sigillum porrò formam Chriſti ſigillantis habet, eiusque participes efficiuntur, qui ſignantur ſecundum eam ſpeciem conformati dicente Apoſtolo, filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis Chriſtus formetur. ita porro ſignati conſortes efficimur,* Et mox. *Conſtat igitur vnguentum, quo imbuti ſumus, & ſigillum, quo ſignati ſumus, non eſſe naturæ rerum conditarum, ſed filij, ob ſpiritum, qui in eo eſt, qui nos coaptat Patri.* Hæc ille. Primo volens Chriſtum, vt hominem per admirabilem inunctionem eſſe omnium, tam ſpiritualium, quam temporalium Regem. Secundo nos participare eamdem vnctionem Regiam, veluti Dauid, & Ezechias. Tertio per illam coaptari Patri, cui potentia ſumma attribuitur. Nam licet vngantur alij, tamen per ordinis vnctionem ſoli ſacerdotes, atque Epiſcopi vnguntur, atque vti diximus, non ſolum bonitatis, ac ſcientiæ, ſed etiam potentiæ diuinæ, quoad omnia regenda, cum datus fuerit vſus, ex natura diuinitus inſita participes efficiuntur, ex quibus etiam videas quid ſibi velint alij patres, cum ſcribunt Epiſcopos formam Patris auctoris omnium tenere.

Gregorius Naziãzenus. Athanaſio ſuccedit eadem, ætate viuens Gregorius Nazianzenus qui ſic in oratione decima octaua ad ciues trepidantes alloquens Principes, ac præfectos ſæculares in cauſa ſæculari ad ipſummet Imperatorem pertinente. *Quid vero vos Principes, & præfecti? Ad vos enim iam noſtra ſe conuertit oratio.* Et mox, *Nam vos quoque meæ poteſtati, meoque tribunali lex Chriſti ſubijcit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, Addo etiam præſtantius, ac perfectius, niſi oporteat ſpiritum carni cedere, & terrenis cæleſtia.* Hæc ſanctus aſſerens ipſos Imperatores ipſius Imperio ſubiectos in cauſa ſæculari. obſeruemus enim ſanctum vocabulis vti quæ ſpectant maxime ad ſæcularia, nempe tribunalis; & Imperij. Secundo aſſerere in ipſa re ſæculari eſſe Imperium Sacerdotis præſtantius, ac perfectius. Nam de illa agebatur. Tertio Imperium Sacerdotis reſpectu ſæcularis eſſe, vt ſpiritũ reſpectu corporis. ex

quo

quo ſequitur Primo, vt quemadmodum ſi quid agit corpus præter Imperium ſpiritus, malè agit, ita & ſæcularis. Secundo ſpiritum non modo exigere à carne, ne erret, ſed præterea, vt ad culmē virtutis aſcendenti ſeruiat. quòd igitur quidam dixit ſpiritum carni non imperare, niſi quoties errat, viam virtutibus, ac maximè ſupernaturalibus interclusit, & habet inumera abſurda. Sic enim ieiunia non eſſent obſeruanda, niſi cum libido vrgeret. Tertio carnis non eſt, vlla in re imperare, ſed exequi Imperium rationis in ſingulis quibuſque actibus ſuis quantumuis naturalibus, ideòque ſpiritus corpori imperat, vt morti ſe ſe obijciat. quod ſi dicas corpus habet officium diſtinctum, videndi, audiendi, ſentiendi, vegetandi, quod non poteſt, neque debet impediri à ſpiritu. Concedimus, verum ſpiritus exigit, vt quam maxime hæc ipſius Imperio ſubijciantur: quamobrem poteſt ſpiritus iubere, ne videam, niſi quod erit ex ipſius præſcripto, ſubtrahit alimenta ne caro ſit nimium vegeta, ac potius mortem ſubiri volet, quàm comedi in opprobriū diuinæ legis idolis immolata, vel aliud perpetrari indignum Chriſtiano, ſic igitur, auferet vim vegetatiuam. Quarto obſeruemus ab eodem ſancto comparari ſæculare Imperium terrenis, ſpirituale & Eccleſiaſticum cœleſtibus. Sed omnia terrena, quæ generantur, ac mouentur eſſentialiter dependent, quo ad poteſtatem motus ac generationis à cœleſti motu, qui ſi ceſſaret, nihil in terris poſſet moueri, aut gigni. Sic igitur poteſtas ſæcularis nihil poteſt mouere, aut efficere abſque Eccleſiaſtica poteſtate, & re vera ita eſt; nihil enim iure naturali, ac diuino fieri poteſt, niſi ordinetur in Deum, & quatenus in hunc, vel ex virtute actus, vel agentis particularis, vel vniuerſalis, ordinatur eatenus iure naturali, ac diuino fieri aliquid poteſt. Ordinare autem pertinet ad patrem luminum per Filium ſplendorem paternæ gloriæ, humanitatemque illi in eadem hypoſtaſi, ex qua Filius eſt, coniunctam, configuratoſque eidem potentiæ paternæ ſupernaturaliter ab eodem Filio Sacerdotes. Nazianzeni ſeculo vixit S. Ambroſius, qui in epiſtola prima ad Corinthios cap. 3. ita ſcribit, *Omnia namque veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei, poſtquam dixit Paulū, & Cæpham eſſe Chriſtianorum, quia miniſtri ſunt in Chriſto, ſicut & Chriſtus de ſe dixit,* Lucæ 22. *Sum in medio veſtrum, non vt miniſter, ſed vt miniſtrē, adijcit mundus vtique noſter eſt, ſed vt de illo ſecundum Dei voluntatem ſentiamus.* Et mox

S. Ambroſius.

explicat quomodo intelligantur omnia veſtra, *Quomodo hæc*, ait, *iudicio noſtro conceſſa ſunt, & ſubiecta, ita & nos Chriſto ſubijciamur.* Hæc Sanctus. Volens omnia ſubiecta Eccleſiæ (Nam veluti vniuerſos Chriſtianos alloquitur Corinthios) ſicut Eccleſia Chriſto, & Chriſtus Patri. Rurſus idem 1. Corin. 6. explicans illa, ſi Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia, *Hoc eſt*, ait, *non vtique indigni ij, qui ipſum mundum iudicaturi ſunt, ea iudicare, quæ mundi.* Et poſt, *Quia ergo ſunt*, inquit, *ſapientes fratres, aliqui horum eligantur ad iudicandum; quorum iudicio iudicetur mundus, magnus enim pudor eſt, ſi inter eos, qui dicuntur Deum cognouiſſe, non inueniatur, qui examinare poſſit negocia iuxta ius Euangelicum. Ideò autem fratrem eligendum Iudicem dicit, quia adhuc Rector Eccleſiæ illorum non erat ordinatus.* Ita Sanctus. E quibus primo colligimus mundum, cunctaque Eccleſiæ ſubiecta eſſe, vt Chriſtus Patri, neque poteſt dici, aſſeri mundum ſubiectũ Eccleſiæ, ſicut & quibuslibet hominibus, neque enim conueniret interpretatio verbis Apoſtoli, qui ſupra dixit humanam ſapientiam deſpici à Deo, deinde ſubijcit, omnia namque veſtra ſunt; ideſt Eccleſiaſtico iudicio ſubiecta, poteſtatique illius iuridicæ, quod falli non poſſit. Secundo habemus idcirco ab Eccleſiaſticis Rectoribus Eccleſiarum, ſiue Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus cuncta iudicanda, quia iudicabunt Angelos. Non eſt igitur alia ratio, ex qua Paulus neceſſariò concludat, & concludi pateat, ab Epiſcopis omnia iudicanda, niſi illa, quod ipſi ex natura ſui ſtatus Apoſtolici Dæmonas iudicabunt, atque ita iudicabunt, vt ab omni terrenorum dominatu pellant, vt ſciamus terrena cuncta Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecta. Tertio vult Sanctus omnia iudicanda iuxtà ius Euãgelicum, ideſt leges ab Eccleſiaſticis iudicatas eſſe Euangelio conformes, iuxtà quas Iuriſconſulti decernunt. Quarto, tum demum vult eligendos eſſe à Chriſtianis iudices ſæcularium rerum, cum deeſt ijs Rector, ſiue Epiſcopus: nullus namq; tunc Corinthiis erat Rector. Hæc ſanctus cætera lib. 5.

S. Hieronymus. S. Hieronymus S. Ambroſium ſequitur, qui ſic in Iſaiæ cap. 60. In illùd *gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi peribit, gentes autem & Reges earum, qui ſeruire Eccleſiæ noluerint bonam, & vtilem ſeruitutem, vt in Apoſtolicam transferantur dignitatem, peribunt.* Et mox, explicans illa Iſaiæ, qui iam dixerat Reges perituros, & alios eorum loco ſubſtituendos, & indicans, qui futuri ſint, *Ponam viſitationem tuam pacem, & Præpoſitos tuos iuſtitiam, ſcriptura Sancta, ait, admiranda maieſtas, quod Principes futuros*

Eccleſia nominauit Epiſcopos, nam ſic tranſtulere etiam ſeptuaginta. Et ſequenti capite interpretans alia, *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis; fortitudinem gentium comedetis, in gloria earum ſuperbietis, non ea,* inquit, *ſuperbia, quæ in vitio eſt, cui Deus reſiſtit, vt humilibus det gratiam, ſed ea, quæ pro potentia, & gloria accipitur, vnde & Moyſi cornuta facies erat, qui dicere poterat, in te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & pro ſuperbia gloriæ interpretatus eſt Aquila, purpura veſtiemini, vt inſigne regij decoris oſtenderet.* Hæc ille. Primo volens, ita ſeruituros Eccleſiæ Reges, ex Iſaiæ prædictionibus, vt in Apoſtolicam transferantur dignitatem, ideſt Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus ſint ſeruorũ loco. Secundo Epiſcopos fore Eccleſiarum Principes loco Regum, qui ob contumaciã peribunt, & ita locum hunc Irenæus, vt ſupra vidimus, interpretatur, vt Epiſcopi iudicent cuncta exemplo Moyſis, & Samuelis. Tertio, vult fortitudinem gentium, ſiue potentiam dãdam Sacerdotibus. Quarto Regia purpura ſimul cum poteſtate Regia veſtiendos, conſentiunt hæc cum ijs, quæ ſupra adduximus de Corona communi ſponſæ, & ſponſi. Succeſsit his inter alios Chryſoſtomus, qui ſic lib. 3. de Sacerdotio, *Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt, atque id perquam meritò, quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed Deus ipſe ordinem huiuſmodi diſpoſuit,* Et mox. *Etenim, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs cõmiſſum eſt, vt ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archãgelis datam eſſe voluit.* Et dein. *Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit. Ceterum video ipſam eamdem omnifariam à Filio illis (*Sacerdotibus*) traditam. Nam quaſi in caelum translati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt.* Hæc Sanctus. E quibus notamus. Primò illam eamdem omnifariam poteſtatem, quam Pater Filio dedit, datam fuiſſe à Filio Sacerdotibus. At Deus dedit Filio omnem poteſtatem in Cœlo & in terra, in temporalibus, ac ſpiritualibus. Ita vt nihil in terris fieri poſsit abſque eius vel iuſſu, vel permiſſu. Secundo Sacerdotes eſſe ſupra humanam naturam poſitos, atque in cœlum translatos, quibus, & ſuperioribus verbis indicat Sanctus diem, quo Chriſtus Aſcenſurus in Cœlum dixit Matthæi cap. vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.*

S. Chryſoſtomus.

terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Rurſus idem plenius libro aduerſus Gentiles, explicans factum ſancti Babyle aduerſus Philippum Imperatorem; vt fuſius à nobis aperitur libro quinto. *Futurorum enim poſthac, & Sacerdotum, & Regum animos, horum, quidem demiſit, illorum autem extulit planum faciens, terra, & eorum, quae in terra fiunt, curam; & praefecturam verius reſidere penes Sacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus, ac purpura indutus eſt; necnon oportere de poteſtatis huius amplitudine Sacerdotem nihil detrahere, ſed hominem potius exuere, quam auctoritatem huic principatui supernè à Deo attributam deponere*. Hucuſque Sanctus. E quibus colligimus. Primo terræ, & eorum, quæ in terra fiunt, curam, & præfecturam verius reſidere penès Sacerdotem, quàm Imperatorem. Secundo non agi ab ipſo de rebus ſpiritualibus; ait enim terræ tum curã, tum præfecturàm. Tertio conſtat hoc; nam ſpiritualium curà nullà eſt penes Imperatorem, & tamen ait, curam terræ penès Imperatorem reſidere, ſed verius penès Sacerdotem. Similiter alibi Sanctus ait, Petrum conſtiturum ſuper omnia Dei bona. Chryſoſtomo æqualis fuit ſanctus Epiphanius, qui ſic hæreſ. 29. *Thronus igitur Dauid, & regia ſedes eſt Sacerdotium in ſancta Eccleſia, quàm dignitatem Regiam, ſimulque Pontificiam ſimul coniunctam largitus eſt Dominus ſanctae Eccleſiae ſuae, translato in eam throno Dauid non deficiente in aeternum, illic enim per ſucceſsionem durauit thronus Dauid, vſque ad ipſum Chriſtum non deficientibus Principibus ex Iuda; donec venit, cui reſtabant, quae reſeruabantur ipſi, & ipſe expectatio gentium. defiuerunt enim in Chriſti aduentu Principes per ſucceſsionem ex Iuda, qui vſque ad Chriſtum praeſiderunt. intercidit enim ordo, & ceſſauit, quando ipſe natus eſt in Bethleem Iuda tempore Alexandri, qui erat de genere Sacerdotali & Regio; à quo Alexandro intercidit haec ſors à temporibus ipſius, & Salome, quam etiam Alexandram appellant in temporibus Herodis Regis, & Auguſti Romanorum Imperatoris. Hic Alexander vnus ex vnctis, & Praeſidibus exiſtens etiam diadema ſibi ipſi impoſuit. coniunctis enim duobus tribubus Regia, ac Sacerdotali Iuda, inquam, & Aaron, & tota tribu Leui, ſic Reges, & Sacerdotes fiebant. nihil enim ex verbis Sanctae Scripturae aberrauit. Tunc vero Rex alienigena, & non amplius Herodes, & non amplius ſucceſſores Dauid diadema imponebant, translapſa Regia ſede in Chriſto ad Eccleſiam*. Et mox. *Non enim venit* (Chriſtus) *vt Regni progreſſum acciperet, qui ſemper regnat*

S.Epiphanius.

regnat. largitus eſt autem ſub ſe conſtitutis regnum, vt ne diceretur à paruis ad maiora procedere. Manet autem thronus eius, & regni eius non erit finis, & ſedet ſupra thronum Dauid, ita vt regnum Dauid vnà cum Pontificatu tranſtulerit, ac largitus ſit ſeruis ſuis, hoc eſt Pontificibus Catholicæ Eccleſiæ. Ita Epiphanius primò, nos docens in Chriſtum fuiſſe tranſlatum thronum Dauidis, de quo prædictum fuerat, vt imperaret toti orbi, vt pſal. 2. & alibi paſsim; tranſlatum vero fuiſſe à Deo ex diuina promiſſione, quod eſſet è ſemine Dauid, licet non propinquior ijs, qui regium ius ex hæreditate habebant, hunc vero tranſlatum fuiſſe vna cum ſacerdotali poteſtate in Epiſcopos Eccleſiæ Sanctæ. Mes S. Epiphanij nihil habet dubitationis, vel potius, nihil non clariſsimi habet. Epiphanium ſequetur Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui ſic in libro Theſauri: *Sicut Chriſtus accepit à patre ſceptrum Eccleſiæ gentium Dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur; ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſime commiſit, & nulli alij, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Et rurſus. *Pedes Chriſti humanitas eſt, ſcilicet ipſe homo, cui tota Trinitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quem vnus trium aſſumpſit in vnitatem perſonæ, tranſuexit ad poteſtatem ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli Dei, quem principatum totum, & poteſtatem dimiſit per Sacramentum Petro & Eccleſiæ eius.* Hactenus Patriarcha Alexandrinus. Primò aſſerens Chriſto datum ſceptrum Eccleſiæ gentium, veluti egreſſo Iudici ex Iſrael ſuper omnem principatum, poteſtatem, & quodcumque eſt, vt ei nō modo homines, ſed etiam cuncta curuentur. Manifeſte aperiens ſe loqui ex illo Iacob oraculo pertinente ad tribum Iuda, *Non auferatur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, quod apparet ex ijs verbis, *Sceptrum gentium Duci ex Iſrael*, quod ſanè oraculum totū pertinet ad Regiam poteſtatem, ſeiunctam à ſacerdotali. Secundò, vt clarius aperiat, ait, *Datam Chriſto poteſtatem ſuper omne, quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur*: atque, ita, non modo ſpiritualia, ſed etiam temporalia, quæcunque, *Omne quodcunque eſt*, inquit, & mox, *cuncta curuentur*. Tertio vult hoc totum plenum, pleniſſime datum Petro, ac ſucceſſoribus eius, neque ſatis igitur habuit dixiſſe, *Totum*. Sed adijcit primo, *plenum*, ſecundo adijcit *pleniſſime*. Quarto, vult Sanctus, Chriſtum tranſuectum,

S. Cyrillus

uectum, propter coniunctionem hypoſtaticam; *Super omnem principatum, & poteſtatem, vt adorent eum omnes Angeli*, Vultque *hunc principatum, & poteſtatem totam*, dimiſſam Petro, & Eccleſiæ eius per Sacramentum, propter coniunctionem ſcilicet corporis Eccleſiæ cum corpore Chriſti per Euchariſtiæ Sacramentum, quod ſupra eſt à nobis commemoratum. Cyrillum ſequitur S. Auguſtinus homilia ſecunda in Apocalypſim prope finem in illa verba, *Qui vincit, & qui ſeruat opera mea vſque in finem. Dabo ei poteſtatem ſuper gentes, & paſcet eas in virga ferrea, & vt vas figuli comminuentur, ſicut, & ego accepi à Patre meo*; Quo loco ſpiritus alloquitur Angelos, vel Epiſcopos Eccleſiarum, quocirca non pertinent illa verba ad priuatos, vt recte interpretatur, idem Sanctus, ac ſubiicit, *In Chriſto habet Eccleſia hanc poteſtatem, ſicut dicit Apoſtolus, cum illo omnia nobis donauit. virgam ferream, dicit propter iuſtitiæ rigorem, & de ipſa virga corriguntur boni, confringuntur mali*. Ex his habemus primò, à Chriſto ipſo dici, a ſe dari virgam ferream ad regendas gẽtes illi Eccleſiæ, quæ ſeruat verba Chriſti, dariq; eodem modo, quo accepit ipſe à Patre. Igitur, dempta excellentiæ poteſtate, habet Eccleſia hãc poteſtatem, Nam ſeruat ipſa Chriſti verba, quod ſi qua ſingularis non ſeruat, vt in Oriente videmus, nil prorſus habebit. Secundo *omnia cum Chriſto donata*, fuiſſe Eccleſiæ à Deo. Sic igitur, &, *virga ferrea*, qua gẽtes regũtur, & ipſa vis cõpulſiua eſt data. probantur hæc è manifeſtiſsimis euẽtis, de quibus libris de Ruinis gẽtiũ, & ad finẽ ſexti huius. ſemper enim quæcũq; gens maximẽ pia fuit, maximè ſub Imperiũ ſuum miſit alias gentes: contra accidit repugnantibus Eccleſiaſticæ poteſtati. Rurſus idem homilia 50. de vtilitate credendi, *Vnctus erat Dauid vnctione venerabili, qua regale Sacerdotium præfigurabatur Eccleſiæ*, & pſal. 103. *Petrus, vt ſequeretur Dominum, cum piſcator eſſet, quid potuit dimittere? vel frater eius Andreas, Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, etiam ipſi piſcatores? & tamen quid dixerunt? Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Non eis, dixit dominus, oblitus es paupertatem tuam, quid dimiſiſti, vt totum mundum acciperes? multum dimiſit fratres mei, multum dimiſit. quid? non ſolum dimiſit, quidquid habebat, ſed etiã quidquid habere cupiebat. quis enim pauper non turgeſcit in ſpe ſæculi huius? quis non quotidie cupit augere, quod habet? ibat in immenſum, accepit modum, & nihil dimiſſum eſt. prorſus totum mundum accepit Petrus, quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes*, Hæc Sanctus docens nos Primò dimiſſa

S. Auguſtinus.

S. Cyrillus.

à Pe-

à Petro cuncta temporalia mundi, quatenus ab ipſo priuatam perſonam gerente poſsideri, & haberi poterant, data illi fuiſſe à Chriſto omnia temporalia mundi, quatenus ab ipſo publicam gerente poſsideri,& haberi,ſi ius ipſum naturale, ac diuinum ſpectemus, poterant. Secundo reddita fuiſſe Petro illa ipſa,quæ demiſerat ideſt eamdem functionem recipientia in genere ſuo, ſiue eiuſdem generis, ac functionis. Nam quacumque piſcator ille pergebat,deducebatur cum magno honore alienis impenſis,ac veluti Deus honorabatur, ita vt Hieroſolymis ex præſcripto ipſius, & opibus ad pedes eius proiectis hominum multa millia paſcerentur, & verè ad ipſum cuncta ſpectarent dominij cuiuſdam Regij, ac paterni iure. Auguſtinum ſequitur S. Paulinus, qui poſt S. Auguſtini obitum captiuus in Africa fuit. Sic igitur ille ad Cytherium ſcribens. S. Paulin.

Habes & illud, ventris è fructu tui,
In ſedibus ponam tuis;
Qui ſermo Dauid quamlibet Chriſtum ſonet:
In Chriſto & illis concinit,
Qui Chriſtiani corporis collegio
In ſede ponuntur Dei.

Hæc S. Paulinus, volens Regiam Dauidis poteſtatem pertinere ad Epiſcopos, vt ſupra è S. Epiphanio latè expendebamus; ætatem horum excepit Caſsiodorus Senator quod è quarta Epiſtola libri primi variarum ac certis hiſtoriarum monumentis, quæ non eſt opus afferre, conſtat. Sic vero hic, cum creatus eſſet Præfectus prætorio lib. 11. ad Ioannem Papam. *Nolite in me tantum reÿcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis;vos Patris nomine vniuerſa diligitis. ſecuritas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus commiſſa eſt cuſtodia.quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia. paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem; Tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate; Ita boni patris eſt, vtraque refouere,* Et mox. *Sum quidem Iudex palatinus, ſed veſter non deſino eſſe diſcipulus; Nam tunc iſta recte gerimus, ſi à veſtris regulis minime recedamus,* Hæc Senator. è quibus colligimus primo, Pontificis eſſe, non ſpiritualia modo, ſed etiam temporalia cuſtodire; de temporalibus loquitur his verbis Caſsiodorus, nã Caſsiodorus.

cum dicit; à ſe cuſtodiri aliqua, à Pontifice omnia; Neceſſe eſt verbum (omnia) referatur ad temporalia, ſicut & aliqua. Alioquin ineptè loqueretur. Secundo Pontificem non poſſe, etiam ſi velit, negligere temporalia. Tertio ſequi hoc neceſſario, ex ipſa humana natura. Homo enim per ſe eſt vnum, qui rectè conſulit igitur animæ, neceſſariò conſulit corpori, & viciſsim. Poſtremo tum rectè adminiſtrari ſecularia, cum iuxta Eccleſiaſticas regulas, vel leges ab ipſis approbatas adminiſtrantur.

Viuente adhuc Caſsiodoro, viuebat Gregorius Magnus, qui ſic in Pſalm. 4. Pœnitentialem verſ. *Vigilaui, & factus ſum, ſicut paſſer ſolitarius in tecto*, Exclamans aduerſus Imperatorem Mauritium, ac cæteros libertatis Eccleſiaſticæ violatores, *Sponſam Chriſti captiuam cupit adducere, & paſsionis Dominicae Sacramentum auſu temerario contendit euacuare. Eccleſiam quippè quam ſuis ſanguinis precio redemptam, Saluator noſter voluit eſſe liberam, hanc iſte poteſtatis Regiae iura tranſcendens facere conatur ancillam. quanto melius foret, ſibi Dominam ſuam eſſe agnoſcere; eique religioſorum Principum exemplo deuotionis obſequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuae dominium accepit poteſtatis. ipſe enim eſt, qui ait, per me Reges regnant.* Et mox. *In tantum autem ſuae temeritatem extendit veſaniae, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam, ſibi vendicet, & in dominam gentium terrenae ius poteſtatis exerceat.* Hæc Sanctus. è quibus Primo colligimus Eccleſiam eſſe Imperatorum dominam, neq; dicas eſſe in Epiſcopalibus, vt enim cætera mittamus, eò loco agit Gregorius de Imperatore, vt Imperatore, qui tamquam talis Eccleſiæ ſibi iura vendicare audebat, Imperator verò, vti Imperator, non habet niſi Imperium, cuius domina Eccleſia eſſe poſsit: & Mauritius haud negabat ſe Eccleſiæ in ſpiritualibus ſubiectum, Catholicusque maximè erat; neque item dicas Imperium ſubiici Eccleſiæ, cum pro tuenda Chriſti fide, aut virtutibus militatur; Mauritius namque, & pro Chriſti fide, & virtutibus alioquin militabat; neque adhuc dicas, in hoc non agnoſcebant dominam, quod eius iura vſurpabat; Gregorius enim dicit, non modo Eccleſiam liberam agnoſcendam, ſed prætereà Dominam. Secundo colligimus Eccleſiæ dominium non aliud eſſe, niſi Dei dominium, à quo ſunt omnia dominia. Clarè enim S. Gregorius ait, extendere in Eccleſiam ſuum dominium, nihil aliud eſſe niſi extendere dominium in Deum, à quo ſunt omnium dominia. Tertio ſcribit Eccleſiam

ſiam eſſe dominam gentium; ſed Eccleſia non poteſt dici dominā ſpiritualium, ſed miniſtra, ac diſpenſatrix: quod ſi dicas eſſe dominam diſpenſationis. Reſpondemus, tunc non erat domina gentium. Rurſus patet, vnde hoc deſumptum ſit à Sancto, nempè è threnis Ieremiæ; in quibus agitur de regno temporali Hieruſalem ſubuerſo.

Poſt hæc in multis Toletanis, & Hiſpanicis Conciliis apparet, omnia tam Regiæ, quàm cuiuslibet ſæcularis poteſtatis, omnino diſponenda ex auctoritate Epiſcoporum, recitamus illa libro ſexto cap. 14. Toletana.

Cum verò de auctoritate Pontificis Hormiſdæ ab Archiepiſcopo Rhemenſi cōferretur vnicuique Francorum Regum Galliæ regnum, quod eodem capite aperitur; Zacharias miſſo Bonifacio Archiepiſcopo Maguntino, & coacto Epiſcoporum Concilio, re tota maturè perpenſa, & examinata, tranſtulit illud à Chilperico ſtupido viuente in Pipinum Caroli Martelli filium. de qua actione ſuo loco dicetur. Archiepiſcopi Rhemenſis.

Angelomus vixit hoc ſæculo, qui ſic libri Regum primi cap. 2. *Per Imperium, quod à Patre Filius accepit, ſpecialiter Eccleſia, tantummodo deſignatur, de quo per Pſalmiſtam Pater loquitur dicens: Poſtula à me, & dabo tibi gentes in haereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terrae; cuius terminos indicat, ſicut ſuperius dictum eſt, Dominus iudicabit fines terrae. Pater non iudicat quemquam, inquit, in Euangelio, ſed omne iudicium dedit Filio, & illud, poteſtatem dedit ei facere iudicium quia Filius hominis eſt; de quo etiam alibi ipſe Filius dicit, ego autem conſtitutus ſum ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius; de quo etiam Imperio ſubnectit dicens, & ſublimabit cornu Chriſti ſui, hoc ad corpus eius, quod eſt Eccleſia referri omnes volunt, omnes quippe vnctos eius Chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere; quod tamen totum cum ſuo capite; corpus vnus eſt Chriſtus: cuius Chriſti regnum, ideſt corporis ſui, ipſe Filius ſublimauit, quando vbique dilatauit, & in fide firmiter ſtabiliuit, & regna mundi confregit, & ſuperari ea fecit; iuxta quod per Pſalmiſtam ait, & omnia cornua peccatorum confringam, ideſt regna, & exultabuntur cornua iuſti, ideſt populi electi.* Ex his Angelomi verbis colligimus, illud ipſum Imperium, quod Chriſto Deus dedit, eſſe ipſamet Eccleſiam. Secundo cornu Chriſti, eſſe ipſius corpus, ideſt, Eccleſiam. Tertio propterea Chriſtianos, omnes eſſe Chriſtos, ideſt vnctos, ac Reges, quia participant cuncti Chriſtiani, hanc Angelomus.

Regiam poteſtatem in Eccleſia pro modo ſuo. Idcircò, aiebat S. Gregorius epiſtola ad Phocam Chriſtianis imperari, vt liberis modo conſultiuo, & ciuili, cæteris modo deſpotico, & herili. Quocirca, qui in Eccleſia Dei primas tenent, vt Clerici, Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifex ſummus omnium maximè participant hanc poteſtatem. Quarto, extrà hanc poteſtatem non eſſe aliã: poteſtas namque omnis, & iudicium, gentes, ac termini totius terræ, cuncta hæc Filio, vt homini data ſunt. Gentes igitur exteræ iura habent, quia Chriſtus, & Eccleſia volunt eas habere. Poſtremo eſſe idem Chriſti regnum, quod Eccleſiæ regnum, vel populi electi, à quo cuncta regna aduerſantia conterantur. ſuffragatur Angelomo, & his, quæ dicta ſunt.

Rabanus. Rabanus Maurus de inſtitutione Clericorum capite tertio, *Quod vero detonſo ſuperius capite, inferius circuli corona deſcribitur, Sacerdotium, regnũq; Eccleſiæ in eis, vt exiſtimo, figuratur. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta rotunda erat, & hoc ſignificatur in parte capitis, tonſura: corona autem aurea latitudo eſt circuli, quae Regum capita cingit. Vtrumque ſignum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur etiam corporis quadam ſimilitudine, quod ſcriptum eſt, Petro Apoſtolo dicente, vos eſtis regale Sacerdotium.*

Anſelmus. Sæculum Rabani ſecutus eſt S. Anſelmus, qui 1. ad Corinth. 3. Interpretans illa Apoſtoli verba omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei, *Omnia enim*, inquit, *Quaecumque ſunt, veſtra ſunt ad poſsidendum, ſed vos eſtis Chriſti poſſeſſio, non hominis: vt quomodo omnia iudicio veſtro conceſſa ſunt, & ſubiecta, ſic & vos Chriſto ſubijciamini.* Et mox. *Cur ergo ad iniuriam Chriſti de hominibus ſperatis, cum ipſe vobis, & homines, & omnia ſubiecerit, vt illi ſubijciamini?* Hæc Sanctus. Primo volens Eccleſiæ data & ſubiecta. (Nam tamquam membra Eccleſiæ Corinthios alloquitur) quæcumque ſunt in terris ad poſsidendum, & iudicandum. Secundo ſubiectos eſſe illi homines. eadem tradit Sanctus cap. 2. Apocalypſis, prope finem.

Otho Friſingēſis. Anſelmi ætatẽ Otho Friſingenſis excepit, qui ſic libri 6. cap. 36. *Romanum Imperium ferro in Daniele comparatum pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles habuit, donec à lapide praeciſo de monte ſine manibus eſt exciſum, quẽ Eccleſiam capitis ſui corpus ſine carnali commixtione ex Spiritu Sancto conceptum ex Virgine natum, ipſam quoque ſine humana operatione, & ex Spiritu, & aqua regeneratum dixerim; quae Virgo ſpecioſa, quia ſine macula in-*

nouum

nouum hominem, tamquam iuuencula regenerata, ideoque ſine ruga, ſic quotidie virgo manens nouum, ac ſpecioſum parit populum; ſicut mater eius virgo manens, contra legem naturae nouum, ac ſpecioſum edidit partum, ſic de virginitate gaudens, vt tamen ſterilis non maneat. Hoc nimirum regnum circa finem ſuum, quem pedes ſignificant, ferreum propter Martem, fictile propter conditionem, in ea parte, quae infirmior fuit percuſsit, dum Regem orbis, non tamquam orbis Dominum vereri, ſed tamquam de limo per humanam conditionem factum fictilem gladio anathematis (ſignat Henricum Tertium) ferire decuit: ipſa vero, quæ antea parua fuit, & humilis, in quantum montem exereuerit, ab omnibus iam videri poteſt. Hæc Otho volens Eccleſiam ſignificatam lapide illo Danielis, qui totam terram regnaque complectens, & continens occupauit.

Concludet antiquorum Patrum, Doctorumq; dicta ab Apoſtolicis temporibus temporũ ſeruato ordine deducta S. Bernardus, lib.3.cap.8.ad Eug.cuius verba referimus eò reiicimus lectorẽ:ex ijs certè habemus.Primò gladium bellicum ex ipſius Chriſti verbis eſſe Eccleſiæ, Pontificisque ſummi. Secundò, ſic eſſe huius magis, quam Imperatoris, vt è vagina educendus ſit ſimul atque annuerit Pontifex: ſed cũ vult Imperator educi, ſit huius expectanda iuſsio. Tertio, niſi gladius ſic Eccleſiæ foret, Eccleſia non haberet, quod ipſi eſt ſatis, ſiue ſibi ſufficiens. Poſtremo quoties eſt educendus, Primò Sacerdotis, deinde militis eſt manu educendus. Alia verba eiuſdem Sancti, adducuntur initio tertij libri, quibus ita alloquitur Eugenium *Tu es primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus.* Alia ſunt eiuſdem epiſt.243.ad Conradum Romanorum Regem, *Nonne vt Apoſtolica Sedes, Ita & Roma caput Imperij eſt?* ſed omnium pulcherrimum, ſimulque euidentiſsimum ſancti Bernardi eſt illud teſtimonium ſermone ad Paſtores in ſynodo congregatos in fine. *Si tantum faceretis iudicium, neque aliquod haberetis dominium, iudices tantum eſſetis, non iuſtificatores; & ideo iuſtitiam facere non poſſetis. propter hoc, qui dedit vobis iudicium, dedit & dominium, vt praedixit Propheta, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. duplex eſt dominium Prælatorum; habent enim claues Eccleſiae, quibus claudunt, & nemo aperit; aperiunt, & nemo claudit; habent & regalia, quia Domini ſunt vrbium, & oppidorum; nec ſolum Epiſcopatus, ſed & conſulatus*

S. Bernardus.

tus habent;vt meritò eis dicatur, quid vltra debui facere, & non feci? Hæc ſanctus Bernardus;quem citant contrariæ ſentētiæ aſſertores,quaſi ſentiat cum ipſis. An id verum ſit,iudicent lectores.& aduertamus. Nam S. Bernardus hac de cauſa Epiſcopis ait eſſe hanc poteſtatem,quia ſcriptum ſit à Propheta,Sap.cap.3. *Iudicabunt nationes,& dominabuntur populis*. Secundò, quia datum ſit hoc eis à Chriſto,idcirco ſubiicit. Primo, *Quid vltra debui facere.* Secundò, *Qui dedit iudiciũ.* Tertiò, *Habent claues quibus claudũt.* Hæc dico, ne quis exiſtimet verba ſancti Bernardi id velle, quaſi aliunde habeant epi vlla Regalia,quam iure naturali,ac diuino.

Recenſentur Doctores Scholaſtici, qui vſque ad ætatem noſtram è manu in manum tradiderunt eamdem doctrinam. Cap. XIII.

QVEMADMODVM ſæpè aperimus ſupernaturalem poteſtatem, quæ in ſola eſt Eccleſia, fuitque ſemper ab ortu mundi, Angelorumque creatione, cunctis temporalibus dominatam, vidimusque omnium Sanctorum Theologorumque vſque ad ſanctum Bernardum ab ipſa ætate Apoſtolorum deductam perenni ſucceſſione in idem conſentientem ſententiam,ſic reliquum videtur eſſe,vt inſpiciamus, quæ nam ſit Scholaſticorum, Canoniſtarum, Iuriſconſultorumque doctrina. viuente Sancto Bernardo floruit Hugo de Sancto Victore cognomento Magiſter ex ordine Canonicorum Regularium, natione Saxo, cuius ætate Scholaſtici maxime florere cæperunt. Sic igitur ille, in 3. parte operum lib.2. de Sacramētis, parte 2. cap. 4. *Quantò autem vita ſpiritualis dignior eſt, quàm terrena ;& ſpiritus,quàm corpus; tanto ſpiritualis poteſtas terrenam, ſiue ſæcularem poteſtatem, honore, ac dignitate præcedit. Nam ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem,& inſtituere habet, vt ſit, & iudicare habet, ſi bona non fuerit; ipſa vero à Deo primum inſtituta eſt, & cum deuiat, à Solo Deo iudicari poteſt, ſicut ſcriptum eſt, ſpiritualis dijudicat omnia, & ipſe à nemine diiudicatur. Quod autem ſpiritualis poteſtas, (quantum ad diuinam inſtitutionem) & prior ſit tempore, ac maior dignitate,in illo antiquo veteris inſtrumenti populo manifeſtè*

ſtè

ſtè declaratur: vbi primum à Deo Sacerdotium inſtitutum eſt, po ſteà vero per ſacerdotium (iubente Deo) Regalis poteſtas ordinata, Sequitur Hugonis ætatem Alexander Halenſis ex ordine Sancti Franciſci Anglus cognomento irrefragabilis, qui ſic parte 3. Summæ q. 48. membro 1. art. 3. §. 2. in reſolutione. *Reſpondeo,* inquit, *ſecundum Hugonem de Sancto Victore, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, vt ſit, & iudicare habet, ſi bona non fuerit. Ipſa vero à Deo primum inſtituta eſt, & cum deuiat, à ſolo Deo iudicari poteſt, ſicut ſcriptum eſt, ſpiritualis dijudicat omnia, & à nemine iudicatur. Inde eſt, quod ſumma poteſtas Sacerdotalis, qualis eſt in ſummo Pontifice, non poteſt ab homine iudicari; ſed habet de omnibus iudicare, & de perſonis, quæ vitæ ſpirituali deputatæ ſunt, ut uniuerſaliter ſunt omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, & de perſonis, quæ ad uitam terrenam deputatæ ſunt*, Hæc illi, apertè decernentes temporalium poteſtatem pendere eſſentialiter ab Eccleſiaſtica poteſtate; *ſpiritualis*, inquiunt poteſtas, *terrenam habet inſtituere, vt ſit.* Hos S. Thomas ſequitur ex ordine S. Dominici doctor Angelicus, qui ſic libro de regimine Principum 3. cap. 8. opus. 20. *Recipit*, ait S. Thomas *diuiſionem dominium quadrimembrẽ ex eadem cauſa, & ratione, quia quoddam eſt Sacerdotale, & Regale ſimiliter, aliud eſt Regale ſolũ, ſub quo Imperiale ſumitur, & ſic de alijs, vt infra patebit, Tertium vero Politicum; quartum autem œconomicum. Primum autem cæteris antefertur multiplici via, ſed præcipua ſumitur ex inſtitutione diuina, videlicet* Chriſti (Audi hoc eſſe iuris diuini) *cum enim eidem ſecundum ſuam humanitatem omnis ſit collata poteſtas, patet in Matthæi cap. 16. Dictam poteſtatem ſuo communicauit Vicario, cum dixit, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. vbi quatuor ponuntur clauſulæ omnes ſignificatiuæ dominij Petri, ſuorumque ſucceſſorum ſuper omnes fideles, & propter quas merito ſummus Pontifex Romanus, Epiſcopus dici poteſt, Rex, & Sacerdos. Si enim Dominus Noſter Ieſus Chriſtus ſic appellatur, vt Auguſtinus probat 17. de ciuitate Dei, non videtur incongruum, ſuum ſic vocare ſucceſſorem circunſcriptis rationibus, quæ poſſent adduci, quia ſatis eſt clarum, ſed redeundum eſt ad clauſulas iam dictas. Quarum vna ſumitur ex nominis iam dicti magnitudine; Secunda vero ex dominij fortitudine; Tertia autem ex dominij amplitudine; Quarta ex dominij*

plenitudine. Primam igitur partem præfatam, accipimus cum Dominus dicit, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam. In hoc nomine, vt Sacri exponunt Doctores, ſicut Hilarius, & Auguſtinus, Dominus potentiam Petri inſinuauit, quia petra, quæ eſt Chriſtus, vt dicit Apoſtolus, cuius confeſſionem Petrus præmiſerat, Petrus eſt appellatur, vt ſecundum etiam quandam participationem nomen acquirat, & poteſtatem, & audire mereatur, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam, quaſi totum dominium inter fideles ex Petro dependeat, & eius ſucceſſore. Secunda vero clauſula dominij importat fortitudinem, quod ſignificat verbum, quod ſequitur. Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; quae ſunt curiae Tyrannorum, & perſecutorum Eccleſiae, vt doctores ſacri, ibidem tradunt, ſic dictae, quod ſunt cauſae omnium peccatorum, intra Eccleſiam militantem. Ad tales enim Principes omnes ſcelarati recurrunt, vt accidit in curia Federici, & Corradini, & Manfredi; ſed tales non praeualuerunt aduerſus Eccleſiam Romanam, Immo omnes mala morte extirpati ſunt; vt dicitur in libro Sapientiæ 3. capite. Nationes iniquae datae ſunt conſummationi. Dominij vero amplitudo oſtenditur, cum ſubiungit Dominus, & tibi dabo claues regni cœlorum; In hoc enim inſinuatur nobis poteſtas Petri, & ſucceſſorum ſuorum, quae ſe extendit ad totam Eccleſiam Sanctam militantem, & triumphantem, quae per regnum cœlorum deſignantur, & quae clauduntur clauibus Petri. Sed dominij plenitudo oſtenditur, cum vltimo dicitur, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. Cum enim ſummus Pontifex ſit caput in corpore myſtico omnium fidelium Chriſti, & à capite ſit omnis motus & ſenſus in corpore vero, Sic erit in propoſito, propter quod oportet dicere, in ſummo Pontifice, eſſe plenitudinem omnium gratiarum, quia ipſe ſolus confert plenam Indulgentiam omnium peccatorum, vt competat ſibi, quod de primo Principe ad nos dicimur, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, Quod ſi dicatur, ad ſolam referri ſpiritualem poteſtatem, hoc eſſe non poteſt, quia corporale, & temporale, ex ſpirituali, & perpetuo dependet; ſicut corporis operatio ex virtute animae: ſicut ergo corpus per animam habet eſſe, uirtutem, & operationem, ut ex uerbis Philoſophi, & Auguſtini de immortalitate animae patet, ita & temporalium iuriſdictio Principum, per ſpiritualem Petri, & ſucceſſorum eius. Ruſus idem 2, 2. q. 40. art.

2.ad

2. ad 3. *Omnis potentia, uel ars, uel uirtus ad quam pertinet finis, habet diſponere de ÿs, quæ ſunt ad finem, bella autem carnalia in populo fideli ſunt referenda, ſicut ad finem, ad bonum ſpirituale diuinum, cui Clerici deputantur; & ideo ad Eccleſiaſticos pertinet diſponere, & indicare alios ad bellanda bella iuſta. Nam non interdicitur eis bellare, quia peccatum, ſed quia tale exercitium perſonae eorum non congruit.* Hæc ſanctus, volens in vniuerſum pertinere ad Eccleſiaſticos decernere, an ſit bellandum. veruntamen tota poteſtas legitima, vt in fonte, eſt in Pontifice ſummo, qui ad vitandas perplexitates ſanxit ea, quæ ſunt mere temporalia à ſæcularibus adminiſtrari. Eccleſiaſticis tantum reliquit immunitatem, quoad omnia ſua, tam bèneficialia, quàm patrimonialia, demptis oneribus ante impoſitis: reliquit eamdem, quoad perſonas, ſeruos, & colonos; Epiſcopis vero præter immunitatem ſuperiorem, vt ipſorum tribunalia poſsint adiri à ſæcularibus, neque prohibeantur, ac ſententiæ ipſorum retractari à ſæcularibus haud queãt, quod habetur etiam l. Epiſcopale. C. de Epiſcopali audientia, atque, vt ſatellites armatos habeant iure ſuo, quod ſuo loco cognoſcemus, per extrauagantem. vnam ſanctã. de maioritate, & obedientia. Propterea ſcribit idem Sanctus 2. diſt. 44. q. 9. art. 2. *Poteſtas ſpiritualis, & ſæcularis vtraque deducitur à poteſtate diuina, & ideo in tantum ſæcularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, inquantum eſt ei à Deo ſuppoſita, ſcilicet in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent. Et ideo, in his magis eſt obediendum poteſtati ſpirituali, quam ſæculari. In his autem quæ ad bonum ciuile pertinent eſt magis obediendum poteſtati ſæculari, quàm ſpirituali; ſecundum illud Matthæi cap. 32. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, niſi forte ſpirituali poteſtati etiam ſæcularis poteſtas coniungatur, Sicut in Papa, qui vtriuſque poteſtatis apicem tenet, ſcilicet ſpiritualis, & ſæcularis, hoc illo diſponente, qui eſt Sacerdos, & Rex in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech, Rex Regum, & Dominus Dominãtium, cuius poteſtas non auferetur, & Regnum non corrumpetur in ſæcula ſæculorum Amen.* Hæc ſanctus, qui tamen ſicut dixit in Summa ad Clericos in vniuerſum, nedum ad Pontificem ſpectare decernere de bellis; ſic etiam ſcripſit ad Prælatos pertinere iudicia de actibus humanis, ſic enim 2. 2. q. 45. art. 5. *Quidam autem altiori gradu perficiuntur ſapientiae dono, & quantum ad contemplationem diuinorum, quantum ſcilicet altiora quaedam myſteria, & cognoſcunt, & alÿs manifeſtare poſſunt, & etiam quã-*

tum

tum ad directionem humanorum ſecundum regulas diuinas, in quantum poſſunt ſecundum eas non ſolum ſeipſos, ſed etiam alios ordinare. Et iſte gradus ſapientiae non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus diſtribuit, prout vult, ſecũdum illud 1. Cor. 12. alij datur per ſpiritum ſermo Sapientiae, & ad 3. *Quamuis ordinare alios homines, & de eis iudicare pertineat ad ſolos Praelatos, tamen ordinare proprios actus, & de eis iudicare pertinet ad vnum quemque.* Hæc ſanctus, neque dici poteſt, ibi agi de iudicio in ordine ad ſupernaturalia. Diximus enim, iam naturalia pendere eſſentialiter a ſupernaturalibus, id eſt humanæ naturæ finem naturalem non eſſe in Vniuerſo ſine ſupernaturali poteſtate, ac tpalia omnia neceſſe eſt diſponãtur, atq; ordinentur ad iſtos fines. Amplius idem ſanctus 2. 2. q. 10. art. 10. *Dominium, & Praelatio introducta ſunt ex iure humano, diſtinctio autem fidelium, & infidelium eſt ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod eſt ex gratia, non tollit ius humanum, quod eſt ex naturali ratione, ideo diſtinctio fidelium, & infidelium, ſecundum ſe conſiderata non tollit dominium, & praelationem infideliũ ſuper fideles. Poteſt tamen iuſte per potentiam, vel ordinationem Eccleſiae auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel praelationis tolli, quia infideles merito ſuae infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Et mox. *praedictum ius Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet instituere de iure, & hoc facit ad ſcandalum vitandum, ſicut etiam Dominus, Matth. cap. 17. Oſtendit, quod poterat ſe a tributis excuſare, quia liberi ſunt filij, tamen mandauit tributum ſolui, ad ſcandalũ vitandum.* Hæc ſanctus. Volens ab Eccleſia poſſe infidelium dominia tolli; & hanc illi poteſtatem eſſe ex auctoritate, quam habet à Deo in infideles. Duplicem affert cauſam, Prima eſt, quia merentur infideles priuari ob infidelitatẽ. Secunda, quia Chriſtiani ſunt filij Dei. ait, non ſtatui hæc ab Eccleſia, ob ſcandalum non actiuũ, ſed paſsiuũ, de quo Matth. cap. 17. naſcẽs ab ignorantia, qua ſublata, non eſt ſcandalũ curandũ, vt habetur Matth. 15. Neque dici poteſt eſſe indirectam poteſtatem huiuſmodi. Nam ob primam cauſam cõtingit, ne infidelis poſsit aſſequi finem ſuum naturalem, quem lege coeſſentiali inſeparabili naturali ac diuina tenetur inquirere, viiſque inſiſtere, quibus ad eum perueniatur. Quas ſola Eccleſiaſtica poteſtas docere, ac vires dare, ad eas ineundas valet. Quamobrem ius eſt Eccleſiaſticae poteſtati naturale, ac diuinum

uinum in omne humanum genus, à quo quidem iure omnia iura naturalia naſcuntur, ac pendent; ac proinde nullum ius naturale humanumve illam poteſt impedire, quominus recte exerceat ſuā poteſtatem, cum poteſt, ac videt expedire, vti eſt dictum. Hinc idem Sanctus, vigeſimi opuſculi lib. 3. cap. 10. vult Pontificem ſummum locum tenere illius Petræ, quæ præciſa eſt ſine manibus, & occupauit omnem terram, vt adducimus eius verba lib. 2. cap. 11. & rurſus idem Sanctus inter alia lib. 3. cap. 19. opuſculi 20. *Videtur Chriſti Vicarius, habere plenitudinem poteſtatis, cui competit dicta prouiſio, ex triplici genere. Primo quidem diuino, quia ſic videtur voluiſſe Chriſtus ex verbis ſuperius introductis, vt infra etiam oſtendetur. Secundo iam ex iure naturali, quia ſuppoſito ipſum primum locum tenere in principatu; oportet eum dici caput, a quo eſt omnis motus, & ſenſus in corpore myſtico, per quod habemus, quod omnis influentia regiminis, ab ipſo dependet in cōmunitate & oportet attendere ad conſeruationem ipſius, quia hoc natura requirit humana, quae ſine ſocietate viuere non poteſt, conſeruari autem nequit niſi per dirigentem primum in quolibet gradu hominum, & hic eſt in actibus hominum primus Hierarcha, qui eſt Chriſtus, vnde eſt primum dirigens, & conſulens, & mouens, cuius vices Pontifex tenet.*

S. Bonauentura cognomento Seraphicus in 4. diſt. 37. in declaratione litteræ dubio 4. *Bernardus dicit ad Eugenium, quod Eccleſia habet vtrumque gladium, & vterque gladius tam materialis, quàm ſpiritualis eſt Eccleſiæ, & hoc probat, per illud Lucæ cap. 21. ſunt gladij duo, & Dominus, ſatis eſt. Reſpondeo dicendum, quod vterque, vt dicit Bernardus, eſt Eccleſiæ. Sed differenter, quia ſpiritualis extrahendus eſt manu Eccleſiæ, ſed materialis non manu, ſed tantum nutu.* Hæc Sanctus, Decernens bellicam poteſtatem eſſe Eccleſiæ, ſed manu Eccleſiaſticorum non exercendam, ſed eorum, quos ipſa delegerit, & quibus gladium dederit, vt ei ſeruiant ad nutum.

Ægidius Columna Dux ſcholæ Auguſtinianæ, cognomento fundamentarius lib. de poteſtate Papæ cap. 1. *Duplicem eſſe perfectionem, perſonalem, & ſecundum ſtatum, dicta Sanctorum, & Doctorum communiter proteſtantur.* Et mox, *qui autem ſecundum ſtatum eſt ſpiritualis, & perfectus in ſummo, hic ſecundum iuriſdictionem, & plenitudinem poteſtatis erit ille ſpiritualis homo, qui omnia iudicabit, & ipſe à nemine poterit iudicari.* Et in fine, *Qui eſt perfectus, & ſpiritualis ſecundum ſtatum, & potiſ-*

ſime

ſime ſecundum ſtatum prælationis, ille eſt eleuatus ſecundum iuriſdictionem, & ſecundum plenitudinem potentiæ, & ille omnia iudicabit, id eſt, omnibus dominabitur, & à nemine poterit iudicari, id eſt, nullus poterit ei dominari. Talis autem eſt ſummus Pontifex, cuius ſtatus eſt ſanctiſſimus, & ſpiritualiſſimus, & 3. *Hugo de Sancto Victore in libro de Sacramentis fidei Chriſtianæ par. 7. cap. 4. ait, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem habet inſtituere, vt ſit, & iudicare, ſi bona non fuerit. Igitur de Eccleſia, & de poteſtate Eccleſiaſtica verificatur illud vaticinium Hieremiæ, Ecce conſtitui, te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & diſperdas, & ædifices, & plantes*. Et mox, *Si ergo ſunt duo gladij, vnus ſpiritualis, & alter temporalis, vt poteſt patere ex ſententia Euangelij, Ecce duo gladij hic, vbi ſtatim ſubiungit Dominus, ſatis eſt, id eſt, hi duo gladij ſufficiunt, In Eccleſia oportet hos duos gladios, id eſt, has duas auctoritates, & poteſtates à Deo eſſe, quia vt dictum eſt, non eſt poteſtas niſi à Deo: Similiter etiam oportet hæc ordinata eſſe, quia, vt tangebamus, quæ ſunt à Deo, oportet ordinata eſſe. Non eſſent autem ordinata, niſi vnus gladius reduceretur per alterum, & niſi vnus eſſet ſub alio, quia vt dictum eſt per Dionyſium, hoc requirit lex diuinitatis, quam Deus dedit vniuerſis rebus creatis, vt non omnia æque immediate reducantur in ſuprema, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora; gladius ergo temporalis tamquam inferior reducendus eſt per ſpiritualem, tamquam per ſuperiorem, & vnus ordinandus eſt ſub alio, tamquam inferior ſub ſuperiori; ſed diceret aliquis, quod Reges, & Principes, debent eſſe ſubiecti ſpiritualiter, non temporaliter*. Et mox, *Sed hoc dicentes vim argumenti non capiunt, Nam ſi ſolum ſpiritualiter Reges, & Principes ſubeſſent Eccleſiæ, non eſſet gladius ſub gladio, non eſſent tẽporalia ſub ſpiritualibus. Et oportet Chriſti Vicarium ſuper ipſis temporalibus habere dominium. Quod ſi aliqua iura videntur dicere, quod de facto, non de iure à ſæculari curia ad Eccleſiam appellatur, Exponenda ſunt talia verba, de iure conſueto*, & lib. 2. cap. 4. *In rebus temporalibus non eſt ponenda fœlicitas*. Et mox. *Imo cum ſint bona extrinſeca, & non poſſint animã ſatiare in talibus bonis beatitudo noſtra eſſe non poteſt*, Et deinde, *Finis, & bonum idem, & qui tollit finem, tollit omne bonum. oportet ergo, quod quicumq; habet rationem boni, hoc habeat ex fine*. Et mox, *Si ergo non eſt ponendus finis, & beatitudo noſtra in bonis temporalibus, oportet, quod non aliter bona ſint, niſi prout ad ſpiritualia ordinantur*, &

poſt,

poſt, *Et ſi ſint bona in ſe, non ſunt bona nobis; denique temporalia, quia ſecundum ſe ordinentur ad ſpiritualia, debent obſequi ſpiritualibus, & ancillari eis. ſummus itaque Pontifex, qui in corpore myſtico vniuerſaliter dominatur, oportet, vt ſit dominus temporalium, vt temporalia ſunt; cum temporalia etiam ſecundum quod huiuſmodi ſunt, ſpiritualibus famulentur.* Rurſus idem. *Poteſtas ſummi Pontificis dominatur animabus; animæ dominantur, vel de iure dominari debent ſuper corpora, vel malè ordinatum eſt corpus quantum ad illam partem, ſecundum quam non obedit animæ, & menti, & rationi, ipſas autem res temporales noſtræ corporibus famulantur. conueniens eſt itaq; quod Sacerdotalis poteſtas, quæ dominatur animabus, corporibus, & rebus temporalibus principetur. Poſtremò non viuentia ſunt imperfectiora viuentibus, ideò ſunt in eorum obſequium ordinata, & ſicut non ſentientia ſunt imperfectiora ſentientibus; Ideò ſunt in eorum obſequium ordinata, & ſicut non intelligentia, & quæ non ſunt facta ad imaginem Dei; ſunt imperfectiora intelligentibus, Ideo ſunt ſub eorum dominio ſtabilita, ſi vniuerſaliter omnia imperfectiora debent obſequi perfectioribus, & ſunt in eorum obſequium conſtituta; & quia nullus dubitat, quin diuina ſint perfectiora humanis, & cæleſtia terrenis & ſpiritualia corporalibus, ergo nihil conuenientius, quam quod poteſtas Regia, quæ eſt poteſtas humana & terrena, & ſuper corporalia, ſubſit, & ſit ordinata in obſequium Sacerdotalis poteſtatis.* Idem parte ſecunda capite quinto oſtendens poteſtatem ſecularem non eſſe immediatè à Deo. *Si Deus æque immediatè feceret corpus humanum, & animam humanam, numquam ex illo corpore, & illa anima conſtitueretur homo; niſi corpus eſſet in poteſtate animæ illius, & anima eſſet actus, & perfectio corporis, numquam enim ex duobus in actu, fit vnum per ſe.* Et mox. *Cum ſic ſe habeant animæ, & corpora, ad quorum regimen ordinantur hi duo gladij, quod habeant ad inuicem hanc vnionem, & coniunctionem, quod ex his fit vnum aliquid, & corpora ſint ſub animabus, & famulentur eiſdem; oportet, quod hi duo gladij ordinem teneant, quod vnus ſit ſub alio, & alteri famuletur,* & poſtremò. *habet ergo Eccleſiaſtica poteſtas directam auctoritatem ſuper animabus, vt ſunt coniunctæ corporibus, & præſunt corporibus, & vt ad nutum earum mouentur corpora. Conſequens ergo eſt, quod ſicut auctoritas ſpiritualis eſt ſuper animabus, vt præſint corporibus, & vt ad nutum earum moueantur corpora; ſic huiuſmodi poteſtas, hoc modo*

eſt

eſt ſuper animabus, et ei ſubſit corporalis & terrena. Hæc Princeps Auguſtinianæ Scholæ.

Ioannes Bacconus Princeps Scholæ Carmelitanæ, Prologo in quartū, quæſtione vndecima, art. 4. *Chriſtus omnia iura prædicta temporalia tranſtulit in Petrum, vbi cauſa ſubeſt, nam in Euangelio dicitur, Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. Sed, quodcumque, eſt ſignum vniuerſale diſtributiuum, non ſuper animam ſed ſuper corpora.* Et mox. *Tertiò hoc probatur ratione naturali, quod eſt ſupra, & præter naturam, ac cuius lex eſt ſupra naturam debet ſub ſe trahere omnia, quæ ſubſunt naturæ, ſed Dei incarnatio, Paſſio, Reſurrectio, &c. Et eius lex diuinitus data, per quam Papa poteſt, eſt ſupra omnem naturalem naturam & rationem, in qua fundatur omnis lex temporalis, ergo trahere debet ad ſe omnem iuriſdictionem temporalem. Confirmatur. quia ſicut Filius, Patri naturaliter aſſimiletur: ſic lex diuinitus data debet Deo aſſimilari. Nam lex quaſi per natiuitatem à legiſlatore oritur, ſed Deus eſt Dominus vnus omnium, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus; ergo lex Chriſti eſt dominatiua ſuper omnibus, &c. Et addit Hoſtienſis 24. quæſt. 6. cap. 8. Quod ſicut ponere plura principia mundi eſt hæreticum, ſic ponere duos Vicarios generales in terra, & eſſentiales credo eſſe* (Nota hæc) *hæreticum.*

Henricus Gandauenſis cognomento Solemnis Doctor Sorbonicus, quodlibeto ſexto quæſt. 23. *Chriſtus ſecundum quod homo caput eſt, & monarcha, non tantum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus; ſecundum quod dixit ei Deus pater; in pſalmo ſecundo. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. propter quod dixit Apoſtolis ſuis, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, vnde, & de ipſo dicit Dionyſius cap. 5. Eccleſ. Hierar. in ipſo perficitur, & completur omnis natura noſtræ Hierarchiæ diſpoſitio. Ipſe autem tamquam homo peregrè proficiſcens in altum, non abſque regimine, & ordine in terris relinquere nos voluit, Ne tumultuaret iuuenis contra ſenem, & contra ſapientem fatuus, ſed inferiores in donis, & naturalibus* (nota hæc) *& gratuitis per ſuperiores in ordine debito cuſtodiret.* Et mox de Pontifice ſummo loquens, *Talis ergo Hierarcha, ſicut vir ſpiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur, vt dicit Apoſtolus 1. ad Corint. 2. Iudicat. autem non ſolum in Spiritualibus, ſed etiam in temporalibus, quia temporalia non* (nota hæc) *Niſi ſecundum ſpiritualia iudicari debent,* (nota hæc) *& Regu-*

lari, dicente Apoſtolo 1. Cor. 6. Si Angelos iudicabimus quanto magis ſæcularia, Gloſſa prima, de rebus ſæculis, ſemper enim qui iudicat de maiori, ad ipſum ſicut ad primum iudicem debet reduci omne iudicium de minori, iuxta illud extrà qui filij ſint legitimi, cap. per venerabilem, vbi dicitur, cum maior in ſpiritualibus, tam prouidentia, quam auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitū eſſe videtur, & in maiori. Iſte Hierarcha primus poſt Chriſtum ſuper vniuerſalem Eccleſiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commiſit, ſic vt regimen vniuerſalis Eccleſiæ, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus ad ipſum pertineret, iuxtà illud, quod dicitur diſt. 22. cap. omnes Romanam Eccleſiam ſolus ipſe fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cæleſtis Imperij iura commiſit, vbi dicit Gloſſa argumentum, quod Papa habet vtrumque gladium ſpiritualem, & temporalem. Hæc Henricus Gandauenſis Collegij Sorbonici Doctor, cuius alia dicta ad propoſitum maximè facientia lib. 4. initio referimus, nos hic breuitati cōſulētes haud referimus. Ac licet in dubiū reuocet, an poſſit immediatè appellari ad Papam, tamen vult, Primò poſſe appellari in caſu delicti, vel commiſsionis, cap. nouit, extra de iudiciis vel omiſsionis, cap. licet, extra de foro competenti. Secundo vult poſſe appellari vacante Imperio. Tertio, quem primū ponit, inquiens, *Eſt autem vnus caſus, ſecundum quem ibidem oſtenditur auctoritate Deuteronomij, cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, tunc ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum, & ſecundum hoc Sacerdos Apoſtolicus ſe habet ad Reges, & Præſides, tamquam Architecti ad artifices, Illi enim propter quid, & regulas iudicandi ſciunt; mechanici verò tamquam experti in multis ipſum quia ſciunt, propter quid autem ignorant, propter quod debent illis leges dare ſecundum quas debent iuriſdictionem ſuam exequi, & populum regere, nec aliorum leges recipere, niſi per ipſum prius fuerint approbatæ.* Et mox. *Sic ergo de iure naturali & diuino Sacerdotium ſupereminet Imperio, & penes ipſum reſidet de iure diuino, & naturali vtraque iuriſdictio, & ſuper ſpiritualia, & ſuper temporalia, & ſimiliter eius immediata executio,* Et poſt dicens executionem ſæcularium relinquendam Imperatori, & reliquis Principibus, remanente apud Pontificem prima auctoritate ait, *Agentibus Regibus, & Principibus temporalia negocia, qui tamquam minores, & inferiores occupati ſunt circa inferiora, ſicut famuli in remedium dominorum,* Et in fine loquens

quens de diſtinctione harũ poteſtatũ, *Ad argumẽtum in oppoſitũ, quod dignitates diſtinctæ ſunt, dicendum eſt; quod verũ eſt. propter diuinam diſpoſitionem: Sed non ex natura rei, vt dictum eſt.* Hæc doctor Sorbonicus, Primò volens iure naturali ac diuino, ex natura rei, ſiue ipſius poteſtatis vtramque tam ſpiritualium quàm temporalium iuriſdictionem eſſe penès Pontificem ſummum. Secundò cuncta difficilia & ambigua temporalia deferenda ad ipſum. Tertiò nullas leges à Regibus, & Principibus recipiendas, niſi à Pontifice approbatas. Quartò hos eſſe inſtar artificum mechanicorum, vel famulorum reſpectu dominorum ſuorum, qui dati ſunt ex diſpoſitione diuina, vt ſeruiant Sacerdotibus ad maiora intentis. Hæc tamen cum dicat, citatur à contrariæ opinionis aſſertoribus, quaſi faueat ipſis.

Petrus è Tarentaſia, qui fuit Innocentius. Quintus, hac ætatẽ vixit, & citatur à Dionyſio Carthuſiano libro de auctoritate Papæ eiuſdem ſententiæ propugnator.

Franciſcus Mayro cognomento Illuminatus è primoribus Scotiſtis Henrici ætatem ſecutus eſt. Ita vero ille in quartum diſtinctione 19. quæſtione quarta. *In humana mundi politia eſt dare aliquid vnum principium totius vniuerſi. Ratio philoſophorum fuit, quod entia in mundo, meliori modo, quo poſſunt, diſponuntur: ſed hoc requirit, quod ordinentur ad aliquod vnum primum; tunc ſic politia qualibet de iure naturali, meliori modo, quo poteſt, debet ordinari, ſed melior modus eſt, quod ſit vnum primum ergo &c. Secundò ſic, tunc eſt vna quæque politia optimè ordinata, & diſpoſita, quando aſſimilatur optimæ politicæ, ſed optima politia eſt cœleſtis, quæ ſic eſt diſpoſita, igitur &c. Tertiò iure naturali ille, qui eſt maximè virtuoſus, debet maximè principari, ſed natura non producit homines pares in omnibus. vndè eſt dare optimum hominem ſecundum Philoſophos &c. Sed optimo debetur Principatus maximus. Quarto Chriſtus dixit omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, politia debet ſic diſponi, quod eſt maior vtilitas, & maior conformitas, ſeu confœderatio. Si enim ſunt duo non ſubordinati, orientur diſſenſiones, vbi enim eſt diuiſio regnorum, Regũ eſt ibi diſſenſio, & lites; Ergo, ſi ſit vna politia, eſt pax. Tertia concluſio eſt, quod Princeps temporalis debet eſſe ſubiectus illi, qui eſt primus Hierarcha in ſpiritualibus, hoc probatur quadrupliciter. Primo quandocumque aliquæ ſunt poteſtates ordinatæ inter ſe, illa, quae eſt de fine, præeſt, ac debet praeſſe & principari illi, quæ eſt circa ea, quae ſunt ad finem, ſicut patet de architecto-*

tectonica reſpectu aliarum, & de militari reſpectu frænefactiua, ſed directio morum & actuum circa actus politicos ordinatur ad virtutes ſupernaturales (aduerte à nobis ſupra probatum fuiſſe hanc ordinationem eſſe eſſentialem.) Cum igitur temporalia ordinentur ad ſpiritualia, Papa autem præeſt ſpiritualibus, ſequitur, &c. Et mox. *Quarta ratio. videamus rationem, quare non debent plures Principes eſſe. Primò in temporalibus hoc aſſeritur ſic, quia ſi eſſent plures Principes, & vnus non ſubordinaretur alteri, oriretur diſſenſio, ita in propoſito orietur contrarietas. Ergo ad hoc, quod tranquillitas politiæ ſeruetur, oportet, quod ſit vnus ſupremus omnium quoad omnia. Quarta concluſio, quod plenitudo poteſtatis ſecundum vtramque iuriſdictionem concurrit in eandem perſonam, hoc patet auctoritate Chriſti dicentis, Quodcumque ligaueris, &c.* Rurſus idem in Quodlibetis quæſtione vndecima, particula ſecunda, verſiculo, *Secunda ſolutio*, refellens quamdam reſponſionem argumenti illius, quo aſſeritur tota facultas rerum temporalium eſt propter ſpiritualia; Quamobrem qui Princeps eſt ſpiritualium ſubiicit ſibi per omnia Principem temporalium; ea vero eſt, quod temporalia ſint diſtincta, ac diſparata à ſpiritualibus. Ait ad hoc ille, *Secunda ſolutio eſt contra fidem, quia illi, qui ponunt temporalia non eſſe propter ſpiritualia, ponunt eſſe temporalia ſui gratia appetenda, & ſic ponunt in diuitijs fœlicitatem.* Hæc ille. dein reijcit aliud reſponſum nempè eſſe Principem temporalium ſubiectum in ſpiritualibus. Ait enim non poſſe eſſe ſubiectum, niſi quoad temporalia, quæ tota facta ſunt, vt ex tota eſſentia ſua ordinentur in Deum. Sic igitur vult contra fidem loqui, qui volunt temporalia iure appeti, aut haberi poſſe, niſi ob Deum. Quocirca afferunt alias alij reſponſiones, quæ ſuis locis confutantur, nullius enim ſunt momenti.

Ricardus de Media villa Anglus vel hac ætate, vel forſan ſuperiori fuit, ſequitur eandem ſententiam, vt infra verba ipſius referimus.

Beatus Auguſtinus Triumphus eamdem ſententiam latè amplexatus eſt opere de poteſtate Eccleſiaſtica par. 1. q. 5. art. 1. & ſequen. vt eius verba adducimus lib. 3. cap. 5.

Dionyſius Carthuſianus poſt hos vixit; qui 2. diſt. 44. q. 5. recitans verba S. Thomæ ſuprà à nobis allata ex eodem libro, ac diſtinctione, eamdem ſententiam ſequēs, ait, *Quibus per omnia concordant Alexander, Bonauentura, Petrus, Richardus, aliýque*

communiter. Hæc ille.

Petrus Tartaretus excepit hos, qui ſic in 4. diſtinct. 18. quæſt. vnica. *Poteſtas Eccleſiae diuiditur in poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis. iuriſdictionis poteſtas eſt duplex ſcilicet in foro interiori, & exteriori, in foro interiori eſt poteſtas abſoluendi à peccatis, iſta eſt iuriſdictionis. vndè ſacramentum pænitentiae, ex natura ſua eſt ſacramentum iuriſdictionis. Et ideò poteſtas, & auctoritas abſoluendi vocatur poteſtas iuriſdictionis in foro interiori, ſed poteſtas iuriſdictionis in foro exteriori eſt duplex, quadam eſt data Eccleſiae Principibus à Regibus, ſicut quod Eccleſia habet auctoritatem ſuſpendere faciendi, vſus forſan datus eſt, ſed omnem auctoritatem habet Eccleſia à Chriſto, etiam in bonis temporalibus, Duos enim gladios habet. ſed ſatis eſt adnotaſſe.* vixit Tartaretus Iulio Secundo ſedente.

Franciſcus de Sylueſtris Ferrarienſis hoc ipſo noſtro ſæculo vixit. Hic autem ſic in libro quarto cap. 76. contra gentes, *Conſiderandum eſt*, inquit, *Ex doctrina, S. Thomæ, ſecundo ſententiarum diſt. vltima inexpoſitione litterae, quod ſummus Pontifex habet in Eccleſia apicem, & excellentiam vtriusque poteſtatis, non ſolum ſpiritualis, ſed etiam ſaecularis. Ideò illi prae omnibus obediendum eſt, & in ijs, quae ad ſalutem animae pertinent, & in ijs, quae ad bonum ciuile. ſimiliter, vt dicit idem met S. Thomas libro de regimine principum 3. cap. 10. & 19. poteſt ratione huius ſupremæ poteſtatis, vnumquemque ratione delicti punire, & taleas, atque collectas pro Reip. Chriſtianae cōſeruatione imponere, ſicut & Rex in ſuo regno poteſt.*

Præter hos verò plurimi Theologi, hanc opinionem ſecuti ſunt in his, Raynerius Piſanus in ſumma, verbo dominium, capite quinto. B. Ioannes è Capiſtrano tractatu de auctoritate Papæ, parte prima, ſecundæ partis, num. 4. & 5. & S. Antoninus parte tertia ſummæ, tit. 22. cap. 5. §. 1. & §. 11. Alexander è S. Elpidio, Iacobus Viterbienſis, Guglielmus Cremonenſis propriis huius argumenti libris, Aluarus Pelagius libro primo de planctu Eccleſiæ, cap. 27. Syluester Prieras in ſumma, verbo Papa, §. 10. & 11. Ioannes Selaſtedienſis in quadriuio, parte prima tractatu de poteſtate Papæ, Celſus Mancinus de iuribus Principatuũ, Rodericus Sancius Zamorenſis proprio in hanc rem libro. Sunt & alij multi, quos haud curauimus congerere ſatis habentes hos produxiſſe, quantum faciebant ad propoſitum noſtrum.

Poſtremo autem pietatis, ac doctrinæ Eccleſiaſticæ lumen Illu-

Illuſtriſsimus Cardinalis Baronius Annalium tomo primo ſub Chriſti 57. exponens illud Pauli, *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia,* latè in hanc rem multa collegit, è quibus omnibus multa ſunt obſeruanda.

1 Primo non modo Sanctos omnes, poſt Chriſtum perenni ſucceſſione ex ætate, in ætatem traditam, per manus hanc doctrinam ſeruaſſe, vſque ad S. Bernardum, ſed qui eadẽ Bernardi ætate ſcholas aperuerunt, è quibus ſcholaſtici prodiere, ita, vt omnium ſcholarum Principes, eorumque præcipui ſigniferi hanc ſententiam firmarint, verbi gratia Scholæ Regularium, Dux Magiſter Hugo, Scholæ Franciſcanæ Alexander Halenſis, Sanctus Bonauentura, Richardus de Media villa, & quando Scotus nihil hac de re egit, inter Scotiſtas præcipuus Franciſcus Mayro, Ioannes è Capiſtrano, Aluarus Pelagius, Petrus Tartaretus, Scholæ Dominicanæ Princeps S. Thomas, quem ſequuntur Rainerius, Petrus de Tarantaſia, S. Antoninus. Franciſcus de Sylueſtris, Sylueſter Prieras, Scholæ Auguſtinianæ Anteſignanus Ægidius, & poſt eum B. Auguſtinus Triumphus, Carmelitanæ Dux Ioannes Bacconus, Carthuſianorum Præcipuus Doctor Dionyſius, Collegij denique Sorbonici Præclarum germen Henricus Gandauenſis. Sic igitur omnium religionum, quæ ſunt Catholicæ fidei primaria fundamẽta, Primi doctores hanc ſententiam conſtituerunt.

2 Secundo cuncti, qui ob eminentiam doctrinæ cognomen aliquod aſſecuti ſunt verbi gratia, Hugo cognomento Magiſter, Alexander Halenſis Irrefragabilis, S. Thomas Angelicus, S. Bonauentura Seraphicus, Ægidius Fundamentarius, Franciſcus Mayro Illuminatus, Henricus Gandauenſis Solemnis, Bacconus Reſolutus.

3 Tertiò multi ex his partim in numerum Sanctorum relati, partim beatorũ nomine inſigniti ſunt. Sancti, Thomas, Bonauentura, Antoninus; ſed Beati Auguſtinus Triũphus, Ioãnes è Capiſtrano.

4 Quarto è qualibet celebri natione ex Hiſpanica Aluarus Pelagius, Rodericus Sancius; ex Anglica Alexãder Alenſis, Richardus è Media villa, Bacconus; è Gallica Franciſcus Mayro, Hẽricus Gãdauenſis, Durandus; è Germanica Hugo de Sancto Victore, Dionyſius Carthuſianus; ex Italica SS. Thomas, Bonauentura, Antoninus, ac reliqui omnes. Ita vt ad hanc ſententiam ſtabiliendam nihil omninò deeſſe videatur.

Vſus Eccleſiaſticæ poteſtatis in omnia terrena, tempo-ralia, Regnaque, & Imperia mundi totius, ab ipſius mundi ortu ſummatim notatus, quo oſtenditur Chriſtum, Sponſamque ipſius Eccleſiam, cum Pontificibus, & Præſulibus ſuis, iure ſummo, omnibus temporalibus, dominatos, ac dominari. Cap. XIIII.

OStendimus ab Angelis, Chriſti fidem, vel implicitè, vel explicitè ſupernaturalemque ductum ſequutis fuiſſe ex Imperio deturbatos Angelos, qui dæmones dicti ſunt, ſupernaturali poteſtati repugnantes, à cælo autem prorſus excluſos, licet horum multi natura ſunt illis ſuperiores, ac tantæ poteſtatis, vt ad nutum poſsint quodlibet corpus mouere, niſi obſiſteret Angelorum ſupernaturalis poteſtas, & hos eſſe Hierarchas, in his Eccleſiam dominari cœpiſſe & dominari adhuc omnibus creatis. oſtendimus etiam de cauſa imperium totius orbis fuiſſe à Deo ſpeciatim datum primo homini Adamo, quod ductum ſimiliter ſupernaturalem fuerit ſequutus, Eccleſiæ Sanctæ membrum fuerit, & humani generis ſummus Sacerdos. At Caino licet primogenito, poſteriſque eius adeptā fuiſſe, in alioſq; Regiā poteſtatem quaſi irregulari ob fratricidiū, translatam cum Sacerdotali, & Eccleſiaſtica in Chriſti, & Eccleſiæ mēbra Seth, ac poſteros eius vſq; diluuium; quod contigit Anno mundi 1656. Poſt hoc Noe rurſus omnium Pontifex Summus, & Rex diſtribuit orbem totum terrarum liberis ſuis, vixitque annis poſt diluuium tercentum quinquaginta, mundi bis mille & ſex, ſed Abrahami, vt Euſebio placet, ſexaginta nouem, vel, vt aliis quinquaginta ſex. Atque ita, vt Chriſti membrum, Sponſæq; ipſius Eccleſiæ, ac Pontifex ſummus toti Orbi eſt dominatus. Verumtamen, quamdiu Sem primogenitus, Noe vixit, tamquam primogenitus, & rex, & Pontifex ſummus, omnibus præſedit. ad primogenitos enim Sacerdotium pertinuiſſe, omnes volunt. ſpeciatim verò ad Sem ſpectaſſe colligimus ex eo, quod Noe ſoli illi dixit, *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaam ſeruus eius*, Chamo haud legitur benedixiſſe Noe Pater, Iapheto autem ſic, *Dilatet Deus tentoria Iaphet, ſit Chanaam ſeruus eius,*

Sic itaque ſoli Semo data eſt Dei, diuinorumque benedictio, atque ex eius liberis ortus eſt Chriſtus, ipſe autem ſummus Pontifex fuit, quamdiu vixit, tum quia primogenitus, tum quia ſic ei Noe pater ſpeciatim benedixit, vti apparet, quoad Deum, & diuina. Vixit Sem vſque ad annum Iacobi quadrageſimum octauum, Iſaaci centeſimum octauum, quantum colligitur ex Euſebij Chronico, & recta annorum numeratione. Ex illo maximè diuiſa ſunt Orbis terrarum regna, bellaque feraliſsima exorta; ac Dæmon obſcurare eſt conatus Chriſti venturi oracula, & regnum, prædictionesq; ad eum pertinētes, atq; ad alios auertere. Nam tunc fertur Iuppiter exortus, qui Dei filius, ac ſummus omnium Rex credi à nonnullis cœpit; quin eius quoque filiis idem tributum, cum ſcilicet non eſſet amplius, qui ſummo iure mortalibus cunctis præſidere poſset. Hinc S. Iuſtinus in Apologia ſecunda pro Chriſtianis inquit, *Qui iuuentuti tradunt poetarum fabulas nullis argumentis nituntur probabilibus. Hæ namque (vt docuimus) à malis genijs inuentæ ſunt ad decipiendos, ſeducendosque homines. Docti enim Prophetarum oraculis de Chriſto venturo, deque igne cruciaturo ſceleſtos, curarunt ſpargi quadam de pluribus Iouis filijs, ſperantes fore, vt qui hæc nugarum portenta audirent, de Chriſto quoque non plus credant, quàm figmentis poeticis. Atqui auditus eſt & Græcis, & cæteris gentibus, quæ magis obſecutæ ſunt Prophetis ob fiduciam ſuam erga Chriſtum olim ab eis praenunciatum. quod autem Daemones non ignari praedictionum Prophetarum, eas parum intellectas per errorem conati ſunt à noſtro Chriſto, ad ſua figmenta detorquere, iam declarabimus*. Hæc ille proſequens inſtitutum. Eadem Firmicus ad Conſtantium, Lactantius, aliique. Verumtamen ex oraculis Sybillarum, cæterisq; aliis veritas eſt conſeruata. ex eo fuit apud omnes gentes obſeruatum, vt qui ſummus eſſet Sacerdos, Rex etiā foret. Minores autē Sacerdotes fuerunt ab omni ſæculariū poteſtate exempti, liberaq; eorū loca, res, ſeruentiaq; his cuncta quod 6. lib. apparet. Idemq; inter Hebræos fuit diuinitus inſtitutū: ita vt licet hi Regem petierint, Deusque ſe ſe accommodauerit illorum voluntati, tamen hunc voluerit à Sacerdotali poteſtate pendere, ab hac recipere poteſtatem. Quamobrem ſæpè deiectis, aut reiectis per Dei Sacerdotes aliis, alij creati ſunt Reges, liberosque vidimus cum ſuis rebus, locis ac ſeruis fuiſſe Sacerdotes, ac ſacris miniſteriis addictos ordinario iure, licet per accidens aliquando ſecus contingebat, vt oſtendimus libro tertio cap. ſexto. Donec venit Chriſtus, poſt

quem ſimiliter oſtendimus tum ſexto, tum quinto libro Epiſcopis noſtris ab ortu Chriſtianæ Eccleſiæ (quæ eſt eadem cum prima ab ortu mundi creata) fuiſſe in Chriſtianos iudicialem ſæcularium rerum poteſtatem, liberoſque omnino fuiſſe Eccleſiaſticos omnes & Clericos ab omni Chriſtianorum ſæcularium poteſtate. Quamobrem neque Alexander Mammeæ, vel Aurelianus Imperator eſt auſus hanc Epiſcopis poteſtatem in res Eccleſiaſticas, Chriſtianorumque auferre. Quin exceptis ijs Imperatoribus, qui funditus euertere Chriſtianam religionem ſunt conati, reliqui voluerunt eſſe liberos, neque eis vmquam placuit edicere; vt ſiue magnū quid agerent, ſiue paruū, non poſſent exequi illud, aut tractare, niſi eorum decretis ipſi aſſentirentur, aut apponerēt, *Placet, exequatur*, vel aliquid huiuſmodi. At Babylas Patriarcha Antiochenus iniquiſsimis Eccleſiæ temporibus ſummam in Imperatorē Philippum poteſtatē exercuit. Interim vero Chriſtus primo per inuiſibilem *Virgæ ferreæ* poteſtatem ſingulos quoſque Imperatores Eccleſiæ mundi Reginæ aduerſantes male perdebat, Secūdo neq; eorum quiſquam tranſmiſit ad nepotes Imperiū ſuū. Tertio translatūq; eſt illud è gente in gentē, quod lib. 6. apparet, donec Cōſtātinus viſu mirabili Crucis excitatus illud acquiſiuit, dictumq; eſt illi, *In hoc Signo vinces*, Quocirca Crucis vexillū præferens exercitui Maxentium vicit, Italiam, Romamq; cœpit, per Chriſtū victor; hinc Prudentius non longè ab hoc ſæclo ad Romā,

> *Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,*
> *In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget*
> *Aut longis ſolido ex auro praefertur in haſtis.*
> *Hoc ſigno inuictus tranſmiſsis Alpibus vltor*
> *Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus;*
> *Cum te peſtifera premeret Maxentius aula.*

Hæc ille alloquens *Romam*.

Quamobrem Conſtantinus, Sacerdotibus, Epiſcopis, ac Pontifici ſummo in omnia ſæcularia ſummā ſuam voluit eſſe poteſtatē vt lib. 5. oſtendemus. Quam cum ſequentes Imperatores imminuerēt contra omne ius, ob id Occidentale Imperium miſerrimè corruit, quod multis argumentis aliqui probant à Conſtantino fuiſſe Pontifici Romano donatum, licet hic quoad bellica, cæteraque ad regendos gentiles, & coercendos ſpectantia reliquerit Imperatoribus adminiſtrandum. verum ſiue donarit, ſiue non donarit, maxima erat Epiſcopis, cum videbatur his expedire, in omnia poteſtas. Ita vt poſſent ab omni parte iudicij quaſlibet ad ſe cauſas auo-

auocare, definire, neque vlla in his ad laicos appellatio daretur, quod libro quinto apparet.

Quin receptum fuit multo antè Occidentalis Imperij ruinam, ne intelligeretur eſſe Orientalis Imperator, niſi qui coronaretur à Patriarcha, quod à S. Pulcheria fuiſſe inſtitutum coniicimus, vt ſigno de admirãda Eccleſiaſticæ poteſtatis progreſsione cõſtat. Quocirca in vita Anaſtaſij refert Zonaras Euthymium Patriarcham noluiſſe imponere Imperij coronam Anaſtaſio, priuſquam ſcripto hic polliceretur, ſe in fide Catholica futurum.

Ex alia parte, cum Franci Gallias occupaſſent, Imperioque romano abſtuliſſent, Clodoueus eorum rex factus eſt Chriſtianus collatumque illi eſt regnum de auctoritate romani Pontificis, & Epiſcoporum. Quocirca quoties rex vngebatur à rhemenſi Archiepiſcopo, hic aſſerebat conceptis verbis ſe illi regnum conferre de auctoritate data rhemigio ab Hormiſda Papa, quæ nos referimus libro 6. alioquin quæro, quo iure poterant Franci retinere aliena contra omne ius occupata? Quidquid afferas eſt nullũ, niſi hoc; Epiſcopis, ac Pontifici ſummo ius eſſe Regna, & Imperia bene alioquin merentibus ſinere toto iure adminiſtranda, licet omninò ad alios ea pertinere videantur. iam vero Epiſcopi ipſi iudicia cuncta adminiſtrabant, vt è legibus, geſtiſque Francorum conſtat. Quod de Francis dicimus, idem dicendum de Viſigotis, qui in Hiſpania regnabãt, neque enim poterãt vllo iure contra omne ius occupatas Hiſpanias habere, niſi quia rex ille intelligebatur, quem creaſſent Epiſcopi, & vnxiſſent, quod ex Iſidoro, & Roderico apparet. Quocirca Suintillã, & rechemirum deiecere Siſenaudumque aliquando crearunt, neque erat aliquid in aula regni Hiſpanici, quandiu floruit illud Aphricæ, Galliæque non ignobilem partem tenens, quod Epiſcoporum conſilio decretiſq; non adminiſtraretur, quod libro ſexto conſtat. quod de Galiis, & Hiſpaniis dicimus, idem de Anglis dicendum. hoc item tempore cum Romæ Senatus, aut omninò, aut propè nullus eſſet; ei, qualiſcumque eſſet, Pontifex vnà cum clero præſidebat, & Occidentalis Imperij nihil non maximum, cum videbat expedire, adminiſtrabat, quod ex Epiſtolis Gregorij Magni apparet, quas dicto ſigno collegimus. Illud verò præcipuum fuit, electo Imperatore in Oriente, romam tranſmittebatur imago ipſius ad Pontificem, qui Clerum, Senatumque conuocans efficiebat, vt ille tamquam legitimus approbaretur, quod è libro vndecimo epiſtolarum ſancti Gregorii capite primo apparet. Quocirca Anno 712. Con-

ſtantinus Papa noluit Philippici Imperatoris Iconomachi imaginem,nomenvè recipi,aut pro Imperatore in Occidente haberi, quod Beda,& Paulus Diaconus lib.6.cap.10.tradunt.Quin Gregorius ſecundus *Romam,& Italiam,*(hæc ſunt eiuſdem verba libri eiuſdē cap.14.) *necnon & omnia tam Reſpubl. quam Eccleſiaſtica iura in Heſperijs,ab obedientia Leonis,& Imperij ſub ipſo conſtituti auertit.* Ex hoc Italia pertinuit oīno ad Pontifices Romanos, ijs exceptis,quæ Longobardi tenebant,quibus volunt à Gregorio Magno datum, vt rege defuncto Archiepiſcopus Mediolanenſis aduocato ſuffraganeorum ſuorum Concilio Regem crearet, ferrea corona redimeret.Ita poſt alios Sigonius. quocirca anno 770. Thomas Archiepiſcopus Carolum Magnum coronauit Italiæ Regem, ſiue Longobardiæ,& 813. Petrus Bernardum Pipini filium. & 822.Anſelmus Lotharium, Ludouici Pij filium .& 876. Anſpertus Carolum Caluum.& 880.Carolum Craſſum. cumque hic priuatus fuiſſet in Concilio Tribarienſi, Anſelmus ſecundus Anno 894.Berēgarium regem creauit, & Lambertus Rodulfum Burgundiæ, mox Hugonem Arelatenſem Reges coronauit. & Anno 947.Ardericus Berengarium II. donec anno 961.Valpertus accitum è Germania Othonem I. coronauit. Sed antè hæc, cum Longobardi olim reges dulcedine Imperij abriperentur, neque deſinerent loca Eccleſiaſticæ ditionis vexare, coacti ſunt Pontifices Romani aduocare Pipinum,mox eius filium Carolum Magnum, ijque Longobardico euerſo maxima Vrbium Italicarum libertate regnum conſtituerunt. falluntur autem,qui volunt Pontificibus Romanis aliquid Italiæ à Pipino,vel à Carolo Magno,quaſi prius illud eorum non fuerit, donatum. Longobardi eripuerant Franci recuperarunt, *per paginam donationis reſtituerunt*, hæc ſunt verba Ludouici, qui poſt Carolum patrem confirmauit acta ipſius,ſic etiam ſcribit Eghinartus Caroli Magni ſcriba in ipſius vita,Paulus Diaconus libro 6.cap.13.Ademarus lib.4.cap.63.

Multo antè contigerat, vt Zacharias Papa miſſo Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino Chilpericum ſtupidum à Regni gubernaculo remoueret,Pipinúq; Regem rectè Francis petētibus daret cum tamen Regno,ac Regi curator dari poſſet, vt egit Innocentius quartus cum rege Portugalliæ, quod habetur cap. grandi de ſupplenda negligentia Prælatorum. re vera autem fuiſſe romani Pontificis auctoritate actum,quidquid Chilperico ſtupido euenit libro 6. probatur. Poſt hæc Leo Tertius Occidentis Imperatorem creauit Carolum Magnum, Si Eghinarto, qui videtur his

omnibus

omnibus interfuiſſe,credimus , inſcium;quod ideo dicimus, quod aliqui velint à Romanis per Pontificem fuiſſe Carolo Magno Imperium collatum,cum nihil à Romanis , hac in re legamus apud antiquos,actum Ex hoc tempore nemo eſt habitus Imperator,niſi quem manu ſua coronaſſet Pontifex ſummus . ſupremis temporibus eſt inductum,vt vocetur Imperator electus, etiamſi à Pontifice non ſit coronatus. Ideò ſemper legimus, Regni, Imperiique annos diſtingui ab iis, qui.Imperatores erant,quod patet ex innumeris Priuilegiorum tabulis ; idemque obſeruatum conſtat Eodem modo per longum tempus Imperio ad Germanos translato. Sic enim Leo Tertius anno 801. Carolum creauit Occidentis Imperatorem,ſic cum fuiſſet abdicatus Imperio Carolus Craſſus anno 887. Mox anno 891. Italici ſunt creati Imperatores à Stephano quinto; Vvido Spoleti Dux.& 895.à Stephano Sexto,Lambertus filius eius.& 900.Ludouicus Prouinciæ Rex à Benedicto quarto,& ante hunc à Formoſo euocatus Arnulphus Germaniæ Rex anno *896*.Poſt hos Berengarius Italiæ Rex 915.à Ioanne Decimo, donec anno 962. Otho Germaniæ Rex à Ioanne Duodecimo eſt creatus Imperatór,quæ Rhegino, & Luithprandus eorum temporum Scriptores tradunt.

Sub Annum 887.deiectus eſt in Concilio Triburienſi ex Imperio Carolus Craſſus,atque illi ſubſtitutus Arnulphus , quem Formoſus coronauit , atque hic primus Occidentalium Imperatorum, qui fuerit Eccleſiaſticæ auctoritatis interuentu ex Imperio depulſus,ſimiliter in Anglia Rex Eduinus ob iniuriam Dumſtano Abbati illatam regno ab Epiſcopis eſt exutus , atque Edgarus creatus.Fulco autem Rhemēſis Archiepiſcopus Carolo Francorum Regi puero adlegit alium Regem Odonem , quem mox ob inſolentiam priuauit de auctoritate Formoſi Papæ, cumque Adolphus Angliæ Rex Inſulam Romano Pontifici tributariam feciſſet nummi in ſingulas domos annuâ præſtatione, Aluredus Romam profectus coronam Regni ab Hadriano Tertio ſuſcipere voluit , atque ex illo Rex ille eſt habitus Angliæ , qui ab Archiepiſcopo Cantuarienſi coronaretur . ſimiliter Spitigneus Bohemiæ Dux argenti libras annuas cenſus Sedi Romanæ ſoluendas iuſsit . iam ſcimus Germaniæ Reges , Hungariæ , Bohemiæ,Poloniæque haud creari, niſi Eccleſiaſticæ potiſſimum poteſtatis accedente auctoritate,neque haberi Regem,niſi quem delectus Archiepiſcopus, vt dicetur,ex antiquo adhoc tēpus vnxerit, coronarit , Speciatim verò à Gregorio Septimo priuatum Imperio

perio

perio Henricum Tertium, Imperatorem, Sed Germaniæ Regem Quartum, ab Innocentio Tertio Othonem Quartum, ab Innocentio Quarto Fridericum Secundum, quæ latè ſuis temporibus proſequuntur Lambertus Schafnaburgeñ, Dodechinus, Helmoldus, Sigisbertus, Vrſpergenſis, ac poſt alios, Crantzius Germani ſcriptores. ex alia parte, Stephanus Hungariæ Rex à Pontifice Romano impetrauit nomẽ coronãq; Regiã, quòd Carthuiſius in eius vita & Bonfinius tradũt, & Anno 1076. Idem tributum Demetrio Rhuſcorum, Dalmatiæ, Croatiæque Regi, & 1098. Edgaro Scotorum Regi ab Vrbano Secundo, quod Leslæus refert, & 1112. Alphonſo Portugalliæ Regi ab Eugenio Tertio, cùm regnum tributarium Sedi Apoſtolicæ illud feciſſet, quod ſcribit Rodericus Toletanus, & 1320. Venceſlao Poloniæ, Danieli Ruſſorum, Mindaco Lithuanorum, quod Cromerius tradit. Et quamuis ſæcularium ditiones, & principatus, neque feuda ſint Pontificum, neque tributum, cenſumue ordinario iure ſoluant; anno tamen 1059. Robertus Guiſcardus Regna Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, infeudauit, ſimiliter Gottifredus Hieroſolymitanum Regnum Bohemundusq; Antiochenum Principatum, quod Tyrius lib. 6. cap. 15. tradit. Brennus deinde ab Innocentio Tertio Rex Hieroſolymitarum creatus tributarium Sedi Apoſtolicæ conſtituit Regnum iuramento appoſito; nequis Regem ſe diceret, niſi quem Papa deſignaſſet; vt idem ſcribit. Steuchus libello de donatione Conſtantini, tradit Paſchali Secundo Sedente Daniæ, Noruegiæque regna Apoſtolicæ Sedi tributaria facta, id Rege Canuto viuente videtur eueniſſe. Dubrauius lib. 10. & Cromerius lib. 4. ſcribunt impoſitum fuiſſe Poloniæ ob Caſimirum voto ſolutum denarii S. Petro ſoluendi annuam penſionem de Polonorum conſenſu. Anno 1212. Ioannes Angliæ Rex ab Innocentio Tertio ob contumaciam excommunicatus è capite coronam detrahens, Pandulpho Legato tradidit, addens ſe ſuoſque hæredes non niſi è manu Papæ illam recepturos, precarioque regnaturos. Tum Pandulphus coronam rurſus illi impoſuit nomine Pontificis ſummi, quæ Æmilius lib. 6. Blondus decad. 2. Nangiacus, Maſſonus Annaliũ 3. lib. in vita Philippi Auguſti tradunt. Gregorius Decimus, quamuis electi eſſent Alphonſus Decimus Caſtellæ Rex, & Ricardus Cornubiæ Dux Germanorum Reges, & Imperatores, & ad alterum iure ſpectaret Imperium, neutrum voluit; creari iuſsit alium nulla habita ratione iuris, quod alteri eorum competebat. Idem Michael Paleologo confirmauit Orientale Imperium, licet

cet contra leges illud occupaſſet, iureque ad Balduinum ſecundũ, tunc viuentem pertineret. quod Villaneus lib. 7. cap. 44. refert. Inde Adolphus Imperator de auctoritate Bonifacij Octaui (quod Dubrauius lib. 18. refert) Imperio priuatus; Piſani ab eodẽ Sardiniæ regno excluſi, quod Aragoniæ Regi eſt attributũ, quod narrat Villaneus lib. 8. ſub idem tempus Pontificis decreto eſt ablatum regnum Caſtellæ Petro crudeli, adiudicatumq; Henrico fratri ipſius, quod flagitioſus foret, non hæreticus, quod quidam ſcripſere, ſed comperimus eſſe falſum. inde regnum Inſularum Canarrearum Ludouico Hiſpano datum à Clemente Sexto, vt Petrarcha libro 3. de ſolitaria vita refert. Idem vero Bonifacius Octauus cæteris Hungariæ regno excluſis, ac priuatis Carolum regem declarauit, quod Bonifinius Decadis 2. libro 9. tradit. Martinus Quintus Ioanni Primo Luſitaniæ regi conceſsit, ne cui fas eſſet in Africanis oris Oceanũ verſus quidquam occupare, ſed id totum ſpectaret ad Luſitaniæ reges: tradit hoc Maffæius Hiſtoriæ Indicæ lib. 2. Anno 1400. Venceſlaus Imperator eſt Imperio priuatus, ſententiam tulit in eum Ioannes Archiepiſcopus Moguntinus, quæ legitur adhuc Typijs excuſa. Poſt hæc Paulus Secundus regnum Bohemiæ Gregorio Podebrachio abſtulit in hæreſim lapſo. At Alexander Sextus, quidquid locorum detegeretur à Promontorio viridi, vt vocant, Orientem verſus Luſitanis acquirendum; quidquid inde Occidentem verſus Caſtellanis, cæteras nationes excludens, adiudicauit. Noſtra ætate Pius Quintus Eliſabettam Angliæ reginam regno priuauit, quod illa niſi exciſa propè omni nobilitate à ſe teneri nõ poſſe iudicauit. Quod vero fuerat à Pontificibus prioribus ablatum Galliæ Regnum Henrico Quarto, mox eidem Regi Catholicæ fidei reſtituto, rurſus addixit affixus obtutui diuino Clemens Octauus, ob illud præterea, quod ingentem cuncti opinionem ſpemque conceperint, atque alant fore, vt generoſiſsimi pectoris ampliſsimus rex heroicis virtutibus, quarum fructus indies non mediocres eluceſcere gaudemus, viam ſibi poſteris, ac nobiliſsimo regno ſternat ad reſtituendum Maieſtatis, & amplitudinis antiquæ ſplendorem maximo totius Chriſtianæ Reip. bono.

E ſuperioribus porrò conſtat Pontificem, & Epiſcopos poſſe aliquibus auferre aliquando iura eis competentia, licet nihil culpæ admiſerint. ſed hoc rarò; cum vident illi, ita cõuenire ordini diuino, atq; vniuerſi. Nam quo iure potuit Imperio Romano auferri Hiſpaniarũ, Galliarũ, Britanniæ, & Galliæ Regnum? quo iure po-

tuerunt Viſigothi Hiſpanias, Franci Gallias, Angli Britanniam retinere? Notiſsimum namque eſt cunctis, & nemo hiſtoricorũ diſſentit contra omne ius, quin per ſummam perfidiam fuiſſe occupata illa regna, & quò diutius ea poſsiderunt, eò maiori, & grauiori ſcelere detinebant. Idem dico cum fuit Rodulphus Auſtriacæ familiæ parens electus Imperator, ac reiecti Alphonſus Decimus Caſtellæ Rex, & Richardus Cornubiæ Dux, quorum alteri ius Imperij neceſſario conueniebat. Idem dicimus cum Michael Paleologus eſt Orientis Imperator confirmatus. quid autem de Indiarum, ſiue Orientalium, ſiue Occidentalium conceſſione dicemus? Non ne eodem iure, quo Caſtellani, & Luſitani aditum ſibi aperuerunt, & aperiunt ad tot Regna acquirenda, eodem iure prorſus Angli, Galli, Flandri, Itali poſſunt, ac potuerunt ſibi aperire? Nonne idem ius eſt omnibus? Cur abſtulit ijs ſuum ius, largitus eſt illis Pontifex ſummus? quid culpæ admiſerunt hi, ob quam priuantur hoc iure? Nam licet ea loca acquiſita non eſſent, ſed acquirenda; ius tamen erat acquiſitum ex æquo, atque eſt alioquin ad illa acquirenda. Certum namque eſt, Si qui horum mitterent armatas claſſes ad noua loca acquirenda finitima acquiſitis, fore, vt Hiſpani protinus eas adoriantur diſsipent perdant, nullo certè alio iure, quàm Pontificio. quid mali perpetrauit Veneta Reſpublica de Chriſtiano nomine tam benemerita, tam iuſtè ſuos populos regens, tam Catholicæ Religionis tenax, vt ex illa admiranda vrbe non fuerit vmquam nominis alicuius vir hæreticus, vt hoc iure ab Apoſtolica Sede expoliaretur? Et maximè, quod ſi qua natio maritimas expeditiones adornauit aduerſus Chriſtianæ pietatis hoſtes, Veneta fuit. quin Nicolaus Muſtus fuit è primis, qui extremas Africæ oras explorauit. Age vero an non eadem de Rep. Genuenſi dicemus? & maximè, quod Chriſtophorus Columbus ipſius ciuis omnium primus Occidentales Indias detexit? Idem conquerentur Florentini. Americus enim Veſpuccius omnium primus Indiarum continentem terram nobis aperuit. atque vt videas Pontifices ſummos in publicis actionibus agi à Deo, Alexander Sextus ignorabat tempora illa turbulentiſsima, quibus inuaſerunt hæreſes Angliã, Germaniam, Galliamq;, quæ ſanè Indiarum quoq; ſtatũ perturbaſſent, ſi ex vlla parte Anglis, Germanis, Gallis ea loca occupanda dediſſet. Cauit Deus, vt Hiſpanis ſolis daret, ad quos hæreſum turbæ peruadere non potuerunt, Regnantibus omnibus Catholicæ pietatis laudibus, ac virtutum genere præſtantiſsimis Carolo Quinto, &

Philippo

Philippo Secundo; quibus eminentia Religionis, cæterumque virtutum nullo modo ceſſurum ſpem fecit à puero, maioremq; in dies facturũ ſperamus, Philippũ III. qui modo fœliciſsimè regnat. Neceſſe eſt itaque dicamus omninò, ius dominiumque eſſe Pontifici Summo in omnem terram, regna omnia ſupremum, cui temporalia cuncta directè ſint ſubiecta, intelligimus, ut Pontifici ſummo cuncta ex voluntate diuina adminiſtrari, non pro libito hominis. Atque ita ipſius voluntas ſequitur omnipotentem ſemper diuinam. His itaque comprobatis, quomodo dici ab vllo poteſt Papam non interponere in temporalibus auctoritatem ſuam, ſeu poteſtatem, niſi cum Princeps aliquis errat? Aut etiam quomodo dici poteſt Eccleſiaſticis non eſſe in omnia regna Imperia, temporaliaque poteſtatem, quæ vel imperitiſsimis ſit omnino nota? Non enim geſta ſunt hæc in angulis, ſed in ampliſsimo totius orbis Theatro, ab ipſo mundi totius ortu. Ideoque vel in minimis videmus, quoties vlla lex fertur à Principe Sæculari, Sæculares quærere, à Sacerdotibus, quatenus obligati ſint illi obedire, quòd ſcilicet hi clauim Scientiæ poteſtatiſque habeant, qua ſciant, ac poſsint decernere, quid conueniat vltimo fini Deo, cui neceſſe eſt omnia ſubijci, & conuenire eiuſdem voluntati, quique hoc ſtudium profitentur, & quibus ad eum ſciendum diuinum lumen præ cæteris datur.

Illud præter hæc, eſt obſeruandum in cunctis fere Catholicis regnis; id eſſe in more poſitum, vt ab aliquo Archiepiſcopo, Rex vngatur, coronetur, gladiumque è vagina eductum de manu illius accipiat, ſed antea Rex iuret in eius manibus ſupra Euangelium ſe fidei Catholicæ defenſorem futurum, iura Eccleſiaſtica tuiturum, quæ habentur in Pontificali. Verbi gratia, Rex Franciæ ab Archiepiſcopo Rhemenſi, ex inſtitutione Hormiſdæ, Rex Angliæ ab Archiepiſcopo Cãtuarienſi ex priuilegio Hadriani Tertij, rex Scotiæ ab Archiepiſcopo Sancti Andreæ de conceſsione Vrbani Secundi, Rex Germaniæ à Maguntino ex inueterata conſuetudine, Bohemiæ à Pragenſi, vt ait Dubrauius; Poloniæ à Gneſnenſi teſte Cromerio, Hungariæ ab Epiſcopo Albæ Regalis auctore Bonfinio; Sueciæ ab Vpſalenſi, vt tradit Ioannes Magnus, Daniæ à Lundenſi, Nauarræ olim Rex à Pampilonenſi, Aragonenſium à Tarraconenſi, quod Innocentius Tertius cõceſsit. Caſtellæ rex antequam rex fiat iuramento ſpeciali ſubijcit ſe Sanctiſsimo ſeueriſſimæ Inquiſitionis tribunali, in omnibus præterea Catholicorum Regnis tres ſunt ordines, qui ad ſtatuendas Reſpublicas conuocan-

cantur, Eccleſiaſticorum, Nobilium, Popularium: Primus ordo Eccleſiaſticus tenet. in Polonico ſanè, quod nũc cũctis Borealibus regnis præſtat, Eccleſiaſtici, maximè omniũ ſi iure agatur poſſunt. Ita vt ab ipſis tota propè pendeat Regia poteſtas, Amplius verò multis locis Eccleſiaſtici primo loco, Deinde alij regẽ creant, vt in Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia. Quid plura? non modo Regios titulos, ac dignitatem Regiam conferre eſt Pontificis ſummi, ſed etiam quoſlibet titulos iuſtas ob cauſas. quocirca Pius V. Coſmo illi Mediceo ob præclara tum familiæ nobiliſsimæ, tum verò ipſius propria merita, in Catholicam religionem, Sedemque Apoſtolicam Magni Ducis Hetruriæ cognomentum largitus eſt, quo nunc maiorum veſtigijs inſiſtens, & omni virtutum ſplendore effulgens illuſtratur eius filius Ferdinandus. Quæ ſanè omnia notiſsimam faciunt cunctis in temporalia quæuis Eccleſiaſticorum poteſtatem, vel ab ipſius mundi exordio repetitam. libris porrò vltimis de ſignis Eccleſiæ Dei palàm fecimus, quo maiori in Eccleſiam Sanctam pietate floruit aliquod regnum, vel aliquã gens, eo maiori etiam fœlicitate temporalium floruiſſe, quæ attingimus, quantum breuitas operis patiebatur, libro ſexto. Quod ſiquis ſuperiora aduertat comperiet, nullum Regnum, vel Imperium eſſe, in quo dando, aut auferendo, vbi opus fuit, non modo Pontifex Romanus, in quo eſt apex omnium poteſtatum, Sed Epiſcopi quoque non exercuerint naturali, ac diuino iure ſibi traditam poteſtatem, quæ, à Chriſti venturi fide, ac poteſtate ob præordinationem ſummi omnium Patris in Angelos bonos, in Adamum, Noe, liberos eius, e quibus omnibus Eccleſia conflatur, deriuata, mox eo ſupra cœlos aſcendente, Eccleſiamque que ſuam diuinitus, ac potentius formãte, conſedit in Petro, ac Petri ſucceſſoribus (quorũ cuilibet ſemper dicitur *Paſces oues meas*) in Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, *Quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* & ad quos eſt dictum. *Quaecumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quae cumque ſolueritis ſuper terram; erunt ſoluta & in cœlis.* Atque ità nõ homines modo, ſed omnia, ſed aliter, atque aliter ligare, ac ſoluere poſſunt, vt variis eſt oraculis prædictum, ac promiſſum, omni id iure expoſcente. Videre autem ſimul è ſuperioribus cuilibet volenti licebit, ea regna, & imperia minus ſtetiſſe, in quæ minus potuere Pontifex, & Epiſcopi Eccleſiæ Sanctæ, & quæ minus eorum poteſtati, & correctioni ſubiecta fuerunt; ita vt, idcircò quorundam infidelium regna, & imperia perſiſtant, vt hæreticorum

rum,(qui maximè omnium Chriſti rectæ fidei, Sponſæq; ipſius Ecclesiæ mundi Reginæ aduerſantur,& quos maximè omnium Deus Chriſtuſque auerſatur,) regna & poteſtatem contundant, & conterant,vt verũ ſit illud,quod Chriſtus de ſe primaria Petra, Petro, & ſucceſſore quolibet eius Vicaria Petra legimus Matth.cap. 24. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Hinc apparet verum ius ſtatus.

Ex his igitur apertè,quidquid ſupra propoſuimus,cõſtat; Chriſtum, Sponſamque ipſius Eccleſiam cum ſuis Hierarchis dominatos,ac dominari iugiter,á prima Angelorũ creatione,qui vt Chriſti,& Eccleſiæ membra,Hierarchæ,ac ſuo modo Sacerdotes,regũt ſingula quæque naturalia,temporaliaque; horum nacti Imperium per fidem Chriſti,tamquam milites eius, & Eccleſiæ ſponſæ,mundi. Reginæ. neque eis fas eſſe reluctari, niſi contrà naturale, ac diuinum ius,libera eſſe illorum loca. Apertè item conſtat Adamum, poſteros Seth, ac Noe totius Orbis Imperium gubernaſſe tamquam membra Chriſti, Sponſæ ipſius Eccleſiæ, ac Pontifices ſummos,atque ex eo tempore libera fuiſſe loca Sacra ab omnium ſæcularium poteſtate. Et quando tum cuncti Patres, tum Theologi volunt multos è gentibus ſaluatos abſque circumciſione, conuenit inter omnes ob fidem Chriſti implicitam ſaluatos, atque in his quicumque veri Heroes antiqui fuere, qui gentium tum Reges, tum ſummi Sacerdotes erant,ób implicitam fidem, vel explicitam(qualis erat in Iob)Chriſti membra,& Eccleſiæ Sanctæ:quorum doctrinam,lumenque naturale antiqui omnes ſecuti,omnem Regiam poteſtatem committebant Sacerdotibus ſummis, minoribus immunitatem,ſacris locis libertatẽ, vt libro ſexto aperitur. Poſteritas porrò Abrahami per fidem Chriſti apertam tot, ac tanta effecit;& quidquid temporalis boni habuit,eſt nacta,ac tutata; donec Rex Regum Chriſtus, *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, Sed magis alieni, cuius anima tamen protinus inuiſibiliter ſingula quæque naturalia, temporaliaque per Angelos à ſe in agendis illuminatos regere cœpit, atque adminiſtrare *Virga ferrea confringens, & conterens aduerſantia ſponſae ſuae*, Viſibiliter autem per eos, qui ſunt ex Eccleſia ſua Sancta, quam propterea patet mundi eſſe Reginam. Nam ſic illam doctrina ab ortu Mundi accepta,ac tradita per manus vocauit Dauid Pſalmo 44. canens. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate.* Vt ibi exponunt Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus,Auguſtinus, Græci, Latinique omnes; ſic illam vocauit Salomon in Canticis ſuis,inquiẽs, *Sexaginta ſunt Reginae,*

& octo-

& octoginta Concubinae; & adoleſcentularum non eſt numerus, Vna eſt Columba mea, Perfecta mea, vna eſt matri ſuae electa genetrici ſuae. Viderunt eam filiae, & beatiſſimam praedicauerũt Reginae, & concubinae, & laudauerunt eam, quae eſt iſta, quae progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, Terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Vt omnes interpretantur. Sic eam vocauit Iſaias cap. 60. vt optimè S. Auguſtinus, quem cæteri ſequuntur, explanat: Sic Ieremias threno primo; quod præclarè interpretantur S. Gregorius pſalmo Pœniten. 4. ſic illã præuidit Adamus cum viſa Eua dixit, *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro ex carne mea?* Eccleſia namque verè omnium viuentium mater, vt Tertullianus dixit aduerſus Marcionem:

Haec populi vera eſt viuentis Eccleſia mater.

Tertullianum ſequuntur Eucherius, Rabanus, Rupertus in cap. 2. Geneſeos, S. Auguſtinus aduerſus Fauſtũ, Hanc Angeli viderunt, cum pro illa, Chriſtoque, aduerſus apoſtatas Angelos militarunt, cũ quo habetur Apocalyp. cap. 12. *Signũ magnũ apparuit in cœlo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius Corona ſtellarũ duodecim*, vt exponit S. Methodius, Andræas Cretẽſis, S. Auguſt. homil. 10. in Apoc. quos pleriq; oẽs ſequũtur. Verè itaq; Apoſt. ad Hebr. 13. *Chriſtus heri, & hodie ipſe & in ſaecula:* Ab initio ſcilicet mundi cum ſua Spõſa Eccleſia regnauit cũ poteſtate lucis, alij quatenus ab eo ſe auerterũt, cũ poteſtate tenebrarũ. Sic illa, & ille ab initio mũdi ſunt. Hinc pulchrè, S. Aug. de Catechizãdis rud. c. 19. *Eccleſiae mẽbra erãt ẽt Sãcti illi, quãuis in hac vita fuerint antequã ſecũdũ carnẽ Chriſtus Dominus naſceretur. Ipſe enim vnigenitus Dei filius, Verbũ Patris, aequale & coaeternũ Patri, per quẽ facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt, vt totius Eccleſiae, tãquã totius corporis, caput eſſet. Sed ſicut totus homo, dũ naſcitur, ẽt ſi in naſcẽdo manũ praemittat, tamẽ vniuerſo corpori ſub capite coniũcta, & cõpacta eſt: quẽadmodũ ẽt nõnulli ex ipſis Patriarchis, ad huius ipſius rei ſignũ praemiſſa manu nati ſunt, tamẽ vniuerſo corpori, cuius ille caput eſt, ſub capite cohaſerũt.* Hæc Sãctus. eadẽ Origenes lib. 2. cõtra Celsũ. Euſeb. Hiſtor. lib. 1. c. 2. Naziãzenus oratione de Machabæis. ad eãdẽ pertinuere multi gentiles, vt ex Apoſtolo cap. 1. ad Rom. Chryſoſtomo, Theodoreto, Iuſtino Apol. 1. Epiphanio, & aliis eſt dictũ, & de Iob loquẽs ait Auguſtinus idem lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 25. *Diuinitus autem prouiſum fuiſſe nõ dubito, vt ex hoc vno (Iob) Sciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad caeleſtem Hieruſalem.*

FINIS LIBRI PRIMI.

DE IVRE STATVS SIVE DE IVRE DIVINO ET NATVRALI ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS ET POTESTATIS

LIBER SECVNDVS.

ILLVSTRISS. ET REVEREN. S. R. E. CARDINALI BENEDICTO IVSTINIANO,

---

Quanta ſit Dæmonum poteſtas in humanam naturam. Niſi Chriſtus Dominus noſter obſiſteret, huic ob Dæmonum poteſtatem nulla eſſet bona cogitatio, nullus actus bonus, nullus dominij bonus vſus. ac quomodo id efficere ij queant, ac per Chriſtum cuncta in terris ordinentur. Cap. I.

OStendendum nobis eſt, Benedicte Iustiniane Cardinalis Ampliſsime, non generatim vt ſupra, ſed ſingillatim quoad ſingulos homines, & gentes omnia mala tolli, & omnia bona adduci à Chriſto, & Eccleſia Sancta; illudq; repetemus. ob fidẽ Chriſti, vel implicitam, vel explicitam nacti ſunt Angeli ſancti tamquam membra Eccleſiæ Sanctæ, Hierarchæ, ac ſuo modo Sacerdotes omnium naturalium, temporaliumque Regiam poteſtatem, deturbati vero ex illius vſu Dæmones mali, quamuis ad eum reuocentur ab hominibus impiis à Chriſti fide, & obedientia alienis, vel omnino, vel aliqua ex parte. Per eamdem ſimiliter veluti Eccleſiæ membrum, Sacerdosque ſummus, conſecutus eſt Adamus extraordinariam quamdam & ſupernaturalem

poteſtatem,qua naturalis continebatur,in cuncta animalia; deficiens ab illa,ab hac defecit;hanc retinuit,quatenus ab illa non abſceſsit,quod præclarè S. Auguſtinus tradit de Geneſi ad litteram cap.17.18.ob ſimilem cauſam priuatus eſt ea Cain cum ſuis; data eſt Seth,ac poſteris eius;Inde tradita eſt decimo à mundi creatione Noe, ſubmerſis omnibus, qui ab eadem fide, & obedientia ſe ſe abiunxerunt. Noe ſolus poſt Adamum ſummus omnium Pontifex,ac Rex in terris fuit, Orbemque vti Eccleſiæ Sanctæ Præfectus liberis ſuis eſt partitus. Per illam met fidem tot, ac tanta effecit Moyſes,quia nimirum Primo cuncta facta ſunt ob finem ſupernaturalem. Secundo natura hunc appetit finem.Tertio Deus, Angelique ordinant cuncta adhuc finem. Quarto natura appetit hanc ſupernaturalem ciuitatem,ciuitatiſque huius participationē quæ quatuor ſupra à nobis conſiderata ſunt. Quocirca tandem Chriſtus venit *Primogenitus omnis creaturæ, expectatio gentium*, quem natura humana tanti boni ignara, *Gemitibus inenarrabilibus*, ac tacitis expoſcebat. Hic nimirum totius ordinis ſupernaturalis Princeps, ac ſupremus in omnibus moderator,iuſtitiæ totius, virtutumque, ac propterea cuiuslibet iuſtæ poteſtatis, dominiique iuſti eſt fons, atque origo, hic omnium meritorum caput; *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia*, ait Paulus 1.Cor.1.hinc idem vocat eumdem, *Dei virtutem* (δύναμιν poteſtatem) *Dei ſapientiam*. Nos itaque hoc opere agimus de poteſtate iuſta, ac dominio iuſto, ſiue perfecte iuſtum ſit,ſiue imperfecte, ſiue iuſtus ſit, qui hæc habet, ſiue iuſta ſint, quæ habet, iuſteque habeat. Totum namque hoc, vt iuſte habeat,iuſtèq; aut omnino, aut ex parte vtatur,eſt a Chriſto Illud tamen eſt verum. Siquis non iuſte vtatur poteſtate, dominioque,hoc ab eo denique aufertur,vſus eius tollitur;licet illi ſit naturale,vt in Dæmonibus appa ret, quod mox dicemus. Hinc namque eſt omne ius ſtatus. Hinc S. Bernardus ſerm.13. in Cantica. *Quidquid ſapientiæ,quidquid virtutis te habere confidis, Dei virtuti, Dei ſapientiæ deputa Chriſto: origo fontium, & fluminum mare eſt; virtutum, & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus*. Et mox. *Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. non ſolum autem, ſed & ſiquis pollet ingenio, ſiquis nitet eloquio, ſiquis moribus placet,inde eſt*. Et S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 13. in Ioannem, exponens illud, *Lex per Moyſem data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, ait, *non habet donum participabile,ſed ipſe fons eſt, & radix omnium bonorum*. Et mox.

Conſtituamus nobis igneum fontem, à quo innumeræ accendantur lucernæ, & bis totidem, & ter totidem; nonne huiuſmodi fons, ita plenus eſt ignis, quemadmodum antequam ex eo quidquam ſumeretur? Et dein. *Idcirco Ioannes inquit, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum. Quocirca, inquit, gratiam pro gratia. Verum, quæ legis fuerunt, fuerunt, & gratiæ, etiam ipſa formatio hominis ex nihilo. non enim noſtris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem. quomodo enim, cũ nihil eſſemus? ſed gratia Dei, quæ ſemper in beneficiis priores ſibi partes vendicat. nec ſolum, quod facti ſumus ex nihilo: ſed quod facti, & facienda, & vitanda didicerimus, & horum à natura legem acceperimus, & conſcientiæ iudicium incorruptum nobis ab opifice Deo tributum ſit.* Hactenus Sãctus à Chriſti hominis gratia ſtatuens eſſe, vt fuerimus ex nihilo creati, ſed quõ? quia Chriſtus homo eſt, vt ſupra diximus, *propter quem omnia ſunt, ſeruantur.* Sic igitur ob Chriſtũ natura eſt omnis, & naturalia cuncta; ab ipſius gratia deriuatur hoc modo quidquid naturale eſt. Aperit deinde, & temporalia per eamdem Chriſti gratiam deriuari, & ait, *Animaduerte præterea, quam honeſtam facit comparationem etiã apud imbecilliores, non enim ratione excellentiam confirmat, ſed nudis nominibus differentiam oſtendit, gratiam & veritatem legi, & hanc particulam, facta eſt, huic, data eſt, opponens. maxima autem vtrorumque differentia: dare enim miniſtri eſt. nam qui dat, is aliunde accipit, & dat, cui dari præcipitur. fieri autem, & gratiam, & veritatem Regis eſt cum poteſtate omnia dimittentis peccata, & benignitatis ſuæ dona confirmantis, quare, inquit, dimittuntur tibi peccata tua: & iterum, vt autem ſciatis, quoniã poteſtatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, dicit paralytico, ſurge tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Vides quomodo gratia per eum facta ſit?* Hæc Sanctus explicans, tam bonum gratiæ gratum facientis, quam temporale, & corporale eſſe à Chriſto, ac poteſtate ipſius. Rurſus oſtendit in veteri teſtamento ex virtute Chriſti hæc fuiſſe, & ait. *Veritatem autem manifeſtius intelligemus, ſi figuras didicerimus.* Et dein. *quid dicit figura? tollite agnum per familias, & ſacrificate, vt inſtituit Dominus. Chriſtus autem nihil eiuſmodi præcipit, ſed ipſe factus eſt ſacrificium, & oblationem ſeipſum Patri offerens. vides quo pacto figura data eſt per Moyſem, veritas facta eſt per Ieſum Chriſtum? Item in monte Sina, vt Amalechitæ in pugna profligarentur,*

tur, manus Moyſi ab Aaron, & Hur vtrinque ſublimes tenebantur. Chriſtus vero adueniens ipſe ſuas manus extendit in Cruce. Animaduertis quomodo nobis figura dabatur, veritas facta eſt? Hæc Sanctus, volens verè Chriſtum dediſſe illam virtutem agno figuræ, ne occiderentur Hebræi, ac manibus extenſis per Moyſem, vt Hebræi vincerent Amalechitas, Præclare hæc omnia verbo vno expreſsit Iſaias. Nam cum Deus præuidiſſet Chriſtum Cruci affligendum, præordinauit ex hoc, cuncta, quæ fiunt in terris, ab ipſo Chriſto, ac fide ipſius ab ortu mundi ordinari, ac regi, itaque vates ait, *Si poſuerit pro peccato,* (Chriſtus) *animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Et mox. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia.* Hæc propheta oſtendens fore, vt quæcumque Deus velit, ſiue illud pertineat ad gratiam, ſiue ad aliud bonum, non exequatur, niſi per manum Chriſti, Idcirco, S. Hieronymus eo loco, *Et voluntas Domini in manu eius dirigetur, vt quidquid Pater voluit, illius virtutibus impleatur dicentis ad Patrem, ego ſeruaui eos in nomine ſuo, quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex ijs periјt, niſi filius perditionis.* Hucuſque Sanctus ob Iudam, cuius & ſpirituale, & temporale omne in nihilum recidit. Hinc idem declarans illud, *Videbit ſemen longæuum, ſemen eius in æternum permanet, & thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo. & iterum ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum illius ſicut dies cœli. Quod alijs verbis ad Virginem Gabriel loquitur, Ecce concipies in vtero, & paries, qui filius altiſsimi vocabitur, & dabit illi Dominus thronum Dauid Patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in ſempiternum, & regni eius non erit finis.* Et poſt interpretans illud, *Diſpertiam ei plurimos,* (ait) *Impleto illo, quod ſcriptum eſt, poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ; de quo & in hoc eodem propheta legitur, erit radix Ieſſe, & qui reſurget, vt principetur gentium, in ipſo gentes ſperabunt. Iſti autem plurimi quondam a fortibus tenebantur, & ſub ſpecie aſini, & pulli multos habebant Dominos, quibus dixerunt Apoſtoli, Dominus eos neceſſarios habet. qui fortes erant, antequam Chriſtus humanum corpus aſſumeret, ac fortē ſuperās diriperet domum eius.* Egregie rurſus hæc omnia paraphraſis Chaldaica expreſsit, ita exponens. *Videbunt regnum Chriſti ſui, multiplicabunt filios, & filias, prolongabuntur dies eorum, & facientes legem Domini in voluntate eius dirigentur. A ſubiectione populorum liberabit*

rabit

rabit animas eorum, videbit vltionem de inimicis ſuis, ſaturabuntur præda Regum eorum. Et mox. *Ideo diuidet ſibi prædam populorum multorum, & diuitias ciuitatum fortium*. Hæc ibi, vt ſciamus nullibi non in ſcriptura Sancta aperiri omnia tam temporalia, quam naturalia bona pendere à Chriſto vt homine, *Propter quem omnia* ſunt facta. Simulque illud ſciamus, quidquid eſt vſquam boni operis ſiue imperfecti, ſiue perfecti eſſe à Chriſto homine, quod ab illo fit omnis gratia, gratiæque inchoatio, ſiue diſpoſitio quantũuis remota inter homines, ex qua hi boni aliquid efficiant, benèque vtantur vlla re, aut aliquid ex congruo mereantur, quod ex Apoſtoli, Ioannis, Iſaiæ, Bernardi, Chryſoſtomi, & Hieronymi dictis eſt probatum. Idem ſentit S. Auguſtinus tractatu, 3. in Ioannem declarans illud, *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, ait enim dari gratiam ante fidem, & poſt fidem pro aſſequenda gratia, quæ nos efficiat iuſtos. Idem videntur ſentire Concilium Mileuitanum, cap. 3. & 4. Arauſicanum ſecundum cap. 5. 6.7. 19.22.24. Innocentius Primus ad Concilium Mileuitanum, cap. 26. & 93. inter Epiſtolas Auguſtini, Cæleſtinus Primus ad Epiſcopos Galliæ, a quibus aſſeritur vel quamuis remotam diſpoſitionem ad gratiam eſſe à Deo per Chriſtum. Idem tradit S. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 2, & lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 9. & ep. 10. eandem ſententiam ſequitur, S. Thomas. 3. q. 7. art. 9. quo vult Chriſtum eſſe vniuerſale Principium gratiarum, quòd repetit art. 10. 11. & q. 8. art. 3. ad 2. Scotus in 3. diſt. 11. q. vnica. eamdem tuetur Vega toto libro in Concilium Tridentinum, & lib. 15. cap. 9. & 10. Hoſius in confeſsione fidei, cap. 41. & 43. Lindanus lib. 3. Panopliæ, cap. 39.

Probantur vero hæc quoque ex ipſis principijs Metaphyſicis, quibus aſſeritur, omne, quod eſt ex aliqua parte, eſſe ab eo, quod eſt ex omni parte tale, Imperfecta à perfectis. Quocirca cum ſit in Chriſto omnis gratiarum plenitudo, tam quæ in nobis eſt ex condigno, quam quæ in nobis eſt ex congruo, & tam quæ proxima, quam quæ remota eſt, quælibet ab illo erit.

Similiter ex eo: quia cuius eſt inducere formam, eiuſdem eſt inducere omnes præcedentes, & ſubſequentes diſpoſitiones ad illam; Chriſti autem merita ſunt, ex quibus gratiæ dantur, igitur omnis bona cogitatio, bona actio, bona poteſtas, quæ ſunt diſpoſitiones ad gratiam, ſunt a gratia Chriſti, & proinde omne impedimentum quod tollitur, tollitur à Chriſto. confirmantur hæc.

Nam Deus naturæ auctor intime, ac ſolus animæ eſſentiam perſuadit, mouetque ad intelligendum bonum, ſimulque appetendum, mouet tamen, vt hominem Chriſto ſubijciat cum ſuis omnibus; inſerat illi Chriſti fidem vel implicitam, vel explicitam, nam ſic ipſe Ioannis 17. ad Patrem, *Pater venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det et vitam æternam*, vt ibi interpretantur Cyrillus, Theodoretus, Chryſoſtomus, Leontius, Rupertus, Auguſtinus tract. 105. ac ſupra late eſt explicatum. Sed quando nihil poteſt mens cogitare abſq; corporeis inſtrumentis, Idcirco hæc denique comprobantur. duo namque extra animæ eſſentiam fieri a Chriſto poſſunt, atq; in his videtur proprius eſſe Chriſti influxus. Primum quidem remouere Dæmonas, nequid impediant boni intellectionem, & appetitionem; Secundum vero accomodare omnia, quæ ſeruiunt intellectui, appetitionique ad hunc finem. Nam Dæmoni corpora, corporeaque ad nutum ſeruiunt, ita vt ex naturæ ſuæ potentia, Dominioque poſsit montes ex alijs in alia loca transferre, mortales occidere, & quiduis huiuſmodi efficere: quod S. Auguſtinus 3. de Trinitate, cap. 8. & 9. S. Thom. 1. q. 111. art. 3. probant. vere enim Iob cap. 41. *Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram*. Quocirca poteſt, Primo ex vi naturæ ſuæ ita commouere humores cuiuſlibet hominis, vt fiat furioſus, impellatur ad omnē libidinem, cædem, rapacitatem, ſecundo poteſt appingere, & infigere cogitationi quæuis ſimulacra, quin oculis ipſis quaſlibet imagines, ita vt ijs obſeſſus homo, non poſsit aliquid aliud cogitare, ac videre, *Intelligentem namque oportet phantaſmata ſpeculari*, ait philoſophus. Chriſtus, ne Dæmon id poſsit, ſua merita, poteſtatemque datam diuinitus interponit fugans illum, nequid maleficijs, ac præſtigiis ſuis moliri queat, & gratiæ diſpoſitiones tollat. Contra autem primò per Angelos corporis humores componit, ſecundo bona ſimulacra menti offert, aut opponit oblatis à Dæmone, ne vincat: atque hæc ſunt propria Chriſti. Id niſi fieret, actum de genere humano foret. En igitur apertiſsimum fit, nulli hominum eſſe vllam bonam cogitationem ſine Chriſto, ac proinde neq; vllum actum bonum, quicūq; ille ſit, ſiue vt eſt remota, ſiue vt eſt proxima diſpoſitio ad gratiam, ſimulque neque vllam poteſtatem iuſtam, dominium iuſtum ſine Chriſto. En, vt quiuis naturæ impulſus ſit nullus abſque poteſtate, & gratia Chriſti: cuius fides, Eccleſiaque ab initio mundi regnat: ad maiorem declarationem ſubiicimus,

Chri-

Chriſtum eſſe Angelorum Principẽ, & Regem, vt habetur. Epheſ. cap. 1. & Coloſſ. 2. & vnicuique hominum dari, ſimulac naſcitur, Angelum cuſtodem, quod ex Pſal. 90. & Matthæi cap. 18. Chriſtus itaque, vti Rex aſsignat Angelum cuilibet, qui ſit eius cuſtos, ſingillatim præſcribens quid agendum. Rurſus Chriſtus eſt caput omnium hominum tam fidelium, quàm infidelium, & quo ad animam, & quoad corpus, influit itaque ſingulis in vtrumq; vt habet, S. Thomas, 3. q. 8. art. 2. & 3. Ac propterea prouidet omnia bona tam corpori, quam animæ eo, quo diximus, modo. En igitur, vt tota natura omnino ſeruiat naturæ poſitæ in ſtatu ſupernaturali. Hoc igitur eſt, quod Chriſtus dixit, *Sine me nihil poteſtis facere*, Hæc illa pugna, de qua Epheſ. cap. 6. Apoſtolus, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, Sed & ipſe Petrus Apoſtolorum Princeps. *Aduerſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*. Sic itaque eſſentiam mouens diuinitas cum Chriſti virtute coniungitur, ſic intelligibile lumen infundens luminum Pater per filium ſuum, *Qui eſt ſplendor pater næ gloriæ, qui illuminat oẽm hominẽ venientem in hunc mundum.* Subiicit homines, filio, vt homini; atque hic vt homo per imperium ſuum ſubiicit Patri, naturalia, temporaliaque cuncta ordinans, ac diſponens, vt ſupra eſt probatum; Sic regitur mundus totus, *Secundum menſuram donationis Chriſti*, Nam quibus minus de ſuo donat Chriſtus, minus Deo coniunguntur, ita vt aliqui longiſsime abſint, quibus minimum donatur; ac magis, minuſve ſit alicui poteſtas iuſta, ac dominium iuſtum, prout minus, magiſue Chriſtus ei prouidet, eum tutatur ab ipſorum Dæmonum poteſtate, arcens eas, de quibus ait Dauid Pſal. 77. *Immiſſiones per Angelos malos*, Ac ne dicas per accidens euenire, vt Chriſtus liberet è Diaboli ſeruitute, quaſi tãtum remoueat prohibens. Reſpondemus neceſſario, ſtante totius vniuerſi ordinatione, alterum ſequi è duobus, vel vt natura recta rectos impulſus ſequens Chriſto ſe ſe in omnibus ſubiiciat, vt peruenire ad finem ſuum poſsit, quem nõ poteſt aſſequi ſine directione ſupernaturali, vel rectos impulſus haud ſequens incidat in Dæmonum poteſtatem. Satiſque eſt nobis, ſi hoc modo per Chriſtum ſtent boni motus naturales, vt hominum poteſtas ſit iuſta.

Eccleſia Sancta Mundi Regina per Exorciſtæ characterem, ſacramentaliaque Dæmonas fugat, ne bonos animorum impulſus impediant, malos immittant, aut aliquid hominibus noceant; per donum virtutis, vel poteſtatis idem efficit; punitque contumaces ad alios à criminibus abſterrendos. Per ſacramenta Dei filios efficit, bonos impulſus infundit, per merita, preces, & oblationem corporis Chriſti omne in terras bonum deriuat; malum fugat. Cap. II.

HOc ſtabilito totus iuſtitiæ, bonitatiſque defluxus in humanum genus deriuandæ excipitur in Eccleſia Sancta Chriſti ſponſa; vt operis initio perſtrinximus, hic latius explicatur. Nam quidquid efficit Chriſtus in terris, efficit per ſui corporis membra. Quamobrem dedit in Eccleſia minores ordines Exorciſtarum, quibus immobiliter eſt impreſſa aduerſus Dæmonas, vt hos coerceant, atque expellant, ſupernaturalis poteſtas. Hæc multo eminentior eſt in Sacerdotibus, Epiſcopis, ac Pontifice ſummo; in Eccleſia tota, ac Pontifice ſummo ſimul. Nam quidquid Chriſtus caput efficit inter homines in terris, efficit per Eccleſiam, quæ eſt ipſius corpus, in qua ſunt membra ipſius, quibus impreſſa eſt immobiliter hæc aduerſus Dæmouum poteſtatem ſupernaturalis poteſtas, idcirco non ſemper pertinent ad quemlibet; ſed ſemper, atque ex immobiliter impreſſa poteſtate ad aliquem ex Eccleſiæ Sanctæ Chriſti ſponſa, præcipuiſque ipſius membris illæ aſſertiones, *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, Et Matthæi cap. vltimo. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſiquid mortiferum biberint, non eis nocebit*. & Luc. 19. *Dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia, & vt languores curarent*. Ampliſſime vero hanc Eccleſiæ Sanctæ ſponſæ ſuæ à Chriſto ductam poteſtatem diſertiſsime affirmat S. Paulus ad Epheſios capite 4.

Vni-

Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. &c. qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia (ſua virtute) & 1. ad Corinthios cap. 12. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. & quoſdam poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes* (Græcè δυνάμεις poteſtates) *exinde gratiarum curationes, opitulationes, gubernationes*. Et dictum membris eius, Geneſ. cap. 12. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*. & ad eam pertinet illud Apocal. cap. 2. *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi a Patre meo*. & in dictũ c. 12. S. Ambroſius. *Caput itaque Eccleſiæ Apoſtolos poſuit, qui legati Chriſti ſunt, ſicut dicit idem Apoſtolus, pro quo legatione fungimur. ipſi ſunt Epiſcopi, firmante iſtud Petro Apoſtolo, & dicente inter cætera de Iuda, & Epiſcopatum eius accipiat alter*. Et mox. *Prophetas duplici genere intelligimus, & futura dicentes, & ſcripturas reuelantes. quamuis ſint & Apoſtoli Prophetæ, quia primus gradus omnia ſubiecta habet*. & ad Epheſ. cap. 4. *Apoſtoli Epiſcopi ſunt. Prophetæ vero explanatores ſunt ſcripturarum*. Et mox. *Inter iſtas poſt Epiſcopum plus eſſe intelligitur, qui propter reſeratum occultum ſcripturarum ſenſum prophetare dicitur, præſertim quia futuræ ſpei verba depromit, qui ordo nunc poteſt eſſe præsbyterũ. Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt; quia Primus Sacerdos eſt, hoc eſt Princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Euangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium*.

Hucuſque Ambroſius volens omnium poteſtatem, & virtutem contineri ordine Epiſcoporũ, qui & Apoſtolorum eſt ordo. quid vero ſint virtutes, declarat Theodoretus. 1. Cor. 12. *Hoc donum ſæpe etiam intulit ſupplicium, quemadmodum Elimæ lucis priuationem, & Ananiæ, & Saphiræ mortem prœmaturam*, & S. Chryſoſtomus, *Diuidit, ac ſeparat* (Apoſtolus) *Curationes à virtute: quod prius quoque fecit. qui habet quidem virtutem, & caſtigat, & Medetur; qui habet autem donum curationum, ſolum medetur*. Et mox oſtendens donum virtutis, aut poteſtatis extendi aduerſus Dæmonas ait. *Iſaias diſſerebat cum Iudæis, & Dei virtutis praebebat oſtenſionem, & de vilitate Daemonum in medium adducebat argumentum*. Et rurſus citat illud, *Domine nonne in tuo nomine prophetauimus, & virtutes multas fecimus?*

Con-

Cõſtat igitur Eccleſiæ eſſe immobiliter inhærentẽ poteſtatẽ per charactere͂ exorciſtæ ordinati, qui potentior eſt in Sacerdotibus, & Epiſcopis, vt poſsit expellere, ac fugare Dæmonas, ne efficiãt aduerſus hoĩes ea duo mala, quæ ſupra oſtendimus, & omne vaſtitatis genus in terras adducant. & ſimiliter eſſe Eccleſiæ poteſtatẽ ac donum virtutis ſupernaturalis, tum aduerſus Dæmonas, tum ad efficienda miracula quæuis magna contra contumaces, atque hæc etiam perpetuo data eſt Eccleſiæ Sanctæ ad eumdem finem.

Secundo Eccleſiæ largitus eſt Chriſtus, vt ſicut expellere poteſt efficaciter omne, quod bonos motus naturales poteſt impedire, ſic etiam poſsit omnes bonos motus efficaciter, & infallibiliter inducere, a quibus naturales boni motus adiuuentur, euehantur ſupra ſe, vt ad fine͂ ſupernaturalem peruenire poſsint, ſiue gratiæ, & gloriæ ſtatum, ſine qua neque naturalis poteſt haberi, id eſt fieri non poteſt, vt aliquis ſit ſine peccato mortali contrario rationi naturali. licet enim Chriſtus tolleret omne impedimentum, tamẽ humana natura ex ſe non habet, vt perueniat ad finem ſuum, niſi Chriſto capiti coniũgatur, vt ſupra eſt probatum cap. 1. & 2. Quamobrem certum eſt primò per Sacramenta, quæ adminiſtrantur ab Eccleſiaſticis infundi gratiam cunctis, niſi obex ponatur, ita vt animæ eſſentiam vi ſua peruadant, diuinaq; gratia mirabiliter ornatam, ſequentemque flectant in finem ſupernaturalem, motuſq; animæ eiuſdem naturales perficiant, ſecum ducant, atque attollant; etiamſi homo nihil addat de ſuo. Hæc ſunt Dei ſolius; Deus namque ſolus permeare, & inflectere animæ eſſentiam poteſt. Quamobrem veluti Deus naturæ auctor concurrit cum naturis ipſis ad agendum, naturamque humanam mouet motu bono, ac naturali ad finem ſuum, ſic Eccleſiaſtici vitæ miniſtri dicuntur, quod ingenerent intimos, ac vitales diuinæ gratiæ, naturæque diuinæ motus in anima, ob quos Eccleſia Mater dicitur, ac parere filios Deo. Ac propter hoc dicuntur Eccleſiaſtici potentiæ Paternæ configurari, quia ſcilicet efficiũt per Sacramẽta, quod eſt Dei, ſolius, vti eſt dictum. Secundo diuinitus datur Eccleſiæ Sanctæ, vt per oblationem Corporis Chriſti ſemper aliquid impetrare efficaciter, ſimulque efficaciter Deum reddere propitium poſsit, niſi impedimentum ponatur. Atque ita Eccleſiaſtici ordines habent immobiliter annexam poteſtatem, qua tollant omne malũ naturæ humanæ quoquo modo contrarium, ſimulque adducant omne in terras bonũ. Recte enim definiuit S. Concilium Tridentinum ſeſsione 22. cap. 1. *Hanc eſſe Hoſtiam, quae per varias ſacri-*

ficio-

ficiorum naturæ, & legis tempore ſimilitudines figurabatur, vt pote quae bona omnia per illa ſignificata, veluti illorum omnium conſumatio, & perfectio complectatur. Eadem tradunt SS. Auguſtinus epiſt. 53. & 59. & contra Creſconium cap. 25. & ſerm. 31. de verbo Apoſtoli, Cyprianus lib. 1. epiſt. 9. Ambroſius primo de officiis cap. 48. Chryſoſtomus in Pſalm. 95. & hom. 77. in Ioannem, *Pro vniuerſi*, inquit, *orbis fructibus ſacrificamus*. Leo Papa ſerm. 7. de Paſsione. Tertullianus aduerſus Scapulam cap. 3. Arnobius lib. 4. contra gentes. Proſper libro de vocatione gentium cap. 4.

Tertio largitus eſt Eccleſiæ Sanctæ, ac ſponſæ ſuæ Chriſtus, vt Eccleſiaſtici, quidquid malæ eſt doctrinæ expurgent, veris illuminent hominum mentes. ad eos namque pertinet illud, *Spiritualis homo omnia iudicat, & à nemine iudicatur*, &, *Vos eſtis lux mundi*. Huius autem poteſtatis claues datæ Petro ſoli, ac Petri poteſtatem tenenti, ipſe eſt fons, & apex Sacerdotij, ſcribit Iuſtinianus, ipſe eſt Sol, fons, ac truncus Eccleſiaſticæ poteſtatis, ait Cyprianus, penès illum reſidet infallibilis ſcientiæ clauis, vt ſupra eſt dictum.

Quarto denique, largitus eſt Deus Eccleſiaſtico, vt omnes ipſius preces ex Eccleſiaſticis officiis recitatæ, licet ipſe peccato mortali ſit irretitus, mereantur, & impetrent, nam recitat illas ex Eccleſiæ Sanctæ perſona. ita S. Thomas 3. q. 82. art. 6. Qui vero in gratia Dei eſt, alteri ex congruo primos gratiæ motus meretur.

Quocirca oblationes ſingulæ vel ſpirituales, & internæ tantum, Deoque vni manifeſtæ, vel ſimul etiam manifeſtæ alijs, & quouis modo propter actus, donaue externa, vel per implicitam fidem, vel explicitam Chriſti corpus reſpexere, illique adhæſerunt, Deuſque per illum hominem ſibi offerri voluit, idcirco vocatur, *Sacerdos in æternum*, noſque ex ipſius perſona illud offerimus, ita vt ſit vna oblatio, ſit vnus offerens, à quo pendeant cuncta, quibus Deo placeamus, coniungamur, appropinquemus, & habeamus quodcumque eſt nobis boni. vt habetur ad Hebræos. cap. 9. ac tradunt SS. Chryſoſtomus hom. 17. ad Hebræos. Haymo. cap. 6. Anſelmus 10. Irenæus lib. 4. contra Hæreſes. cap. 32. 34. Cyprianus Ep. 63. Auguſtinus 4. de Trinitate, cap. 7. & 14. & de Ciuit. 20. cap. 20. Ambroſius 1. de officijs, cap. 48. Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum, & 60. ad populum Antiochenum.

Præclarè hæc omnia, ne multa coaceruemus, expreſsit Tertullianus ad Scapulam. *Sacrificamus* (en primum, à quo omnia) *pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius; ſed quomodo præcipit*

Deus

Deus pura prece (id eſt non cruenta, ſic enim purum vocant latini, cum de ſacrificiis agunt) *non enim Deus eget conditor vniuerſitatis odoris, aut ſanguinis alicuius. Hæc enim Dæmoniorum pabula ſunt. Dæmones autem non tantum reſpuimus, verum & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt.* Et mox. *Doleamus neceſſe eſt, quod nulla ciuitas latura ſit impunè ſanguinis noſtri effuſionem; ſicut & ſub Hilariano Præſide, cum de areis ſepulturarum noſtrarum declamaſſent, areæ non ſint, areæ ipſorum non fuerunt. meſſes enim ſuas non egerunt. cæterum & imbre anni praeteriti, quid commeruerit genus humanum, apparuit, cataclyſmum ſcilicet, & retro fuiſſe propter incredulitates, & iniquitates hominum; & ignes, qui ſuper mœnia Carthaginis proxime penderunt, per noctem quid minati ſint, ſciunt, qui viderunt; & priſtina tonitrua, quid ſonauerint, ſciunt, qui obſurduerunt* (ita legendum puto, non obduruerunt) *Omnia hæc ſigna ſunt imminentis iræ Dei, quam neceſſe eſt quoquomodo poſſumus, vt & annunciemus, & praedicemus, & deprecemur interim localem eſſe. vniuerſalem enim & ſupremam ſuo tempore ſentient, qui exempla eius aliter interpretantur. Nam & Sol ille in Conuentu Vticenſi, extincto pene lumine, adeo portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati poſitus in ſuo hypſomate, & domicilio. habetis Aſtrologos. Poſſumus aeque, & exitus quorundam praeſidum tibi proponere, qui in fine vitae ſuae recordati ſunt deliquiſſe, quod vexaſſent Chriſtianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amiſit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens vxorem ſuam, ad hanc ſectam tranſiſſe Chriſtianos crudeliter tractaſſet, ſoluſque in Praetorio ſuo vaſtatus peſte, cum viuus vermibus ebulliſſet nemo ſciat, aiebat, ne ſpe gaudeant Chriſtiani.* & poſt. *Haec omnia tibi & de officio ſuggeri poſſunt, & ab eiſdem aduocatis. qui & ipſi beneficia habent Chriſtianorum, licet acclament, quae volunt. Nam & cuiuſdam notarius, cum à Dæmone praecipitaretur, liberatus eſt.* (notemus hæc) *& quorundam propinquus, & puerulus, & quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus) à Dæmonijs* (iterum notemus) *aut valetudinibus remediati ſunt. Ipſe etiam Seuerus Pater Antonini Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtianorum, qui Torpacion cognominabatur, Euthodeae procuratorem, qui eum per oleum,* (En virtus olei Sacri) *aliquando curauerat, requiſiuit, & in palatio ſuo habuit vſque ad*

mortem

mortem eius, quem & Antoninus optimè nouerat lacte Chriſtiano educatus. & dein. *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetrauit. quando non geniculationibus, & ieiunationibus noſtris, etiam ſiccitates depulſae ſunt?* Hæc ille aſſerens à Dæmonibus immitti has clades, repelli precibus Eccleſiæ, has vero initium ſumere à ſacrificio incruento, vt ab hoc appareat pendere omnia bona temporalia, naturaliaque alioquin vaſtanda à Dæmonibus, qui & corporibus impiorum inſidentes efficere poſſunt ex vi naturæ, ac poteſtatis ſuæ, ne quis ſit vllus bonus actus naturalis, vlla poteſtas bona naturalis, vllum Dominium iuſtum, iuxta appetitum naturalem naturæ humanæ omni in re, loco, ac tempore Deum ſuum quærentis, ſeu nolentis ab illo auerti. Sic igitur conſtat, quod initio dicebamus, omnem Regiam poteſtatem reſidere in Chriſto primum, deinde in Eccleſia Sancta, ac denique per hanc in alios dimanare. Nam Regiã poteſtatem vocamus, quæcumque eſt poteſtas iuſta.

Eadem cum Tertulliano Cyprianus. Sic enim libro de Idolorum vanitate. *Spiritus inſinceri, & vagi, qui poſteaquam terrenis vitijs immerſi ſunt, & à vigore cœleſti, terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & poetae Daemonas norunt* (vt Homerus Iliados 1.& 3. Heſiodus in Theogonia) *& Socrates inſtruiſe, & regi ad arbitrium Daemonis praedicabat,* (apud Platonem in Apologia, Xenophontem de dictis, & factis Socratis, Maximum Tyrium de Socratis Dæmone, Apuleium de Deo Socratis) *& Magis inde eſt ad pernicioſas, vel ludrica potentatus. quorum tamen praecipuus Hoſtanes, & formam veri Dei negat conſpici poſſe, & Angelos veros ſedi eius dicit adſiſtere. In quo & Plato pari ratione conſentit, & vnum Deum ſeruans pari ratione conſenſit, caeteros Angelos, vel Daemonas dicit.* & deinde. *Sic ergo ſpiritus falluntur, & fallunt, vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, vt ad cultum ſui cogant.* & poſt. *Sed tamen adiurati per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur.* Oſtendit vero hoc naſci ab Euchariſtia Sancta idem lib. de Natiuitate Chriſti. *In paruuli,* inquit, *huius nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus ſuperueniente fortiore de atrio antiquitus poſſeſſo potenter expellitur, & praeſumptae* inſe

infeſtationis audaciae ſilentium imperatur. defectui carnis noſtrae, quae à primitiuis fœcibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo, & Sacramentorum communicatio, per quam illius corpori ſinceritati vnimur nos, in tantum corroborat. Hæc Sanctus, è quibus apparet, vt alios omittamus, quidquid boni, quod naturali lumini ſit conforme, ſit, à nobis fieri gratia, & poteſtate ipſius Chriſti Dæmonum poteſtatem coercentis, ac proinde nullam poteſtatem, dominiumque poſſe eſſe vllo modo iuſtum, ſine ipſo, Eccleſiaque ipſius ſponſa, ac Mundi Regina; cuius Sacerdotes referentes perſonam Chriſti, *Qui eſt Sacerdos in aeternum, ſecundum ordinem Melchiſadech*, offerunt, *Pro totius mundi ſalute*, eiuſdem Chriſti corpus cui dictum, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* pſal. 109. & quando eſt, *Sacerdos in aeternũ ſecundum ordinem Melchiſedech*, idcirco, *Dominus à dextris* eius, *confregit in die irae ſuae Reges, iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum*, Quæ verba referuntur à Sanctis, tum ad Dæmonas, de quibus eſt dictum, *Ipſa conteret caput tuum*, Gen. 2. tum ad eos, qui nolunt ſubijci humanitati Chriſti, cum ſcriptum ſit de Dæmone, ipſe eſt, *Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiae*, Iob. 41. Idcirco & Dæmonis poteſtas in omnes orbis totius homines ob hoc ſacrificium coercetur, vt bonos actus naturales edere queant, ac non contaminentur à Dæmonibus, iuſtæ ſint hominum poteſtates, iuſta dominia, Primo iuxta appetitum naturalem naturæ humanæ deſiderantis omni in re, omni in loco Deum ſuum, vel nolentis ab illo auerti, quo cum non tendit, quieſcere haud poteſt, vel appetitam quietem participare. Sic igitur iuſta eſt poteſtas humana in nobis, quia recto appetitui noſtro in Deum tendenti eſt adæquata, vt verò in Deum tendat, vel ab illo non auocetur, eſt a precibus meritiſque Eccleſiæ Sanctæ, & Chriſti. Secundo iuxta ordinem rerum, quæ ſumpto ab externis initio magis factæ ſunt, vt perducant nos in Deũ, maxime nos Deo coniungant, ordinent homines in Deum, ordinentur ab hominibus in Deum, quam in quemlibet alium finem, quem non tollit, cum bonus eſt, ſed perficit, confirmatque Eccleſiaſtica poteſtas, Tertio, quod ad hunc finem conſtituantur ciuitates, vt ſcilicet homines in primis diuina edoceantur, Deo coniungantur, participent cæleſtem ciuitatem Deo, ſuperiſque ſimiles euadant, atque ita nos, ac noſtra adaequentur humanæ vniuerſitati iuſtè, rectèque ordinatæ. Atque ipſa poteſtas, domi-

numque

niumque noſtrum ſit iuſtum, ſiue adæquatum rectæ ſubordinationi omnium rerum in Deum, ac nullis rebus fruamur, ſed vtamur, illis vtentes ob Deum, ordinanteſque illas in Deum, vt ex natura ſua ſunt ordinandæ. Quarto quod ad hunc finem cuncta à Deo, ab Angelis ipſis, lege, omnibus rebus, perpetuò ſemperq; adnata, ac Præſidente, vt primis operis capitibus eſt deductum, regantur, atque ordinentur, Cui nos adæquantes noſtram voluntatem, noſtras actiones, vſum rerum; poteſtatem, dominia, ſunt illa iuſta, Deo, ſuperiſque, vniuerſitati humanæ, rebus ipſis recte ordinatis, ac denique nobiſmetipſis adæquata. vt vero huiuſmodi ſint, atque eſſe poſsint habemus à Dei gratia per Chriſtum, Sponſamque ipſius Eccleſiam Reginam Mundi, Primo, quod remouent Dæmonas, qui concitatione humorum corporis, ac ſpectris, & immiſsionibus malis efficere poſſunt, ne bonos actus naturales edere poſsimus, cum ſimus obnoxij peccato. pecora, mancipiaque illorum, inquit S. Auguſtinus, quamuis cogere voluntatem non queant. Secundo efficiunt Chriſtus, ac dono Chriſti Eccleſia Sancta; vt bonos motus naturales, & edere poſsimus, falſæ doctrinæ fugentur, bonæ tradantur, gratiaq; in nos humanam naturã perficiens, ac largiens diuinam deriuetur: atque ita adæquemur, & conformemur cum rebus omnibus noſtris Deo, ſuperis, vniuerſitati humanæ, rebus omnibus, ac nobiſmetipſis. Cum vero à vitijs omnia perdantur, vt libro primo eſt concluſum, fit tertio loco, vt omnia noſtra per Eccleſiam, Chriſtumque ſtent, atque ad nihilum non redigantur. Quarto autem ne vaſtentur, à Dæmonibus, quod SS. Baſilius, & Auguſtinus aiebant. Denique ne moriamur, atque occidamur. vbi vult enim, Dæmon id poteſt ex viribus naturæ, & peccati reus, ſimul etiam mortis eſt reus, Per Dei miſericordiam, ſuperis intima, diuinis humana, ſupernaturalibus naturalia mirabiliter ſubordinantis, atque vt aiebat S. Ambroſius concathenantis, per gratiam Chriſti, preces, meritaque ſponſæ ipſius, ac Reginæ Mundi fit, vt appareat hinc eſſe omnium bonorum ſtatum, ſiue eſſentialiter omnia pendere à ſupernaturali, ſiue Eccleſiaſtica, quæ & ſpiritualis, atque æternæ eſt, Chriſti, & Eccleſiæ poteſtate. Poſſemus verò afferre huc innumera euenta, quibus probaretur omnia mala arceri, & omnia bona adduci ab Euchariſtia, corporeque Chriſti in terris exiſtente, & oblato, è multis, vt S. Gregorio, Beda, Petro venerabili, Sylueſtro libro de Strigi magis, Hieronymo Magno de arte Exorciſtica, Ioanne Pico Mirandulæ Comite libro de Lamiis,

miis,quorum nonnulla collegimus lib.5.de Signis Eccleſiæ Dei,il lud ſit ſatis quod teſtatur Ouiedus ca.10.de Indiis Occidētalibus portētoſiſsimas clades,ac tempeſtates horrendas, quas ille refert à Dæmonibus immitti ſolitas,ceſſaſſe,ex quo eſt Chriſti corpus in illis locis, ac tum mundus ruet,cum iuge ſacrificium ceſſabit, ait S.Hyppolitus lib.de conſumatione.

Argumenta ad comprobationem ſuperiorum deſumpta è Sanctis Patribus, ac Doctoribus ſupra allatis. Cap. III.

APparet itaque ſupernaturalem poteſtatem præeſſe inter homines omnibus rebus ordinandis, vt vltimo argumento, tertioque concludebamus, ob primam cauſam, quæ primo cap. lib. 1. eſt adducta. Quæ comprobamus plurimis argumentis, quæ Sancti Patres, ac Doctores ſupra allati producunt. Nam ſic Hugo è S. Victore, Alexander Halenſis, Franciſcus Mayro, Henricus Gandauenſis, S, Thomas,quin Apoſtolus ipſe, atque ex ipſo SS. Auguſtinus, & Hieronymus. Quæcumque eſt Spiritualis poteſtas, inter homines,diuino, ac naturali iure omnia diiudicat, & a nemine iudicatur, 1. Cor. 2. Sed quæcumque Eccleſiaſtica poteſtas eſt ſpiritualis, Ergo quæcumque Eccleſiaſtica poteſtas iudicat omnia,& a nemine iudicatur. intelligimus quæcumque, & quatenus dependet ab apice Eccleſiaſticæ poteſtatis Pontifice ſummo. Spiritualis vero eſt poteſtas, aut ex vi poteſtatis, aut aliunde. Hic accipitur,vt poſt alios diſtinguit Ægidius,ex vi poteſtatis. Ratio clara eſt vtriuſque propoſitionis, è ſuperioribus. Dominatur enim naturæ humanæ in omnibus omni momento lex illa appetitus inſeparabilis coniungendi ſe cum Deo, quod cum non poſsit aſſequi ſine Eccleſiæ Sanctæ poteſtate, quæ ſpiritualis eſt,ſeu ſupernaturalis,idcirco omni in re,momento ei dominatur, Eccleſia Sancta,iudicatque cuncta illius acta,& res. Comprobātur hæc è S. Auguſtino, qui ſic confeſsionum lib. 3. cap. 22. & 23. *Reformamini, inquit, in nouitate ſenſus mentis veſtrae.ad probandum homo renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius, qui creauit eum. & ſpiritualis effectus indicat omnia, quae vtique iudicanda ſunt, & ipſe à nemine iudicatur. quod autem iudicat omnia, hoc eſt, quod habet poteſtatem piſcium maris, & volatilium*

latilium cœli, & omnium pecorum, & ferarum, & omnis terræ, & omnium reptilium, quae ſunt ſuper terram, & hoc agit per mentis intellectum, per quem percipit, quae ſunt Spiritus Dei. alioquin homo in honore poſitus comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt eis. Et mox. *Iudicat etiam ſpiritualis approbando, quod rectum; improbando autem, quod perperam inuenerit in operibus, moribuſque fidelium, & eleemoſinis tamquam terra fructifera, & de anima viua manſuefactis affectionibus, in caſtitate, in ieiunijs, in cogitationibus pijs, & de his, quae per ſenſum corporis percipiuntur. De his enim iudicare nunc dicitur, in quibus & corrigendi poteſtatem*, (hoc eſt, de quo agimus) *Habet.* At S. Hieronymus eo loco Apoſtoli. *Omnia dicit, quae ſunt ſpiritualia* (id eſt, quæ in animam cadant) *non enim artes, & diſciplinas huius mundi animalis homo, niſi ſpiritualiter intelligat, ſcire poteſt.* Ita Sanctus volens non intelligi à nobis vllas artes, ac ſcientias, niſi ſpirituales ſimus, id eſt, vt nos interpretamur, niſi ſimus ſpirituales, ac ſpirituali poteſtati ſubiecti errabimus in artibus, & ſcientijs, vel percipiendis, vel vtendis. Sic igitur, cum ſpiritualis poteſtas ſit eadem, quæ & ſupernaturalis iudicabit omnia tam naturalia, quàm temporalia. Quod ſi iudicabit ab aliis transferenda in alios vel arma, vel regna non poterit ab alio iudicari malene, an bene fuerit actum, alioquin non iudicaret omnia, & ab aliquo iudicaretur. Confirmatur tum hoc, tum principale argumentum.

Primo. Omnis poteſtas iudicans ex prima cauſa quodlibet agendum, iure naturali, ac diuino iudicat omnia, ſed Eccleſiaſtica poteſtas iudicat ex prima cauſa quodlibet agendum, Eccleſiaſtica igitur poteſtas naturali, ac diuino iure iudicat omnia. Maior eſt Philoſophi Metaphyſici 1. cap. 1. & 2. & probatur, quia natura humana coeſſentiali procliuitate omni in re ſemper Deum vult. non poteſt aſſequi, niſi ordinetur in illum, ex ipſius voluntate, quæ voluntas eſt prima omnium cauſa. Hanc Dei voluntatem in omnibus ſcit ſola Eccleſiaſtica poteſtas, igitur iudicat cuncta ab hominibus quibuſlibet agenda. neque duo poſſunt in terris independenter omnia iudicare, nam niſi vnus iudicet alium, non poteſt omnia iudicare: ſola igitur illa iudicabit. Scit autem ſola Eccleſiaſtica poteſtas Dei voluntatem, quæ eſt prima omniũ cauſa. Primo, ob characterem, ſiue intelligendi poteſtatem eminentiſsimam; ſecundo ob donum conſilij, quod licet aliquibus Chriſtianis detur ad ſemetipſos ordinandos; ſolis Sacerdotibus,

& Epiſcopis datur,& eminētius datur ad alios ordinādos,vt infra dicetur. Atque ita minor etiam probatur. quæ & tertio confirmatur,ex ipſo Apoſtolo dicente, *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*, id eſt, nos Apoſtoli,quibus Epiſcopi ſucceſſerunt,ſentimus, quid velit Chriſtus, ob diuinos impulſus, donumque conſilij ad alios ordinandos, ac regendos datum; Chriſtus vero ordinat cuncta in mundo, vt eſt probatum ſupra; *Et Pater omne iudicium dedit filio*.

Secundo, Corroboratur tum ſuperius, tum principalia noſtra Argumenta. Omnis poteſtas iudicans ex altiſsimis cauſis, naturali ac diuino iure iudicat omnia. Sed omnis Eccleſiaſtica poteſtas iudicat ex altiſsimis cauſis, Iure itaque naturali, ac diuino iudicat omnia. Maior eſt eiuſdem philoſophi adducto loco, ac probatur eiſdem rationibus, tum maior, tum minor. Sed hoc argumentum differt à ſuperiori. Multa enim ſunt reuelata in diuinis ſcripturis, ex quibus omnia tam ſupernaturali lumini, quàm naturali conuenientia iudicantur; ex ijs deducere infallibiliter veras concluſiones pertinet ad Eccleſiaſticam ſolam poteſtatem. Quocirca recte aiebat Iuſtinianus, noſtræ leges haud dedignantur Sacros Canones ſequi; & Henricus Gaudauenſis aiebat, nullas à Principe ſæculari leges promulgandas, niſi prius ab Eccleſiaſtica poteſtate approbatas.

Tertio, Confirmantur tum ſuperius, tum principalia noſtra argumenta. Omnis poteſtas habens regulam dominandi directe naturæ humanæ, & omnibus eius rebus,naturali,ac diuino iure directe dominatur naturæ humanæ,& omnibus eius rebus; Eccleſiaſtica poteſtas habet regulam dominandi directe naturæ humanæ,& omnibus eius rebus; Iure igitur diuino,ac naturali dominatur directe naturæ humanæ,& omnibus eius rebus. Totius argumenti eſt illa ratio, quia naturæ humanæ dominatur directè omni momento, omnique in re lex illa appetitus coeſſentialis, qua vult Deum; Quamobrem dominatur illi poteſtas, quæ hanc habet regulam perducendi illam omni in re ad Deum, Siue vt naturalis,ſiue vt ſpiritualis eſt finis. Alter namquam ſine altero non poteſt haberi. Similiter ſecundo, cunctæ res magis factæ ſunt in eumdem finem,quam in quemuis alium,ſiue ſuum intimum,& ab eſſentia ſua fluentem, ſiue extrinſecum, directè itaque ordinari ſemper debent in ipſis habendis, & vtendis à poteſtate habente hanc regulam. Tertio itidem, Cœtus humani, (vt humani, ac recti) directe ad hoc conſtituuntur, ac directius ob hoc, quàm

quiduis

quiduis aliud propter illud ius coeſſentiale. Quarto denique tota rerũ natura ad hoc mouetur à Deo, Chriſto, & Angelis, vt ſupra eſt dictum, præſidetque, & adnaſcitur ſingulis quibuſq; rebus hæc lex dirigens, & ordinans illas præter proprios, ac naturales fines. Sola vero Eccleſiaſtica poteſtas habet hanc regulam; quod patet ex tribus Regulæ conditionibus. Ac prima eſt, vt regula ſit recta, quod habetur primo de anima tex. 85. *Rectum namque ſui ipſius, & obliqui eſt menſura*. Sed natura diuulſa à ſupernaturali poteſtate eſt corrupta, obliqua; non poteſt itaque ordinare actus ſuos, regulamque ijs dare. At ſupernaturalis naturalem continens, atq; omogeneam naturæ, rectam facit naturam, atq; attollit ad diuinitatem, *Eccleſia namque eſt columna, & firmamentum veritatis*. Secundum regulæ eſt neceſſarium, vt ſit prima, quod philoſophus tradit Metaphyſici. 12. tex. 3. Verum regula hominũ ſeparata à poteſtate ſupernaturali, non eſt prima; Quin ſi adhuc huic ſubiiciatur, & coniungatur, non eſt prima. Prima eſt, quæ habet ipſam clauim ſcientiæ, poteſtatiſque diuinæ, ſiue voluntatis, ſenſus, ac ſpiritus Dei, & Chriſti, quod ſoli Eccleſiaſticæ poteſtati eſt datum. Tertium, quod conuenit regulæ eſt, vt ſimpliciſſima ſit, nihilque illi addi poſsit. At regula naturalis non extenditur in ſpeculatiuis ad ea regulanda, & menſuranda, quæ ſunt ſupra humanam naturam. Sed in agendis prorſus eſt pleniſsima dubitationis, ob id Deus per Chriſtũ dat Eccleſiaſticis ſupra omnes ob characterem, gradumque eminentiorem conſilij donum, hinc S. Thomas. 2. 2. q. 52. art. 1. ad 1. *Quia humana natura non poteſt comprahendere ſingularia, & contingentia, quae occurere poſſunt, fit, quod cogitationes mortalium ſint timidae, & incertae prouidentiae noſtræ, vt dicitur Sapientiæ cap. 9. ideo eget in inquiſitione conſilij dirigi à Deo, qui omnia compraehendit, quod fit per donum conſilij, per quod homo dirigitur, quaſi conſilio à Deo accepto, ſicut etiam in rebus humanis, qui ſibi ipſis non ſufficiunt in inquiſitione conſilij, à ſapientioribus conſilium requirunt*. Hæc Sanctus, neque ad rem facit, ſi dicamus agi ibi de fine ſupernaturali. Vt enim diximus indiſtincti ſunt fines quoad aſſecutionem, vſumque aſſecutiones, & qui ab vno auertitur, aut deflectit, ab vtroq; diuertit. Confirmatur hoc primo. Natura namque humana vult conuenientia toti vniuerſitati rerum, quod ſolus Deus ſcit, vt aiebat S. Thomas, ſimiliter & ſingulæ res ad hoc factæ ſunt, & ideo naturali iure appetunt, vt idem ſcribit ſupra lib. 1. cap. 3. allatus, hanc Dei ordinationem, quocirca videmus aquam ſurſum ferri, vt

ordo vniuerſi ſeruetur;Nos autem quotidie experimur in agendis eſſe aliqua in quibus nullo modo, quid ſit melius,apparet. Natura verò humana è duobus poſsibilibus iure coeſſentiali vult ſemper melius, Phyſici 8. tex.59. neque vult aliquid fieri, vtcumque contingit. 2. cœli. tex.50.& 2.Phyſici tex. 46. & de partibus animalium. cap. 1. neque ſatisfacit eum non peccare, qui quodlibet illorum deligit. Nam peccat,ſi poteſt id ſcire à ſapientiori,ac nō vult ſubijci illi. Hoc enim ſuperbi eſt, atque arrogantis. Hinc aiebat idem Philoſophus, duos eſſe gradus ſapientiæ; vt ſupra retulimus, Primus eorum, qui ex ſe ſciunt, ſecundus eorum, qui diſcere à ſapientiori haud dedignantur.

Confirmantur adhuc ſuperiora ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 74. art.7. *In omni*, ait Sanctus, *iudicio vltima ſententia pertinet ad ſupremum iudicatorium, ſicut videmus in ſpeculatiuis, quod vltima ſententia de aliqua propoſitione datur per reſolutionem ad prima principia. quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipſum poteſt examinari id, de quo quæritur; vnde adhuc eſt ſuſpenſum iudicium, quaſi nondum lata finali ſententia. manifeſtum eſt autem, quod actus humani regulari poſſunt, & regula rationis humanæ, quae ſumitur in rebus creatis, quas naturaliter homo cognoſcit, & vlterius ex regula legis diuinæ, vt dictū eſt. Vnde cum regula legis diuinæ ſit ſuperior, conſequens eſt, vt vltima ſententia, per quam iudicium finaliter determinatur, pertineat ad rationem ſuperiorem, quae intendit rationibus aeternis.* Hæc Sanctus manifeſte loquens de regula ſupernaturali, ſine qua nihil poſſe iudicari ait, ſine ipſa remanere ſuſpenſum iudicium, non poſſe dari finalem ſententiam. Rationes, quas affert ad hoc comprobandum neceſſario concludunt in omni re indaganda, & cognoſcenda, quæ per humanam rationē ſciri, & indagari poteſt. Idcirco volunt aliqui Ariſtotelem, licet magni iudicij virum erraſſe, ac putaſſe à ſe æternitatem mundi certo demonſtratam, quippe qui non conſuluit æternam regulam, vix eſt igitur, vt ſciri poſsit, an aliquid narurali lumine ſit demonſtratum, niſi per regulam ſupernaturalem. Quamquam, quod ſupra eſt dictum, debeā, quod certò cognouerim ſubiicere Eccleſiaſticæ poteſtati exēplo Pauli dicentis, *Ne forte in vacuum aut cucurriſſem.* Præclare hæc omnia, rationemque eorum S. Auguſtinus expreſsit libro de vera Religione inquiens cap. 31. *Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit aeternā* (legem) *de qua nulli animae iudicare datum eſt, vt ſecundum*

eius incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum, vetandumque diſcernat. Et ante, adducens aſſertionis huius, omniumq; rationem, ſimulque ſcribens hanc legem, regulam, veritatemque eſſe filium, qui à Patre procedit, quod in eo ſit omne iudicium. *Vt enim nos*, ait, *& omnes animae rationales ſecundum veritatem de inferioribus rectè iudicamus, ſic de nobis, (quando ipſi cohaeremus) ſola ipſa veritas iudicat. de ipſa vero nec pater. (non enim minor eſt, quam ipſe) & ideo, quae pater iudicat, per ipſam iudicat. Omnia enim, quae appetunt vnitatem, hanc habent regulã, vel formam, vel exemplum, vel ſiquo alio verbo dici ſe ſinit, quia ſola eius ſimilitudinem, à quo eſſe accepit, impleuit. ſi tamen, accepit, non incongrue dicitur pro ea ſignificatione, qua filius appellatur: quia non de ſeipſo eſt, ſed de primo, ſummoque principio, qui Pater dicitur, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Pater ergo non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, & ſpiritalis homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur, id eſt, à nullo homine, ſed à ſola ipſa lege, ſecundum quam iudicat omnia.* Hæc Sanctus. idcirco eſſe vera, & iuſta ſingula volens, quod appetant vnitatem, quæ in ſummo Patre eſt; ad quem filius omnia reducit; ſicut ille ad filium, ſanctiſsimamque eius humanitatem; quæ in omnibus eſt diuinæ voluntati, ac ſapientiæ conformis, ideoque & eius potentiæ configuratur, cui dicuntur, & Sacerdotes, & Epiſcopi per ordinis characterem configurari, quod omnium maxime impellantur ad ſcienda omnia, quæ conueniunt diuinitati, quam natura humana ſemper, atque in omnibus appetit, (non actu elicito, ac rationis deliberatæ, ſed naturali) & ideo cum ſummo illo principio maxime vni configurentur, rebus examinatis, ac perſpectis de omnibus maxime omniũ iudicare poſſunt, omnia namque appetunt vnitatem, quod illinc habeant eſſe, illinc ſtent. Ob id cap. 32. quærens cur pulchra delectent, *Sine dubitatione*, ait, *reſpondebitur, ideo delectare, quia pulchra ſunt, & ſi titutabitur, ſubijciam, vtrum ideo, quia ſimiles ſibi partes ſunt, & aliqua copulatione ad vnam conuenientiam rediguntur. quod cum ita eſſe compererit, interrogabo, vtrum hanc ipſam vnitatem quam conuincuntur appetere, ſumme impleant, an longe infra iaceant.* Et mox. cap. 34. *Propterea nos fallit rerum viſibilium pulchritudo, quia vnitate continetur, & non implet vnitatem. intelligamus, ſi poſſumus, non ex eo, quod eſt, nos falli, ſed ex eo, quod non eſt. Omne quippe corpus verum corpus eſt, ſed falſa vnitas. non enim ſumme vnum eſt, aut intantum imitatur, vt im-*

pleat, & tamen, nec corpus ipſum eſſet, niſi vtcumque vnum eſſet. Porrò vtcumque vnum eſſe non poſſet, niſi ab eo, quod ſummè vnum eſt, id haberet. Ad ſummam Regula eſt vna iudicandi, quam ſola habet Eccleſiæ Sanctæ poteſtas, ab illa omnes regulæ, omnes leges dependent, omnes poteſtates, quæ iuſtæ, ac veræ ſint examinandæ, ac iudicandæ ſunt, vt vni potentiæ paternæ, à qua cuncta habent eſſe, reddantur, configurentnr, atque ad illam reducantur, vndè prodierunt. Hinc verum ius ſtatus, in hoc publici ſtatus iura conſiſtunt fundata ſupra firmam petram.

Secvndo Principaliter, Oīs poteſtas ordinans iure naturali ac diuino humanā naturā, poteſtatesq; alias in vltimū ſuum finē iure naturali, ac diuino dominatur directè oībus factis eodem iure in eumdē finē; ſed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas ordinat iure naturali, ac diuino humanam naturam, omnesq; humanas poteſtates in vltimum ſuum finem ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, cum fine hoc ille haberi haud queat. Directe igitur eodem iure dominatur omnibus factis ob eum finem. Deducitur hoc argumentū primo ex Apoſtolo Rom. cap. 8. *Quomodo non cum illo, omnia nobis donauit?* & 1. Corinth. 2. *Omnia veſtra ſunt.* Atque ex omnibus ijs locis, quae ſuprà cap. 11. lib. 1. ſunt allata. Secundò eſt S. Thomae, Ægydii, Mayronis, & aliorum, vt ſupra ex eorum teſtimoniis conſtat. Tertiò probatur apertè, Medicus enim numquam poterit ordinare homines ad ſanitatem, niſi dentur ei perducentia ad ſanitatem, neque Nauta ad portum, neque Dux exercitus ad victoriam. nam niſi his detur poteſtas ordinandi media, numquā peruenietur ad finem. hinc aiunt Iuriſconſulti commiſſo vno com miſſa quoq; eſſe cōmoda ad illud l. 2. de iuriſdictione omnium iudicum. Quarto, quia cuncta iure naturali, ac diuino facta ſunt magis ob hunc finem, vt homo perducatur ad Deum, quam ad quēuis alium finem, vel ad ſemetipſa, ac ſuum finem, quod cap. 4. lib. 2. eſt dictum. Quinto quia dominatur humanae naturae omni in re, ac ſemper hoc ius coeſſentiale naturalis appetitus, vt Deum velit, extrà hunc finem, neque ſemper, neque omni in re iure naturali eſt appetitus coeſſentialis. Idcircò non eſt neceſſe, vt qui ordinat ad alium finem ità potenter, ac directè iure naturali ac diuino dominetur factis ad eum finem. Quamobrem, quae nonnulli obiiciebant aduerſus hoc argumentum, nihil ſunt, vt ſuprà lib. 1. cap. 4. apparet. Secundo ad alios pleroſque fines homo poteſt peruenire abſque aliis, poteſt ex ſe, ſed ad Deum non poteſt ex ſe. ineuitabiliter enim iure diuino, ac naturali eſt neceſſe, vt ſit ex eo populo,

qui

qui cum Deo coniungitur, ac proindè pars illius, illique, vt toti vniuerſitati pars ſeruiens, & cohaerens, hinc dicebat Philoſophus Ethici quinti cap. 7. *Vna eſt vbique in toto orbe terrarũ*, Reſp. *optima ſecundum naturam*, ſed cum natura humana haud poſsit peruenire ad Deum, vel vti eſt finis ſupernaturalis, vel vti eſt naturalis abſque Eccleſia Sancta, neceſsè eſt vt omnibus eius rebus internis, atque externis iure illo coeſſentiali, atque inſeparabiliter illi innato dominetur Eccleſia mundi Regina, non auferens aliquid alicui (niſi ordo vniuerſi ad id cogat) ſed ordinans, & confirmans, vt ſupra eſt dictum. dices non dominatur, niſi in eum finem. concedo. Nam, neque vllus eſt iure naturali, ac diuino Dominus, niſi in eum finẽ, deflectens ab eo, quatenus deflectit contra Dominum Dominorum Dominus iuſtus non eſt. Sic quoque Princeps temporalis, non eſt Dominus directè, niſi in finem temporalem, qui ex tota eſſentia ſua, factus eſt ob ſpiritualem, quod aiebant in hoc propoſito S. Thomas, Mayro, Ægydius.

Confirmatur ſuperius argumentum, Primo. Omne temporale iure diuino, ac naturali directè pendet ab æterno quoad eſſentiã potentiam, & actionem; omnium Principum poteſtas eſt temporalis; pendet itaque iure naturali, ac diuino directè ab æterna, quoad eſſentiam potentiam, & actionem. Hoc argumentum eſt, S. Thomæ in hoc ipſo propoſito lib. 3. cap. 10. opus 20. Eſt Ægydij dicentis, ex hoc ipſo, quod temporalia ſunt, ob id eſſe ſubiecta Eccleſiæ Sanctæ Reginæ mundi, eſt Mayronis ſcribentis ordinanda temporalia in finem vltimum Deum, eſt Henrici Gandauenſis qui ſcripſit temporalia iudicanda à ſpirituali, quod ſupra dicebamus. Maior probatione non eget, & vtraque propoſitio probatur è dictis libro primo cap. 2. & 3. Natura humana omni in re, ſeu temporali, ſeu naturali, & omni momento naturali & coeſſentiali appetitionis æternæ iure vult Deum, dominatur illi ineuitabiliter hæc lex inſeparabiliter innata, non poteſt aſſequi hunc, ſiue vt naturalis eſt finis, ſiue vt ſupernaturalis, niſi omni in re temporali ac naturali omni momento obediat Eccleſiæ mundi Reginæ, ideſt obedire ſit paratus. *Neque enim poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam matrem*. Tanta igitur mater, Chriſti ſponſa eodem iure ei dominatur. Secundo cuncta temporalia magis facta ſunt, quin omnino facta ſunt, vt ordinentur in Deum, Nos Deo coniungant; corpus noſtrũ, nos ipſi ad hoc facti ſumus, clauim ſcientiæ poteſtatiſque ordinandi in Deum ſola habet Ec-

cleſia Sancta mundi Regina, vt adducto loco eſt probatum. Tertio quilibet idcirco appetit eſſe ex eo populo, in quo poſsit aſſequi ſuam cum Deo coniunctionem, rectèque omnia gerantur. Quarto natura humana appetitu inſeparabili appetit adæquari in omnibus voluntati diuinæ ac ſupernæ. In quibus quatuor adæquationibus conſiſtit omnium pulchritudo, omnium rerum ſtatus, vt Primo ſit aliquis ſibi ipſi. Secundo externis. Tertio humanæ vniuerſitati. Quarto Deo, ſuperque poſtrema adæquatio complectitur omnes, omnia perficit, ac per illam ſtant; in ea ſtatus omnium rerum.

Ex hoc Argumento ſequitur, nemini aliquid eſſe naturali, ac diuino iure, neminem poſſe aliquid, neminem iure eodem efficere niſi vt aliquo modo ab Eccleſia Sancta dependentem, huc tendunt omnes boni motus naturales, omnes bonæ cogitationes, & actiones, vt è populo Dei ſimus, ex Eccleſia Sancta, quod ſupra tertio loco aſſerebamus, neque ſine Chriſto, & ſponſa ipſius hæc poſſent haberi, vt ſupra eſt deductum, hoc argumento confirmatur quartum, quintum, ſextum.

Secundo, Quæcumque directe omni iure, ex tota eſſentia ſua, ſunt ordinanda in Deum ſubiiciuntur ex omni iure, ex tota eſſentia ſua directe poteſtati ordinanti in Deum, poteſtas temporalis directa, & omnia temporalia directe omni iure ex tota eſſentia ſua ſunt ordinanda in Deum; ſubiiciuntur itaque directe omni iure, ex tota eſſentia ſua poteſtati ordinanti in Deum. Diximus ſupra ab homine magis appeti Deum naturali impulſu, quam ſemetipſum, vel aliquid eſſentiæ ſuæ, non ita ordinatum, vt perueniat ad Deum, neque alio modo poſſe hominem conquieſcere, & ſatiari, niſi in Deo ordinationeque in ipſum: quod ſcilicet in eo, ſint omnia bona, neque homo poteſt a ſe auellere hunc appetitum, legemque coeſſentialem. Nullus eſt ab hac lege liber. ordinatur vero in Deum, quoties ordinatur, quomodo vult Deus. Diximus præterea humanam naturam non poſſe peruenire, quò tendit ſiue ad finem ſuum naturalem (quod ſic ab initio inſtituta fuerit humana natura) abſque ordinatione ſupernaturali Eccleſiæ Sanctæ, quod illa ſola habet infallibilem doctrinam ordinandi, ſolaque dat vires perueniendi ad illum finem, neque poſsit *Habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam matrem.* Diximusq; aſſecutionẽ finis naturalis eſſe indiſtinctũ, à ſupernaturalis finis aſſequutione, ſimiliterq; vſum indiſtinctũ ab vſu. Igitur iure naturali ac diuino, tota humana natura, cũ rebus ſuis tẽporalibus to-

tis, cum iure diuino ac naturali, facere non poſsit quin appetat Deum, ſunt ex tota eſſentia directe ſubiecta Eccleſiaſticæ poteſtati. Qui volunt itaque directam poteſtatem hominum in temporalibus, non eſſe poteſtati directe omni iure ſubiectam, volunt aliquo iure eſſe aliquid, nempe illud directũ poteſtatis noſtræ, quod non ſit ordinandum in Deum, ſiue eo modo, quo vult Deus Chriſtus & Eccleſiæ poteſtas, vt ad eum perueniamus.

Tertio. Omne medium ſecundum dependet à primo, ſed omnia temporalia, naturaliaque bona ſunt media ſecunda, quæ perducunt ad Deum, non enim poſſunt vllo iure eſſe fines, ergo dependent à primo medio, quod nos cum Deo coniungit. *Sed vnus eſt mediator Dei, & hominum Ieſus Chriſtus*, ab illo igitur omnia dependent, ſed non dependerent, niſi ab ipſius ſponſa Mundi Regina dependerent, *Neque poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.*

Quarto. Omne inſtrumentum ſeparatum dependet à coniuncto, neque enim baculus mouet, quod volo, niſi manui coniungatur. Omnia temporalia, naturaliaque bona ſunt inſtrumenta ſeparata, quibus Deo coniungamur. Dependent ergo ab inſtrumento coniuncto, quod eſt humanitas Chriſti ſanctiſsima; ſi ab hac, ergo ab Eccleſia ipſius indiuidua ſponſa, neque enim membrum poteſt eſſe aliquis corporis illius, qui capiti illius non ſubiicitur, neque capiti ſubiici, niſi ſit membrum Sanctæ Eccleſiæ mundi Reginæ, cuius in terris Vicarium caput, vt appellat Concilium Chalcedonenſe, eſt Pontifex ſummus. Hic itaque cuncta ordinabit, cunctis dominabitur dominio ciuili, Regio, Paterno, quoad omnia præſidebit, & iuxta ipſius canonas, ac præſcriptum iure eodem ſimul Epiſcoporum quilibet in ſua Diœceſi. #

Tertio Principaliter argumẽtamur. Oĩs participatio ſuperioris poteſtatis eſt naturali, ac diuino iure directè à naturis ordinũ inferiorũ, in naturis ordinũ inferiorũ. Oĩs humana poteſtas ad hoĩes regẽdos eſt participatio ſuperioris poteſtatis, ideſt diuinæ, vt habetur Rom. c. 13. & ideo tam ſacri, quã prophani Scriptores aiunt Principes locũ Dei tenere. Eſt itaq; oĩs poteſtas humana iure naturali, ac diuino à naturis ordinũ ſuperiorũ, i. ſupernaturaliũ ĩ naturas inferiorũ. Hoc argumentũ, licet aliter atq; aliter ſoleat colligi, ac proponi, eſt SS. Dionyſij, Thomæ, Clementis, Ægydij, Maysonis, & aliorum, quorum dicta ſunt ſupra à nobis adducta. Nam ſicut ſe habent, inquiunt illi, effectus, & actiones naturales ad potentias naturales, ita humanæ ad humanas. Homo enim ſequitur

naturam

naturam rectam,ſed illæ deriuantur ab aliis in alias per intermedias cauſas naturales,ergo & humanæ.probantur aſſumpta. Primò ex iis, quæ ſupra proximis capitibus dicta ſunt, quibus oſtendimus omnia benignitati ſummæ Dei,meritis Chriſti, & Eccleſiæ Sanctæ à nobis attribuenda. Secundò ex eo, quia natura humana ineuitabili appetitus lege, quæ ſemper omni in re ipſi dominatur,appetit Deum,ſiuè vt naturalem, ſiuè vt ſupernaturalem finem, neutrum conſequi poteſt niſi Eccleſiæ mundi Reginæ, ſiuè ordini ſupernaturali ſe ſe ſubiiciat, quod ſcilicet in ea ſola ſit ſummum bonum naturale, ac ſupernaturale à nobis expetitum, indè igitur emanat hic appetitus, hæc poteſtas appetendi iure naturali,ac diuino,ſiue iuſtè aliquid,quia fertur huc à recto naturæ impulſu. Cum vero hic appetitus Deo ſe ſe coniungendi dominetur humanæ naturæ,neq; expleri poſsit abſque Eccleſia Sancta, hinc fit eam dominari omni in re, loco, ac tempore humanæ naturæ. Tertiò,quia cuncta externa inſeparabili iure ijs naturaliter præſidente,& adnato ſunt ordinata ad animum noſtrum, hic verò ad Deum; ſic itaque poteſtas iuſta adæquanda eſt ordini harum rerum, quem natura humana in Deum tendens inquirit eodem coeſſentiali appetitu. Quartò, quia ſimiliter appetit humanam ſocietatem, ſine qua non poteſt eſſe, appetitque eſſe ex illa, in qua cum Deo coniungatur. Denique appetit eſſe conformis,ac ſimilis Deo,ſuperisque,& eorum voluntati, ac rectæ ordinationi. Hæc verò inſeparabili appetitu omni in re, omni in loco, omni momento quærit, quò cum peruenire abſque Eccleſia non poſsit, ac dominetur illi hic appetitus,dominatur & illi mundi Regina. Ad probationem clariorem ſuperiorum dicimus, in rerum natura idcircò tot eſſe differentias rerum, quod influxus naturalis à ſuperioribus per intermedias cauſas, ordinemque cauſarum deducatur. Quod ſi dicas, eſſentia, naturaque inferiores cauſas à ſuperioribus differre, vt terram ab aqua, aquam ab aere. Reſpondemus verè dictum. Nam ſupernaturalis, vt ſupernaturalis,humana non eſt, ſed participatio naturæ diuinæ, ait S. Petrus 2. cap. 1. Hinc videmus per agens ſuperius naturas ordinis inferioris conſequi finem ſuum,ſimulque attolli eiuſdem ſpeciei præſtantiora ad participandam naturam ſuperiorem. Hinc philoſophus lib. 8. de natura animalium cap. 1. ait, *Naturam ſenſim, paulatimque de inanimatis ad animata procedere, vt continuatione ipſa lateat eorum confinium, mediumque cuiuſnam ſit extremorum*. Et Simplicius 1. de anima. tex. 9. *Eſſe arduum di-*

ſpice-

ſpicere cuiuſnam ſint illa naturæ ſuperioris, an inferioris. Eadem Themiſtius 1. de anima cap. 5. hoc argumento confirmantur duo prima argumenta operis initio collocata.

Confirmantur verò hæc Primò. Quæcumque poteſtas ordinat homines ad optimum, ſimul etiam ſingulos quoſque ordinat iure naturali, ac diuino ad bonum ſuum, ſed Eccleſiaſtica ordinat homines ad optimũ, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale, illius enim finis ab hoc eſſentialiter dependet, ergo ſingulos quoſque ad ſuum bonum. Maior eſt Philoſophi initio politici quarti. *In omnibus*, ait ille, *Artibus, & ſcientiis, quæ non in aliqua tantum parte, ſed in ipſo genere verſantur, illæ perfectæ ſunt, atque abſolutæ, Ad vnamque, & eamdem pertinet, quod cuique generis illius conueniat, videre*. Hæc ille, Secundò probatur ipſa ratione. Nam cum naturaliter homines appetant bonum, magis appetunt, quod eſt magis bonum, maxime, quod eſt maximum; ſic igitur ordinationem ad maximum; ſed maximum non habetur, niſi inferiora ad illud ordinentur, ſiue ita ordinentur, vt ad illud perducant, quod ſcit poteſtas ordinans ad primum. ſed in ſingulis etiam quibuſcumque hoc apparet. Nam. Tertio Medicus ordinans ad perfectam ſanitatem ſcit, quid ægroto, quid conualeſcenti, quid infirmis viribus homini, quid robuſto ſit ſanum, atque ita ordinat. Quarto rurſus. nam ſicut in ſingulis quibuslibet, ita in tota quoque humana natura, quæ è ſingulis quibusque conflatur. At in ſingulis quibusque, quod eſt optimum naturaliter in ipſo cauſa eſt cuiuslibet inferioris boni. Sic optima perfectio cauſa eſt minorum perfectionum. ſed Eccleſiaſtica poteſtas ordinat ad optimam perfectionem totum genus humanum, nempè naturalem, quam magis appetit natura, quam ſemetipſam; quocircà ordinabit quoque ad minores perfectiones, ac remotas diſpoſitiones. in ſingulis namque omni momento natura humana appetit Deũ, qui appetitus cum dominetur illi omni in re, & omni momento dominatur idcircò illi Eccleſiæ Sanctæ poteſtas omni in re, & omni momento, quod ad optimum peruenire, ac diſponi abſque illa haud poſsit.

Secundò, Confirmatur. Omne imperfectum naturali, ac diuino iure tendit ad ſuam perfectionem naturalem. Sed omnis poteſtas naturalis, ac temporalis eo ipſo, quod aliquid boni agit, aut ſcit, eſt imperfecta (neque enim totum, quod quærit, habet) Ergo omnis naturalis, ac temporalis poteſtas eo ipſo, qnod aliquid boni agit, aut ſcit iure naturali, ac diuino tendit ad ſuam perfectionē,

quam

quam cum nō poſsit aſſequi in propoſito noſtro, ſine Eccleſiaſtica poteſtate in eò bono, quod agit, quia in eo Deum quærit, neceſſariò ſubiicitur Eccleſiaſticæ poteſtati. & ideo, quod dicitur, aliquid boni ſciri, aut agi à naturali, & temporali poteſtate, retorquetur.

Tertio. Omnis poteſtas, quæ neceſſe habet directè naturali, ac diuino iure ab alia perduci ad ſuum finem, iure eodem directè eſt illi, atque eſſentialiter iure naturali, ac diuino ſubiecta, ſed omnis humana poteſtas neceſſe habet directè naturali, ac diuino iure ab alio perduci, nempe Eccleſiæ Sanctæ ſupernaturali poteſtate in finem ſuum, ſiue temporalem, ſiue naturalem. Eſt igitur huic eſſentialiter, ac directe eodem iure ſubiecta. Aſſumptum patet Primo inductione nulla eſt nauigantibus eius nauis poteſtas, quæ neque poteſt eos ad portum perducere, neque inſiſtere viis ad eum dirigentibus: nulla eſt manus eius poteſtas, quæ neque poteſt neceſſaria corpori perficere, neque ad ea paranda ſe mouere; nulla eſt cibi poteſtas, quæ neque poteſt nutrire, neque vtilitatem ſuo nutrimento afferre. Idem probatur Secundo ipſa ratione. ***Natura nihil agit fruſtra,*** tertio de Anima tex. 45. & primo Cœli 32. & ſecundo Cœli tex. 50. 59. ***Ac fruſtra eſt poteſtas, quæ non perducit ad finem.*** Cumque natura humana omni in re, ſemperque appetat iure diuino, ac naturali inſeparabiliter innato ſuam perfectionem Deum, perfectumque dicitur, qui aſſequitur ſuum finem, quinto Metaphyſico tex. 29. Poteſtas. quæ nulla in re, neque vllo momento dat illi eam perfectionem, quam quærit omni in re, & omni momento, eſt naturæ humanæ nulla, quamuis aſſequatur proprios, & intrinſecos fines omnium artium, diſciplinarum, poteſtatumque temporalium, & naturalium, non enim quærit in illis, niſi Deum ſuũ, ſuam requiem, iuxta illud, ***In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor.*** Sic igitur temporalis quarumuis artium, diſciplinarumq; poteſtas eſt eſſentialiter, ac directè ſubiecta omni in re, atque omni momento poteſtati Eccleſiæ Reginæ mundi, cum ſine hac humana natura perduci haud poſsit ad Deum, vel vt naturalem finem, vel vt ſupernaturalem, neque viis inſiſtere perducentibus ad illum, quod illa adeo quærit, vt à ſe auellere eſſentiale hoc deſiderium non poſſit vlla in re, vel vllo momento, ſed ei dominetur. Secundo eſt illi eſſentialiter ſubiecta, quod tota ſit ob hunc finem magis cum rebus omnibus facta, quam propter quoduis aliud, ac propter ſemet ipſam. hoc argumento comprobatur vndecimum.

Quarto

Quarto, Quæcumque poteſtas eſt magis abſtracta, atque ob eminentiam ſuam diſtincta ab aliis, magis iure naturali ac diuino dominatur aliis, easque ad obedientiam ſuam cōpellit; Eccleſiaſtica poteſtas eſt magis abſtracta, diſtinctaque ab aliis poteſtatibus humanis, diſtinctaque ob eminentem diuinitatem, quam ſummo Dei, Chriſtique munere habet, maxime igitur naturali, ac diuino iure dominabitur aliis, vti dependentibus, easque ad obedientiam ſuam compellet, vt in bonum ſuum, reliquorumque mortalium deſpoticè, ni velint paternè ſubiiciantur. Argumentum aſſumptum eſt S. Thomæ 1. quæſt. 76. art. 1. ac probamus latè libri tertij cap. 9. Nam ſi exordiamur ab vltimis infimarum rerum formis, vt terra, ac procedamus ad mixta, vegetabilia, ſentientia, rationalia, perueniamusque ad Angelos, ac Deum videbimus, quò forma eſt abſtractior, ac diſtinctior, eo maiorem poteſtatem vimque eſſe illi ad ceteras in ſuam poteſtatem compellendas. Ita vt Angelus ad nutum corpora quælibet moueat, Deus totam naturam. Poteſtas porro Eccleſiaſtica eſt abſtractiſsima, & diſtinctiſsima. Primo quia ſine vllo medio coniungit intellectum, voluntatemque cum Deo per Theologicas virtutes, & ſacramenta, gratiamque diuinam, & idcirco immediatè eſt à Deo. Nam licet Deus immediatè concurrat cum omnibus agentibus, quæ tamen magis participant eius diuinitatem, dantque aliis eius participationem; hæc immediatius ab eo ſunt, ita vt alia pendeant ab his. Vt in propoſito noſtro. Natura humana non poteſt aſſequi ſuum finem naturalem. Amplius niſi habeat ſupernaturalem, pendeatque omnino ab Eccleſiaſtica poteſtate, & hanc ab illa diuinitatem recipiat, corruit in omnia peſsima. Ob has igitur tres cauſas, vt alias interim mittamus, poteſtas temporalis naturaliſque ad alios regendos non eſt immediate à Deo; primo, quia non poteſt non ruere in peſsima. ſecundo, nō poteſt ad ſuū finem peruenire. tertio, non poteſt ad eum, in quo ſolo natura conquieſcit. quarto, adde, non poteſt non cadere in Dæmonum poteſtatem. quinto, vt omnino ſit, nam tota eſt ob hunc finem facta, & ſeruata toties a ſupernaturali poteſtate. Has igitur quinque eſſentiales poteſtates poteſtas temporalis, naturaliſq; ex ſe non habet à Deo; ſed mediante ſupernaturali poteſtate, quas natura quærit lege, & appetitu ineuitabili, & eſſentiali omni in re, & momēto. Sic itaq; quoad eſſentiam, potentiam, & actionem, quod aiebat S. Thomas, eſt illa ab Eccleſiaſtica ſupernaturali poteſtate. Propter hāc eminentiam fit, vt ſola Eccleſiaſtica poteſtas poſsit conficere Sacramen-

menta, per quæ abſtrahitur ab affectione inordinata omnium rerum creatarum ex natura ſtatus, vt ſupra oſtendimus, Clericisque ſunt interdicti illiciti quæſtus, neque poſſunt membrum vitamve alicui tollere quamuis in bello iuſto, vel ſe oneri vlli, ex quo laicis obligentur, ſubiicere. Quod ſi dicas Angelus directè non extendit vires potētiæ ſuæ, niſi in corpora proximè ſubiecta, ſed in alia per aliorū interuentū. Reſpondemus, Eccleſiaſticæ poteſtati eſſe humanam naturam totam ſubiectam iure diuino naturali immediatè ob finem naturalē, quem iure diuino, ac naturali directè actu elicito cognitionis illa appetit, & à cuius appetitus dominio non poteſt ſe vllo modo eximere, ac proinde neque à dominio immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis dantis humanæ naturæ id, in quo ſolo conquieſcit, neque iure diuino, & naturali vlla media rerum naturalium, temporaliumque adhiberi poſſunt, niſi ad iſtum finem, ac proinde neque bellica, quæ S. Bernardus, non modo dixit eſſe Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſed eiuſdem manu in primis educenda, & ad eius nutum, vt immediatione ſuppoſiti agat. Quamobrem ſiquid maxime eſt Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiectum, eſt bellicum robur. neq; valet conſequentia. Pontifex non poteſt ſine maxima cauſa deturbare ex Epiſcopatu Epiſcopum, qui eſt maxime ſubiectus, ergo multo minus militem de gradu ſuo. Nam Deus ex ordinaria potentia non poteſt ab aſpectu diuinæ eſſentiæ, gratia ſua, boniſque naturalibus à ſe amouere mentes beatas quam maxime ſibi ſubiectas, & tamen poteſt amouere infideles, & quo fuerint deteriores eo magis, eodem modo pater non poteſt à ſe ablegare obedientiſsimum filium, ſed ſeruum contumacē poteſt. Poſtremo eſt adeo poteſtas tēporalis, ac naturalis ab Eccleſiaſtica poteſtate, tanquā eminentiori, vt niſi hæc foret, præcipitarentur hoïes in omnia peſsima, humana vniuerſitas rueret, vt ſupra eſt dictum. Sic tantæ eſt eminentiæ ſupernaturalis, poteſtas, vt, quod aliqui dicunt eſſe diſtinctas poteſtates, in eos retorqueatur, nam vel vt filij, vel vt ſerui omnes ei ſubiiciuntur.

Quinto, Omnis poteſtas, quæ poteſt eſſe ſine alia, ſed alia nō poteſt eſſe ſine illa, eſt cauſa eſſentialis eius; Omnis Eccleſiaſtica poteſtas poteſt eſſe ſine temporali, ac bellica, quæ ab Eccleſiaſtica ſit præciſa, vt apparet in terris immediatè Eccleſiæ quoad vſum arbitrarium ſubiectis. Igitur Eccleſiaſtica poteſtas eſt cauſa eſſentialis bellicæ, temporaliſq; poteſtatis. Maior patet, ex philoſopho Metaphyſici 1. c.3. ſecūdo patet quoad res naturales, anima enim poteſt eſſe ſine corpore, non hoc ſine illa; Deus abſque nobis, non con-

contra. Quoad mores patet ex ijs, quæ lib. 1. cap. 2. & 3. dicta ſunt, ac probata, horum namque finis eſt, vt nos Deo coniungant omni in re, ac momento omni; quamobrem, quæcumque id poteſtas efficere non poteſt vlla in re, vel vllo momento, non poteſt eſſe ſine illa, quæ ſemper id efficere valet. Minor probatur, primo, quia ſine ſupernaturali, & Eccleſiaſtica, ac ſpirituali poteſtate, neque, vitam neque vllum bonum, vel naturale, vel morale poſſumus tueri aduerſus maleficam, vt Ariſtoteles vocabat libro de diuinatione, Dæmonum naturam. Secundo idcirco Reſpublica nulla humana poteſt efficere aliquid, ex quo ſine errore intellectus, aut voluntatis aſſequi poſsim, quod lumini naturali eſt conforme nedum ſupernaturali, vt lib. 1. cap. 1. & 2. ac proxime etiam eſt probatum. Quamobrem cum dominetur hic ineuitabilis, & coeſſentialis appetitus, quod eſt naturale ius diuinumque humanæ naturæ omni in re, & momento habendi Deum, neque vmquam poſsit id aſſequi abſque Eccleſiaſtica poteſtate, dominatur iure naturali, ac diuino hominibus inſeparabiliter innato toti humanæ naturæ Eccleſiaſtica, ac ſpiritualis poteſtas, vitæ miniſtra, ac viuentium Mater. Omni autem momento dominatur hic appetitus humanæ naturæ, quod etiamſi ſomno vacet, tamen ideo vult vacare, vt viuens, Deo conformis, quoad ſe, ſuaque Deo frui poſsit; iuxta illud, *Somnus Sanctorum non vacat à merito.* Omni momento ſimiliter dominatur, quia coeſſentialis, ac naturalis eſt appetitus, qui expleri haud poteſt, niſi immediate Deo coniungatur, vel Deum cognoſcamus, vel non cognoſcamus, ſiue cogitemus, ſiue non cogitemus de illo, vt ex ijs, quæ hucuſque diximus, conſtat. Quod ſi dicamus, ſi poteſt Eccleſiaſtica poteſtas eſſe abſque bellica, & temporali, non eſt ergo neceſſe, vt ei ſubiiciatur, ei detur, profecto ridicule loquemur. Perinde eſt enim ac ſi dicamus, quoniam poteſt eſſe anima ſine corpore, aut Deus ſine mundo, non eſt ergo neceſſe, vt hæc ipſi, & iſtud illi ſubiiciatur. Neceſſe eſt omni iure bellicam, temporalemque poteſtatem ſubiici Eccleſiaſticæ, & ſpirituali in finem naturæ conuenientem, niſi homo velit abnegare ſemetipſum, qui coeſſentiali propenſione eo fertur. Neceſſe eſt inquam ſubiiciatur, ne incidat in Dæmonum poteſtatem per quam cuncta redigantur ad vaſtitatem, ſicut accidit Ægyptijs. Nam; *Ab hac poteſtate malorum Angelorum non liberat nos, niſi gratia Dei.* ait S. Auguſtinus in propoſito noſtro loquens, vt operis initio dicebamus, alioquin ait idem, *In filiis diffidentiæ tam*

quam

& ineuitabilis omnino lex, à qua ſeſe eximere nullo modo datur, quæ ſunt primis operis capitibus probata. ſic itaque argumentamur ex Henrico Gandauenſi.

Primo. Omnis poteſtas humana tendens in finem ſuum prius, principalius, immediatius, ac directius diuino, ac naturali iure eum vult, mediumque illi ſemper, ac neceſſario cohærens; quam ſuam poteſtatem, vel quidlibet aliud ſuum, ſed omnis poteſtas humana tendit in finem ſuum, qui eſt Deus ſaltem naturaliter cognitus, alioquin belluina eſſet non humana, idque iure, ac lege inſeparabiliter innata, Ergo hunc prius, immediatius, ac principalius, & directius vult, ac medium ſemper, neceſſarióque illi cohærens, quam ſuam poteſtatem, vel quidvis aliud ſuum, Ac proinde Eccleſiæ Sanctæ poteſtatem, ſine qua ad finem peruenire haud poteſt. Maior eſt clara percurrentibus omnes fines. Nam prius volo ſanitatem, robuſque, & bene compoſitos humores, quam medicinam; prius portum, & nauim; quam vel equum, vel rhedam, ſeu ſimile quiduis, hinc illud vulgatum, *Finis eſt prior in intẽtione, ac deſiderio*, & quo eminẽtior eſt finis, eo magis, prima propoſitione de cauſis. & pars pro toto moritur. S.Thom. 2.2.q.26.art.3. igitur homo naturali, ac diuino iure, directius, & immediatius eſt Eccleſiaſticæ poteſtati omni in re, ſemperq; ſubiectus, q̃ ſibi, & cuilibet aliæ poteſtati iure illo naturali.

Secundo, Ad explicationem dicendorum, nobis eſt illud repetendum. Naturam velle in vniuerſum, quod eſt perfectius. Contingit interdum ſecus eſſe. Ac proinde eam velle, vt in Repub. virtus dominetur. Poteſt fieri tamen, vt expediat puerum, vel fœminam dominari, ac regnare, vel indoctum, & malum. Quocirca ijs, quatenus à Deo non auertunt, eſt omnino obtemperandum. Verum quando necne expediat, & quatenus à Deo non auertant ſcit Eccleſia Chriſti ſponſa Mundi Regina, in qua habitat Deus, *Quæ eſt domus Dei, columna, & firmamentum veritatis.* Scit ille, cui datæ ſunt *Claues regni Cœlorum*, cui dictum, *Paſce oues meas*, qui quærit ouem, *Quæ periit*, cui dicitur, *Super te fundabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, ad eos pertinet, quibus Chriſtus dixit, *Ero vobiſcum, vſque ad conſummationem ſæculi, vos eſtis lux mundi*, Et *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, quos ſpiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Sic itaque argumentamur ex Ægidio Columna.

Tertio. Omnis poteſtas, à cuius virtute pendent, ac ſunt eſſentialiter omnium mortalium virtutes, naturali, ac diuino iure directè omnibus mortalibus dominatur, ſed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas eſt illa, à cuius virtute pendent, ac ſunt omnium mortalium virtutes, directè igitur naturali, ac diuino iure omnibus dominatur. Maior probatur libri primi, & ſecundi, cap. 1. & 2. vel 19. & 20. fieri autem nullo modo poteſt, vt ſtet vllus cœtus ac Reſp. ſit vllus populi vllius ſtatus abſque aliqua virtute, & idcirco neceſſe eſt eam dominari. Flagitioſi enim diu ſimul ſtare haud queunt. Ac licet Deus ob merita, precesque Eccleſiæ velit infidelibus eſſe aliquas virtutes imperfectas, vt ſupra libro primo cap. 1. & 2. eſt dictum, Tamen hæ iure naturali, ac diuino tendunt ad perfectum, ac proinde eò feruntur, vt ſe ſubiiciant Reginæ Mundi. Secundo, omne medium iure naturali, ac diuino eſt ſubiectum fini, ac poteſtati ad finem perducenti, ac proinde quidquid boni aliquis agit, aut veri ſcit, ſubiicitur poteſtati ad finem perducenti. Tertio firmum ſtat illud argumentum ſupra adductum; probatumque abundè. Omnis poteſtas ordinans in finem dominatur naturali, ac diuino iure mediis ad finem factis.

Ad inferiorum declarationem repetimus illud, quod ſupra eſt dictum. fieri non poſſe, vt bona temporalia, naturaliaque acquirantur, aut eorum ſit vllus ſtatus abſque virtute aliqua, & maximè ipſa pax. Quocirca ſic argumentamur.

Quarto. Omnis poteſtas, quæ maximè adducit inter homines pacem virtuti coniunctam, maximè inter homines iure naturali, ac diuino dominatur, ſed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas eſt huiuſmodi, iure igitur naturali, ac diuino maximè inter homines dominatur. Maior eſt in confeſſo apud omnes. Nam *finis Belli eſt pax*, & inter alios fines Reipub. præcipuos eſt ipſa pax. Atque hæc ſine virtutibus haberi haud poteſt. flagitioſi enim quieti eſſe haud poſſunt. Ac videmus turbas, & ſeditiones non niſi ab illis naſci. Virtutes autem perfectas ſimul iunctas ſola elargitur ſancta Eccleſia Chriſti ſponſa. hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 84. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. fac iuſtitiam, & habebis pacem, vt oſculentur ſe iuſtitia & pax. Si enim non amaueris iuſtitiam, pacem non habebis, amant enim ſe duo iſta, iuſtitia, & pax, & oſculantur ſe, vt qui fecerit iuſtitiam, inueniat pacem oſculantem iuſtitiam. Duæ amicæ ſunt, tu fortè vnam vis, & alteram non facis. Nemo eſt enim, qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari iu-*

ſtitiam

ſtitiam. Si ergo vis pacem, ama iuſtitiam, quia duæ amicæ ſunt iuſtitia, & pax. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te. fur es, adulter, & inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Hæc Sanctus de iuſtitia vniuerſali complectente omnes virtutes. Ab Eccleſia porrò adduci inter ſuos maximam pacem conſtat, tomo primo de Signis Eccleſiæ Dei ſigno de pace. hinc illud, *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.*

Quinto. Omnis poteſtas, quæ dat omnibus hominibus, (quicumque ſcilicet illi obediunt) perfectas virtutes, ex quibus præ cunctis illi efficienter, nedum meritoriè, vt ſupra diximus, acquirunt, & conſeruant bona temporalia conuenientia ſtatui ipſorum iure naturali, ac diuino directè imperare debet temporalium bonorum poteſtati, ſed Eccleſiæ Sanctæ poteſtas dat hominibus cunctis perfectas virtutes, quibus, vt diximus ſupra, efficiēter, nedum meritoriè acquirāt bona temporalia conuenientia ſtatui ipſorū, iure igitur naturali ac diuino Eccleſiæ Sanctæ poteſtas directè imperare debet omnium temporalium poteſtati. Hinc ſequitur bona temporalia decentia maximè inter populos Chriſtianos acquiri, ac ſtare, quod conſtat ex ijs quæ tertio, & vltimo libro operis huius, & latè vltimis de Signis Eccleſiæ Dei, quod non eueniт aliūdè, niſi ob virtutes perfectias Eccleſiæ Sāctæ miniſterio catholicis inſertas: vtraq; propoſitio eſt clara, & ſupra probata.

Sexto. Omnis poteſtas, cui quicūq; Imperatores, & Reges oīum maximè in temporalibus ipſis obedierunt, omnium fœliciſſimi in ijs fuerunt, diuino, ac naturali iure omnibus imperiis, ac regnis directè in temporalibus ipſis præeſſe debet. Eccleſiæ Sanctæ poteſtas eſt huiuſmodi. Iure igitur naturali, ac diuino omnibus Imperiis, ac Regnis directè in temporalibus ipſis præeſſe debet. Maior patet, quia naturaliter, vt Ethici primi primis capitibus, & vltimi vltimis habetur, omnes homines appetunt fœlicitatem ſuo ſtatui conuenientem Rex Regi, Monachus Monacho (qui pauperiem vitæque duritiem quærit, ac profitetur, atque in iſtis fœlicitatem ponit) conuenientem. conſequentia primæ Propoſitionis patet, quia quilibet naturaliter appetit bonum, fœlicitatemque omnia bona continentem; hinc illa à Boethio definitur vt ſit: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* En igitur, qua de cauſa tres Imperatores cognomento Magni fuerint omnium fœliciſſimi Conſtantinus, Theodoſius, Carolus, & in quolibet Regno videas pleroſque omnes fuiſſe omnibus penſatis,

quæ ad humanam fœlicitatem conſtituendam requiruntur, fœliciores, qui magis Eccleſiæ Sanctæ Sacerdotibus, Epiſcopis, & Pontifici ſummo obedierunt. Siquid alicui viuenti defuit, poſt obitum magis eſt datum. Quocirca Regibus multis Sanctis dantur honores cœleſtes poſt mortem, qui honores ſunt omnium maximi inter temporalia bona. Et quod minima ex parte defuit inter homines degentibus humano more in terris, reddatur inter eoſdem diuino more cultis, ac viuentibus, regnantibusque in cœlo, ac terris. Quocirca rectè è Sybillinis verſibus cecinit ille de Chriſti pace in terras adducenda, ſimulque virtutibus, per quas orbis regeretur ab Epiſcopis diuina, ac ſupernaturali virtute ornatis, atque à Regibus, qui forent his obedientes.

Pacatumque reget patris virtutibus Orbem.

Pacatum dixit, & *patrijs virtutibus* nimirū paternæ potentiæ reget autem per delectos Heroas, quibus viuere vitam diuinā largietur, ideſt Deum rectè contemplari, ob id præmiſit.

Ille Deûm vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis,

Futurum vero, vt à vitiis homines opera eorumdem, meritisque Chriſti abducerentur, ſubiecit.

Te Duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Septimo. Igitur ita colligimus. Omnis poteſtas, quæ gentes omnes ſibi obedientes à moribus generi humano exitialiſsimis abducit, & abduxit, illa iure diuino, ac naturali plus iuris ſibi vendicat in iis regendis. Eccleſiæ Sanctæ poteſtas eſt huiuſmodi, quod ſigno de exteris gentibus ad humanitatem perductis, ac ſigno de fœlicitate gentium Catholicarum conſtat, & attigimus aliquid tertio libro. Ergo Eccleſiæ Sanctæ poteſtati plus iuris eſt in aliis regendis. Maior probatur, quia plus iuris eſt eis, qui plus dant, hinc Philoſophus Politico tertio. *Finis eſt igitur ciuitatis bene viuere, illa vero eſt huius finis gratia. Ciuitas autem eſt generum, pagorumque ſocietas vitæ perfectæ, ac per ſe ſufficientis, vt diximus, Bene, ac beate viuere. bene igitur agendi gratia ponendum eſt eſſe ciuilem ſocietatem, non autem gratia ſimul viuendi. quapropter quicumque plus conferunt ad huiuſmodi ciuitatem, his plus iuris competit in ciuitate, quam ijs, qui nobilitate, ac genere pares ſunt, vel maiores, ſed ciuili virtute ſunt impares, & quam ij, qui diuitijs ſuperant, & virtute ſuperantur.* Quod ſi dicas, ex hoc ſequi, neque infantem, neque indoctum

poſſe

poſſe eſſe Regem, neque fœminam ſimiliter, atque eodem modo poſſe aduerſus hos arma ſumi, ac deijci è regno, eodem modo, & alios è Magiſtratibus minus doctos, aut bonos. Reſpondemus, vt ſupra, per accidens euenire re ipſa, vt aliquando iſtis regnantibus, aut regentibus ſit melius regimen, & ideo nullo iure poteſt in eos quidquam tentari; nam verè id aliquando cõtingit. ſed ſi lex fieret vt pueri tantum, vel fœminæ regnarent, improbanda, ac nulla eſſet huiuſmodi. non ita ſi ediceretur, vt ſapientes, ac ſenes, virive tantum ſummo iure, vt in propoſito noſtro eſt, regnarent. In optima enim Repub. qualis eſt Chriſtiana, & qualis eſt, quæ eſt ſecundum naturam, regnare hi tantum ſupremo iure debent ex natura ſua, cæteri per accidens; & quando ſupernaturalis poteſtas ex natura eſt huiuſmodi, vt ſupernaturali poteſtate, ſapientia, bonitateque præcellentes viros ſemper habeat; idcirco hi regnant ex natura ſua. ſemperque regnare debẽt.

Argumenta Theologica idem probantia Cap. V.

DIximus ſupra, ac latè libro ſecundo Sacerdotibus, atque Epiſcopis imprimi indelebilẽ characterem, ex quo natura ipſorum ſupra ſe altiſſime tollitur, ac particeps illa fit potentiæ paternæ, Deo patri omnium luminum, ait. S. Iacobus cap. 1. potentiæ paternæ, quod SS. Ignatius, Cyprianus, & Athanaſius tradunt, configurata. Nam ſicut Chriſtus à patre eſt miſſus; ſic Apoſtoli, & diſcipuli ſunt à Chriſto miſsi participes potentiæ paternæ, dempta excellentiæ poteſtate, vt habetur Ioannis cap. 20. Ob id per doctrinam, ſacramentaque illuminãt hominum mentes, vt ſciant, quid naturæ ipſorum conueniat, vt eorum natura aſſequatur vltimum ſuum finem, quod explet omne deſiderium, & propter quod omnia deſiderantur. Talis eſt itaque ex natura ſua diuinitus inſita Sacerdos, quam ob rem ſic argumentamur.

Primo, Quæcumque poteſtas ex natura ſua dat ſcientiam, vireſque humanæ naturæ, vt habeat, vel adminiſtret quodcumque temporale, ac naturale, vt exigit vltimus finis, ſiue eo modo, quo poſsit haberi vltimus finis explens omne deſiderium naturæ iu-

re

re naturali,ac diuino directè humanæ naturæ dominatur; ſed Eccleſiaſtica per doctrinam ſuam, ſacramentaque hoc infallibiliter largitur,niſi obex ponatur,ac repugnetur. toti igitur humanæ naturæ dominatur in omni re temporali, ac naturali habenda, & adminiſtranda. Quod ſi dicas humanam naturam ſeiunctam à ſupernaturali ſcire quomodo ſit habendum, vel adminiſtrandum naturale, vt exigit vltimus finis, dices illam peruenire ſuis viribus ad vltimum finem, quod eſt contra Theologorum doctrinã, vt ſupra oſtendimus. Cum nihil aliud ſit adminiſtrare, & habere aliquid,quemadmodũ finis vltimus requirit, niſi per illud peruenire ad vltimum finem. ſed numquid poteſtas Eccleſiaſtica dat homini, vel humanæ naturæ bonum temporale, vt illud habeat, niſi prius habeatur? Reſpondeo. dat,quia Chriſto capiti cõiungit, qui eſt dominus directus omnium temporalium, datque vnicuiq; tantum temporalium bonorum,quantum perduci poſsit ad Deũ, qui vt naturalis finis non poteſt haberi, niſi ſimul habeatur,vt ſupernaturalis,vt poſt alios rectè explicat S. Thomas 1.2.q. vltima. art. vltimo. Ita dicens, *Si temporalia bona conſiderantur, prout ſunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam ſecundum hoc directè,* (nota hoc) *ac ſimpliciter cadunt ſub merito.* Sic itaque Deus per manum Chriſti dat Imperatoribus, ac Regibus obedientibus Eccleſiaſticæ poteſtati bona condigna ad exercendas Regias,& Imperatorias virtutes vltimo fini.

Secundo, Poteſtas,quæ præeſt religioni,directè naturali, ac diuino iure imperat omnibus actibus virtutum S. Thom.2.2.q 81. art.1. Poteſtas Eccleſiaſtica præeſt religioni, ergo directè naturali,ac diuino iure imperat omnibus actibus virtutum. Cum vero homo omnis, ac Princeps iure naturali, ac diuino ſit obligatus ordinare ex virtute actus ſuos,neceſſe eſt in omni actu intimo,& externo obediat Eccleſiaſticæ poteſtati. Recta enim natura directè in Deum tendit,atque in virtutes, vt neque ſit aliquid directum, vel indirectum in poteſtate humana, quod non ſit ordinandum in Deum. Quod ſi dicas Principibus ſæcularibus eſſe religionem virtutem moralem, Reſpondemus, hanc non poſſe perducere homines ad finem naturalem, niſi ſit ſubiecta ſupernaturali ordinationi.

Tertio, Poteſtas, quæ eſt in culmine vitæ humanæ actiuæ, & contemplatiuæ directè naturali iure,ac diuino habet omnem Regiam ſimul ac ſacerdotalem poteſtatem connexam, Sed Eccleſia-

ſtica

ſtica eſt huiuſmodi; ergo habet omnem regiam ſimul, ac ſacerdotalem poteſtatem connexam. totum hoc argumentum eſt Sancti Cypriani, vel authoris illi equalis libello de Chriſmate, vt eius verba referimus libro primo. Maior probatur. Nam quælibet vita actiua habet poteſtatem aliquam temporalem; culmen verò illius neceſſario habebit culmen poteſtatis temporalis. Nam ſic Philoſophus Ethici primi cap. 7. *Perfectum enim bonum eſſe ſuffi cient apparet. ſufficiens autem dicimus, non ipſi ſoli, qui vitam ſolitariam agit, ſed parentibus, ſed filijs, ſed vxori, amicis denique, & ciuibus, quandoquidem homo ciuilis natura eſt.* Hæc ille de vita actiua ciuili in qua ſunt Clerici omnes, ſed Epiſcopi in culmine illius non quo ad cognatos, ſed quo ad ſubiectos ſibi homines, qui ſunt ipſis inſtar filiorum, & quibus tamq; patres etiam prouidere debent ea, quæ pertinent ad victum, quantum fieri poteſt, vt libro tertio eſt dictum.

Quarto, Poteſtas, cuius eſt perfecte exercere omnes virtutes ad homines in obedientia Dei continendos neceſſe eſt omni iure, ac directè habeat neceſſaria ad has virtutes exercendas. Eccleſiaſtica eſt talis: Neceſſe eſt ergo omni iure, ac directè habeat neceſſaria ad has virtutes exercendas. Maior probatur. Epiſcopus nāque eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, id eſt perfectæ charitatis exercendæ in vita actiua erga alios, quæ pro ſuo modo habet ſecum perfectas virtutes huiuſmodi actiuæ vitæ, vt liberalitatem, magnificentiam, prudentiamque, Ethicam, politicam, bellicam, iudicialem, vel per ſe, vel per alios exercendam. Cum Deus itaq; iuſſerit Pontifici, vt omnes mortales ad obedientiā Dei perducat, vel perductos in ea contineat, Epiſcopis ſubiectos ſuos, Sacerdotibus, Clericiſque vt in hoc ſeruiāt, neceſſario voluit ex natura ſua ſufficienter adeſſe ijs cuncta inſtrumenta ad hoc, vti facta ſunt omnia. Natura enim cui dat facultatem, dat & inſtrumentum. Ariſt. 4. de gen. anim. cap. 1. ac proinde ſi bella ad hoc ſint vtilia aduerſus hoſtes veritatis, ſi magnificētia Regia, debent adeſſe ijs ex natura ſua huiuſmodi omnia. Hoc argumentum eſt Franciſci Mayronis in quodlibetis q. 11. at Chriſtus hæc non habuit; verum. ſed ei debebantur. culpa hominum, vitioque euenit, ne haberet. & qui hæc obiicit, perinde eſt omnino ac ſi dicat, ante Chriſtum Deo vero non eſt obeditū, ergo neq; modo eſt obediendum: actus obedientiæ Deo non eſt redditus, neque igitur nunc reddendus. ad probationem maiorem dicimus, ſi Pontifex arma habuiſſet, qui-

bus

bus aliquot Græcorum perfidiam cohibuiſſet, nunc haud lugeremus Græciã perditam, neque lapſa eſſet in hæreſes, ob quas Deus illam tradidit immaniſsimis hoſtibus. Quocirca & Chriſto dati fuerunt honores triumphales, cum ſub pedibus aſinæ, cui inſidebat, veſtimenta ſternebantur, quod ſi modo fieret, attribueretur prodigalitati, luxuique à prudentibus mundi huius, acclamatumque eſt illi. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*, & monentibus Phariſæis, vt ſilentium indiceret acclamantibus dixit. *Si iſti tacebunt, lapides clamabunt*. Eiuſdem capiti eſt inſperſum vnguentum, quod triginta aureis æſtimabatur, quod officium ſi admitteret aliquis Eccleſiaſticus, peſsime audiret, ac merito. Hæc tamen Chriſtus excepit, vt omnes cognoſcerent ſibi deberi maxima quæque, ſic habuit loculos, exercuitq; in plurimis Regiam poteſtatem, ſe Regem profeſſus eſt, vti libro tertio, & quarto dicemus.

Quinto, Poteſtas illa, cui quicumque obſiſtunt, ad extremum cum ſua naturali poteſtate, ac ſuis omnibus miſerrimè concidunt, directe naturali, ac diuino iure imperat omni poteſtati temporali, ac temporalibus rebus. Eccleſiaſtica eſt huiuſmodi, directè itaque imperat naturali, ac diuino iure temporalibus cunctis. Maioris conſequentia patet. Nam diuino, ac naturali iure poteſtas imperat alicui, per quam ſtant eius bona, aut cadunt. quin erit neceſſe hæc ſola ad extremum ſtet. Minor patet è ſuperioribus atque è libro ſexto. rectè igitur dixit Vulpianus ius publici ſtatus primum conſiſtere, *In ſacris, & Sacerdotibus*, Deinde in *Magiſtratibus*, quod ſi gentilibus hæc eueniebant, vt aliquo modo, quia qualitercumque diuinitatem colebant, eorum publicus ſtatus conſiſteret in Sacerdotibus; ipſis veræ diuinitatis veris cultoribus, perfectiſsimè oĩum rerũ ſtatus conſiſtet, ſi in omnibus pareãt Eccleſiaſticæ poteſtati. Hinc S. Ioannes Chryſoſtomus in Eutropium. *Nihil eſt, quod ex æquo reſpondeat Eccleſiaſticæ libertati, ne mihi commemores muros, & arma. muri quidem temporis prolixitudine veteraſcunt, Eccleſia verò numquam ſeneſcit, muros barbari demoliuntur, Eccleſiam ne dæmones quidem vincũt. res geſtæ hoc ſuo comprobant teſtimonio, quot quantique oppugnarunt Eccleſiam, & inter oppugnandum diſperierunt? quin eadem tranſcendit cœlos. talem Eccleſia obtinet amplitudinem, oppugnatur euincit, appetita inſidijs euadit ſuperior; iniurijs contumelijsque laceſcita illuſtrior conſtituitur.*

Sexto

Sexto. Poteſtas, quæ magis perficit intellectum humanum ad intelligenda naturalia, Deoque coniungit ad intelligenda ſupernaturalia, magis iure in homines poteſt. Eccleſiaſtica eſt huiuſmodi propter doctrinam ſupernaturalem, & Sacramenta, communis namque eſt Theologorum doctrina, quod gratia perficit naturam, magis itaque in homines poteſt. Minor eſt clara, nam per Sacramenta ipſius animæ eſſentiam peruadit, ac diuinitati non aduertentem coniungit, quod apparet in pueris, ac lethargo oppreſsis. Conſequentia maioris patet. Nam natura recta appetit perfectionem ſuam, ac diuinitatis participationem. Ad probationem dicimus idcircò multos errores fuiſſe à nobis depræhenſos in omnium Philoſophorum doctrina. & quando Ariſtoteles cunctis viſus eſt, præcellere, cæterique ob id reiecti ſunt. Et in eo tamen, ſiue in practicis, ſiue in ſpeculatiuis multi ſunt errores inuenti. Quod ſi dicas inueniri Chriſtianos, qui in naturalium rerum notitia, vel rebus tractandis ſunt inferiores alienis à catholica doctrina. Reſpondemus comparationem cum paribus faciendam. Si enim duo ſunt in omnibus pares, ſed tamen alter ſit præterea donis ſupernaturalibus inſtructus, erit longè alio, qui non ſit his inſtructus, excellentior.

Septimo. Sacerdotium, cui tamquam imagini multò plura in ipſis temporalibus debentur, quam Sacerdotio antiquo vmbræ huius, directè temporalia, ſacraque omnia, tam Sacerdotali, quam Regia poteſtate reget. Sacerdotium Sanctæ Matris Eccleſiæ eſt huiuſmodi, igitur tam Regiam, quam Sacerdotalem poteſtatem cōtinebit. Maioris conſequentia ipſius latè probatur libro tertio cap. 6.

Hoc verò ſatis erit ad aliquam probationem dixiſſe in lege naturæ Sacerdotio ſubnexam fuiſſe ſemper Regiam poteſtatem, à Moyſe fuiſſe electos Iudices, vt ſubleuarēt eum laboribus, quod habemus Numeri cap. 10. & 11. Ioſue cap. 14. Iudicum primo. Quocirca ſi quid ambiguum, aut difficile erat à Iudicibus ad Pontificem ſummum lis deferebatur, vt eſt Deuteronomij cap. 17. Rex deinde electus fuit contra primariam Dei voluntatem, quod habetur primo Regum cap. 8. & 9. ac propterea dicitur à Deo datus in furore, & fuiſſe exitium Reipubl. Hebræorum, vt refert Oſeas cap. penult. Et tamen hic eligebatur, ac poteſtas ab electo in alios transferebatur per ipſos Sacerdotes, vt à Saule in Dauidem 1. Regum cap, 16. à Ioram in Iehu per Eliſæum quar-

to Regum cap.9. Neque poterat iudicare niſi iuxta leges à Sacerdotibus præſcriptas, vt eſt cap.17. Deuteronomij. Rurſus Sacerdotes iudicabant, an eſſet aliquis homicidij voluntarij reus, quod legimus Numeri cap.36. Rex ipſe erat ſubiectus collegio ſeptuaginta duorum, quod ſcribit Ioſephus Antiquitatum libro 14. cap.17.

Ad Confirmationem ſubiicimus Primo. Cui diuinitus, & à quo diuinitus datur eadem poteſtas, quæ Moyſi; in illo eſt ampliſsima tam in omnia temporalia, quam ſpiritualia poteſtas. Sed Pontifici Romano datur diuinitus eadem, quæ Moyſi poteſtas, ergo eſt illi ampliſsima tam in omnia temporalia, quam ſpiritualia poteſtas. totum argumentum eſt Apoſtolorum.SS.Irenæi libro quarto cap.44. Cypriani epiſt.69. Macarij Senioris homil.16. Bernardi lib.2.de Conſideratione ad finem, Henrici Gandauenſis quodlibeto ſexto quæſt.43. Richardi è Media villa in 4. diſtin.24.quæſt.3.ad quintum.

Secundo ſubiicimus. Cui diuinitus, & à quo diuinitus datur eadem poteſtas quæ Moyſi, & Samueli, Dauidi, & Aaron directè omnia tam temporalia, quam ſacra regit. Epiſcopalis eſt huiuſmodi, directè itaque tam temporalia, quam ſacra regit. Minor probatur, quia cum conſecrantur Epiſcopi, ſic ad eos dicitur. *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & Chriſmate ſanctificationis, ſicut vnxit Samuel Dauid Regem, & Prophetam, ita vngantur, & confirmentur.* Similiter induuntur eodem modo, *quo Aaron*, qui veſtibus orbem terræ geſtabat, vt eſt Sap.cap.18. qui verò vngit, ac veſtit eſt Epiſcopus, atque ita Moyſen, & Samuelem refert, qui ſimul & ſpiritualia, & temporalia iudicabant ob hæc in Conſtitutionibus Apoſtolicis legimus Epiſcopos eſſe Reges, ac SS.Paulinus, & Epiphanius dixere Epiſcopos in throno Dauidis ſedere cum Regia poteſtate.

Intelligas verò Epiſcopos eſſe inſtar Moyſis, Aaron, & Samuelis, ac Dauidis in ſua Diœceſi, quod ſi dicas vngi Epiſcopos ad ſimilitudinem iſtorum, non tamen perfectam eſſe ſimilitudinem. Reſpondeo, Moyſen, Aaron, Samuelem, Dauidemque eſſe reſpectu Epiſcoporum noſtrorum, veluti vmbram informem reſpectu imaginis perfectæ, quoad dominium regendorum temporalium; quod habemus è S.Paulo 2.Corinth.cap.3. ad Hebræos 10. Auguſtino in Pſalm. 146. Sancto Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 87.artic.1.nam quemadmodum ſpiritualis poteſtas à Chriſto eſt præ-

præſtantior facta, ſic maior illi in temporalia virtus accreuit. Cum verò verba illa ſignificent Regiam poteſtatem dari, alioquin ocioſa, ac ridenda eſſent, neque dent, niſi quod verbis ſignificatur, ſequetur eam dari, eo, quo diximus modo: idque eò magis, quod nihil aliud omnino ijs verbis ſignificari poteſt. Qui ſenſus comprobandus eſt omninò ex omnibus, quæ relata ſunt. Quod ſi dicamus, Epiſcopos ex hac vnctione eſſe Reges ob beneplacitum diuinum, non iure naturali, ac diuino, ridendi erimus. Nam ſi volumus eſſe obediendum Regibus naturali iure, quia conſtituuntur ab hominibus, non erit obediendum ijs, qui & ab hominibus, & à Deo, (vngunt namque Epiſcopi Epiſcopum ex perſona Dei) multo amplius eodem iure? Secundò, nonne iſtis, quibus tanta diuinitatis poteſtas indelebilis intimè ingeneratur, qua poſsint euehere humanum genus ad conſortium diuinæ naturæ, & configurentur, potentiæ paternæ, vt parturiant Deo filios conſubſtantialis cum Patre, Filij cohæredes, eique conformes? Tertiò nonne iſtis, quibus eſt infallibilis ſapientiæ clauis? Quartò nonne iſtis, qui dant, vnde expleatur naturale deſiderium generis humani, ac propterea dominantur humanæ naturæ, cui ſic illud deſiderium dominatur, vt ſe ab illo eximere numquam poſsit?

Iure naturali ac diuino eſt vnus totius orbis ſupremus Monarcha. Cap. VI.

QVæ maximè omnium volunt iure naturali ac diuino ordinari inter ſe in finem ſuum, ac ſtare, maximè omnium volunt in ſingulis quibuſque vnum ordinantem, iuxta illud, quod ab Homero deſumptum refert Philoſophus Metaphyſici duodecimi vltimo. *Entia volunt bene gubernari, non eſt bonum pluralitas principatuum, vnus ergo Princeps*, ſed iure naturali ac diuino omnes homines maximè ac directè volunt in quibuslibet benè ordinari in Deum finem ſuum. Volunt itaque ſimiliter vnum ordinantem in Deum. Hoc argumentum eſt omnium propè Theologorum quod oſtendimus libro primo. Speciatim verò eſt Franciſci Mayronis Galli cognomento Illuminati in quartũ diſtinctione 19.

quæſt. 4. Quod ſi dicas non eſſe neceſſarium ; vt inter ſe ordinentur. Contra quia ſicut in quolibet homine, in qualibet vrbe, in qualibet gente, ſic in toto genere humano debent eſſe partes inter ſe optimè ordinatæ ad totum, & ad finem; alioquin non inter ſe eſſent proportionatæ; natura nollet mundum pulchrum, κόσμος non eſſet, quod dici non poteſt. Nam quilibet homo, quælibet ciuitas, quælibet gens, prout minus magisve accedit ad finem Deum, Sic iure naturali, ac diuino, ſi in vniuerſum loquamur, magis minusve honoris, diuitiarum poteſtatisque habere debet. Et quoniam Eccleſiaſtica poteſtas ex natura ſua, talis eſt, magis accedit ad Deum (licet in aliquo aliquando ſecus contingat, quod neque debet, neque poteſt attendi.) Idcirco hæc orbem mortalium totum, ſummusque in ea Pontifex cuncta ordinabit: ideòque ad maiorem comprobationem diuinitus eſt illi datum, vt neque per accidens poſsit errare in iubendis vniuerſali lege ijs, quæ pertinent ad æternam veritatem, ſiue fidei, ſiue morum, Pontificiæque ſimiliter ſedi & illud datum, ne ſit vlla Principum ſæcularium, vel Præſulum ſucceſsio, quæ tot Sanctis effulgeat, aut etiam doctrina rerumque omnium peritia præſtantibus viris, vt ipſa. quod primo libro eſt dictum. Patet autem primo humanam naturam indigere ordinante, vti quidem videmus illam fuiſſe inſtitutam. Neceſſe autem fuit ita inſtitui, vt entium diuerſitas, potentiaque Dei multiplex actu eluceret. Quin Secundo egere ordinatione ſupernaturali, vt agnoſceretur Deus libere agens, omnipotens independens & infinitus, quod ſupra eſt à nobis dictum.

Confirmantur ſuperiora Primo. Quæ maximè volunt vnionẽ, partiumque vnitarum pulchritudinem; vel proportionem, maximè volunt vnum ordinantem in finem ſuum; ſed homines omniũ maximè amant ſocietatem, partiumque inter ſe coniunctarum pulchritudinem, uel proportionem, quod uſu, ac ſenſu cognoſcimus, maximè uero in maximis, & in ordine ad maximum, uel ſupremum finem, quod tradit Philoſophus Politici primi cap. 3. & 6. & lib. 7. cap. 1. 2. 3. & Ethici ſexti in fine, ac noni cap. 9. Quocirca æque uolunt unum ordinantem, qui eſt Pontifex ſummus.

Quod ſiquis reſpondeat ad hoc, à Philoſophi auctoritate deſumpta è Metaphyſicis propoſitum non iuuari, quod ille dicat in toto mundo oportere eſſe unum ordinantem, qui eſt Deus, nec ſequi, oportere ut ſit inter mortales, conſtat eſſe falſum. Nam primo humana mens Deo quam ſimillima, ac diuinis uult in terris

eſſe

eſſe, ac proinde inter homines ſeruari ordinem eundem rerum uni ſubiiciendarum. Deinde Philoſophi auctoritas deſumitur ex ipſius ratione, quæ eſt, entia uolunt bene diſponi, ſiue ordinari, è qua concludit ille, unus ergo Princeps, quæ ratio maximè in hominibus viget. Amplius deſumit Homeri verſiculum, quo declaret idem eſſe in hominibus, ille enim verſiculus pertinet ad homines regendos, ac de illis eſt ab Homero prolatus. Hinc, vti dicemus, idem Philoſophus vult vnam tantum Remp. toto orbe.

Secundo ſtabilitur idem, Quæcumque viſibilia Deus, ac natura in omnibus vult maximè ordinata in finem ſuum, dat eis vnum primum regens viſibile, ſed inter omnia viſibilia Deus, ac natura (vel quoad propoſitum noſtrum naturale ius, ac diuinum) maximè omnium volunt in omnibus maximè homines ordinatos in finem ſuum, id eſt Deum naturaliter, ac ſupernaturaliter participandum, Dat eis igitur maximè vnum primum regens viſibile. Quocirca ſi Deus dat apibus, dat Elephantis, dat gruibus vnum Regem, ducemve viſibilem, multo maximè hominibus, ſiue fidelibus, ſiue infidelibus dabit vnum primum viſibile regens; vel ſi dat corporibus cœleſtibus vnum primum mobile, multo magis corporibus humanis animatis. At inquies animalibus illis dat varios Duces, ac Reges; ſuntque in eis varij cœtus, qui non coeunt in vnum. Reſpondemus è ſimilitudine allata haberi duo, primum quidem in quolibet hominum cœtu dandum vnum Ducem, qui cuncta ordinet, ac proinde in vnaquaque ciuitate, ac populo: Secundo verò, cum ſint homines omnium maximè ſociabiles, & maximè eos Deus velit coniunctos ad pulchritudinem totius vniuerſitatis humanæ atque intellectualis, idcirco non modo vnam dabit cuilibet hominum cœtui, (ſic enim non eſſet magis ſociabilis, quàm ſint animalia, neque Deus eum vellet magis ſociabilem) ſed toti humano generi dabit vnum primum regens viſibilia; ac videtur huius alia ratio, Obiectum namque animalium eſt particulare bonum ſenſibile, Sed hominum eſt vniuerſale verum, ac bonũ, vniuerſale ens, vt habemus 3. de anima textu 17. & 37. Quocirca ijs omnibus vnus ordinans eſt dandus.

Tertio corroboratur. plures hominum cœtus non poſſunt bene ordinari diſtingui, ac ſtare niſi per aliquam poteſtatem maximam, ac diſtinctam ſtantem; Sed hominum cœtus ſunt plures, non poſſunt itaque bene ordinari, diſtingui, ac ſtare, niſi per vnam poteſtatem maximè diſtinctam ſtantem; qualis eſt Pontificia, atque Eccleſiaſtica poteſtas, quæ non poteſt excidere in iis ſanciendis

dis vniuerſali lege, quæ ad æternam veritatem, ſiue fidei, ſiue morum ſpectat, vno ſpiritu diuinitatis, fidei, charitatiſque regitur, ac diſtinguitur indelebilium ſignorum poteſtate, & cœleſtium ſimul terreſtriumque claui.

Quarto confirmatur ex auctoritate Philoſophi Ethico quinto, cap. 7. Dicentis. *Neque Reſpublica apud omnes eſt eadem, ſed vna tantum vbique ea eſt ſecundum naturam, quæ optima eſt.* Hæc ille volens eſſe vnam tantum Rempublicam toto orbe terrarum, quæ ſit optima ſecundum naturam. Sed humana natura, vt conſtat, vult optimum ſibi lib. 2. Cœli textu 36. Phyſico octauo tex. 56. de partibus animalium. libro ſecundo cap. 4. & de generatione libri ſecundi tex. 59.

Quinto comprobatur ex omnium conſenſu, quæ vnius principatum per ſe optimum ſtatuerunt, Ariſtoteles Ethici octaui cap. 10. Cum numeraſſet tres publicæ gubernationis formas, inquit, *Harum optima regnum.* Quod verò id maximè Reſp. Chriſtianæ conueniat, diximus libro ſexto. Plato in Politico vltra medium, *Vnius dominatio bonis inſtructa legibus illarum omnium optima eſt, Gubernationem vero eam, in qua non multi imperant, mediam cenſere debemus, cæterum multorum adminiſtrationem omnibus in rebus debilem, atque infimam*, Seneca inter Stoicos non ignobilis, *Optimus*, ait, *Ciuitatis ſtatus ſub Rege iuſto eſt.* Plutarchus lib. de Monarchia, & in vita Solonis, Iſocrates in Nicocle Stobeus ſermone 45. cui titulus, *optima eſt Monarchia*, referens Heſiodi, Euripidis, Sorini, & aliorum ſententias, Herodotus lib. 3. referens Perſarum conſilium in idem conuenientium. Philo libro de Confuſsione linguarum. SS. Iuſtinus in exhortatoria ad gentes Athanaſius in oratione aduerſus Idola, S. Cyprianus de idolorum vanitate, & de vnitate Eccleſiæ, Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum monachum S. Thomas 1. par. q. 103. art. 3. & lib. 4. contra gentes, cap. 76.

Sexto corroboratur. ex inſtitutione diuina in lege ſcripta vt latè explicamus lib. 3. cap. 6. quo diſſerimus, quæ Iudicibus, quæ Regibus olim poteſtas foret in Rep. Iudæorum.

Septimo Deus ita ab initio, cum ſola eſſet lex naturalis, inſtituit. Idcirco ab Adamo, vſque ad diluuium per annos mille ſexcentos, quinquaginta & ſex vnus humano generi præfuit, Deinde poſt diluuium, Noë per annos trecentum quinquaginta, vt libro ſexto aperimus. Poſt quem filius eius primogenitus Sem vitam produxit vſque ad annum Iſaac Filij Abraham Centeſimum

ſimum octauum, ſi Euſebij Chronicon ſequamur. Ad eum veluti primogenitum ſpectabat tum Monarchia totius orbis, tum vero Pontificatus ſummus, Eo defuncto humanarum rerum facta eſt maxima conturbatio. Nam paulatim natura in deprauationem tendente, non amplius agnitus eſt vnus totius humani generis Pontifex, ac Rex ſummus. Cumque gentiles ſaluari abſque Circuncifione poſſent, vt diximus ſupra, Hebræi vero multo efficacius, totius humani generis ſtatus erat eo loco, quo vacante pontificia ſede ſolet eſſe Reſp. Chriſtiana, verumtamen apud gentiles iidem Sacerdotes ſummi erant, ac Reges apud Hebræos. eodem modo ſanxit Deus, quamuis voluerit ſæcularibus Iudices eſſe, qui ſæcularia iudicarent, ſed omnia tranſigerent iuxta leges à ſacerdotibus latas, horumque reſponſa. habitabant enim leuitæ à Laicis ſeparati, quæ fuſius proſequimur lib. 3. cap. 6.

Octauo fieri non poteſt, vt homines duobus Dominis ſeruiant, qui non ſint inter ſe eſſentialiter ſubordinati, cum tamen pacem maximè velint, diſſenſiones vitent. ſcriptum namque eſt, ***Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire***. Ioannis 21. quod ſi inter Chriſtianos maxima pax eſſe debet, & huic ſtabiliendæ præſidet ex præcepto diuino Pontifex ſummus; ac vix poteſt ſeruari. multo minus ſeruabitur Inter infideles, & Chriſtianos, etiamſi bellum ſuſcipiatur ad eam confirmandam; niſi iure vnus cunctis mortalibus præſit. Ad quem ſpectat efficere, ne mortalium laniena ſint inter mortales ſiue infideles, ſiue fideles.

Nono propoſitum confirmatur è S. Thomas 1. q. 11. art. 3. *Omnia enim, quæ ſunt*, ait, *inueniũtur ordinata ad inuicem, dum quædam quibuſdam deſeruiunt. quæ autem diuerſa ſunt, non conuenirent, niſi ab aliquo vno ordinarentur. melius enim multa reducuntur in vnum ordinem per vnum, quàm per multos, quia per ſe vnius vnum eſt cauſa, & plures non ſunt cauſa vnius, niſi per accidens, niſi inquantum ſcilicet ſunt aliquo modo vnum.* Hæc Sanctus. E quo habemus iuxta hanc doctrinam, niſi omnes humanæ poteſtates dependeant ab vna per ſe, & eſſentialiter, quod natura humana vult, fore vt natura humana per accidens velit inter homines pacem, & coniunctionem. ſed quando humana natura recta per ſe vult hanc pacem, per ſe vult vnam poteſtatem; quocirca ad ſupernaturalem deueniendum. recta enim dependet eſſentialiter à ſupernaturali, vti eſt dictum.

Hinc cunctis gentibus Deus teſtatum voluit eſſe, ex antiquiſ-

ſimis

ſimis monumentis fore, vt è cœlo mitteretur, qui cœli, ac terræ Dominus eſſet, ac per Heroas à ſe datos regeret omne humanum genus, non vnam partem, vt ſupra ſybillinorum verſuum prædictiones afferebamus, adducens pacem, coniunctionem.

Ille Deûm vitam accipiet, diuiſque videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem,

En diuinis virtutibus *Patrijs virtutibus*, à potentia diriuatis *paterna*, cuius characterẽ geſtant Sacerdotes, vt ſupra eſt explicatum, pacandusq; & regendus vnius Dei vita, vna poteſtate à Chriſto orbis per Heroas, de quibus Pſalm. 44. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terrã.* Ex his itaque apparet naturalis, ac diuini iuris eſſe. vt vnus præſit mortalibus cunctis eminentiori poteſtate, ac ſecus eſſe, eſt ex deprauatione naturæ, quod ſi dicas fieri non poſſe, vt vnus cuncta adminiſtret. Ita profectò eſt. Idcirco dicimus cunctis ſua regna, & relinqui, & conſeruari. Sed grauiſſimæ quæque temporaliũ rerũ cauſæ ad hunc ſupremum deferentur veluti filiorum cauſæ ad omnium diuinitus datum tum Regem, tum Patrem quæ libro tertio fuſius aperiuntur.

Confirmari poſſunt hæc omnia, tum è multis tum ex eo, quod Chriſtus dicit, *Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* quòd non poteſt intelligi de inuiſibili paſtore. Nam prius erat ille vnus inuiſibilis paſtor ſaluans tam gentes, quam Iudæos, neceſſe eſt intelligatur de viſibili Paſtore, vel Deum nullum dediſſe humanæ naturæ Paſtorem.

Poſtremò corroborantur hæc ex ijs principiis, omne mobile pẽdet ab immobili. de Petri autem poteſtate dictũ, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Fallibile ab infallibili. hinc dictum, *Non deficiet fides tua*, Temporale ab æterno. hinc *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi, veritas Domini manet in æternum, regnum immobile ſuſcipiẽtes.* Naturalis vero, ac temporalis hominum poteſtas non poteſt ex ſe quinque, vt eſt dictum. Primo non eſſe ex ſe, ob ſupernaturalem namque eſt facta, & ab ea conſeruatur. Secundo non poteſt non cadere in Dæmonum poteſtatem. Tertio non pôteſt non ruere in omnia peſsima. Quarto non poteſt aſſequi finem ſuum naturalem. Quinto neque ſupernaturalẽ naturæ pôdere appetitũ, niſi depẽdeat à Pontifice ſummo, in quo vt in Sole, ac fonte eſt illa. Igitur tenetur ex iuſtitia tam hic, quam Princeps temporalis efficere, vt naturalis, ac temporalis poteſtas ſit

actu

actu ſubnexa, & ſubiecta ſupernaturali; obligati namque ſunt ex iuſtitia ſubiectis prouidere, ac præparare quæcumq; pertinent ad æternam ſalutem, quæ non poteſt haberi, niſi naturalia cũcta, ac ſupernaturalia ſint omnino ex ordine ſubiecta ſuper naturali fini, ac poteſtati, vt ſupra abũde eſt concluſum, capite primo libri huius. tenentur inquam ex iuſtitia. Nam cæteri tenentur ex charitate, qua iubentur amare proximos, qui ſubiecti nõ ſunt ipſis. At Pontifex ſummus tenetur ex iuſtitia præparare, atque imperare, ne quid obſit omnino religioni. Princeps autem ſæcularis triplici iuſtitiæ vinculo tenetur obedire Pontifici ſummo imperanti, vt remoueat obſtantia. Ex parte poteſtatis temporalis; ex parte habentis illam; ex parte ſubiectorum illi. Nam cuncta hæc ſeparatim conſiderata naturali, ac diuino iure ſubiecta ſunt ſupernaturali poteſtati.

Primo ex parte ipſius poteſtatis, quia poteſtas omnis temporalis omnium principum temporalium præſertim poſita fide, aũt etiã cognitione ſufficienti, eſt ſubiecta poteſtati ſupernaturali, ac temporali Pontificis Romani, in minimis quibuſque præcipienti. Nihil enim creatum datur, quod ſupernaturali fini, ac poteſtati non ſit ſubordinatum, vt ſupra cap. primo eſt concluſum. ſi cupit igitur eſſe ſaluus Princeps ſæcularis, neceſſe eſt id agat. Idcirco licet ante iudicij diem perturbetur hæc ſubiectio; permittantur eam dæmones, & impij perturbare, tamen in extremo iudicij die, quando libentes noluerunt, violenter cogentur obſeruare, ac retruſi intra centrũ terræ tam dæmones, quàm flagitioſi punientur, atque hi ſuis corporibus iterum ſupernaturali poteſtate veſtientur, vt in quibus ſupernaturali poteſtati quoad naturalia, ſæcularia que, nõ obedierunt; in illis, quoad eadem caſtigentur. Datam vero hanc poteſtatem temporalem Pontifici Romano, ſicuti Adamo, Noe, Moyſique oſtendimus toto hoc libro, ſpeciatim vero libri primi cap. 10. & magis adhuc infra illuſtrabitur.

Secundo ex parte habentis poteſtatem. Nam Princeps ſæcularis tenetur ex alio iuſtitiæ capite, quia licet omnis poteſtas temporalis ex ſe non eſſet ſubiecta, tamen ſubiectus eſſe debet ipſe Rex cum ſuis omnibus rebus ſacerdoti ſummo, & idcirco cum ſua temporali poteſtate.

Tertio ex parte ſubiectorum. Nam Princeps tenetur ſemetipſum totum ſubordinare, niſi velit eſſe tyrannus, ad bonum ſubiectorum diuinum; atque idcirco temporalem totam po-

teſtatem ſic obligare Pontifici ſummo, vt etiam ſi vellet ipſe, aut vellent ipſi populi, non poſſent vnquam recedere ab ijs, quæ vniuerſali lege iubentur à Pontifice ſummo. Aut non magis eos ſubiicere ad conſeruationem regni ſibi, ac ſuis confirmandam per temporalem poteſtatem, quam Pontifici ſummo ad conſeruationẽ religionis, & omnium virtutum confirmandam per eandem poteſtatem. Quod eſt, vt Pontifex ſummus in ſuo regno magis temporaliter poſsit, quam ſubditi omnes, ac Rex ipſe ad religionem, virtuteſque conſeruandas. Nam regna virtuti, Deoque debentur.

Cum velint entia bene diſponi, idcirco neceſſe eſt, vt ſit in qualibet vniuerſitate vnus Princeps. ac multa ad vnum reducantur, ſæculareſque poteſtates ad vnam. auctoritateſque afferuntur id probantes.

Cap. VII.

CVncta, quæ attulimus hucuſque argumenta, ad illud vnum reducuntur: Entia bene diſponi volunt: vnus ergo Princeps. Ac proinde poteſtates etiam bene diſponi volunt; vna ergo omnium tam ſæcularium, quàm eccleſiaſticarũ Princeps. Et quando Eccleſia CHRISTI eſt optima, maxime in illa vnus erit principatus, omniumque principatuum coũentio, conglutinatioque in eundem, cum maxima ſingulorum diſtinctione, vt ad finem libri primi ex iure naturæ totius, ita ſtatuendum concluſimus. ſicut in homine optime ordinato ſecundum Deum tota corporis poteſtas ſeruit poteſtati mentis; mens poteſtati diuinæ. Idcirco Sancti Patres, ac maximi omnium Doctores ſæculares quaſlibet poteſtates ad eccleſiaſticas, eccleſiaſticas ad vnam reduxere, quam Iuſtinianus eccleſiarum caput, apicem, fontemque ſacerdotij vocauit, Sanctus Cyprianus, fontẽ, ſolem, truncumque. S. Paulus indicat eſſe columnam, prædicationis Apoſtolicæ probationem, ſine qua in vacuum curratur, quæ daret Apoſtolicam dextram. CHRISTVS & vocauit, &

ſtatuit

ſtatuit eſſe fundamentalem petram, paſtoremque ouium ſuarum, Doctores alij nominibus alijs, vt S. Thomas, cap. 1. regimen, inſtar Dei in terris, Epheſinum Cõcilium στήριγμα, ſtabilimentum eccleſiarum. Audiamus ipſos loquentes.

S. Paulus ad Galatas incredulos, atque à fide deſciſcentes ſcribens, vt eis commendaret, ac notiſsimam faceret doctrinæ, Apoſtolatusque ſui doctrinam, Primo inquit Euangelium ſe accepiſſe ab ipſo CHRISTO, ac protinus ſubijcit ſe accepto Euangelio poſt annos tres, antequam miſſus eſſet ad hoc diſſeminandum inter gentes, aſcendiſſe Hieroſolymam *videre Petrum*, Græce eſt θεωρῆσαι, contemplari, vt ibi notat Theophylactus, quaſi admirabile quiddam, contemplationiſque euangelicæ theatrum, & ſpectaculum. Mox addit, ſe peragraſſe Syriã, Ciliciamque, & ait, *Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcẽdi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito, aſcendi autem ſecũdum reuelationem, & contuli cum illis Euãgelium, quod prædico in gentibus, ſeorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem*, (& tamen dixit ſeſe illud à CHRISTO accepiſſe) ac demum ait ſibi dextras datas, ſiue Apoſtolicæ poteſtatis executionem, presbyteros, & Epiſcopos ordinandi, cum prius haberet Euangelium à Deo; ac propterea non legitur in Actibus Apoſtolicis exercuiſſe epiſcopalia, niſi poſt hoc tempus, vt ſigno de Petri cathedra adnotauimus; & ait, *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis*, Cur Cephas? Quod is præcipue Iudæis, qui tunc omnium ſoli presbyteri, epiſcopique fieri ſolebant, ac propterea Paulo ipſi, Ioanni, & Iacobo præceſsit. Hos autem dicit aliquid in Eccleſia fuiſſe; perinde ac ſi reliqui præ illis nihil forent. Sic itaque commendat, & conſignat poteſtatem ſuam Paulus, ac reuocat ad ipſum Petrum, qui & ad Romanos capite octauo ſcribit, *quomodo non cũ illo omnia nobis donauit?* quid ſit hoc interpretatur S. Auguſtinus homilia ſecũda, aſſerens Epiſcopis eſſe omnium rerum tam ſæcularium, quàm ſpiritualium regiam poteſtatem, & inquiens. *In* CHRISTO, *habet Eccleſia hanc poteſtatem, ſicut dixit Apoſtolus ad Romanos, cum illo nobis omnia donata fuiſſe; ſic virgam ferream dixit Ioannes propter iuſtitiam, & propter rigorem, cum virga corrigantur boni, mali vero confringantur*. Hæc Sanctus. Quamuis, vt ſuo loco videbimus, Idem Paulus velit ſibi ius eſſe iudicandi omnia ſæcularia.

2.ad Corinthios cap.6.& vltimo ad Romanos.non abſque cauſa,cum dixiſſet annunciari ipſorum fidem in vniuerſo mundo, precatur, vt Deus conterat velociter ſub pedibus eorum Satanã:quo videtur ſignificare ad ipſos in primis pertinere, quod de Virgine, & Eccleſia ſancta prædictum fuerat à Deo contra ſerpentem, *& ipſa conteret caput tuum*, & a CHRISTO dictũ Petro Lucæ 22. *Simon expetiuit Satan, vt cribraret vos ſicut triticum, ego autem rogaui pro te,vt non deficiat fides tua.*

S.Ignatius porro, cum ſæpius omnium agendorum facultatem referat ad Sacerdotes,& Epiſcopos, horum deinde refert ad Eccleſiam Romanorũ. Sic itaque is ad Trallianos. *Neceſſarium eſt enim vos nihil præter Epiſcopum facere, neque aliquid agere*. Et ad Magneſianos. *Sicuti ergo Dominus ſine Patre nihil facit (non enim poſſum,inquit,à me ipſo facere quidquam.) ſic etiam & vos ſine Epiſcopo, ſiue Presbyter, ſiue Diaconi, ſiue Laicus. Non ergo vobis aliquid rationabile videatur extra ipſius ſententiam.* Et ad Smyrnenſes. *Ego autem dico honorare quidem Deum, & auctorem omnium, & dominum: Epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum,qui imaginẽ Dei fert, principatumque ſecundum Deum, ſacerdotium vero ſecundum Chriſtum*. Et mox. *Si enim quis contra Regem inſurgens, damnatione dignus eſt,vt pote tranquillitatẽ,& pacem communem diſſoluat,quomodo vltionẽ euadere poterit, qui præter Epiſcopũ egerit?*

Idem vero agnoſcit omnem ab Eccleſia Romana poteſtatem. Nam ſic ad illam ſcribens,cum ſedes, quantum conſtat vel vacaret,vel exiſtimaretur vacare. *Eccleſiæ ſanctificatæ, & illuminatæ in voluntate Dei, quæ fecit omnia, quæ ſunt ſecundum finẽ,& dilectionẽ* IESV CHRISTI,*& Saluatoris noſtri,quæ & præſidet in loco religionis* Romanorũ,*Deo dignæ,eminentia dignæ,memoria dignæ, beatitudine dignæ, laude dignæ fundatæ in dilectione,& fide* CHRISTI,*paternum nomen habenti,ſpiritifera,quam & ſaluto*. Hæc S. Ignatius, qui cum ſcribat ad Trallianos, Magneſianos,Tarſenſes,Philipenſes,Philadelphienſes, Smyrnenſes,Antiochenos,Epheſios, & Eccleſias eorum multis nominibus laudet; nullam tamen vocat illuminatã in voluntate Dei, nullam dicit præſidere, nullam appellat eminentia dignam, nullam ſcribit paternum nomen habere. ſoli hæc tribuit Eccleſiæ Romanæ. Illa igitur, vt vult Ignatius,præſidet,eminet, ac paternum nomen habet. Si illa præſidet, ergo ſunt aliæ ſubiectæ; ſi eminet, ſubſunt; ſi paternum nomen habet, filiæ

ſunt. alioquin neque emineret, neque præſideret, neque paternum nomen haberet, ac falſo Ignatius ea ſcripſiſſet. Sed illud præterea obſeruandum. Nam quod quidam verterunt, eminentia dignæ, in Greco eſt ἀξιοπιστεύκτη, ideſt dignæ ſuper quã ædificetur. Sic enim reſpicit illud: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiã meam*. veluti, & illud, beatitudine dignæ, verba CHRISTI ad Petrum. *Beatus es Simon Bariona.*

Ex his apparet cuncta agenda à laicis deferenda ad Sacerdotes, & Epiſcopos; cuncta agenda ab his grauia ad Pontificẽ Romanum. de ſententia S. Ignatij Patriarchalæ Antiocheni.

S. Irinæus libro quarto, capite quadrageſimo quarto, cum dixiſſet, Moyſi, & Samueli fuiſſe datum populi regendi, & omnium iudicandorum munus, ſiue illa ſpiritualia forent, ſiue ſæcularia; eoſque in iudicando, & regendo iuſtos fuiſſe adiicit. *Tales presbyteros nutrit Eccleſia, de quibus & Propheta ait: & dabo principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in iuſtitia. de quibus & Dominus dicebat: quis igitur erit fidelis actor, bonus, & ſapiens quem præponit Dominus ſuper familiam ſuam ad danda eis cibaria in tempore? beatus ille ſeruus, quem veniens Dominus inuenerit vigilantem.* Hæc ille Moyſis, & Samuelis loco in Eccleſia ponens presbyteros, ac de eis vult prædictum, quod pertinet ad Iudices. Oraculum namque illud eſt deſumptum ex Iſaiæ cap. 32. quod explicans Cyrillus in Ioannis Euangelium libro tertio, capite trigeſimo, inquit. *Principes, id eſt Sancti diſcipuli omnia gubernaturi fuiſſe ſcribũtur*, & quod Chriſtus, ait Luc. 12.

Idem vero S. Irinæus omnem aliorum ſacerdotum poteſtatem reuocat ad Pontificem Romanũ libri tertij, capite tertio. *Maxima, inquit, & antiquiſſima, & omnibus cognita à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eã quã habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum venientes vſque ad nos, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnium conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt vndique fideles.* Hæc Sanctus. apertè decernens neceſſarium, cunctos fideles conuenire ad Eccleſiam Romanam, quod maximè antiquiſsima ſit, ac potentiorem teneat principalitatem, non ob alias, quas alij confingunt, cauſas.

Ex his

Ex his conſtat cuncta à ſacerdotibus, ſiue ſpiritualia, ſiue ſæcularia gubernanda, veluti olim gubernabantur à Moyſe, & Samuele; hos autem neceſſario conuenire ad Eccleſiam Romanam.

Attulimus teſtimonia duorum ſanctiſsimorum Martyrum, quorum alter præſedit in Oriente, alter vero in Occidente, doctiſsimique, & antiquiſsimi ſunt præ cunctis antiquis. Afferamus alterius etiam Martyris doctiſsimi, qui in Meridie præſedit, & Africæ terras illuſtrauit. Sanctus Cyprianus epiſtola 79. vel 10. lib. 4. ſcribens oſtendit Epiſcopos, & Sacerdotes non poſſe ab vllo ſæcularium iudicari. Sic ad Pupianum, qui aſſerebat iudicandos ob crimina admiſſa: ideoque aduerſus Cyprianum, veluti reum tamquam Iudex inſtituerat inquiſitionem adijciens inter alia, ſic fieri debere, ac poſſe, cum foret à Chriſtianis ad alios iudicandos promotus, & aſſeueraret in Epiſcopos ſibi ius eſſe, quando humilitas erat ab eis cuſtodiē-da. ad quem ſic Sanctus. *Quod vero dixiſti*, ait, *ſacerdotes humiles eſſe debere, quia Dominus, & Apoſtoli eius humiles fuerunt, humilitatem meam, & fratres omnes, & gentiles quoque optime norunt, & diligunt; & tu quoque noueras, & diligebas, cum adhuc in Eccleſia eſſes, & mecum communicares. Quis autem noſtrum longe eſt ab humilitate? vtrumne ego, qui quotidie fratribus ſeruio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benignè, & cum voto, & gaudio ſuſcipio? An tu, qui te Epiſcopum Epiſcopi, & Iudicem Iudicis ad tempus à Deo dati conſtituis? Cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat, & homo, quicumq. fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut Iudicem, qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & non agent impie etiam nunc. Et iterum ad Samuelem loquitur, & dicit. Non te ſpreuerunt.* & mox. *Niſi ſi Sacerdos tibi fui ante perſecutionem, quando mecum communicabas poſt perſecutionem* Sacerdos *eſſe deſiui: perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrij ſublimitatem prouexit; me autem proſcriptionis onere depreſsit, cum publice legeretur: Si quis tenet, vel poſsidet de bonis Cæcilij Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum, vt etiā qui non credebant Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent Epiſcopum proſcribenti.* (audi vocari diabolum, qui Epiſcopi crimina tamquam iudex inquirit.) *Nec hæc iacto, ſed dolens profero, cū te iudicem Dei conſtituas, &* CHRISTI, *qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, Qui audit vos, audit me, & qui me audit,*

audit

audit eum, qui me miſit: & qui reijcit vos, me reijcit, & eum, qui me miſit. Et dein: *quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem ſuam præpoſitos, & ſacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti. Ecce iam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec* CHRISTVS *antiſtitem, nec Deus ſacerdotem.*

Hæc Sanctus aduerſus Pupianum, qui Carthagine remanens, cum S. Cyprianus perſecutionem declinaſſet, reliquorum Chriſtianorum, qui & ipſi Carthagine ſubſtiterant, gubernacula regebat; inquiſitionemque in Sanctum Cyprianum ex multorum dictis inſtituerat, cui Sanctus nihil aliud obiecit, niſi ſe ſacerdotem, neque illi fas eſſe de ſacerdotibus iudicare. Additque ad finem pulcherrimam rationem, non eſſe illum de Eccleſia, qui de ſacerdotibus iudicat, cum ſine illis eſſe Eccleſia non poſsit, quocirca ab illis ſe diuellens, aut in eos inquirens veluti reos, à ſacerdotio ex ea parte ſeſe cum ſuis diuellere, ac proinde ab Eccleſia, quæ ſine illo conſiſtere non poteſt; quæ ratio militat aduerſus laicos quoſuis, quamuis Reges, & Imperatores ſummos. *Vnde ſcire debes,* inquit, *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* Ob id iſtos diabolos appellat, qui cum laici ſint, audent etiamſi ab Eccleſia præſeferant accepiſſe poteſtatem de ſacerdotibus cognoſcere, quibus eſt mandatum de populo, aut laicis cognoſcere.

Videamus itaque à quo poteſtatem ſacerdotum deſumi decernat. S. Cyprianus. *Loquitur,* ait, *Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cælis. Et quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis. & iterum eidem poſt* Reſurrectionem *ſuam dicit, Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. & quamuis Apoſtolis omnibus poſt* Reſurrectionem *ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat. ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos; accipite* Spiritum *ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cui retinueritis, retinebuntur: tamen, vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant*(non ſunt, aut fuere poſtea) *utique*

que & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi (an-
teq̃ Petro diceretur, paſce oues meas) *& honoris, & poteſtatis,
ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur* (cũ
dicitur illi, paſce oues meas) *vt vna* CHRISTI *Eccleſia, & Cathe-
dra vna monſtretur, & paſtores ſunt omnes; ſed grex vnus oſten-
ditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur,
quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus
ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: vna eſt columba
mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ. Hanc
Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccle-
ſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper qua fundata
eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? quando & Apoſto-
lus Paulus idem doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendat dicens;
vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus
Dominus, vna fides, vnum baptiſma, & vnus Deus. quam vnita-
tem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui
in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum, atq;
indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; ne-
mo fidei veritatem perfida præuaricatione confundat, Epiſcopatus
vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidũ* (cũ Petro, ac Petri ſucceſſore)
*pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt quæ in multitudinem latius
incremento fecunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij,
lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci ra-
dice fundatum: & cum de fonte vno riui plurimi defluunt. Nu-
meroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas
tamen ſeruatur in origine. auelle radios Solis à corpore, diuiſionem
lucis vnitas non capit; de arbore frange ramum, fructus germina-
re non poterit; à fonte præcide riuos, præciſus areſcet; ſic & Eccle-
ſia Domini luce perfuſa per Orbem totum, radios ſuos porrigit, vnū
tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſe-
paratur, ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis exten-
dit, profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput
eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.
illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur.
Habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet
matrem. Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcam Noe fuit,
& qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit. Monet Dominus, &
dicit: Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt; & qui non mecum
colligit, ſpargit. qui pacem* CHRISTI, *& concordiam rumpit,
aduerſus* CHRISTVM *facit. qui alibi præter Eccleſiam colligit,*

CHRI-

CHRISTI *Eccleſiam ſpargit. Dicit Dominus: Ego, & Pater vnum ſumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: & hi tres vnum ſunt. & quiſquam credit hanc vnitatẽ de diuina firmitate venientem ſacramentis cæleſtibus cohærentem ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatem collidentium diuortio ſeparari? Hanc vnitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris, & Filij fidem, vitam non tenet, & ſalutem.* Hucuſque Sanctus.

Apparet itaque nulli eſſe in ſacerdotes poteſtatem, niſi maiori ſacerdoti; hanc vero poteſtatem deriuari à Petri ſucceſſore, veluti à Sole radios, à fonte riuos, à trunco ramos.

Vidimus, quæ dicant antiquiſsimi, doctiſsimi, ac ſanctiſsimi Patres, Martyreſque altiſsimi Dei ex Oriente, Occidente, & Auſtro. e Septentrione remotiori non habemus vllos ſcriptores antiquos. Quod ſi Athenæ magis in Septentrionem vergunt, quã Roma; cõſtat ex epiſtola Sancti Dionyſij Athenienſis Areopagitæ, laicis omnino nullam dari in ſacerdotes poteſtatem, quod liquet ex epiſtola ad Demophilum, quam infra adducemus, totaque eccleſiaſtica hierarchia; vniuerſamque reduci ad ſacerdotes, & Apoſtolorum ſucceſſores: horum vero poteſtatem reducit ad Petrum verbis ijs, quæ reliquit ſcripta cap. 3. de diuinis nominibus, ita ipſum nominans, πέτρος ἡ κορυφαία, καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. ideſt *Petrus eminens, & presbyterorum ſummus apex*. ita vertendum illud πρεσβυτάτη, alioquin ſi vertas, vt multi verterunt, antiquiſsimus, & falſum dicetur, Apoſtolorum namque aliqui maiores natu Petro, vt Andreas, & eccleſiaſtici verbi proprietatem non temere à Sãcto appoſitam non retinebis, inferioris ætatis aliqui ſuo loco adducentur. Ex his porro allatis propoſitum conſtat, nullam laicis in clericos, & ſacerdotes datã poteſtatem; hanc vero ad vnam reuocari, quæ in Cathedra Sancti Petri ſedet ob eã cauſam, quod ad vnum ſint omnia redigenda, ne pereant; ſed bene diſponantur, veluti Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus vnum ſunt, & à Patre vno eſt initium indiſſolubile, atque æternum, à quo omnis paternitas nominatur, & cuius nomen, inquit ſanctus Ignatius, Petri Cathedræ eſt datum, & cui filium reuelauit, vt CHRISTVS dixit.

Nunc inſpiciamus, quid noſtri ſæculi, aut inferiorum ſcriptores dicant. Primus autem ſit S. Thomas, qui continuans verba à nobis libro primo allata de vtraque poteſtate ſpiri-

tuali,& temporali. *Videtur*, ait, CHRISTI *Vicarius habere plenitudinem poteſtatis. cui competit dicta prouiſio ex triplici genere. Primo quidem diuino, quia videtur voluiſſe* CHRISTVS *ex verbis ſuperius introductis. & infra etiã oſtendetur. Secundo ex iure naturali, quia ſuppoſito ipſum primum locum tenere in principatu, oportet eum dici caput, à quo eſt omnis motus, & ſenſus in corpore myſtico, per quod habetur, quod omnis influẽtia regiminis ab ipſo dependet. Amplius autem in communitate oportet attendere ad conſeruationem ipſius, quia hoc natura requirit humana, quæ ſine ſocietate viuere non poteſt; conſeruari autem nequit, niſi per dirigentem primum in quolibet genere hominum: & hoc eſt in actibus humanis hominum Primus hierarcha, qui eſt* CHRISTVS; *vnde eſt primum dirigens, & conſulens, & mouens, cuius vices ſummus Pontifex tenet.* Rurſus *autem dictum ſupra in primo libro, quod Princeps eſt in regno; ſicut Deus in mundo, & anima in corpore. Conſtat autem, quod omnis operatio naturæ ex Deo dependet, ſicut gubernante, mouente, & conſeruante, quia in ipſo mouemur, & ſumus, vt dicitur in Actibus Apoſtolorum, & Propheta Iſaiæ cap. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine: ſimiliter & de anima dici poteſt, quia omnis actio naturæ in corpore ex triplici cauſæ genere dependet ex anima. Hoc autem videmus in Deo, qui gubernando, & dirigendo mundum permittit corruptionem particularis entis pro conſeruatione totius; ſic & natura facit pro conſeruatione corporis humani ex virtute animæ. Simile contingit in principe totius regni, quia pro conſeruatione regiminis ſuper ſubditos ampliatur eius poteſtas imponendo taleas, deſtruendo ciuitates, & Caſtra pro conſeruatione totius regni. Igitur magis* (nota hoc verbum magis) *hoc conuenit ſummo, & ſupremo Principi, ideſt Papæ ad bonum totius Chriſtianitatis.*

Audiuimus Italum, nunc Gallo aures demus. Sic autem Richardus de media villa in 4. diſtin. 24. quæſt. 3. artic. 3. *In omni*, ait, *re vna ex diuerſis rebus integrata. oportet eſſe aliquid præeminens, quo diuerſæ partes teneantur in vnum, ſicut eſt anima in corpore humano, & corpus ſuper contrarietatem eleuatum; quod eſt cælum in machina mundi, per virtutem enim cæleſtem conciliantur elementa, quæ contraria ſunt. Vnde cum Eccleſia ſit vnũ corpus Chriſti myſticum ex diuerſis ſtatibus, & membris conſtitutum, ad conſeruationem huius vnitatis oportet eſſe vnum caput omnium ſtatuum cum Eccleſia, & membrorum vniuerſita-*

te re-

te regitiuum. Sub quo diuerſi ſtatus Eccleſiæ, & membra diuerſa conueniunt ſecundum debitam proportionem in vnum. & ſic conformetur Eccleſia militans ſuo exemplari in cælo. Hæc Richardus naturalem rationem ſecutus.

Eandem ſententiam pluribus eſt complexus poſt Italos, & Gallos Sancius Epiſcopus Zamorenſis libro de origine, & differẽtia principatus parte prima, ac primo præmittit dicens: *Nemo niſi* CHRISTVS, *vel eius Vicarius in terris poſt dicere illud, quod Propheta de* CHRISTO *dixereat: mihi, inquit, alienigenæ ſubditi ſunt. nam propter vniuerſale dominium nullus mortalium eſt ei alienus, & non ſubditus, quia ſcriptum eſt de eo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et rurſus. R*omanus Pontifex vice* CHRISTI *principatur in vniuerſo Orbe in ſpiritualibus, & temporalibus, & de illo loquuntur iura, auctoritates, & rationes ſupra allegatæ* Et prope finẽ primæ partis concludit: *Eſt vero naturaliter, moraliter, & diuino iure, cum recta fide tenendum, principatum* R*omani Pontificis eſſe verum, & vnicum immediatum principatum totius orbis, nedum quo ad ſpiritualia, ſed quo ad temporalia; & principatum imperialem eſſe ab ipſo dependentem, & mediatum, miniſterialem, & inſtrumentalem eidem ſubminiſtrantem, & deſeruientem, foreque ab eo ordinatum, & inſtitutum, & ad iuſſum Principatus Papalis mobilẽ, reuocabilẽ, corrigibilẽ, & punibilẽ.* Et mox: *reſoluẽdo igitur iſtũ articulũ, diximus, quod in tota machina mundi non eſt niſi vnus principatus; ideo non debet eſſe niſi vnus vniuerſalis, & ſupremus princeps, & monarcha. Nam vltra prædicta illud natura ipſa docet. Vt enim, inquit Philoſophus in xij. Methaphyſicorũ. Entia nolunt male diſponi, ideo vnus eſt principatus, & vnus Princeps ſupremus totius orbis, qui eſt* CHRISTI *Vicarius; iuxta illud Danielis cap. 8. Dedit ei poteſtatem, & honorem, &* R*egnum; & omnes populi, & linguæ ſeruient ei. In illo igitur eſt fons, & origo omnis principatus, & ab eo cæteræ poteſtates defluunt.* Hæc ille Hiſpanus.

His omnibus conſenſit Dionyſius Carthuſianus natione Germanus, libro ſecundo ſententiarum, diſtin. 44. quæſtione 5. Nam cum recitaſſet ipſa S. Thomæ verba ipſius ſententiæ ſubſcribens, à nobis relata ad finem primi libri, quibus aſſerit in Pontifice ſummo eſſe apicem ſæcularis, & ſpiritualis poteſtatis ita concludit. *Quibus per omnia concordant Alexander, Bonauentura, Petrus, Richardus, alijq. communiter.* Hæc ille atteſtans hanc eſſe communem Theologorum concluſionem. Sic itaque, vt apparet è toto Orbe terrarũ tam veteris, quam

noſtræ ætatis Theologi, & Sancti ita definiuerunt, vt iam per uicaciſsimi ſit ingenij audere aliter opinari. Ad vnam vero omnes rationem ſingulas quaſque reduxerunt, vt optime ſit ſingulis, oportere vnum præſidere, & ad illius poteſtatem rite pro finis ratione nihil non ordinantem cuncta reuocanda. Hinc Pontificem ſummum dixere Patrem, Paſtorem, Columnam, Fundamentum, Apicem, Fontem, Truncum, Caput, Formam, Animam, Cælum, Solem, ac pro ſuo modo Deum. Nunc igitur ad altiora, & ſecretiora tranſeamus.

Multis probatur teſtimonijs diuinæ ſcripturæ, Sanctorum, Gentium, Sybillarum, Chriſtum ſimul, atq; eſt conceptus, & natus, fuiſſe omnium ſupremum Regem. *Cap. VIII.*

QVamuis, quæ dicta ſunt hucuſque à nobis, cuilibet ſane mentis ſatis eſſe poſsint, maiora tamen, clariora, ac diuiniora reſtant explicanda: igitur ſciendum nobis eſt CHRISTVM ſimulatq. eſt conceptus, perfectiſsime omnino meruiſſe, inquit S. Thomas 3. diſtin. 13. art. 3. & in 3. diſt. 18. quæſt. vnica. art. 3. & ibi S. Bonauentura, Richardus, Scotus, alijque omnes, primo actu mentis, & protinus ex merito actus illius procedentis ab hypoſtaſi diuina, ac proinde inter creata infinito, & immenſo, cui nihil addi poſſet, aſſecutum fuiſſe omnẽ ſupernaturalem poteſtatẽ, regaleque in omnia dominium, quamuis ex diuina præordinatione volens ipſe neque illud manifeſtaret, neque omnino, & in omnibus extrinſecus exerceret, etiam ſi iure poſſet. Nam ſimulatque CHRISTVS eſt conceptus, eodem momento, fuit ſacerdos, & hoſtia; ac ſemetipſum, ſuumque corpus obtulit Deo in odorẽ ſuauitatis expiationem pro delictis omnibus, & creaturæ vniuerſæ viſibilis, & inuiſibilis ſupernaturalem glorificationem, ſicut à ſupernaturali perſona hic actus procedebat, quod ſcriptum eſt Pſa. 39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.* (vel vt verti poteſt ex Hebræo, corpus aptaſti mihi.) *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hæc CHRISTVS, vt interpretatur Sanctus Paulus ad Hebræos cap. decimo de ſeipſo ad patrem, cum corpus eſt

ipſi

Ipſi aptatum, continuans, vt ita dicamus, illa ſanctiſsimæ Virginis verba, de ſua humanitate loquens. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hinc S. Paulus ait ad Hebræos cap. 1. CHRISTVM fuiſſe adoratum ab Angelis, ſimulatq; eſt introductus in orbem terrarum, ſiue factus eſt homo, & cōceptus; proinde cuncta illi fuere ſubiecta. Nam per Angelos cuncta adminiſtrantur. Eodem reſpiciens Iſaias dixit cap. 2. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Virga hæc eſt CHRISTVS, vt interpretatur Procopius, Gazæus, Cyrillus, eodem loco Origenes Numerorum cap. 2. homilia 6. Athanaſius de fide vnitatis, Dionyſius, Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. 1. cap. 7. SS. Ambroſius officiorum lib. 3. cap. 14. Auguſtinus ſermone de temp. 5. & 8. tomo decimo, & Chryſoſtomus homil. 30. in cap. 12. Matthæi, & homil. de ſancto, & adorando ſpiritu.

Hæc autem virga rurſus ſignificat regiam, ſacerdotalemq. CHRISTI poteſtatem, vt iidem late interpretantur. Hinc Procopius. *Dicitur*, ait, CHRISTVS *virga propter dignitatem Regiam, & quod Paſtor eſt, & quod Rex Regum, quod Propheta, quod Iudex, quod eſt præſignificatus virga illa Aaron, quæ refloruit.* Et mox. *Hæc eſt illa virga oritura ex radice Ieſſe, qua Moſes edebat miracula in Aegypto* CHRISTVS *enim illa faciebat in Aegypto miracula, vt infra dicendum latius. Hæc eſt virga, quæ liberauit populum ſuum Moſes ab Aegyptiaca ſeruitute.* Hucuſque Gazæus.

Igitur CHRISTVS, ſimulatque egreſſus eſt *E diebus æternitatis,* quod inquit Micheas cap. 5. vt eſſet in tempore in ipſo vtero ſanctiſsimæ Virginis, quæ & ipſa erat virga modo ſuo, idem CHRISTVS eodem momento virga erat recturus gentes *In virga ferrea*, vt habetur Pſal. 2. daturus hanc virgam quoad humana regenda Petro, ſucceſſoribus, ac pro modo ſingulorum ſacerdotibus, clericiſque.

Cum vero natus eſt, Angeli rurſus adorauerunt illum manifeſtius canentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax.* Ac tunc, ait, Iſaias cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis; multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo, & vſque in ſem-*

in ſempiternum. Hæc Propheta ſanctus. E quibus habemus, tunc vere monarchiam CHRISTI incœpiſſe inter homines, cum nemo dicatur inter eos in terris regnare, niſi natus. Quamobrem non modo ab Angelis, ſed à parentibus & paſtoribus eſt adoratus, vt cognoſcimus è Lucæ cap. 2. ac tradit Doctor ſanctus libro de regimine principum 3. cap. 13.

Quinetiam gentium Reges adorauerunt ipſum, veluti Deũ, Sacerdotẽ, ac Regem. Nam Magi ab Oriente venerunt quærentes, ac dicentes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum*; *& procidentes adorauerunt eum*, *& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham*. Quod eſt Matthæi cap. 2. Aurum quippe vti Regi eſt datum, thus vti Deo, myrrha vti homini; quod tradunt SS. Ambroſius lib. 2. in Lucam, Hieronymus in cap. 2. Matthæi. Gregorius hom. 10. hinc illud Iuueci presbyteri Hiſpani. quod à S. Hieronymo citatur.

Thus, aurum, myrrham, Regique, Hominique, Deoque
Dona ferunt.

Amplius agnouerunt ipſum vti verum Regem plurimi. In his Nathanael cum dixit, Ioannis cap. 1. *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael*. Quin cuncti Iudæi fatebantur CHRISTVM Meſsiam, reuera futurum Regem: ſic enim Lucæ cap. 23. Iudæi accuſant illum. *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum* Regem *eſſe*. Hæc illi. In confeſſo namque erat apud omnes, Chriſtum reuera futurum totius mundi Regem. ideoque Apoſtoli exiſtimabant fore, vt Chriſtus viuẽs exerceret oĩno in oĩbus ſuam poteſtatẽ regiam; quod apparet ex innumeris Euangelij locis. Quin ex oraculis Sybillinis cunctæ gentes, etſi idem omnes certo non crederent, tamen & multi certiſsimũ putabant, & pleriq. doctorum opinabantur, ac propterea vocatur à Iacob *expectatio gentium* Geneſeos cap. 49. quod apparet ex Ecloga Virgilij quarta, canentis illa:

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Mox fabulis veritatem contexens.

Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Et mox.

Ille Deum vitam accipiet, Diuisque videbit

Per-

Permixtas Heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Hæc vates Latinus apertè canens fore, vt in Latio, veluti alter Saturnus deorum pater: Chriſtus ob Romanam ſedem regnet. & quando Chriſtus eſt dictus Sol, & Oriens; ſimiliter etiam thronus eius Soli comparatur; ſæcularis autem poteſtas Lunæ, hæc ille neſciens quaſi impellente ſpiritu fudit.

Caſta fauo Lucina tuus iam regnat Apollo.

Perſuaſiſsimum vero fuiſſe Iudæa profectum Romæ regnaturum, quem quicumque haud excepiſſent, perirent, tradit Cicero libro ſecundo de Diuinatione: cognoſcimusq́. ex eodem Philipica ſecunda; Lucij Flori lib. 4. cap. 1. Taciti annalium lib. 21. Suetonio in Veſpaſiano cap. 4. Dione Romanæ hiſtoriæ lib. 37.

Neque Chriſtus negauit ſe Regem, Nathanaeli id aſſerēti. Quin cum deſcenderet ipſe de monte inſidens aſino, occurrerunt ei turbæ, cum palmarum, oliuarumque ramis, tamquam triumphanti, ac ſubter aſini pedes veſtimenta ſua ſternebant clamantes, vt habet S. Marcus cap. 11. *Oſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum, quod venit regnum patris noſtri Dauid.* Atque etiam, quod habet S. Lucas cap 19. *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelſis.* Hæc Euangeliſta, qui ſubijcit. *Et quidam phariſæorum de turbis dixerunt ad illum: Magiſter increpa diſcipulos tuos. Quibus ille ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt,* Hucuſque S. Lucas, qui deinde ait Chriſtum fleuiſſe, quod non agnoſceretur à Ciuitate, & idcirco ait fore, vt omnino euerteretur. quod ſcilicet hoc etiam præſignificetur fore, vt quicumque ipſius regnum non agnoſcunt, Apoſtolicæ ſedi, ac per eam ſacerdotibus, clericisque ſuo modo inhærens, funditus ruant, vt oſtendimus libro de ruinis gentium latiſsimè.

Quid plura? neque Pilato Chriſtus Regem ſe eſſe denegauit, Ioannis cap. 18. & Pilatus ipſe confeſſus eſt, cum dixit: *Regem veſtrum crucifigam?* Ac petentibus phariſæis, vt tituli inſcriptio deleretur, dixit: *Quod ſcripſi ſcripſi.* vt capite ſequenti habetur, licet eum voluntati eorum tradidiſſet.

Nunquid ergo Chriſti regiam poteſtatem negabunt vlli, & erunt infidelibus deteriores, phariſæis peiores, ipſi enim Regem negabant, quod Chriſtum non crederent, at iſti inficiantur

tur eſſe Regem, cum Chriſtum fateantur, Amplius lapidibus duriores, deniq; ipſo Pilato, qui crucifigendm dedit flagitioſiores. Certe Sanctus Gregorius, & Ioannes à Turre Cremata hæreticos eſſe hos dicunt.

Multis probatur teſtimonijs diuinæ ſcripturæ, & Sanctorum, Chriſtum priuſquam naſceretur, fuiſſe omnium ſupremum Regem. Cap. IX.

Videbimur aliquid forſan dixiſſe de CHRISTI regno, ſed certè nihil hucuſque eſt dictum. Sciendum nobis eſt itaque fuiſſe inter alias cauſas; idcirco à clementiſsimo omnium parente Deo hominem creatum, vt ſedes Angelorum vacuas ob Angelorum caſum repleret. quod tradunt S. Auguſtinus l.3.de Trinitate cap.17.S. Anſelmus opuſculo, cur Deus homo.

Verum, poſtquam corruit ille vna cum coniuge Eua in crimen, ſubijt protinus ſententiam mortis, ac natura humana eſt corrupta, vt clare diſputat primis epiſtolæ ad Romanos capitibus S.Paulus. Ex hac corruptione fiebat, vt illa tenderet in dies ad peiora, nam talis eſt corruptionis conatus. Cum vero ſit homo finis omniũ rerum ſenſibilium, quod etiam Iuriſconſultus vidit l.in pecudũ.ff.de vſuris, & Philoſophus primo phyſicorum; idcirco ſenſibilia cuncta, & vniuerſitas rerum tota incidit in multa detrimenta. Ac primo Angeli quodammodo fruſtrati ſunt deſiderio, & expectatione ſua; neque enim poterant amplius eorum vacuæ ſedes repleri, deinde cum vitiato hominis ſtatu, perturbatus eſt etiam ſtatus omnium rerum ſenſibilium, qui tranquilliſsimo ordine ſeruiebat homini. Hinc ad eum fuit à Deo dictum: *In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo; maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi*. Sic itaque elementa tota quodammodo concuſſa, & labefactata, atque vt ait Dauid: *Commota ſunt omnia fundamenta terræ*. Hinc etiam factum eſt, vt quælibet rerum ſenſibiliũ ſpecies aliquod fuerit detrimentum paſſa, ac proinde Angelorum regnum fuerit imminutum. Diximus enim ſupra, quamlibet

libet rerum ſenſibilium ſpeciem fuiſſe alicui ex Angelis vltimi ordinis traditam in gubernationem. Perturbato itaque cuiuslibet ſenſibilium ſpeciei ſtatu, ſimul quoque Angelorũ propria regna ſunt conturbata. Iam cum fuiſſet conſilio diuino conſtitutum, vt quilibet homo traderetur Angelo alicui gubernandus, atque ille inimicitias cum Deo contraxiſſet, iræ filius factus, quod ait Apoſtolus: quomodo non inflictum fuerat Angelorum regno neſcio quod, vt ita loquamur, vulnus? Idq; eo magis, quod illud etiam fuerat à diuina prouidentia conſtitutum, vt cuilibet regno, populoque regendo aſsignaretur Archangelus aliquis tamquam Rex inuiſibilis inter mortales.

Quod autem maxime erat lugendum. Non erat è creaturis vlla, quæ tanto malo opem ferre poſſet, caſumq. Adami, & mortalium ſubleuare. Peccarat namque ille aduerſus infinitam Dei bonitatem, peccatumq. erat ex parte obiecti pœna infinita dignum, merebaturque homo redigi ad nihilum cum rebus omnibus ſuis. Quamobrem nulla erat creatura, cui tanta eſſet poteſtas, vt infinitum rependeret, atque vt exigebat iuſtitia, tantum redderet, quantum fuerat ablatum, pariaque paribus retribuerentur. Amplius appetierat homo eſſe, vt Deus, quo nihil excelſius poteſt eſſe, vt iuſtitiæ lanx ad æqualitatem reduceretur, deſcendendum fuerat tantundem, quantum ſuperbia ſeſe extulerat. Nihil autem creatum datur, quod ex altera parte poſsit adeo deſcendere, quantum ſublimitas diuinæ maieſtatis ſeſe attollit, quæ latè explicat S. Athanaſius libro de incarnatione, & Anſelmus opuſculo, cur Deus homo. Redigendus itaque ad nihilum videbatur homo ob admiſſum crimen, quod vt diuina ſcriptura oſtendat, narrat aliquando illud de clementiſsimo patre, Geneſeos cap. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus: delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli, pœnitet enim me feciſſe eos.*

Tantis ex omni parte malis opem tulit Sapientia diuina, potentiæ, bonitatiq. infinitæ coniuncta. Verbum Dei ſummi, filius altiſsimi omnium creatoris, per quem facta ſunt omnia, ſtatutumque eſt ex æterno Dei conſilio, vt Dei filius fieret homo, naturaque humana diuinę adiungeretur in vna hypoſtaſi

diuina, ſeu perſona Trinitatis ſecunda, atque ita foret Deus, & homo, & quando actiones ſunt ſubſiſtentium, & ſuppoſitorum, quidquid ab illo ageretur per humanitatis inſtrumentum diuinitati coniunctum, ſubſiſtenſque in diuina perſona, à Deo reuera procederet, ac fieri diceretur, meritiq. infiniti eſſet, atq; infinita quodammodo valeret. Hoc decreto reuelauit Deus tanti conſilij myſterium non modo Angelis, quibus ob dæmonum fuerat in rebus eorũ gubernationi cõmiſsis iniuria facta, ſed homini quoque. (Nã ſic dicitur eductus è delicto, Sapientiæ cap. 10.) illud edicens, vt omnes crederent certiſsimo fore, vt per hunc naſciturum ex Virgine cuncta reſtaurarentur, atque in longe nobiliſsimam formam reſtituerentur, totam in hoc homine ſpem collocarent, ad eum confugerent cuncti, ne in deteriora laberentur, animi deuotione illius aduentum deſiderarent, precibus expeterent, illi cuncta, quæ habebant, ſubijcerent, ac deſtinarent. Ita S. Auguſtinus lib. 4. in Geneſim ad literam c. 19. & lib. 9. de ciuit. Dei. cap. 10. S. Thomas 1. quæſt. 64. art. 1. S. Bernardus ſermone 27. in Cantica. Rupertus lib. 8. in Ioannem circa finem. Hinc Angeli quaslibet rerum ſpecies ad hunc finem, quælibet regna, quoslibet populos, quaſcumque res ita moderabantur, atque orbes ipſos cæleſtes, vt hunc Regem ſuo modo venerarentur, illi ſeruirent. Mortalibus vero ipſis idem palam faciebant multis oraculis latè per orbem diſſeminatis, ſimiliterque homines religioſi & pij prædicabãt; ſic igitur huic Regi venturo, necdum nato, ab ipſa mundi origine nihil non creatum ſuo modo ſeruiebat. Angeli porro cognouerant hunc omnium rerum creatarum Regem fore eminentiſsimum, ſingulisque ipſorum accidentalem gloriam mirabiliter, immenſumque in modum diuinitus in cælo, atque in terris augendam. Iuſti eodem modo videbãt aperiendum cælum, transferendos ſe in cælitum ſedes, & infinita beatitudine potituros. Hinc illæ voces, deſideriaque ardentiũ, & clamantium. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hinc Iſaias ſimilitudinibus rerum ſenſibilium, quotidianarumque totam rem late explicans, mortales conſolaturus, præcipue vero electos. & religioſos cap. 33. *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia ſolummodo*

modo ibi magnificus eſt Dominus noſter: locus fluuiorum, riui latiſsimi, & patentes, non tranſibit per eam nauis remigum, neque trieis magna transgredietur eum. Dominus enim Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos. & cap.60. *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum; & gloria Domini ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Et mox. *Videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, & locum pedum meorum glorificabo, & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt ſe, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini, & non occidet vltra* Sol *tuus, & Luna tua non minuetur.* & cap. 62. *Propter* Sion *non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius, vt lampas accendatur, & videbunt gentes iuſtum ſuum, & cuncti* Reges *inclytum tuum.* Et Zacharias cap.9. *Exulta ſatis filia Sion, & iubila filia Hieruſalem, ecce* Rex *tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator.*

Hæc eſt igitur, *expectatio gentium, deſiderium collium æternorum*, quod Iacob dixit Geneſeos cap. 49. *Hic eſt deſideratus cunctis gentibus*, vt Aggæi cap.2.habetur.

Quocirca, & Vates Latinus ex oraculis Sybillinis palam cecinit & ipſe, Per hunc omnia quæcumque eſſent cæleſtia, terreſtriaque in meliorem ſtatum reformanda; idcirco quælibet ipſius aduentum deſiderare, & cum multa dixiſſet ab illo in terris longe reddita pacatiora, pulchriora, & fœcundiora, ſubijcit adhuc longe præſtantiſsima futura, cum prius omnia ruinam minarentur.

Aſpice connexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum,
Aſpice venturo lætentur vt omnia ſæclo.

Angeli quippe præſidentes mutis rebus, & inanimis, ac ratione expertibus ad venturi Regis gloriam quocumque id fieri poſſet modo ſingula impellebant, expectantes & ipſi aduentum ſupremi omnium rerum Regis, atq; ita CHRISTVS per fidem, & charitatē in ſingulis quibusque rebus creatis antequam conciperetur vbique regnabat, ac pro fide, & charitate cuiusque aliter, atque aliter ipſæ res creatæ in minimis qui-

buſque diſponebantur, ac pro imperio ipſius ita erat quarumlibet rerum generatio, progreſsio ſtatus, interitus, actio, paſſio. Vide & admirare amplitudinem tanti Regis.

Plurimis diuinæ ſcripturæ, ſanctorumq. teſtimonijs explicatur nihil fieri ab vlla creatura, niſi CHRISTO *homine ſingillatim ſic ordinante, cum ſit omnium rerum, veluti homo ſpecioſus forma præ filijs hominum Rex, & Dominus poſt Deum ſupremus.*

Cap. IX.

SVblimiora nobis reſtant explicanda (Dei benignitas ineffabilis, pro qua pugnamus aduerſus illos, qui obſcurare eam nituntur ampliſsime elargiatur, vt tanta, quamuis nullo loco ſimus, effari poſsimus.) In primis igitur conſiderandum nobis eſt, animam Chriſti, ſimulatque eſt creata, ac ſubſtitit in hypoſtaſi diuina fuiſſe non modo exaltatam ſupra omnem creaturam propter vnionem, ſimulq́. meruiſſe protinus omnem beatitudinem longe ſupra omnes creaturas, ſed etiam cognouiſſe quidquid vmquam fuit, oritur, & quatenus potentia creaturæ omnis ſeſe extendit. Vt vnus ipſe magis ſciat, quam cunctæ ſimul mentes, quæ late explicat Doctor ſanctus in 3. quæſt. 10. 11. 12. Atque ita quantum pertinet ad animæ ſupremam partem, fuiſſe perfectiſsimam, neque addi ad illam quidquam potuiſſe. tradit hoc Iſaias cap. 11. Ioannes cap. 1.

Deinde conſiderandum nobis eſt Angelis quibuſque cælitibus hoc eſſe commune, vt per ſemetipſos diuinę eſſentiæ fruendæ, & contemplandæ coniungantur abſque alterius interuentu; ſed quantũ ad res creatas cognoſcendas, ac præcipue pertinentes ad mundi diſpoſitionem, gubernationemq́ue hominum Angeli inferiores illuminantur à ſuperioribus per ſpecies, ac rerum ſimulacra, vt è ſacra ſcriptura, S. Dionyſio, ac ratione ipſa tradit Angelicus Doctor 1. quæſt. 106. art. 4. Quãuis enim ſinguli beati intelligant rerum quarumlibet naturas,

ras, tamen haud curant ſcire quot ſint cuiuſcumque ſpeciei indiuidua, vel quid vnumquodque indiuiduum vel agat, vel patiatur. ſicuti neque ego curo ſcire, quot formicæ ſint in hoc, illoue foramine, & quid vnaquæque agat, aut nihili facio ſcire adhuc viliora. non enim ſpectant hæc, horumque cognitio ad intellectus perfectionem, quamuis ad Angelū quemlibet pertineat ſcire ſingula quæque pertinentia ad ſpeciem ſibi commiſſam, commiſſumque gubernationi ſuæ hominem, regnum, populum, ſimulq. ſcire, quæ ſit voluntas diuina in minimis quibuſque circa res moderationi ſuæ creditas agendis.

His poſitis anima CHRISTI hominis, & humana ſupra omnes Angelos ob hypoſtaſim diuinam, in qua ſubſiſtit eminentiſsimè exaltata, illuminat Angelos, docetq. illos ſingula quæque agenda in quibuſuis, vel minimis eorum curæ traditis, vti tradita ſunt cuncta corpora, cælorumque orbes, & quæcumque ab eorum motu dependent, leges ijs præſcribit, ita vt nihil ſit, quod ipſius imperio ex omni parte non ſubijciatur in tota vniuerſitate, rerum creatarum ſpecie, & quouis cuiuſcumque ſpeciei indiuiduo, quod habemus è S. Dionyſio, & pulcherrime tradit Doctor Sanctus in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 3. & in opuſculo de incarnatione art. 3. Alexander Halens. in 3. quæſt. 12. in 2. art. 3. §. 5. Sic igitur CHRISTVS, vt homo, eſt Angelorum caput, ac Rex, idemque omnium rerum naturalium moderator ſupremus, ſine cuius auctoritate, & norma nihil prorſus mouetur; atque ita, vt homo, eſt omnium Rex. Audi S. Paulum primo ad Coloſſenſes. *Qui* (Deus) *dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſsionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtāt, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principiū, primogenitus:* (en loquitur aperte de humana natura) *ex mortuis, vt ſit in omnibus* (en nihil excipit) *ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem* (nihil igitur deeſt) *plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificās per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.*

Au-

Audiamus nunc S. Dionyſium cap. 7. cæleſtis Hierarchiæ. *Eodemque modo*, inquit, *eas* (Angelicas mentes) *dignas habitas, quæ Ieſu participes fierent exiſtimare debemus, non quod in ſacroſanctis imaginibus, quæ ficta, factaque ſint, diuinam ſimilitudinem ſpecie adumbrent, & exprimant; ſed quod reuera ad eum vt primum ſcientia diuinorum eius luminum præditæ ſunt, proxime accedant, quod eis ſummæ conceſſa ſit Dei imitandi (in diſponendis inferioribus) poteſtas, & participes ſint pro captu ſuo primæ vi diuinarum eius, humanarumque virtutum. Perfectæ etiam intelligendæ ſunt, non quod illuſtratæ ſint ſcientia, quæ varia ſacræ ſcripturæ loca explicet; ſed quod eas prima, atque præſtanti gratia, qua cum Deo coniunguntur, ſumma vt in Angelis diuinorum operum ſcientia compleuerit. Non enim alijs ſanctis eſſentijs, ſed Deo ipſi parent, vt principi dum ad eum nullius interuentu contendunt, & nituntur vi, qua nulla eſt præſtantior, & ordine, atque in ſumma puritate, perfectaque ſtabilitate corroborantur, & ad pulchritudinem, quæ materiæ expers eſt, rationeque intelligitur, vt fas eſt, contemplandam accedunt, diuinorumque operum rationes, quæ ſcientiam gignunt, vt primæ, & quæ Deo præſto ſunt, diſcunt à Deo ipſo, cui diuino eximio modo parent. Hoc enim Theologi plane tradunt inferiores cæleſtium naturarum ordines à ſuperioribus rite diuinas ſciétias diſcere, ſummos autem à Deo ipſo pro ſuo captu doceri myſteria; quaſdam enim earum inducunt, rite à prioribus hoc diſcere, Dominum eſſe virtutum cæleſtium,* Regemq. *gloriæ eum, qui in cælos, vt hominem docuit elatus eſt. Alias autem ad ipſum Ieſu aſpectum hæſitantes, diuinique eius pro nobis ſurrepti operis ſcientiam diſcentes, Ieſumque ipſum eas per ſe docentem, ac primum eis ſuam in homines benignitatem explicantem: ego enim inquit, qui loquor iuſtitiam, & iudicium Saluatoris.* Hæc Sanctus Dionyſius, volens, & ſcientiam cunctorum, quæ aguntur, & poteſtatem communicari Angelis cuncta adminiſtrantibus, tam naturalia, quàm ſupernaturalia, tam cæleſtia, quàm terrena pro modo cuiuſque, & munere, adducitque ad hoc Pſalmum 23. qui incipit. *Domine eſt terra,* quo CHRISTO ſunt omnium rerum, ſiue entium portæ apertæ, anima namque eius elata erat ſupra omnes cælos, in hypoſtaſi diuina ſubſiſtens; extollendum deinde erat & corpus, vt ſicut anima CHRISTI regnabat in gloria; ſic etiam corpus regnaret, atque ita quoad animam, & cor-

pus

pus eſſet Rex gloriæ, habet enim CHRISTVS, ſimulatque eſt conceptus. *Clauem* Dauid, ac ſolus eſt *dignus aperire librum* totius ſcientiæ, potentiæque diuinæ. Affert & illud ex Iſaiæ cap. 63. *Ego ſum, qui loquor iuſtitiam*, quo loco inducitur CHRISTVS à die conceptionis ſuæ vadens ad Patrem, ſicut ab illo exiens, neque ſolummodo rediens, ac regreſſus in cælum, peracta paſſione, reſurrectione, & aſcenſione, ſed etiam deſcribitur operãs adhuc in hoc mundo per veram ſui corporis præſentiam regna confringens, & conterens, non ſeruientia ſupernaturali fini, ac poteſtati, donec regnum ſuũ Patri tradat omnibus omnino ſubiectis, cum CHRISTVS *erit omnia in omnibus*, inquit Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 3. Cum *Deus erit omnia in omnibus*, quod idem tradit ad Romanos cap. 15. Obſeruandum vero in Pſalmo, qui adducitur à S. Dionyſio bis dici, vt aperiantur portæ omnium rerum CHRISTO. Nam primum fuerunt apertæ cum conceptus eſt, animaque ipſius inter intellectuales naturas facta eſt gloriæ Regina, imperans illis; ſecundum, cũ corpus ipſius etiam gloriam ſuam recepit, quam continebat anima, miraculumque erit, ait S. Ioannes Chryſoſtomus, atque alij quod in corpus non ſeſe effunderet, effundenda, ac participanda ſuo tempore non modo in corpora ſanctorum, ſed in ipſas etiam terras, vt penetret vi ſua ſupernaturali, vſq; ad centrum, circa quod erunt dæmones, & immortalia corpora damnatorum in iſtorum, de decus ſempiternum, gloriamque ſanctorum, Chriſti, & Dei.

Iam vero, ſicut anima CHRISTI cœpit illuminare Angelos poſita eminentiſsime ſupra omnes intellectuales naturas, & adepta inſenſiue omnem ſcientiam, potentiam, & bonitatem extendendam ſuis temporibus in omnia ſupernaturali fini, ac poteſtati omnino ſubijcienda, ſic eiſdem maiorem communicauit in omnia poteſtatem, ſimiliter etiam bonitatis participationem paulatim deducendam in actum, & executionem vſque ad vltimum iudicij diem.

Quamobrem, dicitur in Chriſto habitare omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt habetur ad Coloſſenſes capite ſecundo. Ab inſtanti enim conceptionis in corpore Chriſti fuit omnis poteſtas, ſcientia, bonitaſque creata, neque quantum ad animam quidquam profecit, ſed vti diximus, quantum ad corpus ipſius, aliaſque res externas erat explicanda, atque ex abſconditis penetralibus ſapientiæ, ſcientiæque Dei palam pro-

proferenda in corpus eius,in animas, corpora aliorum, resque omnis eius bonitas,ſapientia,poteſtasque regalis.

Ob eandem cauſam Chriſtus nō modo eſt caput hominum, quoad animam,verum etiam quoad corpus,tam fideliū,quàm infidelium, quod concludunt omnes ſcholaſtici in 3. diſtin. 13. vbi S. Thomas quæſt.2.art.1.2.quæſt.1.2.3.& idem 3.quæſt.8. & ſeq.& in 4.quæſt.48.

Igitur CHRISTVS ſimulatque eſt natus,*ſpecie ſua*,vt loquitur Dauid Pſal. 44. *& pulchritudine* animæ ſuæ cœpit actu regnare, ac ſplendore illius animæ illuminare Angelos, ſicut illuminabat non exiſtens ab origine mundi per cognitionem diuinitus infuſam,obedientiamq́. Angelorum ab initio promiſſam, redditamque, & præſtitam ſemper, cum ſit *Agnus occiſus ab origine mundi*, atque ita incœperat normam præſcribere, legesque in ſingulis quibusque creaturis regendis,quod vſque ad extremum iudicij diem durabit. Quamobrem veluti iurant aliquando ſubditi obedientiam præſtare tum regi, tum filiis eius;ſic Angeli tum,ſi volumus modo noſtro loqui,iurarūt obedientiam Chriſto Regi futuro.ſed multiplex eſt diſcrimē inter humanā,& Angelicam promiſsionē in propoſito. Primo enim ſciebant certiſsimo Angeli naſciturum, & regnaturum. Secundo regnaturo illi cuncta præparabantur. Tertio,quæ maxima erāt illius ortui reſeruabantur,illi actu regnaturo. Hinc ſequitur eſſe Regem ſupremum,& eminentiſsimum ſupra omnes res creatas. Hæc apertiſsime explicemus.

In primis igitur cæli mouentur, ſicut ipſe oſtendit mouendos,quod ſi motus illorum ſunt immutati,ipſe hoc præſcripſit, veluti cum Luna in ipſius paſsione retroceſsit, cū Soli ex diametro eſſet oppoſita,ac ſeſe Soli ſubiecit,inter oculos noſtros, & illum ſeſe interponens, ſplendoremque illius abſcondens, quod S. Dionyſius epiſtola ad Polycarpum Pontificem tradit; quod ſi Sol eſt nobis vicinior, ac terris, vt aliqui tradunt, declinationesque ipſius variantur, aut aliarum ſtellarum motus,& octauæ ſphæræ: quin ſi Gaurici obſeruationes veræ ſunt, ſyderum, quæ ſunt infixa octauæ ſphæræ,ſic faciendum Chriſti anima oſtendit illuminans ex ordine intelligentias motrices; ſed & cum tempore Ioſue, & Ezechiæ Sol retroceſsit, Angeli ita faciendum cognouerunt ex illa obedientia, qua ſeſe deuouerunt ab initio mundi Chriſto imperatori omnium futuro, vel virtualiter, vel actualiter. Quamobrem cum motus cælorum

rum

rum ceſſabunt, id Angelis aperietur ab anima Chriſti. Quod ſi modo ille ediceret ita faciendum, parerent illi, & cuncta interirent, & quatenus mouēdi ſint orbes, leges ijdem accipiunt, ac ſemper acceperunt.

Dictum porro eſt, ac probatum corpora obedire Angelis ad nutum. Quocirca Chriſti anima iubente, mouebunt illi elementa, & quò voluerint propellent, aut Angelis malis illa impellenda permittent, & quæ volent tuebuntur ab impetu, rabieque iſtorum, quod accidit in Aegyptiorum cladibus, Sennacheribi, Madianitarumque ſæculis antiquis: at poſt ortum Chriſti cōtigit in victorijs multis per noſtros partis, quæ collegimus ſigno de auxilio cælitum in bellis, veluti cum M. Antoninus debellauit Marcomannos, Conſtantinus Maxentium, Sarmatas, & alios Boreales; Theodoſius ſenior Eugenium, iunior Perſas, & Scythas; Hiſpanorum multi Reges copias innumeras Arabum, Principesq. alij Chriſtiani, Mahometanorum plurimos exercitus aliis in locis.

Et quoniam ſingulis rerum ſpeciebus præſident Angeli, Chriſtus oſtendit his, quidnam ſit ex illis tuendum, quid dæmonum crudelitati ad vaſtationem relinquendū, & cum ſublimiſſima Chriſti mens omnium prima poſt Deum dignoſcat hominum cogitationes, ac merita, ſicuti, & ſingula aut gignenda, aut creanda, aut agenda pōſita ante oculos habet, ſuis temporibus illa aperit Angelis, ac ſignacula libri occluſi reſerat, vt habetur in Apocalypſi, atque illis veluti miniſtris ſuis imperat. Primo quod ſit à rabie dæmonum defendendum. Secundo quid illi permittendum. Tertio quid boni amplius alicui, vel indiuiduo, vel ſpeciei, vel loco adijciendum. Quarto quænam è naturalibus actiua ſint applicanda, vt loquuntur, paſsiuis, vt naturali modo producatur aliquid, quamuis interuenerit ſupernaturalis poteſtas, quæ reſidens in anima Chriſti, quoad creata, toti naturæ omnino his modis extrinſecus quoque imperat, ac dominatur. Quinto quoties ita faciendum, quomodo cooperandum ſit aliquibus miraculis ſuperantibus totius naturæ vires. Hæc vero omnia fiunt, vt homines, quantum datur, ad amorem, cognitionemque ſupernaturalium perducantur, ſin minus ab hac propius abſint, minusque à naturalium perfectione abducantur. Atque ita Chriſtus, vt homo, tam ſupernaturalia, quàm naturalia gubernat.

Quocirca veluti extrinſecus hæc fiunt ex imperio Chriſti,

ſic intimæ cogitationes, ac rerum ſimulacra, vel ab Angelis bonis ad virtutes perfectiores, imperfectioresque inferendas immittuntur, vel ne peius impiis, & iniquis dæmonum ſeruituti, imperioq. ob peccata addictis eueniat, illud ſaltem fit, ne dæmones quiduis intrinſecus, & extrinſecus in illos moliantur, valeant, atque exequantur.

En vt imperium Chriſti, regnúmque cuncta peruadat, nulla res creata ſubterfugere poſsit eius ampliſsimam poteſtatem. Quamobrem neque Imperator Turcarum, neque vllus alius exercitum mouere, niſi de Chriſti permiſſu poteſt, neque gigni herbula, aut moueri quidquam, niſi accedente ipſius conſenſu, non modo vt Dei, ſed vt hominis quoque, regitque vti Rex ſpiritualis intrinſeca, atque vti temporalis extrinſeca cuncta, tam potenter vtrumque regnum gubernans, vt omnia ſubijciantur ipſius poteſtati, neq; vlla fuerit, ſit, aut futura ſit creatura, quæ vtrumque regnum tam extrinſecum, & temporale, quàm intrinſecum, & ſpirituale tanta cum potentia moderáta, moderaturaue ſit vllo vmquam tempore, aut modo. Atque hæc omnia conueniunt illi, ac data ſunt vt homini.

Nam diſtinctus eſt intellectus, & intellectio Chriſti, vt Dei, ab intellectione illius, intellectuq; vt hominis, ac ſecus aſſerere, & opinari eſſet hæreſis Apollinaris condemnata in Concilio primo Conſtantinopolitano.

Diſtincta ſimiliter eſt eius voluntas humana à diuina, ac ſecus aſſeuerare, ac ſentire, eſt hæreſis Monothelitarum damnata in Concilio ſexto Conſtantinopolitano.

Sic itaque eſt humana operatio diſtincta à diuina in Chriſto; ſed illa huic ſeruit in omnibus, & hæc per illam primã cuncta externa, ideſt, quæ extra Trinitatem ſunt, operatur, quatenus creatura vlla poteſt operari; ſimiliter etiam cuncta externa hominum, mentiumque, & interna ſpiritualia, & temporalia.

Quamobrem neceſſe eſt dicamus, ipſum tamquam hominẽ præſidere cunctis creatis, atque illa ex omni parte moderari intrinſecus, vti diximus, atque extrinſecus. Veriſsime igitur atque eminentiſsime Chriſtus eſt omnium rerum creatarum Rex ſublimiſsimus, atque agnus terræ dominator, vt eum vocat Iſaias cap. 16. ac præterea vero eſt ſacerdos.

Probatur, quia plurimis in locis diuinæ ſcripturæ appellatur Rex terræ, Rex hominum, Rex omnium, Rex Regum, Dominus,

minus,Dominator,Princeps,primatũ tenens in oĩbus. Rurſus nomine à regia poteſtate diuiſo appellatur Sacerdos,Pontifex,vel ſimilibus:attribuunturq; hæc illi, vt homini: ac diſtinguũtur in ipſo Sacerdotalia, & regalia. ſed omnibus miſsis pauca è nouo teſtamento repetemus. Matth.c.vlt.*Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo,& in terra.*Omnis ergo regia; Sacerdotalis,directa,ĩdirecta vt hoĩ data; nam prius vt Deus habebat. Ioãnis cap.1.*In propria venit,& ſui eum non receperunt.*In *Propria*, inquit S. Gregorius, *Non natura,neque gratia,vel religione,ſed*,ait ille,*Poteſtate.* Chriſtus ergo, *Venit in ſua*, *Non natura*,vt Deus, qui ex natura ſua eſt eſſentialiter Dominus,*Non gratia,& religione*,vt ſummus Sacerdos, *ſed poteſtate* Regis.venit itaq; vt Rex homo. Cap.12. *Si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipſum.* Exaltatur vt homo,trahit vt homo; ſi vt homo trahit oĩa, ergo regalia, Sacerdotalia,directa indirecta, Cap.15. *Sciens,quia omnia dedit ei Pater in manus,& quia à Deo exiuit,& ad Deũ vadit.* Vt homo exiuit,vt homo vadit,data vt homini ſunt omnia. Apoſtolus ad Eph. cap.1.de Deo patre loquẽs ait:*Operatus eſt in Chriſto,ſuſcitans eũ à mortuis,& conſtituens ad dexteram ſuã in cæleſtibus ſupra oẽm* (ergo & directũ) *Principatum,& Poteſtatem,& Virtutem,& Dominationẽ.* Rurſus,*Et omne nomen, quod nominatus, nõ ſolum in hoc ſæculo,ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius.* ſi directa, itaq; poteſtas in tpalia noĩatur in hoc ſæculo, ſubiecta eſt homini Chriſto. Ad Coloſ.1.*In omnibus ipſe primatum tenens.* Ad Philipp.1. *Deus exaltauit illũ,& dedit illi nomẽ, quod eſt ſuper oẽ nomen,vt in nomine Ieſu oẽ genufſectatur, cæleſtiũ, terreſtriũ,* (ergo & tpaliũ) *& infernorũ.* Ad Corin.1 5.c.15.*Deinde finis,cum tradiderit regnũ Deo,& Patri,cũ euacuauerit oẽm Principatum,* (igitur & directũ in tpalia) *& Poteſtatẽ,& Virtutem;oportet aũt illum regnare, donec ponat oẽs inimicos ſub pedibus eius: nouiſsimè aũt inimica deſtruetur mors, omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius; cum autẽ dicat omnia ſubiecta ſunt ei,ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia,* (idcirco,aut tpaliũ poteſtas directa eſt Chriſto ſubiecta,aũt illa eſt Deus,ac duo Dei) *vt ſit Deus omnia in omnibus.* Ad Heb.c.1.*Quem conſtituit* (Deus Chriſtum) *hæredẽ vniuerſorũ.* & cap.2.*Non enim Angelis Deus ſubiecit orbem terræ futurũ, de quo loquitur. teſtatus eſt aũt in quodam loco quis dicẽs. Quid eſt homo,quod memor es eius, aut filius hominis,quoniã viſitas eum? minoratus eſt paulominus ab Angelis,gloria, & honore coronaſti eũ, et cõſtituiſti eũ ſup opera manuũ tuarũ.* aut igitur directa poteſtas in tpalia, Dei opus eſt, & Chriſto ſubiecta,aut Deus, ac duo Dei.

Ob hæc igitur cuncti Patres tradiderũt à Magis Chriſtũ fuiſſe cultum thure vt Deũ, myrrha vt hominem, auro vt Regẽ temporalium, ſignificatumq; donis his, omnia temporalia deferenda ad ipſum veluti Regũ Regẽ, ſibique hunc vindicaturũ ab ijs, qui non deferrent. Hinc S. Iuſtinus, cum Tryphone, in illa Iſaiæ verba, *Priuſquam ſciat puer vocare patrem, aut matrem, occupabit Damaſci copias, & ſpolia Samariæ.* (ſic ille vertit) ſubiicitq; , ſpoliis, & copiis temporalia Regum; Damaſco, & Samaria gentes quaſlibet à viciniori, & opulentiori tum gente ſignificari. *Magi enim*, inquit; *quos Dæmon ſibi vendicarat ad omnia maleficia, poſtquam venerunt, vt adorarent Chriſtum, videntur ab illo* (Dæmone) *defeciſſe redacti in huius* (Chriſti) *poteſtatem, ſcriptura myſticè deſignante Damaſcum eſſe illius domicilium; quia hæ copiæ ſunt iniuſtorum, peccatorumque, & pulchra ſimilitudine vocat eas Samariæ*, S. Irinæus lib. 3. cap. 10. *myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & ſepeliretur: aurum vero, quoniam Rex, cuius regni finis non eſt: Thus vero, quoniam Deus.* Tertulianus lib. de Idololatria. *Thus illud, & myrrham, & aurũ ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quaſi clauſulam ſacrificationis, & gloriæ ſæcularis, quam Chriſtus erat ademþturus*, S. Cyprianus de Stella, & Magis. *Alienigenæ à fluminibus Aethiopiae ad paruulum Chriſtum ſupplices veniũt. &. in loco humili, & ſuppellectili vili Rex Regum, & Dominus Dominantium inuenitur, cognoſcitur, & adoratur. &. in auro Regem, in thure* Sacerdotem, *in myrrha incorruptibilem, quamuis paſſibilem profitentur.* S. Ambroſius de fide l. 1. cap. 2. *Vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham ſupplices ad Chriſti cunabula detulerunt. Auro Regem fatentes, vt Deum thure venerãtes. Theſaurus enim regni, ſacrificiũ Dei, myrrha eſt ſepulturæ.* Hæc iſti, è quibus cecinit Eccleſia ſemper, Chriſtum fuiſſe auro Regem tpalium directè cultum. Sic igitur omnia colligentes argumentamur. Quicumq; directè ordinat cuncta bona agenda, quæ per naturales cauſas directè ordinari ab vlla creatura poſſunt in omni re naturali, aut temporali, eſt omnium tpalium naturaliũq; Rex directè. Hic Chriſtus eſt, Rex itaq; directus oĩum. Maior eſt clara. Regis namq; eſt ordinare oĩa bona agẽda. Tyranni mala. Minor eſt probata initio lib. & cap. 8. & hoc. II. quicũque directè, vt inſtrumẽtum diuinitatis ordinat quodcumq; ſupernaturale poteſt agi à creatura vt inſtrumento Dei in omne tpale, ac naturale, eſt Dominus horum omnium directè. Talis eſt, vt ijſdem locis eſt dictum, Chriſtus, *In cuius corpore, habitat omnis*

(non

(non aliqua tantum) *plenitudo diuinitatis.* &, *de cuius plenitudine nos oẽs accepimus.* Nam ſi quid ſupernaturale, vt inſtrumenta Dei efficimus, eſt ex fide, ac merito Chriſti. Eſt igitur Chriſtus oĩum Rex directus, vel agens per cauſas naturales, quatenus creatura ex donis naturæ aut gratiæ poteſt agere, vel vt inſtrumentum ſupernaturale diuinitatis per ſupernaturales cauſas. III. Omnis homo efficaciſſimè, ac directiſſime ſupra omnes potens, ac volens ordinare omnia iuſta inter homines, vbi expedit totius vniuerſitatis ordini, vt homo hæc potens, & volens directiſſime ordinat. Sed Chriſtus eſt homo ita potens, ac volens. Ergo vt homo ita potens directiſſime ordinat. non modo igitur, vt Deus, ſed vt homo quoque diuinam poteſtatẽ participans egit, quæcumq; egit Chriſtus. Veluti & nos cum Sacramenta cõficimus, & adminiſtramus, vt hoĩes diuinæ poteſtatis participes hæc, ſupnaturalia licet, agimus. Nam *Deus dedit talem poteſtatem hominibus*. Si dicamus itaq; cum Chriſtus venit in propria, cum Dæmonas in porcos immiſit, cum de templo eiecit homines, non egiſſe vt hominem, vel incidimus in hæreſim Monothelitarum, vel mentis humanæ actu Chriſtum priuamus. IV. Quicumque eſt iure agnoſcendus, & colendus directè à cunctis gentibus, vti Rex Regum ſummus temporalium naturaliumque bonorum, quæ habemus, ille eſt Regum Rex iure directus inter omnes gentes, ſed (vt ex figura Magorum, & aliis ſemper Eccleſia canit) hic eſt Chriſtus, eſt ergo Rex Regum directus inter omnes gentes. Comprobatur I. quia Deus ad hoc omnia mouet. II. Chriſtus diripiet omnium ſpolia, ni dent, vt omnes tradunt. V. Quicumque iure eſt, *In omnibus* quantum creaturæ datur *omnia*, (hinc dicitur *Omnia traham, omnia dedit, omnia ſubiecit ſub pedibus eius, in omnibus primatum tenẽs, ſupra omne, quod nominatur in hoc ſæculo, & futuro, data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra, ſuper opera manuum tuarum, erit omnia in omnibus,*) Is oĩbus modis eſt Rex, Dominusq; omnium, nihilque addi ad eius regnum poteſt. Sed talis eſt Chriſtus, Modis igitur oĩbus eſt Rex Regum, Dominumque omnium, nihilque addi ad eius regnum poteſt quamobrem cuncti Patres tũ è ſuperioribus, tum vero è donis Magorum dixere ad Chriſtum ſpectare omnia temporalia, creataque tamquam ſupremo iure omnium Regem. Comprobaturque in Concilio Epheſino vt fidei catholicæ aſſertio Theodoſij Ancyrani Epiſcopi decernentis Chriſtum Regem, ac tamquam Regi oblatum fuiſſe illi aurum, tamquam Deo thus à Magis. ita habetur tomo 6. appendicis 5. cap. 2. Ioanneſq; è Turre Cremata in ſua ſumma lib. 1. cap. 7. ac S. Gregorius

gorius homilia decima, loquens de auro oblato à Magis, dicunt eſſe hæreticos, qui Chriſtum Regem temporalium negant.

Inter omnes gentes celebres ab ortu mundi publica ſemper teſtimonia fuerunt. hominem cœlo demiſſum fore omnium creaturarum Regem ſummum, SS. Patrum, Bernardi, ac Thomæ noua ad id teſtimonia proferuntur. *Cap. XI.*

QVidam Theologus dixit eſſe conſtantem Patrum ſententiam, Chriſtum non eſſe temporalium Regem. contra hunc Primo noua adhuc, perpetuaque Patrum teſtimonia producemus. Secundo, Quin ab ortu mundi fuiſſe inter gentes publica teſtimonia cælo dimiſſum hominem Virgine natum fore omnium creaturarum Regem. Tertio, Speciatim, vero, quod ille omnino negauit, id aſſeruerunt SS. Bernardus, ac Thomas. quorum noua dicta præter ſuperiora adducentur, primo itaque libro ſexto aperiemus è cœlo ignem ſolitum delabi in ſacrificia, qui Chriſtum Deum ſimul hominemq; è Virgine naſciturum ſignaret. Nam *Deus ignis conſumens eſt*. Hinc priſci omnes obſcurata myſterij veritate Perſæ, Chaldæi, Aſiatici, Ægyptij, Græci, Romanique, ignem, *æternum*, cœlo demiſſum colebant, eo ſolo in ſacris vſi, qui à Virginibus cuſtodiebatur. Balaam numerorum cap. 3. fuit è Meſopotamia, Magos ab illo nonnulli ortos volunt, alij è Cethura & Abrahamo, nonnulli Perſas: cum plures fuerint, quin inita iampridem, quod accidit inter veritatis ſtudioſos, amicitia fuerint ex omnibus iſtis gentibus, nil obeſt. finitimæ enim ſunt. Igitur & hæ memoriam tanti myſterij ſeruarunt. Sybilla Erythrea Noe nurus, Iapheto ſuperſtes fuit, eius carmina Chriſti aduentum prædicantia ſic in Ægypto, Aſia, Græcia, ac denique in ipſa totius Orbis Theatro Vrbe Chriſti omnium creaturarum Regis aduentum prædicantia adeo palàm diuulgata erant, vt vates inducat ruſticos in ſyluis ea canentes. Hæc fuſius libro ſexto.

Primo igitur dilucidiſsime, oracula Sybillina Chriſtum prædixere venturum, veluti omnium creaturarum Regē, & inſtauratorē, quod ruſticos, quaſi notiſſimum, decantantes inter ſyluas Virgilius inducit, vt ſupra eſt explicatum.

Secun-

Secundo rumor inter gentes diſſeminatus, vti è Cicerone, Suetonio, Dione, Tacitoque retulimus, erat, Chriſtum venturum, veluti temporalium Regem.

Tertio Magi inquiſierunt vti Regem, coluerunt, vti ſupremum temporalium Regem.

Quarto Balaam vaticinatus eſt de illo, vti Rege. Nihilque de Sacerdote ab iſtis eſt dictum. Communis itaque gentium conſenſus fuit venturum, veluti temporalium Regem. Quid ita? quoniam diſſeminata eſt hæc prædictio, veritasque ab ipſis Noe temporibus, ab ipſo Adamo, cum ſacerdotiũ, regnumque coniuncta erant, diſiunctioque facta eſt, vt oſtendimus libro primo, propter illuſtrandam ſacerdotis maieſtatem, commodumque ipſius maius, vt temporalium Rex eſſet miniſter ſacerdotis, eſſet miniſter non ſeruilis, aut non rationalis, ſed præſtantiſsimus, atque intellectualis, qui ſcilicet mentis intima obedientia, deuotioneque amantiſsima ſacerdoti coniungeretur. An non hoc etiam dicit Iſaias? *Erunt Reges nutrici ſui, vultu in terram demiſſo adorabunt ſe, puluerem pedum tuorum lingent, veſtigia pedum tuorum adorabunt, ad genua blandientur ſibi.* Annon idem canit Dauid, cum toties meminit CHRISTI vti Regis, neque vllam mentionem facit eius vt ſacerdotis?

Certe in cunctis promiſsionibus, quæ Abrahæ, Iacobo, ac Dauidi factæ ſunt de Chriſto, nuſquam fere mentio fit ipſum futurum ſacerdotem. Mentio ſemper fit de regia poteſtate ipſius. obſerua, quæ Iacob prædicit, vt ſceptrum diuinum, regiumque dandum Chriſto ait, prius remouendum de reliquis è tribu Iuda. ſic Dauidi ſemper promittitur fore, vt ſedeat in throno ipſius. Atqui thronus Dauidis proprie ſacerdotalis non fuit; vt Pſal.88.& 131. Sed inquit ille, aſſeritur aliquando iſtum Regem prædicaturum Dei præcepta. Ita ſane, quia cunctis Regibus eſt hoc cõmune, vt diuinæ legis miniſtri ſint, ac ſuo modo præcones. Quin Philoſophus ipſe, vti oſtendimus, vult eſſe hunc finem Regis, vt ad rectos mores, atq; ex his ad veram Dei cognitionem, contemplationem iugem, & cum illo coniunctionem ciues adducat. Sed hoc intereſt inter Reges ſæculares, & CHRISTVM, Vicariosque ipſius, quod hi prædidant à ſe deſumptam cognitionem, legesque. At mere ſæculares Reges ab his deſumptas, & deductas; alioquin vt ſeculares in ſecularium tractatione conquieſcunt, & ad illa ad-

mini-

miniſtranda tantum directe habent poteſtatem.

Quocirca Iudæi credebant Chriſtum Regem venturum, ſed credebant protinus venturum cum regia maieſtate omnium apertiſsima, protinusque ipſis, vel inuitis, ac dormientibus præmia diſpartiturum, quaſi inuitatis, & adductis ad epulas otioſorum, deſidum, voluptatibusq. marceſcentium; ſed venerat Chriſtus Rex temporalium cunctorum reuera, & omnino continens omnium Regum poteſtatem à ſe dependentem, & participatam, quam tamen in apertum paulatim proferret, ſuiſque communicaret, eo, quo dicemus modo.

Hucuſque vidimus omnium gentium fuiſſe hunc cōſenſum fore, vt aduen iret Rex, qui toti orbi cunctis temporalibus pleniſsime dominaretur, hunc eundem fuiſſe Hebræorum conſenſum deducta ab Abrahamo ſucceſsione, videamus hanc Angelorum fuiſſe ſententiam, quando Angeli ſunt ex eadem cum nobis Eccleſia Dei. Sic itaque Angelus ad Mariam Lucæ cap. 1. *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Hæc Angelus, quibus oſtendit Chriſtum fore temporalium Regem neque enim Dauid ſacerdos fuit. Quamobrem cuncti Patres hæc verba retulerunt ad regiam Chriſti in ſæcularia directiſsimam poteſtatem, directiſsimam non eo modo, quo ſæculares habent directam, vt tamquam ſæculares in ea conquiſcant ex ſua natura. Sed quomodo Chriſtus ſedit, aut ſedet in ſede Dauid Patris ſui? Primo quia plurimi ex Hebræis, eum ſecuti ſunt, cum ſuis rebus temporalibus omnibus, ſedit itaque *eligens*, aiunt Apoſtoli, *ſpeciem Iacob, quem dilexit ſubyciens populos eis, & gentes ſub pedibus eorum.* quod habetur Pſal. 49. Secundo, quia Petri Hebræi, Apoſtolorumque Hebræorum ſedes epiſcopales cunctis dominantur, non tamquā gentium Reges tyrannorum more, quod vetuit Chriſtus, vt ſuo loco dicetur, ſed parentum. quod mox aperietur. Tertio, quia poſt obitum Chriſti vſque ad hanc diem, tot Hebræi iam conuerſi ſunt, ac Chriſtianis admixti, vt vere aſſeri poſsit, plures eſſe conuerſos quàm ſi quid, vel fęcis, vel vini remāſit. Quarto, quod omnes ad extremum conuertentur. Quinto, quod per carnem ſuam regnat, per humanitatem ſuam, quod tum hic, tum alibi, quomodo contingit, explicauimus.

Conſtat itaque hucuſque hanc fuiſſe omnium gentium, omnium Hebræorum, denique Angelorum, ſiue Eccleſiæ totius

ſenten-

ſententiam conſtantiſsimam Chriſtum eſſe omnium temporalium Regem, neque factam mentionem ſacerdotalis poteſtatis.

Videamus, quid Chriſtus ſenſerit. Atqui ipſe primo haud ſe negauit, vt ſupra concluſimus. Secundo dixit niſi acclamaretur à populo Rex, fore, vt lapides clamarent. Tertio aſſeruit ſe iudicialiter à Pilato examinatus (ſi quod poterat in ipſum de facto, nimirum, quod aiunt, exerceri iudicium) Regem, quin ait Cyrillus, Regem Regum. Quarto exercuit hanc, vt dicetur, maxime omnium poteſtatem.

Reſtat vt inſpiciamus hanc eſſe omnium ſanctorum ſententiam, deducto initio ab obitu Chriſti ad nos, Chriſtum ſcilicet Dominum noſtrum eſſe omnium temporalium Regem ſupremum, neque ſolummodo ſacerdotem.

Ac primo Euangeliſtarũ teſtimonia protulimus, qui hæc in Euangelio dixere ex ore Angelorum, Prophetarum, Magorũ, Natanaelis, Puerorum, Chriſti, Pilati, lapidum denique, vt aiebat Chriſtus ipſe, ſi cæteri conticeſcant.

Petri & Pauli ſuo loco proferentur.

S. Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi cap. 19. de Chriſto loquens ait *Habebat in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium*. Hæc Apoſtolus dilectus multa decernens. Primo eſſe Chriſtum Regem Regum temporalium. Secundo nullam fecit mentionem de ſacerdotio Chriſti. Tertio intelligit Chriſtum Regem, vti hominem, in femore inquit, & veſtimento. Quarto extrinſecam, & intrinſecam demonſtrat hanc eſſe Chriſto poteſtatem, intrinſecã in femore, extrinſecam in veſtimento. Quinto demonſtrat Reges eſſe ab ipſo intrinſecus, & extrinſecus, in femore deſignans generationem, in veſtimento magis remotam conceſsionem. Hæc Sanctus, cuius verba latius ab adducendis per nos ſanctis exponentur.

S. Dionyſius Areopagita, vt oſtendemus non modo Chriſtum temporalium Regem facit, ſed clericum quemuis. #

S. Ignatius fuit cum Apoſtolis, & Apoſtolos vidit, atque ipſum Chriſtum, non modo Chriſtum facit omnium Regem, ſed etiam facit Epiſcopos Reges, regnumque ijs à ſacerdotio diſtinctum attribuit. #

Sanctus Iuſtinus Martyr in colloquio cum Triphone, Chriſtus ait, *eſt Rex, Sacerdos, Deus, Dominus, Angelus, Homo,*

T *Impe-*

Imperator, & poſt aliquot *ſcriptura dicente, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis: etenim Regibus omnibus, chriſtiſque ex huius conſortio Reges, chriſtoſque vocari contigit, quemadmodum, & ipſe à patre accepit, vt eſſet Rex, Chriſtus, Sacerdos, & quidquid ſimile habet, vel habuit*. Hæc ſanctus, non modo Chriſtum regem faciens, ſed reges temporalium dicens eſſe reges ex ipſius conſortio.

S. Irinæus attigit S. Iuſtini tempora, nam citat ipſum libro 4. cap. 14. aduerſus hæreſes, atque ita ſcriptum reliquit libri quarti cap. 37. *Patris verbum, vt pote diues, & multus exiſtens non in vna figura, nec in vno charactere videbitur videntibus eum, ſed ſecundum diſpenſationum eius cauſas, ſiue efficaciam, ſicut in Daniele ſcriptum eſt: aliquando enim cum his, qui erant circa Ananiam, Azariam, Miſaelem, videbatur aſsiſtens eis in fornace ignis, & in camino, & liberans eos de igne, & viſio inquit quarti ſimilis filio Dei; aliquando autē lapis à monte abſciſſus ſine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea, & ipſe replens vniuerſam terram*, & mox afferens viſionem Ioannis ex Apocalypſi, *de ore eius*, inquit, *procedit romphæa acuta, vt in ea percutiat gentes, & ipſe paſcet eos in virga ferrea, & ipſe calcat lacum vini furoris iræ Dei omnipotentis, & habet ſuper veſtitum, & ſuper femur ſuum nomen ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium*. Hæc ſanctus apertè volens Chriſto ſubijci regna omnia temporalia præſignificata in ſtatua Danielis, eorumque loca occupari per vniuerſam terram à Chriſto domino, cum ſit eſſe, cuius in femore ſcriptum ſit, Rex regum, Dominus dominantium.

S. Hippolytus ſub eodē tempora fuit, ſic igitur hic libello de conſummatione mundi. *Nam per omnia ſe ductor ille* (Antichriſtus) *vult imitari filium Dei. Leo Chriſtus, Leo quoque Antichriſtus, Chriſtus Rex cæleſtium, atque terreſtrium*, Rex quoque *ſuper terram naſcetur Antichriſtus*.

S. Cyprianus epiſtola 65. vel nona lib. 3. CHRISTVS, inquit, *Rex, & Iudex, & Deus noſter*. Rurſus idem latiſsime lib. 2. teſtimoniorum aduerſus Iudæos teſtimonio 29. & 30. multa profert loca ex teſtamento nouo, & veteri, quibus confirmat Chriſtum Regem. Et tamen idem libri primi teſtimonio decimo ſeptimo oſtenderat Chriſtum futurum ſacerdotem; ſic itaque manifeſte oſtendit in Chriſto diſtingui ſacerdotium, & regnum, diſtinctaque eſſe hæc; & quamuis alicui ex his alterum

con-

conueniet, Chriſto tamen conuenit vtrumque.

Sanctus Athanaſius ſermone 3. contra Arianos, *Chriſtus natura Dominus & Rex æternus, non, quando mittitur magis ſit Dominus, neque tunc initium ſumit, vt ſit Dominus, & Rex, ſed quod & ſemper eſt, hoc ipſius, cum ſecundum carnem gignitur, omnibus liberatis gignitur, atque ita ſit viuorum, & mortuorum Dominus, eo quod illi deinceps omnia ſeruiant.* Et rurſus. *nos homines poſtquam noluimus per verbum eius cognoſcere Deum, & ſeruire naturali noſtro verbo Dei, placitum eſt Deo in homine oſtendere dominicam ſuam poteſtatem, & omnia trahere ad ſe.* Hæc Sanctus à quo habemus Primo. Chriſtum ex hoc ipſo, quod ſecundum carnem gignitur, non ex eo, quod eſt Deus, fieri Dominum viuorum, & mortuorum. Secundò Chriſto, ex hoc ipſo, quod ſecundum carnem gignitur, deinceps omnia ſeruire. Tertio Deum in homine Chriſto oſtendere ſuam dominicam poteſtatem. Quarto in eodē trahere omnia ad ſe; non itaque ad Deũ trahitur, quod in Chriſto per Eccleſiam non trahitur, quod ſi aliquis ad Deum ſe trahere dicat, non erit Deus Chriſti, ſed alius, ac duo Dei.

Hos autem ſanctos, qui vſque ad Conſtantinum fuere, ſit ſatis adduxiſſe. Ex hoc habemus Eccleſiæ totius conſenſum prædicantis publicè Chriſtum Regem, in Epiphania ob hymnum Prudentij, quo canitur in feſto Innocentum.

Audit tyrannus anxius.
Adeſſe Regum principem,
Qui nomen Iſrael regat,
Teneatque Dauid regiam.

Illud vero ſecundum, quod eidem Theologo in mentem venit aſſerere, eſt magis admirabile, numquam dici à S. Bernardo Chriſtum temporalium Regem. Videamus an ita ſit. Hæc ſunt verba S. Bernardi ſermone ſecundo in Epiphania Domini. *Egredimini (filiæ Sion) & videte Regem Salomonem; nam vbique* REX *eſt* (ergo in temporalibus etiam) *licet enim regnum eius non ſit de hoc mundo. Tamen* REX *eſt etiam in hoc mundo* (en igitur temporalium Rex) *Interrogatus ſiquidem* REX *es tu? ego, inquit, in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum. Hic ergo rector eſt morum, in iudicio diſcretor meritorum, in regno diſtributor præmiorum.* Hæc Sanctus volens in hoc mundo eſſe Regem Chriſtum, regere mores, quibus homines regunt, ac tractant omnia temporalia, diſcernere merita, ac diſtribuere vbique præmia; nam vult eſſe vbique Regem, ſed aliis alia præmia diſtribuit; hic non di-

ſtribuit finalia, ſed poſt mortem. Rurſus idem ſerm. 19. in Cantica, vult à Chriſto homine ordinari cuncta agenda ab Angelis, vt ſupra eſt dictum, & libro tertio dicemus, ab eodem ſimiliter Thronis inſidenti ordinari cuncta ab hominibus agenda bona, vel quia cohibet Dæmonas, ne impediāt bonos naturæ impulſus, vel quia lumine ſupernaturali adiuuat, vt ad finem naturæ perueniatur. ſic enim ſcribit, *Quod ſi ſeſsio ſignificat magiſterium, puto illum, qui vnus eſt nobis magiſter in cœlo, & in terra Dei ſapientiā Chriſtū, cum aliàs quidem attingat propter munditiam ſuam, ſpecialius tamen illos,* (Thronos) *atque principalius, tamquam propriam ſedem ſua illuſtrare præſentia, & inde tamquam de ſolenni adiutorio docere Angelum, docere hominem ſcientiam. Inde Angelis diuinorum notitia iudiciorum, inde conſilium Archangelis, ibi Virtutes audiunt quando, & vbi, & qualia proferant ſigna. ibi denique vniuerſi, ſiue ſint Poteſtates, ſiue Principatus, ſiue Dominationes, diſcunt profecto, quid ex officio debeant, quid pro dignitate præſumant (& quod præcipuè cautum eſt omnibus) accepta poteſtate ad propriam voluntatem, ſeu gloriam non abuti.* Hæc Sāctus, de Chriſto, cuius anima Thronis inſidēs docet Angelos, & homines ſimul ſingula quæque agēda bona. mox idem Sanctus, docet beatos Deo frui, diſtinguens inter eſſentialem beatitudinem, & accidentalē, quæ eſt in ſingularibus creatis ſciēdis, & ordinādis, & apertè docens immediatè à Deo illam dari, hanc à Chriſto eſſe vti reuelante, reliqua ex eodem ſuis locis.

Tertium vult Theologus ille à S. Thoma non aſſeri, Chriſtum temporalium Regem. Videamus an ita ſit, Sanctus itaque opuſculo 20. cap. 10. ſic ait. *Suppoſito, quod pro vtilitate* (non ait neceſſitate) *gregis agatur, ſicut Chriſtus intendit, omne ſupergreditur dominium* (Pontificis) *vt ex dictis apparet, quod ex viſione prima Nabuchodonoſor ſatis eſt manifeſtum de ſtatua, videlicet, quam vidit, cuius caput aureum, pectus, & brachia de argento, venter & femora de ære, tibiæ vero ferreæ, pedum autem quædam pars ferrea, quædam fictilis. ſed dictam ſtatuam dum contemplatur, abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & omnia prædicta comminuit. Hic autem lapis factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, quam quidem viſionem Daniel propheta, vt Hieronymus & Auguſtinus exponunt, ad quatuor monarchias adaptat Aſſyriorum videlicet pro aureo capite; Medorum, & Perſarum pro argenteo in brachijs, & pectore; Græcorum vero monarchiam, pro æreo ventre, & femore; ſed Romano-*

norum vltimo pro tibijs ferreis, & pedibus partim ferreis, partim vero fictilibus. ſed poſt hæc ſuſcitabit, ait Propheta, *Dominus Deus cœli regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur, comminuetque vniuerſa regna, & ipſum ſtabit in æternum, quod totum ad Chriſtum referimus, ſed vice eius ad Romanam Eccleſiam.* & cap. 13. *& hæc quinta monarchia, quæ ſucceſsit Romanis ſecundum veritatem, omnibus præcellit.* Et mox. *quas quidem vices monarchiæ poſt Chriſti veri Domini natiuitatem geſsit Auguſtus.* & paulo ante. *ille natus erat, qui verus erat mundi dominus, & monarcha, cuius vices gerebat Auguſtus, licet non intelligens, ſed nutu Dei, ſicut Caiphas prophetauit,* Et mox. *quam quidem deſcribit Iſaias, quantum ad virtutem temporalem Chriſti. vnde ipſum monarcham appellamus: Paruulus, inquit, natus eſt nobis,* & cap. 14. *Sed tunc oritur quæſtio de iſto domini principatu quando incœpit;* & deinde. *ad hanc autem quæſtionem eſt reſponſio, quia principatus Chriſti incœpit ſtatim in ipſa ſui natiuitate temporali,* & cap. 15. *quamuis enim temporaliter eſſet dominus orbis directe, tamen ad ſpiritualem vitam vt habeant, & abundantius habeant. Hinc etiam verificatur ſuum verbum ſuperius allegatum. Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Hucuſque ſanctus explicans etiam, quod Chriſtus dixit, vt regnum ſuum non eſſet de hoc mundo, quia non dirigeret ad hunc mundum, ſed dirigeret in Deum, non conquieſcens in mundo. Atque ita apparet, non aduertiſſe, vel non meminiſſe ea, quæ à S. Thoma ſcripta fuerant. E quibus habemus cunctos temporalium Reges ipſius Chriſti vices tenere, non quod ſint ab ipſo Vicarij conſtituit, veluti ab Epiſcopis Vicarij ſui; nam quis ita præpoſtere interpretetur contra ſancti mentem? Sed quod loco ſuo conſtituat, videns ita exigere ſapientiam, pulcherrimumque totius vniuerſitatis ordinem diuinitus præfixum ad illuſtrandam bonitatem, ſapientiam, potentiamque Chriſti, & Dei, tum naturalem, tum ſupernaturalem, qui manſuetiſſime agit cum infidelibus ipſis, non auferens eis ſæcularia, remunerans illos, ob ea, quæ agunt bona, & aliquem Dei cultum.

Ex ijs etiam, quæ Sanctus tradit, habemus, Chriſtum fuiſſe temporaliter omnium rerum Dominum, quia directe in Deum cuncta ordinabat, atque ita directe temporalium dominus erat. A cauſa enim ſimili ſimilis eſt effectus: eſt Dominus, quia directè ordinat: ergo eſt directè Dominus, dominium namque ab or-

ordine vult naſci. Recte. idcirco enim directè homo dominus eſt externorum bonorum, quia ſunt ordinata ad ipſius corpus, & anima hominis eſt directè domina, ſiue deſpotice δεσποτικῶς, ait Philoſophus in politicis, bonorum corporis, ac Deus, & Chriſtus eſt animæ Dominus.

Quamobrem non loquuntur ex mente Angelici Doctoris, qui ſtatuunt Chriſtum Dominum indirecte temporalium rerum, maxime cum velint earundem directè dominos eſſe ſæculares.

Ex his porro omnibus ſupra memoratis apparet, Eccleſiaſticum directiſſimè eſſe dominum ciuilem ſæcularium reſpectu ſæcularium, quia ex ineuitabili humanæ naturæ appetitu, ineuitabili omnium creaturarum ſubordinatione in Deum ſemper, vel actu, vel virtute in Deum ſunt omnia ſubordinanda. Idcirco cum ſæcularis directè ſubordinat in Deum, non interturbat illum modo vllo Eccleſiaſticus, cui cõicatus eſt à Pontifice poteſtatis actus, ſiue aſſignati ſunt, in quos exerceatur. Nam quid impediat obedientem filium, paratumque ad omnia ſubordinanda in Deũ. Concludimus igitur Eccleſiaſticũ quoties agitur de reſpectu Dei, (agitur autem ſemper, quamuis non ſemper conſideretur, aut cõſiderari poſſit, & ideo ſæpe dicimus, non agi de reſpectu Dei, vel de peccato aliquando, quia non ſemper de illo diſceptatur) eſſe omnium directiſſime Dominum reſpectu actus illius tàm interni, quam externi, qui Deum reſpicit, atque in Deum eſt ordinandus. Quamobrem ſemper ſpectat ad ipſum rectè examinare circunſtantias illo verſiculo compræhenſas.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Quæ ſingulis actibus ſemper neceſſario inſunt, ac niſi omnes rectæ adſint, actus deprauatur; cuius bonitas ex integritate cõſiſtit, neque rectæ naturæ, & coeſſentiali ipſius legi, vel rectæ ordinationi rerum, vel Reip. vel Deo eſt adæquatus. quamobrem peccat Princeps, & ad reſtitutionem tenetur ſi eligat indignum. Doct. l. ſi ſeruus §. proculus. ad l. Aquiliam. Innocentius, & alij. c. cum in cunctis. de electiõn. Scot. in 4. diſtin. 14. q. 2. artic. 4. S. Thomas. 2. 2. quæſt. 65. art. 2. Philoſophus. Eth. v. Quin peccat mortaliter, qui digniori omiſſo, dignum licet eligit, ita S. Thomas ibidem. & in quodlib. 9. 6. & 8. Alexan. Alen. 2. par. q. 136. mem. 2. Richardus, Maior, & alij, in 4. diſt. 15. S. Leo. ep. 82. Concil. Triden. ſeſſ. 24. de refor. cap. 1. & quamuis Eccleſiaſtico ſit principaliter animæ regimen commiſſum, tamen quoties agitur de reſpectu Dei, æque principaliter illi eſt cõmiſſum regimen

men omnium. Primo enim, principaliterque eſt illi creditum regimen omnium, quæ quomodo reſpiciunt Deum, quamuis vbi veniunt in comparationem, quæ tractat, ſiue interna, ſiue externa, & in omnibus agitur de cauſa Dei, magis dabit ijs, operam, quæ maiora ſunt, qualia ſunt interna. ſimiliter quoties eccleſiaſticus venit in comparationē cum poteſtate ſæculari de regimine externarum rerum, ſi Dei reſpectus interuenire aſſeratur, neceſſe eſt cædat Eccleſiaſtico ſæcularis, vel minima in re. Primo quia quiduis minimum diuini reſpectus præponderat ſua natura, cunctis rebus abſque illo reſpectu. Secundo quia Sacerdos non interuenit, vt homo, ſed veluti Deus, perſonam Dei gerens, eumque repræſentans. Credendumque eccleſiaſtico, quatenus ſit vtrinque reſpectus, cui ſcientia poteſtasque iudicandi de rebus diuinis eſt affixa. Neque obeſt, quod externorum cura pertineat ad ſæcularem principaliter. Primo enim cuncta, quæ ſpectant ad Deū, commiſſa ſunt omnino eccleſiaſticis, & quoties agitur de re, quæ aliquo modo in Dei cultū, vel contemptum venire poteſt, Eccleſiaſticus id tractat: Secundo ideo tractat ſæcularis externa, vt hæc omnino internis ſeruiant, idcirco ſeruiet omni ex parte eccleſiaſtico propter ſubordinationem, quoties agitur de internis. Tertio ſequerentur, niſi ita foret, abſurda ſuperius conſiderata, verbi gratia, Deus principaliter vult honorem Chriſti, vult animarum ſalutem, principaliterque ipſe hæc gubernat, idem tamen dat ſæcularia ſæcularibus principaliter adminiſtranda. Quis vero hanc euomat blaſphemiam, dicatque ad Deum, non ſpectare hæc magis, quam ad ſæculares, vel non omnino omnia ſpectare ad Deum? eodem modo Rex aliquis principaliter curat magna, quędā dat alicui principaliter gubernanda, equos, iumenta, quoduis aliud, quis autem dicat iſthæc minus ad Regem ſpectare? Ad ſummam, quod conſtat ex his, An, a quo, quo in loco, quibus auxiliis, quo fine, quomodo, quando ordinandū ſit aliquid ſæculare, vel quodvis in Deum, ſolus poteſt Eccleſiaſticus inter homines iudicare, & imperare, quia ſoli eccleſiaſtico eſt impreſſa hæc poteſtas actiua, intima, ac ſupernaturalis per characterem, ſiue imaginem indelebilem poteſtatis Chriſti, & Dei cuncta ordinantis, quod infra dicetur.

Proba-

Probatur multis CHRISTVM *dum vixit exercuiſſe Regiam poteſtatem, & quinque obiecta confutantur.* *Cap. XII.*

AT inquiunt CHRISTVS non exercuit hanc Regiam poteſtatem: confitemur, non exercuit, quia non agnouerunt, neque excepe-runt illum, qui fuerunt ob id exterminati, vt apparet è cap. Lucæ 19. Sic enim S. Ioannes cap. 2. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Audiſtine Chriſtum veniſſe in propria. Nunquid igitur non volent illum, vel agnoſcere, vel excipere? profecto, quicunque huiuſmodi ſunt, neque Chriſtiani ſunt, neque filij Dei, ſubiicit enim ſanctus Euangeliſta, *Quicumque autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

Secundo reſpondemus, exercuiſſe illam tamen, & quidem in reluctantes, & non agnoſcentes ipſius auctoritatem, quòd aperietur loco ſuo, cum de poteſtate compulſiua agemus libro 3.

Tertio exercuit illam inter diſcipulos, agnoſcentesque ipſius auctoritatem, quod enim patet ex Euangelio, quęcumque erant expedientia imperabat eis, atque à populo regium nomen, regios honores, ac triumphales recepit. Sic itaque clerici agent inter fideles, laicis imperabunt, Regium nomen, regios honores, ac triumphales recipient.

Quarto exercuit, increpans eos, qui nolebant ipſi Regios honores dare, Regiosque titulos, atque edicens illis eſſe ipſos lapidibus duriores, & infantibus inſipientiores. Vt enim vidimus, cum Phariſæi dixiſſent, vt pueros compeſceret, ne vocarent ipſum regem, reſpondit, lapides clamaturos, ni clamarent illi, adiecitque *Ex ore infantium laudem diuinam perfici.* Sic itaque clerici, qui regiam Chriſti poteſtatem participant intimè, increpabunt eos, qui nolent ipſis dari honores regios, atque ex ore Chriſti dicēt, eos lapidibus duriores, infantibus inſipientiores, vt enim videbimus clerici ſunt filij regum, participantes, adminiſtrationē regiam, vt proinde ipſis honores regij debeantur quod apparebit lib. hoc, & ſeq.

Quinto exercuit, declarans ſe alienarum rerum Dominum,

iuſque ſibi eſſe alienis rebus vti non requiſitis, etiam Dominis, ad excipiendos publicè in regiis ciuitatibus Regios honores inuitis impiis. Nam cum ingreſſus eſt Regiis honoribus, & acclamantibus Regiam ciuitatem Hieruſalem, miſit diſcipulos ſuos dicens Lucæ 19. *Ite in Caſtellum, quòd contra vos eſt, in quod introeuntes inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquàm hominum ſedit: ſoluite illum, & adducite, & ſi quis vos interrogauerit; quare ſoluitis? dicite ei, quia Dominus operam eius deſiderat.* Hæc ibi. Patet autem CHRISTVM opera aſinorum vſum, vti hominem, ac proinde, vt hominem deſideraſſe (nam, vti Deus, neque egebat, neque desiderabat) atque aſſeruiſſe aperte ſe eſſe Dominum, è quibus conſtat licere ei, qui locum CHRISTI tenet, vti rebus alienis, ac ſatis eſſe ſi dicat, *Dominus operam eius deſiderat*, vbi Regios honores eſt publice in regiis ciuitatibus excepturus. Amplius fas eſſe eidem declarare ſe Dominum, ac Dominum reuera eſſe in huiuſmodi finem. Quoties igitur doctiſsimi viri, ac potentiſſimi exigent à ſacerdotibus rationẽ, cur ipſorum rebus vtantur, vbi expedit ob honorẽ CHRISTI, ſatis erit, ſi dicant Dominis iſtis potẽtiſsimis, ac doctiſsimis, *Dominus operã eius deſiderat.*

Sexto exercuit edicens ijs ipſis, qui non agnoſcebant ipſius auctoritatem, quin etiam profecti erant armata manu, vt ipſum caperent ad mortem ducturi, vt ſinerent diſcipulòs ipſius, quod habetur Ioannis cap. 18. Ius eſt itaq; eis, qui locum CHRISTI tenent, imperare omnibus, vel inimiciſsimis, & imperatorio nomine, ac iure venientibus, vt ſinant diſcipulos ipſius; atque illi obedire debent, etiam ſi auctoritate Imperatoria veniant, vt homo enim quærebatur, reſpondit, iuſsit.

Septimo exercuit, imperans Apoſtolis ſuis, vt arma haberent parata, quoties venturi erant hoſtes Chriſti, quin pro ijs parandis veſtes venderent, vt habetur Lucæ cap. 22. Vetuit tamen Apoſtolis, & clericis arma ſtringere manibus propriis in alios, ea tamen parare, quibus vterentur alij contra hoſtes ipſorum non modo non vetuit, vt imperarit, aut voluerit emi, ac tunicas pro ijs emendis vendi, quod adnotauit eo loco S. Ioannes Chryſoſtomus, & Euthymius, Hinc S. Ambroſius, ibi ſic ait: *O Domine, en emere me iubes gladium, qui ferire me probibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Niſi forte, vt ſit parata defenſio non vltro neceſſaria, & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe.* & Beda: *Gladium iubet ſumere, vt ſciant legentes non ſa-*

cultatem reſiſtendi deeſſe diſcipulis, ſed Magiſtro amorem potius ineſſe patiendi. Hæc Beda, aperte volens iuſſum diſcipulis, vt gladios emerent, facultatemque eis eſſe reſiſtendi, At S. Ambroſius clarè, inquit, potuiſſe de ſententia Chriſti vindicare illos, quamuis non fuerit neceſſarium: vterque autem vult tam S. Ambroſius quam Beda, ex voluntate ipſorum, vel amore patiendi, quo CHRISTVS ardebat contigiſſe, ne conuocarentur alij ad illa ſtringenda. Cum ſcilicet iam CHRISTI poteſtas non eſſet publicis decretis agnita, & recepta, neque adeſſent, qui abrogata lege antiqua, & penitus abolita palam Sacerdotij poteſtate, publicis, & iam ſolemnibus legum, vel diuinarum, vel humanarum iuſsionibus, Chriſtum veluti Deum, Regemque venerarentur, vti nunc innumeri adſunt.

Octauo exercuit excipiens honores, ac delicias quaſdam, quæ maximis omnium Regibus, & omnium maximo honore cultis tantummodo datæ ſunt, ac dantur excipiens, eoſque rectiſsime ſibi datos, licet contradiceret aliquis, aſſerens, ac decernens. cumq. Magdalena effudiſſet ſuper caput eius vnguentum, quod nonnulli colligunt valuiſſe aureis triginta, ac pedes eius oſcularetur, quod nonnulli ſcriptores profani Imperatoribus Romanis datum vitio dixerunt; Chriſtus tamen iure defendit factum, quo ſciremus ipſum vere omnium Regum Regem; qua de re egimus ſigno de ſumma Regum reuerentia.

Nono exercuit hanc regiam, ſupremamque poteſtatē Marci cap. 5. & Lucæ 9. cum permiſit dæmonibus, vt in porcorum gregem ingrederentur, iſq. in lacum præceps ab illis eſt actus; quod tamen Chriſtus euenturum ſciebat, ac poterat non eis permittere, & dæmonas tamen e corporibus obſeſsis effugare. Permiſit tamen vt palam faceret ius eſſe ſibi, ac ſuam poteſtatem participantibus, in quæuis aliena, quoties expedit, palam facere potentiam ſuam ad alios exterrendos. Ab Euangeliſtis enim ſcribitur iuſſum fuiſſe illi obſeſſo, ac liberato, vt publice, quid eueniſſet, prædicaret, ac maximo terrore correptos incolas ciuitatis, ac loci illius.

Decimo regiam poteſtatem exercuit, cum mulieri adulteræ ad ſe adductæ à Iudicibus, vt de ipſius ſententia condemnaretur, ijs diſcedentibus dixit: *Nemo te condemnauit?* Cumque illa reſpondiſſet, *Nemo Domine*. Subiecit: *Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare*. Quibus verbis palam

fecit,

fecit, ſibi eſſe ſupremam poteſtatem condemnandi, & abſoluendi, quod adnotauit Sanctus Auguſtinus tractatu 33. in Ioannem.

Vndecimo reſpondemus, idcirco Chriſtum non exercuiſſe in aliis regiam poteſtatem, quamuis oſtéderit in omnibus ſibi ius fuiſſe, ac ſuis illa vtendi, vt implerentur ſcripturæ, à quibus prædictum fuerat fore omnino, vt ab impiis, ac reprobis occideretur, vt aperte Chriſtus Petro dixit, cum Malchum percuſſit Matthæi cap. 26. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Quamobrem duobus caſibus, non decebit, vt aliquis clericus arma haud capiat, vel armatos educat aduerſus hoſtes. Primus eſt, cum conſtat e diuina ſcriptura illum ipſum nominatim occidendum. Secundus eſt, cum conſtabit è diuina ſcriptura illos ipſos, qui occidere nituntur, eſſe è numero reproborum, vel his fauentium. Videant ergo boni viri, qui regiam Chriſto, Vicarijſque eius auferunt poteſtatem, qui velint eſſe.

Duodecimo reſpondemus, ſi velint iſti boni viri impleri ſcripturas, neceſſario prædictum fuiſſe, vt poſt obitum Chriſti ineſſet hæc regia poteſtas Epiſcopis, & clericis, ac ſubiecta omnino eſſet omnis potentia ſæcularis, quamuis illa Chriſtus vti noluerit, vt toto hoc opere apparet, & clariſsime canit Iſaias cap. 60. & ibi late SS. Cyrillus Alexandrinus, Thomas, & Procopius Gazæus, & rurſus idem S. Thomas 1. 2. quæſt. 162. art. 1. hinc idem Propheta cap. 61. de ſacerdotibus noſtris inquit. *Sacerdotes Dei vocabimini, miniſtri Dei noſtri dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis.*

Iure autem poſt obitum Chriſti, reſurrectionemque exerceri poterit hæc poteſtas, ac debet. Nam ſacrilegum nimis eſſet poſt tot ſæcula non ſubijci omnino ſacerdotibus.

At inquiunt adhuc aliqui, Chriſtus fugit, cum turbæ voluerunt eum Regem creare, quod legimus Ioannis cap. 6.

Reſpondemus primo, vt xj. reſponſione.

Secundo reſpondemus, noluiſſe Chriſtum fieri hæc in receſſibus, & occulto, ſed palam; veluti contigit in Hieruſalem, ne quis eum factioſum vocaret, qui clanculum moliretur bella aduerſus imperium Romanum, cum non eſſet adhuc declaratus Rex publico populi conſenſu.

Tertio, volebant eum Regem facere, non ad honorem Dei, ſed ab bonum temporale, quia pauerat eos. Manifeſte enim

Chriſtus hanc attulit cauſam, dicens: *Amen, amen dico vobis, quæritis me, quia vidiſti ſigna; ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis, operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis; hunc enim Pater ſignauit Deus*. Hæc ipſe Chriſtus, vt oſtendat ideo Reges eſſe ſacerdotes, vt homines ad Deum perducant, neq; in alium finem Regiam poteſtatem poſſe ab ipſis exerceri, niſi in honorem Dei, & hac de cauſa illis eam dandam, prout ipſimet ſacerdotes iudicarunt, ſicut etiã Chriſtus iudicauit. Ob id Chriſtus dixit, ſignauit, ideſt vnxit, quod habetur Pſal. 44. & exponunt Cyrillus, & Ammonius in cathena, quo ſane verbo character ſacerdotalis indicatur.

Obijciunt adhuc illud, quod legimus Lucæ cap. 12. nam cum quidam Chriſto dixiſſet: *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*. CHRISTVS reſpondit: *Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? dixitque ad illos: videte, & cauete ab omni auaritia*. En igitur inquiunt, Chriſtus iudicem ſe temporalium negat.

Reſpondemus primo, haud negare Chriſtum ſe iudicem, ſed negare ab vllo conſtitutum, ita vt cogi poſſet, aut exigi ab ipſo iſta deberent.

Secundo reſpondetur, ideo iudicium ſuum petenti, quamuis illud iure interponere poſſet, negauit, quia laudabile eſt fratres ſimul habitare, ac vituperandum diſiungi, ac diſſentire, quod homini iſti eueniebat, quod S. Auguſtinus, & Beda eo loco adnotarunt.

Tertio, denegauit idcirco iudiciũ ſuum Chriſtus huic, quod ad illud implorandum moueretur auaritia, quod Chriſtus ipſe aperte tradit.

Quarto à ſe Chriſtus amouit hoc iudicium, quoniam nolebat multo maiora dimittere ob iſthæc minora, vt adnotant ibi S. Ambroſius, Euthymius, & Theophylactus.

Illud etiam præterea adducunt, à Chriſto dictum Pilato. *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet regnũ meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc*. Hæc Chriſtus ipſe Ioannis cap. 18.

Reſpondetur primo, Chriſtum clare aſſerere ſibi eſſe regnũ, ſed non hinc, ſiue à mortalibus datum, ſed ab ipſo Deo: ob id interrogans poſt hæc eum Pilatus: *Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus.*

Ieſus. Tu dicis, quia Rex ſum ego. Itá interpretantur hunc locũ S.Io.Chryſoſtomus hom.25. Theophilactus, & alij Græci, & S. Auguſtinus tractatu 115.in Ioannem.

Secundo reſpondetur. Chriſtum reſpondere regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ideſt de impijs, & flagitioſis: ſic enim S. Ioannes intelligit cum dicit aliquid eſſe de mundo, vt cap. 1. 8.15.17.ita ſentit S.Auguſtinus tractatu 115.in Ioannem.

Tertio Chriſtus addit, quanam in re ipſius regnum non eſſet de hoc mundo, quia nõ aderant ei milites armati, qui pręliarentur, oſtendens ſibi non eſſe armis acquirendum regnum, ad confinia duntaxat imperij dilatanda, quod eſt iniquorum, ſiue eorum, qui ſunt de mundo, ſed eſſe ſuum regnum diuinitus datum ad veritatem ſtabiliendam, vt hic explicat Cyrillus lib. 12.cap.12.

Quarto regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ideſt, potiſsimum de hoc mundo: veluti ſi dicamus Hiſpaniæ regnum non eſſe de ſolitudinibus, aut locis ſilueſtribus, ſed de populis, ac ciuitatibus. Verum ſignificauit his verbis, Chriſtus cæli, terræ, cæterarumque rerum omnium eſſe ſuum principatum. Ita Cyrillus lib.12.in Ioannem cap.10. *A quo Cæſaris principatus penderet*, inquit idem cap.23.& cap.30.

Quinto non erat de hoc mundo, quia parum regnaturus erat in terris, parumque in terris boni Reges regnant: & ideo vere quiuis Rex dicere poteſt appetens cæleſtia, iugiterque ad illa ſpirans, regnum meum non eſt de hoc mundo, quæ eſt explicatio S.Auguſtini loco adducto.

Quocirca ex hoc loco Sancti Patres, ac Doctores concludũt, Chriſtum perfectiſsime eſſe omnium regnorum, quæcumque ſint, Regem: hinc Cyrillus lib.12.in Ioannẽ interpretans Chriſti verba. *Regem ſe eſſe non negat: ſed regni Cæſaris ſe non eſſe hoſtem oſtendit, quia eius regnum terrenum non eſt, ſed cæli, & terræ, cæterarumque rerum omnium*. Eadem Chryſoſtomus homil.82.in Ioannem, & S.Auguſtinus tractatu 14.*erat quidem Rex*, inquit, *non talis, qualis ab hominibus fit, ſed talis, vt homines Reges faceret*.

Denique obijciunt; Chriſtus dixit ſuis: *Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Si Chriſtus ergo non exercuit regiam poteſtatem, niſi raro quamuis omnium maxime haberet, habeatque; ergo & ſacerdotes, clericique participantes pro ſuo modo illam.

Re-

Reſpondetur ad hoc, Chriſtum maxime exercuiſſe regiam poteſtatem cum ſuis; nam ſimulatque ijs edicebat, vt omnia pauperibus darent, ij dabant. Amplius eum ſequebantur, quocumque ibat: denique nihil non ijs exequendum mandabat, ijque obediebant. Quis itaque dicat, Chriſtum non exercuiſſe hanc poteſtatem? Non in ſola templa ſuos Chriſtus ducebat, non in ſola ſacra, & pure ſpiritualia, non ad explicandos duntaxat actus pure, aut etiam mixte ſpirituales. ſed quoſuis, modo non ſua natura malos, per campos, per montes, per maria, neque illis imperabat? quis hoc dicet? Imperabat illis, vt cibos appararent, aſinos deducerent, turbis præeſſent, eas locis ſuis diſponerent, alimenta miniſtrarēt, miniſtrata colligerent; naues deducerent, gubernarent, piſcarentur, & multa huiuſmodi: & aliquis aſſeret CHRISTVM non exercuiſſe in pauculos illos maximam poteſtatem? Quod autem magis ad rem noſtram facit. Iſti non erant adhuc vel clerici, vel religioſi, niſi ex quo ſeſe penitus CHRISTO addixerunt, ordinatique ſunt ab ipſo CHRISTO vel clerici, vel ſacerdotes: ſimiliter viuente Chriſto nullum votum ſolemne, publicumque emiſerāt, tantum profitebantur, ex animo ſeſe paratos ad omnia iuſſa facienda; ac reuera parati erant.

Secundo. CHRISTVS nondum veteri abrogata, nouam legem promulgauerat, ritusque vllos ſanxerat, quibus cœtum conſtitueret, cui præeſſet. Nunc autem lege veteri antiquata, ritibus innouatis, cœtuque conſtituto, ac regno CHRISTI in terris firmato, per ſuos miniſtros à ſe delectos, ac ritibus ab ipſo conſtitutis ordinatos ſi quam non exercuit, poteſt exercere, aut ipſius nomine poſſunt ipſius miniſtri exercere; multo magis, quam prius exercuerit in credentes.

Tertio, baptizatis exceptis, quicumque erant obligati Chriſto obedire, obligati erant propter inſtructionem ſufficientem duntaxat; quos à ſe in cælis regnante immiſsis exercitibus perdendos idem CHRISTVS prædixit, vt habetur Matthæi cap. 22. idque, quoniam nullas adhuc ſuorum militum copias conſcribere, & cogere ſui valebant, cum nondum tot, vel ſufficienter inſtruxiſſent, vel baptizaſſent, qui bella adminiſtrare poſſent.

Quarto. Iuſsit ſuis CHRISTVS vt exercerent, quam non exercuit ipſe regiam poteſtatem, compellerentque homines Chriſtianos ad imperata facienda, poſtquam ſufficienter ipſius

ſius lex promulgata, ac recepta eſſet; ita vt ſui poſſent exercitus educere aduerſus Chriſtianos impios, reluctãtes, contumaces, & in alios oppugnantes catholicam religionem, & pios, aut alioquin pœnis iure naturali exſoluendis ob peccata ſubiectos, vt è ſuperioribus deduci apertiſsime poteſt, atque infra ſuo locò dicetur.

Quinto, humilitatem CHRISTVS Agnus, & Leo, exercuit maximam cum ſuis, qui maxime omnium fuerunt, erantq; illi obedientes; ac paratiſsimi erant abiectis omnibus ad extrema, quælibet amore ipſius adeunda, veluti cum Petro, & Apoſtolis cum lauit eorum pedes, neque volebãt Chriſtum ſic humilem cum ipſis eſſe. Igitur eccleſiaſtici exercebant humilitatem externam cum ſuis ita reuera affectis. cum reliquis non ita, maxime vero non cum ijs, qui volunt eos ſpinea corona exornare, ac dicere, auete Reges Iudæorum, nimirum cum ijs, qui volunt ſpecioſiſsimis quibuſque verbis, & geſtibus honorare eccleſiaſticos. reuera autem poteſtate omni exuere, ac viam parare Antichriſto. Quos quidem talia conantes, & agentes aduerſus eccleſiaſticam libertatem, & poteſtatem diabolos. S. Cyprianus epiſtola ad Pupianum, tenebrarum portas Hæreticos, Simoniacos, Tyrannos, imperiorũ deſtructores S. Gregorius de Imperatore Mauritio, & alijs loquens Pſal. 4. pænitentiali, S. Paulus Leones, & myſterium iniquitatis.

Stet itaque CHRISTVM Regem fuiſſe omnium rerum creatarum, ſimulatque eſt conceptus. Aſſerimus autem non modo eſſe Regem vti Deum, ſed vti hominẽ, ac recte ab Eccleſia cantari illud ipſi, *Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſsimus Ieſu Chriſte*. Nam Chriſtus eſt primum, vt homo, atque ita canitur illi, vt homini toto orbe ſurdis non audientibus. *Tu ſolus Dominus*. nullus itaque eſt Dominus, niſi Deus, & poſt Deum Chriſtus homo, quod, cum ſit modo, ac fuerit ſemper maxime apparebit omnibus extremo iudicij die.

Multis

Multis probatur à CHRISTO *Eccleſiæ, eccleſiaſticisque communicatam fuiſſe eandem quam ipſe habet regiam poteſtatem.* Cap. XIII.

CVm CHRISTVS itaque factus excelſior cælis, & in omnibus primatum tenens mortales ſecum plurimos in cælum perduxiſſet, Angelorumq. ordinibus aſcripſiſſet, qui tum Deo, tum vero ipſi Deo ſimul, & homini cuncta moderaturo aſsiderent, ac ſeruirent, nequaquam deſtituit terras. Ipſe nãq; idẽ propter corpus, quod cõficitur à ſacerdotibus, vero corpe, adeſt in terris, totidemq; ordines mortalium in terris degentium ſeruiũt ipſi eidem, qui reſpondent ordinibus Angelorum. Recte igitur Eccleſia toties regnum cælorum vocatur Matthæi cap. 13. & 15. & Chriſtiani vocantur, vt primi libri capite ſecundo dicebamus ciues Sanctorum, Deique ipſius domeſtici, ab Apoſtolo Paulo.

Primo igitur, ſi regnum cælorum eſt Eccleſia, vt volunt Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius, neceſſe eſt ſimilis quantum fieri poteſt ſit cæleſti, non quomodolibet, ſed in regnando; ita vt quemadmodum ſunt in cælo regantium cum Chriſto ordines nouem (ipſe enim, ſanctiſsimaq. ipſius Virgo nõ rediguntur in ordinem, ſed ſupra omnes ſunt ordines) eodem modo totidem ſint in terris ordines regnantium cum CHRISTO, alioquin cur cælum vocetur, ac regnum cælorum?

Secundo, ſi Chriſtiani ſunt Sanctorum ciues, ac domeſtici Dei, ſine dubio neceſſe eſt, vt alicui ordini aſcribantur; omniũ namque eſt ordinatiſsima Chriſti Eccleſia: ſpectatque ad illam quod habetur Canticorum, cap. 6, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Sed nullus pulchrior eſt ordo, quam qui cæleſti eſt conformis. Ergo conformis eſt ordo Eccleſiæ ordini cælorum; ac ſicut hic in nouem choros, eodem modo, & ille diſtinguetur.

Tertio

Tertio, S. Dionyſius in vniuerſum tradit hoc. Nam ſic Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. cap. 10. *Hierarchia noſtra ordinibus, qui à Deo traditi ſunt, Sanctè digeſta, cœleſtibus Hierarchijs eſt ſimilis, ſi ſu.is Deum imitantes, quantum hominibus fas eſt, diuinaſq; figuras* (Græcè χαρακτῆρας characteres) *& notas obtinent*. Et primo cap. narrat, ac numerat nouem diuinitus inſtitutos à Chriſto ordines, miſſosque ait Apoſtolos ab eodem, vt inſtituerent hos ordines, quibus in locis poſſent, & ait. *Cum primi Hierarchiæ noſtræ Duces, ac Principes, & ipſi à diuina bonitate plene, cumulateque Sanctum hoc munus accepiſſent, & a diuina benignitate eius apud poſteros propagandi, prorogandique cauſa miſſi eſſent*. Nouem vero numerat, quod primæ tonſuræ clericum, quem monachum vocat, Epiſcopumque ijs aſcribat; ſiue proprio charactere hic inſigniatur, ſiue Sacerdotalis in eo dilatetur, haud curamus. Nouem ſanè eſſe ordines Angelorum notiſsimum cunctis eſt. De Angelis namque paſsim mentio fit in literis diuinis, atque hoc nomen eſt etiam cõmune omnibus. De Archangelis loquitur Apoſtolus 1. ad Theſſalonicenſes 4. *In voce Archangeli*, Et Iudæ, cap. 1. *Cum Michael Archangelus, cum Diabolo diſputans altercaretur*. De Thronis, Dominationibus, Principatibus, & Poteſtatibus, S. Paulus ad Coloſſ. cap. 1. *Eſt imago* (Chriſtus) *Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates*. & ad Romanos cap. 8. *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes*. De Cherubim mentio fit. Exodi, cap. 25. 37. & 3. Reg. 6. Ezechielis 9. 16. 28. De Seraphim. Iſaiæ. cap. 6. ſic itaq; ordines Angelorum ſunt nouem, Seraphim, Cherubim, Throni, Dominanationes, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, Angeli. Quæ ſanè doctrina priſcis adeo nota fuit, vt Proclus, Pſellus, Damaſcius, Hermias vna cum Chaldæis, & Ægyptijs eadem memoriæ mandarint.

Quarto; manifeſtè ſuis nominibus ordines hos nouem diſtinguit S. Ignatius, quæ deinde ſunt à nobis retenta; Vt enim ſæpe contingit, in Eccleſiæ naſcentis exordio varie poterant appellari, vbi erant: cum propter Chriſtiani cleri paucitatem, non poſſent omnibus in locis omnes eſſe. Apoſtolus quidem nouem numerat gradus eorum, quæ Chriſtus aſcendens hoĩbus dedit, nõ recenſens illa ordine ſuo, niſi quæ prima ſunt, quibus primis hi nouẽ præcipuè continentur, & ait 1. Cor. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in*

Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas (hos, vt vidimus vult eſſe presbyteros. S. Ambroſius, & his contineri reliquos ordines inferiores) *Tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum*, Et mox adiicit, *Interpretationes*, at & ad Epheſ. cap. 4. non ſeruans ordinem niſi in primis, ait, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Et mox, *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores*. Sic Apoſtolus multa relinquens, & ordinem non ſeruãs. Ignatius autem clare, quod non erat opus ab Apoſtolo explicari, affert ordinum nomina, quæ retinuit ſequens ætas Epiſtola ad Antiochenos, & inquit, *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cãtores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, atque confeſſores*. Tertullianus lib. de corona militis lectorum meminit, S. Cyprianus. ep. 63. vel 22. lib. 3. ait, *Feciſſe me autem ſciatis lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Cõfeſſorem, quos iampridem communi conſilio Clero proximos feceramus*. Hæc ille oſtendens ante lectorem eſſe aliquẽ ordinis clericalis gradum, quo fit aliqui clero proximus, neque tamen laicus ſit, ac talis eſt, qui prima tonſura initiatur, *Clero proximos*, ait, *feceramus*. Idem ep. 55. meminit Acolythi. *Nactus tamen occaſionem familiariſſimi hominis, & clerici per Felicianum Acoluthum, quem cum Perſeo collega noſtro miſeras, inter cætera, quæ in notitiam tuam perferenda tibi fuerant, etiam de Fortunato iſto tibi ſcripſi*. At Cypriano equalis Cornelius epiſtola ad Fabium Antiochenum Patriarcham libri ſexti cap. 35. apud Euſebium, de Romana Eccleſia loquens inquit, *In qua* (Eccleſia Romana) *tamen non ignorabat* (*quomodo enim poterat?*) *præsbyteros eſſe quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & lectores vna cum Oſtiarijs quinquaginta duos*. Hæc ille, vt ſciamus ex inſtitutione diuina eſſe ordines omnes, exordiumque eorum ſumi ab Eccleſia naſcente, ab ipſo Chriſto, quod etiam ex ipſis Apoſtolicis conſtitutionibus apparet, a quibus commemorandis, quod in promptu ſint, ſuperſedemus.

Quinto fuerunt adumbrati hi in antiquo teſtamento, ſicut & reliqua omnia, ait enim, S. Paulus, *Omnia in figura contingebant illis*, &, *Vmbram habens lex futurarum, non ipſam imaginem rerum*. Igitur Hugo è S. Victore lib. 1. de Sacramentis, cap. 32. & ſequentibus vult adumbratos è noſtris ordines ſeptem in antiquo templo. in quo erant æditui reſpondentes Oſtiariis, Canto-

res

res, Lectoribus; Exorciſtæ exorciſtis; Acolythi noſtri iis, qui lumina accendebant; Nathinæi Subdiaconis; Leuitæ Diaconis; Clerici primæ tonſuræ Nazaræis, vel oblatis comparati, quos aliqui ordinibus non aſcribunt. Epiſcopos quidem quod præſint ordinibus, & omnia ſacramenta conficiant; Clericos vero, quod ſubiiciantur omnino, neque vllo munere ſpeciali fungantur, quo Chriſti corpori ſeruiant. Idem vero Hugo libri de ſpeculo Eccleſiæ, cap. 1. oſtendit omnes huiuſmodi ordinum functiones à Chriſto expletas, additque, cum ſeptem Diaconi fuerint diuino monitu electi ab Apoſtolis, qui corpori conficiendo adſiſterent, ac miniſtrarent eidem diſtribuendo, idcirco ſignificari illos ſeptem cādelabris aureis in templo collocatis, ſeptem tonitruis e throno Dei procedentibus, ſeptem ſpiritibus, & oculis adſiſtentibus dominatori vniuerſæ terræ: niſi magis placeat alicui iſtis ipſos ſeptem ordines repræſentari.

Poſtremo aperte definiuit Sanctum Concilium Tridentinum, eſſe in Eccleſia huiuſmodi ſeptem ordines, ab ipſius initio diuinitus inſtitutos, ſic enim ſeſſione 23. cap. 2. *Ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, exorciſtæ, lectoris, & Oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcuntur, quamuis non pari gradu.* & can. 6. *Siquis dixerit in Eccleſia catholica, non eſſe Hierarchiam diuinā ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris anathema ſit.*

Rurſus. ordinibus hiſce imprimi in anima indelebilem characterem definiuit idem concilium: ſic enim ſeſſione eadem, cap. 4. *In Sacramento ordinis, ſicut & in baptiſmo, & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt.* Ita Sanctum concilium, quod omni genere teſtimoniorum comprobatur præter id, quod ab ipſo eſt decretum. Primo in vniuerſum deinde ſpeciatim, quoad ordines minores.

Primo in vniuerſum. Sic Dauid pſal. 44. ad Chriſtum. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ cōſortibus tuis.* Quod ait, *præ conſortibus tuis,* ſignificat eos, qui participant eius vnctionem, ſiue indelebilem figurā, & characterem Sacerdotalis, ac Regiæ poteſtatis, ita S. Iuſtinus in dialogo cum Tryphone. *Oleum quoduis tam ex oleo, quàm è ſtacte, aliove odoramento compoſitum huius vnctionem figurabat, æquè demonſtrauimus ſcriptura dicente, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, etenim*

Regibus omnibus, Chriſtiſque (ideſt vnctis) ex huius conſortio Reges, Chriſtoſque vocari contingit, quemadmodum & ipſe à Patre accepit, vt eſſet Rex, Chriſtus, Sacerdos, Angelus, & quidquid habet, vel habuit virga Aaronis germinans Pontificem eum deſignauit. Hæc Sanctus volens ex conſortio Chriſti, ob vnctionem ipſius participatam dari poteſtatem Regiam Angelis, Sacerdotibus, Chriſtis, Regibuſque, atque à Chriſto hæc omnia dimanare, veluti à virga eſtloreſcēte Aaronis datus eſt Aaroni ſummus Pontificatus; & S. Auguſtinus in illum pſalmi verſiculum. *Vnctus eſt Deus à Deo. Vnctum audis, Chriſtum intellige. Etenim Chriſtus à chriſmate. hoc nomen, quod appellatur Chriſtus vnctionis eſt: nec in aliquo alibi vngebantur Reges, & Sacerdotes, niſi in illo Regno, vbi Chriſtus prophetabatur, & vngebatur, & vnde venturus erat: Chriſti nomen numquam eſt alibi omnino in vlla gente, in vllo regno. Vnctus eſt ergo Deus à Deo. quo oleo, niſi ſpirituali? oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inuiſibile in Sacramento eſt. Oleum ſpirituale intus eſt, oleum viſibile exterius eſt.* Et mox, vt oſtendat in Eccleſia eſſe hanc vnctionē Regiam propter ipſos Sacerdotes, ait. *Hoc figurabatur in eo. dormierat Iacob patriarcha, lapidem ſibi ad caput poſuerat; dormiens autem illo lapide ad caput poſito, vidit apertis cœlis ſcalam à cœlo in terram, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes. hoc voto euigilauit; vnxit lapidem, & diſceſſit. In illo lapide intellexit Chriſtum, & ideo vnxit.* Et mox. *Lapis ad caput, quia caput viri Chriſtus, & vnctus lapis, quia à chriſmate dictus eſt Chriſtus; & videntur ſcalæ reuelante Chriſto à terra in cœlum, vel à cœlo in terram, & aſcendentes, & deſcendentes Angelos.* Et mox. *Lapis ille, ad caput eſt. Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Angeli Dei aſcendant, & deſcendant per ſcalas illas, fiat hoc in Eccleſia. Angeli Dei ſunt annunciatores veritatis. aſcendunt, & videant: in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. deſcendant, & videant, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. aſcendant, vt erigant magnos: deſcendant, vt nutriant paruulos. vide aſcendentem Paulum, ſiue mente exceſſimus, Deo. Vide deſcendentes, ſiue temperantes ſumus, vobis. Vide aſcendentem, ſapientiam loquimur inter perfectos. Vide deſcendentem, lac vobis potum dedi non eſcam. Hoc fit in Eccleſia. Aſcendunt, & deſcendunt Angeli Dei ſuper filiū hominis: quia ſurſum eſt filius hominis, ad quem aſcendunt cor-*

de

de, id eſt caput eius: & deorſum filius hominis, id eſt corpus eius. membra eius hic ſunt, caput ſurſum eſt. Aſcenditur ad caput, deſcenditur ad membra. Chriſtus ibi; Chriſtus hic. Hæc Sanctus explicās Chriſtū eſſe, qui præcipuè ſit vnctus, ſub hoc Sacerdotes veluti Angeli, aſcendentes, ac deſcendentes, vnguntur caput ſad & ipſi intime à Deo, vt aſcēdant, ac deſcendāt. Atq; hæc Sanctus volens à primo charactere Chriſti, à prima vnctione Chriſti indelebili imprimi intime indelebilem charactarē, indelebilem vnctionem in participes, & conſortes eius, ac deſcendentes. Hinc Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, In illa verba Epiſtolæ primæ ad Corinthios. *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & filius ipſe ſubijcitur ei, qui ſubiecit ei.* Et quæ ſequuntur, ait, Primo à gratia, ſeu ſtatu, ordinatione, ipſa ſupernaturali orbem regendum ſcribens, *Demonſtratum eſt regnum Chriſti nullo fine conſumari, & quod tradit regnum Deo, & Patri, hoc eſt Orbem; in quo eum regnauit olim peccatum, poſtea idem à gratia regi cœpit.* Secundo oſtendit regnum Chriſti hominis eſſe idem prorſus, quod Dei, & ait. *Declarauimus enim, vt memores ſunt auditores ſtudioſi, quod idem ſermo, qui Patris dignitatem adſtruit, is verbo, & ſyllabis ijſdem Chriſti quoque dignitatem prædicat. & ſicut ibi dixit, vt ſit Deus omnia in omnibus, ſit &. de vnigenito ait, ſed omnia in omnibus Chriſtus.* Tertio decernit, quæcumque tum Dei, tum Chriſti regno attribuuntur eadem pertinere ad Eccleſiam, & ait. *Proinde hinc diſce, quæcumque huiuſmodi dicta Chriſto tribuuntur, ea ad Eccleſiam Chriſti pertinent, cuius rei teſtem ipſummet dominum Eccleſiæ producam.* Et mox. *Vides vt ipſius faciat, quæcumque ſunt Eccleſiae, ſiue paſsiones, ſiue honores. Veneràtus es Eccleſiam, veneratus es Chriſtum, inſectatus es Eccleſiam, inſectatus es Chriſtum.* Et dein. *Declaratum eſt itaque fratres, & omnia, quae in Eccleſià conſiderantur, in Chriſtum referri poſſunt.* Quarto aperit Eccleſiaſticam poteſtatem reſidere in Sacerdotibus, & ait. *Cogita quantum periculum eorum, qui Eccleſiam mœrore afficiunt, quanta corona eorum, qui Eccleſiam venerantur, qui vos ſpernit, me ſpernit, inquit Saluator.* Hæc ille dicta ad Apoſtolos, ac proinde ad eorum ſucceſſores Epiſcopos, vt S. Cyprianus epiſt. 69. & libro de vnitate Eccleſiæ vnà cum alijs interpretatur, volens ad Eccleſiam pertinere. quod pluribus declarat. Quinto in fine homiliæ ſtatuit, quæ ſit poteſtas in Chriſtum, Eccleſiam, Chriſtique

in imagine, in terrenis cœleſtia. Tres Patriarchae ſunt in honorem Trinitatis. Hæc de tribus tantum Patriarchis, ita autem de tribus Sacerdotibus. *Et ſicut, licet multi ſint Patriarchæ, vt prædicetur gloria viuentis ſpiritus ſufficit ternarius; ita cum multi ſint Sacerdotes trias tamen Sacerdotum electa eſt, nempe Moyſis, Aaron, qui in Sacerdotibus eius.(*Pſalm.98.*)* & *Samuelis.* ſubiicit deinde de tribus Regibus,& inquit, *Multi Reges, & multi Sacerdotes,& tamen celebris eſt memoria trium.Dauid ſcilicet,Ezechiae,& Ioſiae.* Atque hæc ille de tribus Patriarchis Prophetis, tribus Regibus,tribus Sacerdotibus, qui ſunt nouem, Sacerdotalem, Regalem, Propheticamque poteſtatem continentes, atque ordinum Eccleſiaſticorum triplicem Hierarchiam deſignantes vna vnctione abſolutam; & in vno, vt in apice, Chriſti dono reſidentem. Quocirca recte idem. *Quare lex ponit decem mandata, gratia autem nouem beatitudines? nempe decem mandatorum numerus reſpondet numero plagarum Aegypti. Decem plagae Aegypti impietatem caſtigarunt,& decem mandata populum erudiunt inſenſatum. Id quod & littera Iota indicat, qua denarius numerus ſcribi ſolet. Virgulae enim formam, & figuram praefert. & virga erudiebat Aegyptios, atque populum. Ieſus vero Dominus noſter dat nouem beatitudines triplici ternario, triplicem plectens coronam, quandoquidem fratres, admirabilis illa trias, Regalis illa dignitas,immaculata natura, indominabilis dominatio, in ternario gloriam habet.* Hæc Sanctus de virga Sacerdotali, Prophetica, Regia in vnum per vnctionem reducta, nouemque ordines ſub ſe continens triplici numero in ſe per vnum ſuimetipſius ductum reducto Trinitatemque, & vnitatem ſimul Vnctionis vnius deſignans, de quibus eſt ſermo. Iota vero eſt minima litterarum, ac prima nominis Ieſu, nominisque ineffabilis ſignificans humilitatis Chriſtianæ, ac diuinæ altiſsimam poteſtatem, ex qua Pontifex ſummus,vt priuata perſona eſt ſeruus ſeruorũ Dei, vt publica, eſt Vicarius Chriſti, ac Dei. Atq; hæc quidem Chryſoſtomus.

Secundo igitur loco principaliter, Clericis imprimi characterem, conflarique eorum naturam in ordinem, ſeu poteſtatem Sacerdotalem, qua poſsint offerre ſacrificia pura oſtendit Malachias cap.3.loquens de Chriſto, & dicens, *Ipſe enim (*Chriſtus*) quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundans filios Leui,& colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſæculi,&*

ſicut

ſicut anni antiqui. Hæc vates, quæ nonnulli tamquam generalia referunt ad extremum iudicij diem. Sed quoniam tunc non erunt amplius, qui offerãt ſacrificia, neceſſe eſt in primis ad ordinationẽ Sacerdotalem referamus; ac maxime, quod loquitur tantum de Leuitis, & ait eos conflandos, vti argentum, & aurum. Sic itaque ſpeciatim referenda ſunt ad Clericos, qui ſunt à Chriſto ita conflandi, vt offerant ſacrificia ſemper munda, ſemper Deo placentia. ſignari autem verbis illis indelebilem, ſimulque intime inhærentem poteſtatem conſtat. Primo, quia dicit eos ita conflandos, vt eorum poteſtas, ex qua offerant ſacrificia, non commaculet ſacrificium. Pura eſt igitur illa, atque à Deo prorſus dependens, quam nemo poteſt abradere. Secundo quod ait conflandos non modo vt argentum, ſed vt aurum, ex quo neque ignis omnia conſumans aliquid abſumere, & auellere poteſt. Sic igitur explicant illum locum SS. Hieronymus, & Theodoretus, quos alij multi ſequuntur. Sic enim S. Hieronymus, *In filijs Leui omnem Sacerdotalem intellige dignitatem.* Et mox. *Hæc & iuxta hiſtoriam, & iuxta tropologiam intelligimus, & quod eo tempore dicebatur ad Principes Iudæorum, nunc dicitur ad principes Eccleſiarum.* eadem Theodoretus.

Tertio probatur propoſitum principale ex illo S. Pauli loco 2. ad Corinthios cap. 1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus; qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Hæc Apoſtolus. vbi ſe in primis confirmatum, vnctum, ſignatum, cordeque ipſo, quaſi pugno, pignus ſpiritus habentem in corde teſtatur. Quo loco S. Ioannes Chryſoſtomus. *Hoc eſt, qui ſpiritum dedit, per quem vtrumque horum effecit, nimirum ſimul & Prophetas, & Sacerdotes, & Reges effecit. Siquidem hæc hominum genera olim vngebantur. At nos non vnam, ſed tres iſtas dignitates præſtantiori conditione obtinemus.* Hæc ille, quod autem dixit Apoſtolus ſignauit, ſignat immobiliter impreſſam diuinorum imaginem, & notitiam, quod dixit pignus, oſtendit poſſeſſam à nobis poteſtatem corde ipſo, vnctio denique oſtendit omnem poteſtatem. Hinc Ambroſius Sanctus in eumdem locum, Sancti Pauli ita ait, *Dominus ergo confirmat, & Deus, qui vnxit nos, ideſt, qui dedit Regiam(* notemus hoc*) Honorificentiam, ſicut dicit Petrus Apoſtolus; quia ſumus, inquit, genus Regale per vnctionem Sacerdotalem, cuius typus fuit in Regibus* (& hoc aduertamus*) Iudæorũ, qui & ſignauit nos dando ſpiritum ſuum nobis pignus, vt non ambigamus,*

bigamus de promiſsis eius. Si enim adhuc mortalibus Spiritum ſuum credidit, dubium non eſt, quin immortalibus addat gloriam. Vnum tamen opus dicit Patris, & Filij, quia & Chriſtus dicit, confirmat, & Deus. quem enim confirmat Filius, confirmat & Pater: & cum dat Spiritum Pater, dat & Filius: quia vtriuſque eſt Spiritus Sanctus; ſicut dicit ad Romanos: ſiquis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. quoniam ergo de perfectione hominis locutus eſt, Trinitatis hoc loco fecit mentionem. omnis enim ſumma perfectionis in Trinitate conſiſtit. Hæc Sanctus, volens non modo honorificentiã Regiam per characterem dari, ſed & tãtam poteſtatem, vt Reges antiqui ſint typus, & vmbra comparati Epiſcopis noſtris.

Quarto comprobatur propoſitum ex illis Apoſtoli verbis 1. ad Timothæum, cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt: quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.* Quod ait, *Quæ in te eſt,* oſtendit inhærentem poteſtatem quod, *Data eſt,* explicat poteſtatem tradentis inhærentem, quod, *Per Prophetiam,* ſignat poteſtatem intelligendi, & interpretandi Scripturas, in quibus futura explicantur ait S. Ambroſius, quod, *Cum impoſitione manuum,* demonſtrat è manu Epiſcoporum defluere intimè huiuſmodi poteſtatem. Hinc S. Auguſtinus, quæſtione 93. ex nouo Teſtamento. *Quod inſufflaſſe in diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos Reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe; accipite Spiritum Sanctum, Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum Sanctum aguntur, idcirco cum regula eis, & forma traditur huius diſciplinæ, dicitur eis: Accipite Spiritum Sanctum. Et quia verè ad ius Eccleſiaſticum pertinet, ſtatum ſubiecit dicens: Cuius tenueritis peccata tenebuntur: & cuius remiſeritis, remittuntur ei. Inſpiratio ergo hæc, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus dicit ad Timotheum: Noli inquit negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* Atque hæc quidem S. Auguſtinus, vel ſi quis alius quæſtiones illas ſcripſit.

Ex his in vniuerſum patet ordinis Sacramento ſignatis eſſe Regiam poteſtatem diuinitus impreſſam, quamuis eius actus nõ ſit, niſi quibus voluerit Pontifex ſummus iuſtis de cauſis, cum ſit ille apex, quod neceſſario ſæpius eſt repetendum, totius Eccleſiaſticæ poteſtatis. Ipſam tamen poteſtatem conferri in minoribus

ordinibus conſtat vna cum charactere ipſo, quamuis in prima tonſura tantum diſpoſitio detur, ita vt prima tonſura initiatus ſit medius quodammodo inter Laicum, & Clericum. Conſtat inquam tum è ſuperioribus, tum è Concilij Tridentini decretis.

Secundo liquet ex illo. Nam datur Exorciſtæ poteſtas inhærens immobiliter infixa, ſupernaturalis, ex qua Dæmonas fugare poſsit; quocirca multo magis ſuperioribus ordinibus datur.

Tertio, patet in Oſtiario, qui eſt primus ordo, cui datur poteſtas inuiſibilis. Nam quod in ordinandis Clericis agitur, quamuis deſignet actus externos ab ipſis reuera exercendos, oculis tamen ſpiritualibus deſignat ſpiritualia, quæ adumbrantur iſtis externis, vt liquet è Dionyſio libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, & omnibus, qui de his rebus agunt. Ideo dicitur Oſtiariis ab Epiſcopo ordinante cum protinus eſt claues daturus. *Sicut materialibus clauibus Eccleſiam viſibilem aperitis, & clauditis; ſic & inuiſibilem Dei domum corda ſcilicet fidelium dictis, & exemplis veſtris claudatis Diabolo, & aperiatis Deo; vt diuina verba quæ audierint, corde retineant, & opere compleant; quod in vobis Dominus perficiat per miſericordiam ſuam.*

Quarto, patet hoc ex ipſo etiam S. Dionyſio, qui tribuit poſtremis ordinibus vim purgandi, & illuminandi alios, quia ſcilicet ipſi intime recipiant inhærentem, & indelebilem qualitatem, potentiamque actiuam, qua diuinitus ipſi purgati, & illuminati à Deo poſsint alios purgare. Purgant autem tum remouendo Dæmonas, poteſtatemque eorum coercendo, tum vero intime propenſiores facti ad ſciendum, quid nos auocet à coniunctione cum Deo, ſiue à gratia diuina, quam coniunctionem cum Deo, gratiamque ſic natura humana appetit, ſic illa huic omni in re atque momento dominatur, vt numquam velle poſsit, vlla in re vllo momento contrarium. Quocirca dominatur illi hoc ius ineuitabile, atque æternum. Sed naturali poteſtate ſimul dominatur illi Dæmon; nam, *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Quamobrem, niſi ſupernaturali poteſtati ſe ſe ſubijciat humana natura, ideſt habentibus in terra hanc poteſtatem, quales ſunt Clerici ordinum minorum vſque ad ordinantem ſupremum, protinus aperit portas Dæmoni, ob id SS. Gregorius, & Thomas dixerunt, Eccleſiaſticæ poteſtatis & libertatis violatores eſſe inferorum portas. Atq; hoc eſt ex quo, vti ſæpè repetimus, non *Poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Nam Dæmon, *Factus eſt vt nullum timeret omne ſublime*

me, videt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. ait Iob cap.41. Cum dominetur itaque humanæ naturæ lex illa coeſſentialis ineuitabili, & immobiliter inhærente appetitu coniungendi ſe cum Deo, imitandi Deum, momento omni, omnique in re, Dæmonque illi ſit natura ſuperior, ac poſsit ita humores ipſius conturbare, ac miſcere, impellere in veſaniam,& furorem,vt longiſsime ponatur ab hac coniunctione, cogitur ineuitabili iure,vel in Dæmonum cadere poteſtatem non ſeſe humilians poteſtati ſupernaturali, vel huic ſeſe humiliare ac ſubiicere, ac proinde Clericis ordinum minorum. Diximus enim iam naturalem, temporalemq; poteſtatem non poſſe ex ſe quinque illa,& quinque à Deo non recipere immediate, ſed mediante ſupernaturali poteſtate. Primũ nõ poteſt facere, quin ſit facta,& ſeruetur omni in re,omni momento ob ſupernaturalem ſtatum, & ordinem. Secundo non poteſt ex ſe non cadere in Dæmonum poteſtatem, natura namque ipſa eſt his inferior. Tertio non poteſt ex ſe facere, quin ruat in omnia peſsima. Quarto non poteſt peruenire ad finem ſuum naturalem. Quinto neque ad ſupernaturalem, quo pondere naturæ ſemper fertur, neque poteſt conquieſcere, niſi conſiſtat in linea dirigente ad illum. Naturalis itaque, ac temporalis poteſtas non poteſt ex ſe hæc, vt poſsit,recipit à ſupernaturali poteſtate,quæ in Clericis reſidet vſque ad primum ſupernaturalis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis Solem,vt vocat S.Cyprianus;qui tenebris diſiectis,ac Rectoribus tenebrarum purgat, illuminat, ac perficit omnes humanas poteſtates in temporalibus habendis,& vtendis.

Quinto igitur merito omnes Scholaſtici concludunt,per ordines minores imprimi characterem, ſeu poteſtatem indelebilem, ac ſupernaturalem efficacem, qua vel fugetur Dæmon ex occupatis locis, quod ineſt Exorciſtis, vel arceatur, ne poſsit occupare fugatus Eccleſiaſtica claui, ſeu potentia, quæ Oſtiario datur. Ita SS.Thomas in quarto quæſt.25.artic.4. Bonauentura quæſt.1. Richard.3,quæſt.3. Scotus quæſt.vnica, Albertus Magnus, ac cæteri plerique omnes.

Sexto, ad confirmationem dicimus. Idcirco in ſingulis ordinibus manu accipi à Clericis inſtrumentum externum poteſtatis exercendæ ſignificans, quid ſpiritualiter etiam poſsit, accipi de manibus Epiſcoporum, quod ſignificet communicationem poteſtatis Epiſcopalis, Sacerdotaliſque actiuæ in eamdem materiam coniunctæ. manus namque actiuam poteſtatem ſignificant efficiendi aliquid. Cum dantur itaque manibus Epiſcopi

claues Oſtiario datur poteſtas actiua ſupernaturalis, & efficiens, vt Dæmonis poteſtas coerceatur, ne poſsit aliquo ingredi, ac clericus ſimul ſit aptior ad intelligendam diuinam voluntatem ſingulis quibuſque in rebus agendis aut habendis, atque ab ignorantia poſsit alios purgare.

Sic atque fit à Deo, Chriſto, & Pontifice ſummo poteſtatis ſupernaturalis quædam continuatio per illam clauium traditionem deriuandæ in clericum oſtiarium. Quòd ita explicamus. Ait Deus de Eliachim, qui Chriſtum figurabat cap. 22. Iſaiæ. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat. & figam illum paxillum in loco fideli; & erit in ſolium gloriæ domus Patris ſui. & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus Patris ſui.* Hæc verba principaliter, ad Chriſtum pertinere declarat, S. Ioannes Apocalypſis cap. 3. inquiens. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauim Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. ſcio opera ſua. Ecce dedi coram te oſtium apertum.* Hinc Cyrillus in illa verba Iſaiæ. *Interiori, ac penitiori intelligentia Chriſti nobis myſterium videtur ſubindicare.* Et mox. *Deus enim natura, & vniuerſitatis Dominus, & cultum ab omnibus recipiens, cum eſſet homo factus vocatus eſt etiam noſter Pontifex, & Dauidis gloriam accipere dictus eſt, id eſt potentiam, & regnum.* Et Theodoretus. *His verbis Pontificia dignitas, & Regalis datur Chriſto.* Et Procopius. *Dictus eſt Chriſtus accipere gloriam Dauid, quod acceperit regnum*, Has claues dedit Chriſtus Petro dicens, *Tibi dabo claues regni cœlorum.* ad quod ſicut oculus corporis ad viſibile, ſic mentis ad inuiſibile fertur, vt naturalis appetitus non acquieſcat, niſi in illud dirigatur: dedit autem Chriſtus Petro cum dixit, *Paſce oues meas.* Hæ claues Epiſcopis per manum ſucceſſorum Petri communicantur, ac per Epiſcopos communicantur Oſtiariis, hoc, vti diximus, modo. In collatione vero primæ tonſuræ, neque aliquod inſtrumentum Poteſtatis actiuæ traditur de manu Epiſcopi in manus ordinandi, neque traditur tamquam inſtrumentum, quo poſsit clericus aliquod in alios efficere, atque idcirco paſsiue tantum clericus ordinatur, vt ſeruiat aliis clericis maioribus potentibus aliquid efficere, alios purgare, aut illuminare. tantum dicitur illi. *Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Accipit itaque paſsiuam duntaxat diſpoſitionem, & impreſsionem, quod eſt initium chara-

racteris, & ordinis, qua ſupra alios conſtituitur, atque extollitur, *Nouum hominem*, induit, *Qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Sic itaque clericus primæ tonſuræ. extollitur ſupra naturalem poteſtatem, & ſæcularem, nequid hæc omnino in ipſum poſsit. Sed non datur illi poteſtas vlla actiua, qua poſsit purgare, & illuminare alios; idcirco à S. Dionyſio dicitur conſiſtere in ſtatione. Nihilominus vocatur & ipſe Rex, ac particeps Regiæ dignitatis ſupernaturalis ſupra alios homines, & Chriſtianos, ita vt quemadmodum veneramur ex hominum placito infantem Regem, diciturque illi obedientia deberi, nedum liber atque exemptus ab aliorum vel Principum poteſtate, ſic primæ tonſuræ clericus ſit liber, atque exemptus ab inferiorum quorumuis poteſtate, quod eius natura ſit altius euecta, ac Regiæ, ſupernaturaliſque poteſtatis non extrinſecus dumtaxat vti Rex puer, atque infans, ſed intime particeps effectus, vt Sancti omnes tradunt, atque infra apertius oſtendetur, altiorque deriuationis tantæ modus tradetur. ſimulque rationes afferentur, cur imprimatur indelebilis character, & conuenienter ſit, imprimendus. Recte igitur S. Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes. *Vbi Epiſcopus præſens fuerit, illbuc & plebs congregetur. Sicut vbi Chriſtus eſt, omnis cœleſtis militia adeſt, tamquam Principi militiæ, virtutis Domini, & ipſe eſt diſpenſator totius,* (notemus hæc verba) *totius intelligibilis naturæ,* Hæc ille apertè decernens à Chriſto regi omnem intelligibilem creaturam, quod per ipſum tenebræ intellectus humani expurgentur, Dæmones arceantur interuentu miniſtrorum ipſius, eo modo, quo ſupra eſt dictum; ſimulque immittantur bonæ cogitationes, boni impulſus confirmentur, vt poſsint omni in re peruenire tum ad finem naturalem, tum ad ſupernaturalem, ad quos omni in re, & omni momento vel appetitu naturali, vel elicito fertur ineuitabili procliuitatis iure, ac pondere humana natura neque aſſequi poteſt ſine Chriſto, ac ſponſa ipſius Eccleſia Sancta Mundi Regina, ac miniſtris eius. nunc eminentior modus, quo Regia poteſtas in omnia, modo, quo dicetur communicatur ordinatis indelebili charactere eſt explicandus.

Ex-

Explicatur modus eminentior, quo communicatur, ac deriuatur à Deo, Chriſtoque Regia poteſtas in ordinatos, teſtimoniaque multa ad hoc afferuntur.
Cap. XIIII.

DEVS, inquit Sanctus Thomas in quartũ diſtinctione 24. quæſt. 5. art. 1. quæſt. 1. *Sua opera in ſui ſimilitudinem perducere voluit, quantum poſſibile fuit, vt perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet: & ideo, vt in ſuis operibus repræſentaretur, non ſolum quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundum quod alijs influit, hanc legem naturalem poſuit omnibus, vt vltima per media perficerentur, & media per prima, vt Dionyſius dicit. Et ideo, vt ſua pulchritudo Eccleſiæ non deeſſet, poſuit ordinem in ea, vt quidem alijs ſacramenta traderent, ſuo modo in hoc aſſimilati quaſi Deo cooperantes, Sicut etiam in corpore naturali quædam membra alijs influunt.* Hæc Sanctus. Primo volens iuris eſſe naturalis non modo vt ſint res, ſed vt alias quoque res producant, idque ob tria, vt perfectæ ſint, Deus per eas repræſentetur, & cognoſcatur. Secundo hinc fieri, vt lege naturali, ſiue iure naturali ſint ordines in Eccleſia, per quos miniſterio Sacramentorum deriuaretur in alios ſiquid diuini habent, aut habere poſſunt. Hinc vt vidimus ſine ſupernaturali poteſtate, quælibet naturalis ac temporalis poteſtas omnino nulla eſt, ſed inſtituenda eſt ab Eccleſiaſtica, *vt ſit*, inquiunt Hugo, Alexander, Ægydius, Mayro, ac S. Thomas, recipitque illa ab hac quinque illa nobis ſuperius explicata, & comprobata, vt ſit, conſeruetur, non cadat in Dæmonũ poteſtatẽ, non ruat in omnia peſſima, perueniat ad finem ſuum naturalem, perueniat ad ſupernaturalem, quò ſemper oĩ in re naturæ intimo impulſu, legeq; ineuitabili fertur. Ad quorum clariorem adhuc explicationem conſiderandum nobis eſt, quomodo imprimatur animæ Clericorum diuinitatis altiſſimæ, Trinitatis, ac potentiæ character, figura, imago, effigies, pulchritudo indelebilis influẽs in alios naturam diuinam. In Deo ſunt tres perſonæ, vna eſſentia. Patri attribuitur poteſtas, Filio ſapientia, Spiritui Sancto bonitas.

tas. Pater eſt *Fons vitæ, à quo omnis paternitas, quæ in cœlo, & quæ in terra nominatur.* Sed, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio vitam habere in ſemetipſo*, Atque hic ſuis dedit, vt eſſet, *Miniſtratio vitæ, fons vitæ ſalientis in vitam.* Filius itaque eſt æterni Patris ſapientia, perfectiſsimaque imago exemplaria continens omnium, quæ à Patre produci poſſunt, Atque ipſe illa fabricatur. hinc *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Nam ſicut artifex peritus omnium, quæ agit ſimulacra quædam prius mente delineat, & deſcribit, ac per eas in agendis dirigitur ab intellectu ſuo: ſic opifex ille rerum ſummus filium genuit ideas omnium, quæcumque ſunt, aut eſſe poſſunt, eſſentialiter habentem, per quem cuncta agit. Hinc dicitur *Splendor paternæ gloriæ, figura ſubſtantiæ eius.* Hebr. 1. Cum vero Dæmon à principio Dei pulcherrima opificia deturpaſſet ſupernaturali poteſtati inimicus, hominemque ſimiliter ab altiſſimo ſupernaturalium ſtatu deturbaſſet, conſtituit ex æterno decreto Deus omnia reuocare in multo nobiliorem formam per eumdemmet, per quem cuncta condit. Sic igitur amore voluntario permotus voluit, vt amatiſsimus ille filius naturæ diuinæ humanam in ipſa propria ipſius perſona ſubſiſtentem coniungeret, ac per hanc humanitatem cuncta reſtauraret, attolleret ad ſublimiſsimum ſupernaturalis potentiæ gradũ. Hinc eo ipſo, quo Deus eam coniunxit ſecundæ perſonæ, coniunxit characteri, quæ eſt ipſa filij perſona Patris character, qui Eccleſiæ ſponſæ, corporiſque ſui mẽbris, & ordinibus eũdẽ participatũ ſuo modo impreſſit ad eũdem poteſtatis, eiuſdẽ finem, pellendũq; ex oĩ dñio Dæmona, at tollendã in ſupernaturalis gradus altiſsimũ ſtatum humanam naturam, quo fertur illa pondere ſuo. ſicut itaque hic character, quo Pater humanitatẽ ſignauit, eſt ſapientia, qua regit omnia, eſt poteſtas, qua facit omnia, ſic character, quem Chriſtus ordinibus impreſſum reliquit, eſt participatio eiuſdem characteris, ac ſapientiæ, quo medio in eumdem finem reguntur cuncta in terris, eſt participatio poteſtatis eiuſdem, qua in finẽ ſuum perducitur humana natura, Dæmoneque cum ſuis expulſo, attollitur in eminentiſsimum ſtatum. Tanto enim Regi in cœlis quidem triumphanti, ſed adhuc in terris militanti, & in terris conſimiles dandi erant milites, tanto artifici cuncta reſtauraturo conſignandi eiuſdem Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatiſque conſortes artifices ad idem conſecrati, in quibus eſſet immobiliter, *Fons vitæ*, poteſtatis, ſapientiæ, bonitatiſque omnis in alios deriuandæ. Ac

veluti-

veluti ſupernaturalis Dei poteſtas Chriſti corpus confecit, ſic ipſi conficerent corpus Chriſti, à quo eſt omnis poteſtas, ſapientiaque omnis.

Secundo, ſicut Deus ſupernaturali poteſtate illabitur eſſentiæ noſtræ, eique dat bonos impulſus naturales, vt aſpirent, ac tendant ad ſuum finem, ſuam perfectionem vitali illo motu, ſic his eſſet indelebiliter ex poteſtate participata, *Miniſtratio vitæ non litteris deformata in lapidibus, ſed ſcripta in cordibus*, Sacramentorum miniſterio peruaderent eſſentiā mentium noſtrarum, vitā, lumen, optimoſque ijs impulſus impartirentur, per eos eſſet in hominibus, *Fons aquæ ſalientis in vitam*: gignerent, & ipſi filios Dei, dicerentque cum Paulo, *Per euangelium ego vos genui.* &. *filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis formetur Chriſtus.*

Tertio ſicut, *Omne donum optimum, & datum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum*, ſic per eos *eſſet Eccleſia, domus Dei, columna, & firmamentum veritatis, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, eſſent, *lux mundi.*

Quarto. Sanctitas præcipua foret in ordine ipſorum, quam reuera eſſe ſupra eſt explicatum.

Denique militarent, *aduerſus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, tanta eſſent poteſtate, vt fugarent cum ſuis illum, de quo eſt dictum. *Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram, qui factus eſt, vt nullum timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, Ordini horum darentur, *Claues regni cœlorum, claudit, ac nemo aperit, aperit ac nemo claudit.* Sed hæc, quæ dicta ſunt conſignemus Chriſti teſtimonio, Patrumq; Sanctorum verba ipſius explicantium; Nimirum per ordinis Sacramentum viris Eccleſiaſticis imprimi indelebilem characterem, ſiue effigiem potentiæ paternæ, a qua deriuetur omnis inter homines poteſtas, in omnia temporalia, naturaliaque habenda, & regenda. Primo enim, cum poteſtas Eccleſiæ Sanctæ in ordinibus Eccleſiaſticis extollatur eminentiſſime, iuriſque ſit naturalis, quod poſt Dionyſium, Clementemque aiebant Thomas, Ægidius, aliique in hac materia, vt eminentior poteſtas cauſa ſit aliarum, neceſſario poteſtas Eccleſiaſtica cauſa erit inferiorum. Secundo id aperte dixerunt, vt vidimus in hoc ipſo propoſito de Epiſcopali, & Sacerdotali charactere loquentes SS. Ignatius, Cyprianus, Athanaſius. Tertio conſtat hoc, quia propter hos ordines aſſequitur Eccleſiæ

San-

Sanctæ poteſtas, vt temporalis, ac naturalis poteſtas poteſtas nulla ſit ſine ſupernaturali, ob ea quinque à nobis ſupra enumerata. Poſtremo ex his fit, inter homines nullam prorſus eſſe poteſtatem, quæ ſine hac poſsit à ſe expellere vllum malum, habere vllum bonum, Contra vero ſubiecta huic poteſt expellere omne malum, & aſſequi omne bonum naturale, temporale, ac ſupernaturale. quia ſcilicet Eccleſia Sancta formam teneat, *Patris auctoris omnium*, dono Dei, & Chriſti. hinc ipſe Ioannis cap. 5. inquit, ſicut enim, *Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*. Hæc Chriſtus de ſe, vt Deo, qui tamen, vt homo, habet etiam vitam in ſemetipſo, non vt homo ſimpliciter, ſed vt in diuina hypoſtaſi ſubſiſtens, & habens adiunctam diuinæ humanam naturam; vt exponunt eo loco. SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Cyrillus. & mox. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuit propter me.* &c. *niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Hæc Chriſtus idcirco volēs ſibi datum iudiciū, vt homini, quia habet vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dandi vitam. Ergo Eccleſia habet idem iudicium quando habet in ſe vitam per Euchariſtiam, & poteſtatem dandi eandem vitam, quæ poteſtas eſt in charactere. Hæc vero omnia concluſit ipſe eodem loco ijs verbis, *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dedit vobis. hunc enim Pater ſignauit Deus*. En Chriſtus habet vitam, & dat, quia ſignatus eſt. ac proinde Eccleſia, quando habet, ac dat eamdem, ſignata eſt. quam vitam cum pondere naturæ omni in re, & omni momēto oēs quærāt, Eccleſiæ poteſtati ſubiiciūtur, & characteri hinc edicit Chriſtus, vt quæramus cibū, quo cōſequamur omnē finē noſtrum, poſsimus conſequi quodcumque humana natura conſequi poteſt, ac ſine quo non poteſt conſequi vllum bonum, vel expellere vllum malum. Quem cibum vitæ eſſe ait, à charactere, ſiue ſigno paternæ potentiæ, à qua ſola expellitur omne malum, bonumque omne adducitur, quocumque oculos vertamus. Ita exponunt ea verba Sancti omnes, & ob illa tradunt eſſe Eccleſiaſticis in omnia poteſtatem. Sic enim Cyrillus. *Signatur ergo à Patre, qui ex ſubſtantia eius eſt filius, ad ſimilitudinem nudā, nec abſque carne, ſed potius in carne, vt per eum qui ad ſimilitudinem Dei per gratiam conſcendunt, ſignentur. hoc enim modo illud etiam intelligimus. ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Vultus enim Dei Patris filium appellat, id eſt, Patris*

Z cha-

characterem: tamen vero illius gratiam ſpiritus, quæ ad omnes (aduertamus hæc) *Penetrat creaturas, per quam ad Deum fide conformamur tamquam ſigillo quodam ad filium conformati, qui Patris imago eſt, & ſic recte in nobis ſeruetur id ſcilicet ad ſimilitudinem, & imaginem eſſe creatos. quoniam igitur vultus Dei Patris Filius eſt, ipſe quoque character erit, in quo Deus ſignat.* En eadem gratia, qua conformamur Chriſto per characterem penetrat ad omnes creaturas. hæc ſola in terris ab Eccleſiaſticis adminiſtratur ex eodem charactere participato, ac proinde per eos ſolos penetrat ad omnes creaturas hinc idem. *Iſaias quoque hoc ipſum demonſtrat clamans; ecce Rex tuus iuſtus regnabit, & Principes cum iudicio principabuntur, & erit homo occultans ſermones ſuos. illum regnaturum prænunciabat, qui dicit, Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius, prædicans præceptum Domini. Iudicio autem, ideſt rectitudine Principes, ideſt Sancti diſcipuli omnia gubernaturi* (notemus hæc) *Fuiſſe ſcribuntur.* Hæc ille, adiiciens ideo gubernaturos, rectitudine iudicij, quam rectitudinem, iudiciumque non niſi ex charactere participato habent in actiua, & contemplatiua vita, vt idem exponens ea verba. *Panis quem ego dabo caro mea eſt, pro mundi vita*, ait, *Sicut ex area primus manipulus Deo Patri offerri ſolebat, & quemadmodum, cum ipſe ſit vera lux hanc rem diſcipulis quoque gratia attribuit. vos enim, inquit, eſtis lux mundi. ſic cum ipſe ſit panis viuus, qui omnia viuificat, continetque* (notemus hæc verba) *vt ſint, ſimilitudineq; atque vmbra legali per duodecim panes ſacrum Apoſtolorum præfigurauit conſortium.* Et mox, referens, & exponens ad idem propoſitum Leuitici verba. *Facietis* (inquit) *panes duodecim, qui ſinguli habebunt duas decimas: ſolet ſcriptura denarium numerum, quaſi plenum ſemper accipere: numerorum enim omnium deinceps ordo anfractum quendam, & reuolutionem denarij numeri continet. duabus igitur decimis vnumquemque panem conſtare iubet* (Deus) *vt perfectionem duabus rebus eorum conſideres, in actiua ſcilicet virtute, & contemplatiua.* Deinde. *Vt autem diſcamus Chriſti eos odorem factos, ac Deo Patri oblatos, vt Paulus ait, thus imponi ſuper panes imperauit, ſale autem ſpargi, quia ipſi ſunt ſal terræ.* Denique. *Vt panis igitur in lege Saluator figurabatur, panes autem rurſus etiam diſcipuli ſimilitudine ipſius dicuntur. Panis enim verus Chriſtus eſt. ſimilitudinem autem ipſius, per gratiam etiam in diſcipulos, atque in diſcipulorum ſucceſſores appellatio iſta tranſit.*

Ex

Ex his igitur omnibus patet à charactere æterno, quem Pater dat Filio, excipitur ab eius anima, deriuatur indelebiliter impreſſus in ordines Eccleſiæ Sanctæ Reginæ Mundi eſſe, vt omnis potentia, ſapientia, Bonitaſque appetita, & participata ab humana natura ſit in terris, ac propterea ſupremo iure cuncta ab illis gubernanda. Audiamus modo Hilarium Sanctum. Sic igitur ille lib. 8. de Trinitate. *Signaculorum ea natura eſt, vt omnem impreſſæ in ſe ſpeciei explicent formam, & nihil minus ex eo in ſe habeant, vnde ſignentur: & dum totum accipitur, quod imprimitur, totum ex ſe præferunt, quicquid impreſſum.* Hucuſque Hilarius de charactere æterno. Mox de charactere ordinibus Eccleſiaſticis impreſſo, cui quidquid non ſubiicitur, Deo non placet, nam per huius duntaxat characteris poteſtatem reconciliatur. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt initium primogenitus ex mortuis, vt fieret in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipſum reconciliare omnia in eum; Per horum igitur operum virtutem imago Dei eſt.* Et mox, explicans S. Pauli verba 2. Cor. 5. ait. *Omnia autem a Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam ipſe quidem Deus erat in Chriſto mundū reconcilians ſibi. Confer cum his omne Euangelicæ fidei Sacramentum. qui enim videtur in viſo, qui operatur in operante, qui loquitur in loquente, idem in reconciliante reconciliat. & idcirco in eo, & per eum reconciliatio eſt, quia per indifferentem naturam Pater in eo manens mundum ſibi ipſi per eum, & in eo reconciliatum reddebat.* En Chriſtus, quia reconciliet eſt imago, ſeu characteri Eccleſiaſtici ſoli inter homines reconciliant, ergò per hunc participatum, nam per illum ſolum reconciliatur cuncta autem reconcilianda: cuncta igitur ſubiiciuntur ex omni parte tāto characteri. Hinc idem Pſal. 51. *Conceſſa ergo ſecundum præcedentē pſalmum peccatorum remiſſione, verbum caro factū habitat in nobis, qui & fratres, & domus ſpiritualis, & Regale genus ſumus.*

Præclarè hæc omnia videtur expreſſiſſe S. Irenæus latiſſimam characteris ſignificationem ab altiſſimis ad infima deducens, lib. 3. cap. 11. *Quoniam, inquit, quatuor mundi regiones ſunt, & quatuor principales ſpiritus, & diſſeminata eſt Eccleſia ſuper omnem terram, columna autem, & firmamentum Eccleſiae eſt Euangelium, & ſpiritus vitae, conſequens eſt quatuor habere eam Columnas vndique flantes incorruptibilitatē, & viuificantes homines. ex quibus manifeſtum eſt, quoniam qui eſt omnium artifex,*

verbum, qui ſedet ſuper Cherubim, & continet omnia, & declaratus hominibus, Dedit nobis quadriforme Euangelium, quod in vno ſpiritu continetur. Hæc ille. enumerat deinde quatuor animalia, quatuor Euangeliſtis aſſignata, & illorum myſteria declarat; Mox oſtendit in Eccleſia tres eſſe characteres Sacerdotalem, Regium, Propheticum, & ait De Leone, qui aſſignatur, S. Marco: *Primum enim animal inquit ſimile Leoni efficabile eius, & principale, & Regale ſignificans, id vero quod eſt ſecundũ Matthaeum* (cui vitulus) *quoniam quidem Sacerdotalis characteris eſt.* Et deinde de Euangelio, quod eſt ſecundum *Lucam*, (cui Angelus) *Marcus à prophetico ſpiritu.* Et mox, *Propheticus enim character eſt hic.* Poſtremo adiicit. *Qualis igitur diſpoſitio filij Dei, talis & animaliũ forma; & qualis animaliũ forma, talis & character Euãgelij: quadriformia autẽ animalia, & quadriforme Euangeliũ, & quadriformis diſpoſitio Domini. & propter hoc quatuor data ſunt teſtamẽta humano generi, vnũ quidẽ ante cataclyſmũ ſub Adamo, ſecũdũ vero poſt cataclyſmũ ſub Noe, tertiũ vero legiſlatio ſub Moyſe, quartũ vero, quod renouat hominẽ, & omnia recapitulat in ſe, quod eſt ꝑ Euãgeliũ eleuans, & pẽnigerãs homines in cœleſte regnũ.* Hæc ille, volens à Deo per Euãgelij characterẽ Sacerdotalem, Regium, Propheticũ inſtar Aquilæ, quæ Ioanni attribuitur, pennigeratũ ad cœlũ reduci, & recapitulari omnia, ſiue ſubiici capiti ſuo potẽtiæ Paternæ, ſapientiæ filij, qui vt homo eſt caput omnium poteſtatum, vel influens vt in humanam naturam, vel coercens, quod aiebat S. Hieronymus, Dœmonas, ac ſpiritus malos, per Euangelij characterem, miniſterium ſcilicet clericorum. Nam Pater Filio, Filius Patri ſubiicit omnia, vt ſit *Omnia in omnibus Chriſtus, omnia in omnibus Deus.* Hinc idem, cap. 18. *Verbum homo vniuerſa in ſemetipſum recapitulans, vti ſicut in ſuper cœleſtibus, & ſpiritualibus, & inuiſibilibus Princeps eſt verbum Dei, ſic & in viſibilibus, & corporalibus Principatum habeat in ſemetipſum primatum aſſumens, & apponens ſemetipſum caput Eccleſiæ, vniuerſa attrahit ad ſemetipſum apto in tempore.* Hæc Sanctus aſſerens Chriſti eſſe Principatum, tam in ſpiritualibus, quam in corporalibus, & ſemetipſum conſtituiſſe ipſius Eccleſiæ caput, vt per illam vniuerſa corporalia ſibi ſubiiciat. Sed veluti Deo Patri, non ſponte omnes obediunt, volũtati tamẽ eius; *Non eſt qui poſſit reſiſtere*, atque ideo coguntur oẽs illi obedire; ſed tamen non habet inter ipſos actum obedientiæ reſpondentem actui poteſtatis imperantis, ſic nec Chriſtus inter aliquos actum obedientiæ habet

reſpon

reſpondentem actui poteſtatis datæ, quam deinde exeret ſuo tẽpore aduerſus iniquos, & maximè qui compulſiuam, bellicamque omnem vim ſubiicere nollent Eccleſiæ, Chriſtoque; cum his enim procedet Antichriſtus aduerſus Eccleſiam, Chriſtum, Dominumque eius. Interim, *peregre profectus*, vt ait ille Sanctus, permittit quoſdam non obedire, Sed *apto in tempore*, ait Irenæus attrahentur ad Chriſti Dominium. Sic igitur Chriſtus recapitulat cuncta in Eccleſiam, & per Eccleſiam in ſe, & per ſe in Deum, & Patrem, tamquam capitibus ſuis omnia ſubiiciens, vnde prodierunt iuxta æterni Patris ordinationem, in charactere æterno relucentem, qui eſt, *Splendor aeternae gloriae portans omnia verbo virtutis ſuae*, ſeu poteſtatis ſuæ.

Eodem ſpectat, quod ait S. Auguſtinus lib. octuagintatrium quæſtionum cap. 61. aſſerens Chriſtum tum Regem, tum Sacerdotem ex tribu Leui, atque offerre ſacrificium per Eccleſiam, & in illo ipſo agere, & Regem, & Sacerdotem, Nam cum Rex non ſit, niſi qui domitis vitijs regit cum virtute, alioquin Tyrannus eſt, per ſacrificium dat vim naturæ humanæ, vt bene regat, ſint iu ſti Reges, ſint Reges. Nam ſic ille. *Duae perſonae*, Regis, & Sacerdotis, *Dominum noſtrum praefigurabant. ambas enim ſolus ille ſuſtinuit, & non figuratè, ſed propriè ſolus impleuit. ad quas*, ſuprà ait, *Sacroſancta illa vnctio pertinebat*. Dein. poſtquam declarauit ab ipſo oblatum fuiſſe proprium corpus hoſtiam veluti à Sacerdote, ac proinde influere in humanum genus iuſtitiam, qua tum cuncti ſint iuſti eo modo, quo diximus ſupra, tum Reges ſint Reges, non Tyranni ait, *Holocauſti eius imaginem ad memoriam ſuae paſſionis in Eccleſia celebrandam dedit, vt eſſet Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hæc Sanctus volẽs Chriſtũ ſolum Regẽ propriè, Sacerdotemq; in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedech, quod inter gentes offeratur ſemper ex ipſius perſona ipſius corpus ab Eccleſiaſticis Deo Patri. Hinc Reges à ſolo propriè Rege ſunt Reges. idẽ Epiſtola 50. *In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges, inquantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.* En Reges à ſolo propriè Reges. En per vnctionem, quæ eſt in Eccleſiã propriè Reges. En per Euchariſtiã Reges. adhuc idẽ Pſal. 48. *Videtis ſic exaltari in nomine Chriſti Eccleſiam Chriſti, vt omnes nondum credentes in Chriſto, ſub pedibus iaceant Chriſtianorum. Quanti enim modò currunt ad Eccleſiam nondum Chriſtiani, rogant auxilium Eccleſiæ: ſubueniri ſibi temporaliter volunt, etiam*

ſi in

ſi in æternum nobiſcum regnare adhuc volunt. Cum omnes quærũt auxilium Eccleſiæ, & qui nondum ſunt in Eccleſia, nonne ſubiecit plebes & gentes ſub pedibus noſtris? Hæc Sanctus volens Eccleſiæ pedibus infideles ſubiectos, & homilia 50. in fine. *Intuere Dauid Regem, iam vtique & ipſe illius temporis ſacramenta perceperat, iam circumciſus erat vtique, quod Patres noſtri pro baptiſmo habebant, nam ad hoc dicit Apoſtolus, ſanctum Abraham ſignaculum iuſtitiæ fidei recepiſſe. Iam etiam vnctus erat vnctione venerabili, qua Regale Sacerdotium præfigurabatur Eccleſiæ.* Hæc ille volens vnctionem Dauidis, qua regnum temporale dabatur eſſe figuram Sacramenti, quo Regale Eccleſiæ Sacerdotium ſignabatur. Ergo hoc magis temporale, audi eumdem cum ſcribit ad Proculeianum Epiſcopum Donatiſtam, narrans ſeque, & illum ſæpe adiri in litibus tẽporalium, & hæreditatibus adiudicandis illum quidem à Catholicis in Vrbe ſua, ſe verò ab hæreticis Hippone. Sic igitur epiſt. 147. *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri. Per coronam noſtram, nos adiurant veſtri, per coronam veſtram uos adiurari noſtri. Omnium verba ſuſcepimus, neminem offendere volumus. quid nos ſolus Chriſtus offendit, cuius membra laniamus? & homines quidem cauſas ſæculares ſuas apud nos finire cupientes, quando eis neceſſarij fuerimus, ſic nos Sanctos, & ſeruos Dei appellant, vt negotia ſua peragant.* Hæc Sanctus apertè volens ab hæreticis agnitam, cultamque in Epiſcopis Regiam coronam, cum adirentur, vt eorum cauſas ſæculares definirent. Ad ipſos enim ſpectat ex natura ſua eas definire ex 6. cap. epiſtola 1. ad Corinthios, vt idem ſcribit libro de opere Monachorum, & habet Concilium tertium Carthaginenſe cap. 5. Rogabant per Coronam, quæ eſſentialiter eſt in charactere, & quæ in capite vngitur à tribus Epiſcopis Trinitatem referentibus Epiſcopo conſecrando, ac recepturo vel characterem, vel dilatationem characteris Regij, vt configurentur potentiæ paternæ, à quo eminentiſſime, *Omnis paternitas, quæ in cœlo, & in terra nominatur* eſt, omnis poteſtas. hinc ait idem ſignatos charactere ſubiectos eſſe ſignanti, tamquam militum Duci in hac Eccleſia militante ſub eodem Rege Chriſto. Sic enim contra Creſconium Grammaticum libri primi cap. 30. *Neque enim propterea immutandus, vel improbandus eſt Regius character in homine, ſi erroris ſui licentiam, & militandi ordinem à Rege impetrauerit, quia eumdem characterem, quo ſibi ſatellites congregauit, deſertor infixit.* eadem ſermone de geſtis cum Emerito.

Nunc

Nunc videamus, quid S. Ioannes Chryſoſtomus dicat. Sic igitur ille in Pſalm. 44. *Chriſtus numquam vnctus eſt oleo, ſed Spiritu Sancto. & ideo adiecit præ conſortibus ſuis: hoc ipſum ſignificans neminem vnctum fuiſſe, vt ipſe. multi enim fuerunt vncti ante ipſum Chriſti, ideſt vncti; ſed nemo ſic. ſicut etiam agni multi, ſed ipſe vnigenitus.* Hæc Sanctus, qui dixit ſupra hanc vnctionem Chriſti communem cum participibus ſuis eſſe à Patre per attributionem, ſic enim ſcribit. *Non conturberis, dum audis quod hæc Patri attribuat non enim id facit, vt eum priuet* (Dauid Pſalmiſta) *rectè factis, ſed vt ea, quæ ſunt filij Patri aſcribat.* Vult ergo S. Ioannes Chryſoſtomus, & colligit ex eo loco Epiſcopos eſſe vnctos Reges cum Rege Chriſto ſolos. Vnctio namque ſola horum, Clericorumque ſpeciatim potentiæ paternæ aſcribitur ita vt, ab hac ſint omnes Regiæ poteſtates coronæque, ac ſit eadem quæ Chriſti, dempta excellentiæ poteſtate. Hinc idem, de Dauid loquens.

Primo Eccleſiam Reginam Regum Regis, ac Domini Dominantium Chriſti ſponſam decernit. *In imagine, ac ſimilitudine Eccleſiam deſcribens, & quæ poſtea dixerunt Apoſtoli, hic quidem dicens deſpondi vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto: ille autem, qui habet ſponſam ſponſus eſt: alius vero, ſimile eſt regnum cœlorum homini, qui fecit nuptias filio ſuo, eam quoque hic deſcribit introducens ſimul ſponſam, & Reginam, & ideo dicit adſtitit regina.* En dicit hanc ſponſam Reginam cum ſuo ſponſo eſſe in ſuis membris Reginam per Apoſtolos, quibus Epiſcopi ſuccedunt. hinc adducit illud Apoſtoli, *Deſpondi vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*, Dicit eſſe per Chriſtum adducens illud, *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*, eſſe per Patrē ſummum eminenter, à potentia paterna, *Qui fecit nuptias filio ſuo.*

Secundo oſtendit huius Eccleſiæ coronam, poteſtatemque Regiam numquam deiiciendam ex Apoſtolorum capite, & Eccleſiaſticorum Præſulum, & inquit. *Adſtitit Regina à dextris tuis, ſtabilita eſt, hoc eſt firmiter ſtetit immobiliter, quod alibi dicit Chriſtus: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Tertio oſtendit hanc Eccleſiæ coronam reſidentem immobiliter, atque eminenter in Eccleſiaſticis viris eſſe eamdem cum Chriſti, ſi demas excellentiam, corona ſedentis ad dexteram Patris, ſicuti etiam dicitur de hac, *A dextris tuis*, & inquit, *cognouiſti, quæ erat captiua, alienata, meretrix, ſcelerata, & execranda ad quantam dignitatem aſcenderit cum miniſtratorijs poteſtatibus adſi-*

adſiſtit. quamuis enim Regina, eſt tamen creatæ ſubſtantiæ. Mox adiicit & ipſam ſedere cum corona aurea, aurique optimi, & eſſe hoc à poteſtate, & ait. *Quomodo ergo dicit Paulus, conreſuſcitauit, & ſedere nos fecit (*Deus Pater*) in cœleſtibus in Chriſto Ieſu? Sed attende, quàm exactè loquatur, non dixit ſolummodo conreſuſcitauit, & ſedere nos fecit, ſed in Chriſto, hoc eſt per Chriſtum. quoniam enim, inquit, caput noſtrum eſt ſupra nos, nos autem corpus, cum ſuperius ſedeat noſtrum caput, nos quoque honoris participes fuimus, & ſtetimus in veſtitu deaurato circundata varietate alius in diademate auri ex Ophir.*

Quarto oſtendit hanc coronã dominari Orbi terrarũ, & impiis & in tpalibus, & p vim declarãs ea verba, *Filij Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, & inquit. *Volens autem Propheta dicere Orbem terrarum, dicit propinquam ciuitatem, quæ morbo impietatis tunc maxime laborabat, & erat arx Diaboli, & de cuius opibus, & magnificentia fama erat maxima, ex parte totum ſignificans.* Et mox. *Ita hic etiam eos qui impiè, & libidinosè vixerunt, Tyrios appellauit. ſed etiam eos, inquit, ſuperabo, & in eos dominatum obtinebo, ut ipſi me adorent & non ſolummodo adorent, ſed munera etiam, & primitias offerant quod eſt maximum genus adorationis, & ſignum ſummæ obedientiæ.*

Quinto, illud nobis eſt aduertendum character Eccleſiaſticis ordinibus impreſſus expellit ſumma Patris potentia ex animis omnia vitia, ſimulque inſerit expellendi poteſtatem, nec modo expellendi vitia poteſtatem, ſed habendi etiam diuerſiſſimas virtutes, ac præterea dandi aliis eamdem poteſtatem, quæ ſecum ducit omnem animæ, virtutumque ſplendorem, ex quo fit, vt Eccleſiaſtici in vniuerſum præcellant aliis oĩum virtutũ corona, & quamuis talis non ſit hic, ille ve, retinet tamẽ pulchritudinis, ac poteſtatis coronã deductã ab eminentiſsima Patris poteſtate ad participans Chriſti Filij, Sacerdotiſque ſupremi characterem, qui & vultus nominatur. Idcirco, inquit, *Vultum tuum, hoc eſt gloriam tuam, formam, & pulchritudinem tuam.* Deinde, *quoniam vultus meminit, & veſtium, & pulchritudinis nequis craſsior ſentiret aliquid ſenſibile ſubiunxit dicens, omnis gloria filiæ Regis ab intus, mentem inquit ingredere, ediſce pulchritudinem animæ, de iſtis tecum loquor.* Hæc ille de pulchritudiue, ac forma corona Regiæ interna non modo quantum ad poteſtatem, ſed etiam quantum ad virtutes ſimul, quæ ſemper ſunt in ordine Eccleſiaſticorum multo eminentius, quàm in reliquis.

quam-

quamuis poteſtas, ex qua ſunt illæ, inſit ipſi Regiæ coronæ, ipſi characteri Sacerdotali, à quo ſunt alij characteres, effectus, legesque inde profluentes, quibus vel bonæ aliorum comprobantur, vel malæ reprobantur. Hinc idem declarans verſiculum. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram,* Principes ait eſſe Apoſtolos inquiens, *Vniuerſum enim Orbem terrarum peruaſerunt Apoſtoli, & omnibus Principibus fuerunt magis proprie* (notemus hæc) *Principes, & Regibus potentiores.*

Ob id Theodoretus reipſa non diſſentiens à S. Ioanne Chryſoſtomo in pſal. eumdem 44. *Vultum* interpretatur Sacerdotes, & Chriſtũ; quod hic ſit character, figura Patris; & eodem modo participantes idem regnum Sacerdotes. & ait. *Vultus autem Eccleſiæ proprie quidem ipſe Dominus eſt, etenim caput eſt corporis: ſiquidem ipſum, ait, dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ. Deinde* (notemus hoc) *ſecundo loco Sacerdotum ordo, veluti quædam facies eſt Eccleſiæ tamquam maiori ſpiritus dignitate exornatus. Cæterum licet videre huius vaticinationis euentum: quandoquidem homines diuitijs affluentes, & maximarum dignitatum prærogatiuam habentes honorant Eccleſiæ, faciem.* Rurſus idem declarans verſiculum, *Pro patribus nati ſunt tibi filij*, ait, *diuini autem Apoſtoli cum Patres habuerint Patriarchas, terræ marique etiam poſt mortem dominantur, veluti quidam Principes, & Duces à Chriſto omnium Rege conſtituti, & qui poſt illos ſecuti ſunt. quos qui vellet Eccleſiæ filios nominare, non erraret, illi inquam triumphatores Præfecti ſunt, vt idem imperium gubernent, & omnes homines habeant ſubditos, hos quidem amore hoc vltro facientes, illos vero timore coactos.* Hæc ille volens Apoſtolos dominari terræ, ac mari, imperiumque gubernare, & omnes homines, ac proinde Imperatores, & Reges ſubditos habere per ſuos ſucceſſores. ex his igitur abunde eſt probatum a nobis, per Eccleſiaſticum characterem nos configurari potentiæ paternæ relucenti in filio, exceptæ eminentiſsime ab anima Chriſti, atque in nos deriuatæ, quo Sacerdotium Chriſti participantes participamus & regnum in omnia naturalia, & temporalia ſimul, atque ita, *Principatum ſecundum Deum*, vti loquebatur, S. Ignatius habemus, *Sacerdotium ſecundum Chriſtum*. Epiſcopatuſque eſt, *Forma patris omnium. ex quo excellentia Sacerdotalis, ac Regiæ dignitatis ſecundum formam Dei, & Chriſti ſub ſe omnia continens regimen, & munimentum tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ obtinet*, ait, S. Cyprianus. &, *Formam Chriſti ſigillantis*

 ba-

habet,qui eſt imago Patris,& nos coaptat Patri,ait,S. Athanaſius.

Ad quorum comprobationem. Primo Paulus aiebat. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus, manifeſtata,quod epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. En Apoſtolus primo ait, homines Chriſtianos eſſe epiſtolam ſcriptã, in corde ipſius, Secundo eſſe ſcriptam eamdem in cordibus Chriſtianorum. Tertio eſſe miniſtratam ab ipſo, & Epiſcopis eius ſucceſſoribus, *à nobis* ait. Quarto eſſe epiſtolam Chriſti. Quinto ſcriptam, *Spiritu Dei viui*. Si eſt ſcripta, *In cordibus noſtris*, quomodo, *In cordibus veſtris?* hæc ſcilicet ab illa deriuatur.ſi eſt *Epiſtola noſtra*, quomodo *Chriſti?* & hæc & illa eſt à ſummo illo charactere, *Qui eſt ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius portans omnia verbo virtutis ſuæ. Scripta ſpiritu Dei viui loquitur. Vt qui*, ait ibi, S. Ioannes Chryſoſtomus, *Dei legem inſcriptam haberent. Nam quæ Deus cum omnibus alijs, tum etiam nota, & perſpicua eſſe volebat, hæc in cordibus veſtris ſcripta ſunt*. Hæc Apoſtolus è quibus tantam gloriam deberi ſubiicit Eccleſiæ Sanctæ, ac Præſulibus ab omni mortalium cœtu, vt neque hi digni ſint aſpicere ipſos, cum Chriſto, & ijs ob participationem ſit idem vultus, & character. hinc illud, *Vultu in terram demiſſo adorabunt te*, ac Moyſe ſint maiores,qui temporalium, & ſpiritualiũ Rex erat, ait enim. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt,qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamẽti non littera,ſed ſpiritu,littera enim occidit,ſpiritus autem viuificat. quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent filij Iſrael intẽdere in faciẽ Moyſis propter gloriã vultus eius,quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?*

Secundo hæc confirmantur ex eo, quod ait S.Ioannes 1. cap. 2. *Vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. & ſicut docuit vos manete in eo*. Hæc Apoſtolus de vnctione, quæ à capite Epiſcoporum deſcendit in omnes, qui tum demum docentur omnia ſi maneant in Chriſto, ac Deo tam in ſpiritualibus, quam temporalibus regendis, ſed in eo non manent, qui Eccleſiæ Sanctæ Chriſti ſponſæ non obediunt, *Neque enim poteſt habere Deum Patrẽ,qui nõ habet Eccleſiam matrẽ*. Neq; obedit Chriſto,& Deo, qui Sacerdotibus eumdem characterẽ participãtibus, quo cuncta regun-

reguntur, ac vultum gerunt illius non audit, cum ſcriptum ſit, *Qui vos audit, me audit; & qui ſpernit vos, ſpernit me; & qui ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me.* Vt aduerſus Iudices ſæculares interpretatur S. Cyprianus, Ep. 69. & de vnitate Eccleſiæ. qui autem miſit Chriſtum, eſt Pater, cuius potentiæ cõfigurantur Eccleſiaſtici, vt ſupra eſt dictum. Hoc eſt igitur, quod ſubtiliter argumentabatur Ioannes Bacconus Anglus. *Sicut filius Patri naturaliter aſſimilatur, ſic lex diuinitus data debet Deo aſſimilari. nam lex quaſi per natiuitatem à legislatore oritur. Sed Deus eſt Dominus vnus omnium tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, ergo lex Chriſti eſt dominatiua ſuper omnibus.* Recte, vt enim vidimus, à Patre procedit poteſtas omnis in filium, *Qui eſt figura ſubſtantiæ eius*, à filio datur omnis humanitati in perſona ipſius ſubſiſtenti, quæcumque dari creaturæ poteſt, *Data eſt mihi*, inquit inter alia quæ ſupra recenſuimus, *Omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, hæc Sponſæ ſuæ, Sanctæ Eccleſiæ, Mundi Reginæ per eminentes characteres potentiæ paternæ configurantes à primo illo omnipotentiæ diuinæ charactere, mirabiliter deductos, ac ſpiritu Dei viui impreſſos.

In quanta, & quot mala corruerit humanum genus à ſupernaturali ductu recedens; atque vt maxima pernicie ſua in Dæmonum poteſtatem miſerrimè deuenerit.

Cap. XV.

EX his videmus factum ſemper, ac quotidie fieri lugemus, vt quicumque abſcedunt à ſupernaturali ductu in omnia mala miſerrimè corruant contrariaque lumini naturali, vel quoad ipſa temporalia, naturaliaque bona habenda, aut vtenda ſanciant. Quod vt planiſsimum fiat quamuis hoc latiſsime libris vltimis, ac primis Eccleſiæ Dei, ſit à nobis tractatum, tamen hic aliqua breuiſsime perſtringemus. Reſpublica Romana viſa eſt omnium maxime virtutibus florere & optimis eſſe legibus, moribusque inſtructa ad omne bonum. Videamus tamen in ea fuiſſe leges execrandas lumini naturali contrarias & exitialiſſimas tum toti generi huma-

no, tum temporalibus ciuium bonis. ac Prima ſit illa duodecim tabularum. ſiquis ex debitoribus die dicta non ſoluiſſet, creditoribus vinctus addicebatur, idē plūbatis cædebatur, atque, vt Gellius l. 10. c. 1. poſt alios verba legis referens ait, creditoribus pmittebatur poſt tertias nundinas hoīem diſſecare in fruſta, ac pro rata debiti vnuſquiſq; partem dilaniati corporis domum referebat. Dionyſius lib. 6. ſcribit debitorū filios idē paſſos. En admirandæ Romanorū leges, à quibus nos Chriſtus liberauit, aſcita ex intimo Sapientiæ Græcæ Aſylo. Secunda lex erat. Nam licitæ erant vſuræ centeſimæ, binæ, ternæ, quaternæ, vt è Verrinis, & Epiſtolis ad Atticum patet. Quocirca, vt teſtantur Plutarchus in Coriolano, Dionyſius lib. 5. Tacitus 3. Salluſtius in Catilina. Ex his eueniebat Primum, vt nullum prope eſſet luſtrum, quo non maximæ in vrbe ſeditiones orirentur, quod è Liuio patet. Secundo hinc euenere ciuilia bella feraliſſima, ciuiumque proſcriptiones horrendæ. Tertio agri Italici ſæpius prioribus dominis ablati, licet nihil omnino male meritis, diuiſique contrariarū factionum militibus. Hinc quarto Romani, miſerique Itali omnibus bonis nudati in remotiſſimas oras eiecti. quod ille apud vates deplorat.

At nos hinc alÿ ſitientes ibimus Afros
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxim
Et penitus toto diuiſos Orbe Britannos
Impius haec tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros? en queis conſeuimus agros?

Quarto hinc Vrbs miſerrime in Tyrannos diriſſimos cecidit. Nā quis non horret animo audiens facinora immaniſſima Tiberij, Caligulæ, Claudij, Neronis, cui ludus fuit incēdere Vrbem, Galbæ, Othonis, Vitellij, Domitiani, Hadriani, Commodi, Septimij, Caracallæ, Macrini, Heliogabali, Maximini, Decij, Aureliani, Carini, triginta Tyrannorum, Diocletiani, Maximiani, Maxentij? Sed monſtra iſta mittamus.

Tertia lex erat Romanis, aut mos laudabilis lege comprobatus, vt gladiatores theatris includerent, qui ſe mutuis vulneribus conciderent ad oblectationem populi, neque erat prope vllus magiſtratus, qui non quolibet anno eorum ſpectacula exhiberet. Laudi Traiano datur, quod vno munere decem millia eorum dederit. Ob hæc ſæpe euenit, vt hi aufugerent, arma ſumerent, multas Italiæ, Romaniſque clades afferrent. Inter hos Spartacus

fuit

fuit inſignis,qui ſeptem prælijs cōmiſſis Romanorum ſeptem duces cum maximis exercitibus fudit, & omnia vaſtitatibus repleuit. quæ Florus recitat lib. 95. Plutarchus in Craſſo. nihil ab illius rapina intactum fuit,vt quaſi mirum referat ille.

Spartacum ſiquà poſuit vagantem
——— fallere teſta.

Ad tantam vero atrocitatem deuentum eſt in his ſpectaculis, vt cæſorum calidus ſanguis biberetur, quod Plinius refert. lib. 28. cap. 1. ac Virgo veſtalis adſideret imperans,ne vitæ aliquid victo relinqueretur. Sic enim Prudentius libro aduerſus Symmachum ſecundo.

Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectuſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi
Ne lateat pars vlla animi vitalibus imis
Altius impreſſo dum palpitat enſe.

Quarta lex, ac mos lege comprobatus Romanis fuit, vt liceret ſeruos impune occidere, quod iuriſgentium fuiſſe tradit Caius l. 1. de ijs, qui ſunt ſui, vel alieni iuris. l. ſi Dominus. C. eodē tit. tantaque erat aliquorum diritas, vt eos occiderent, quò carnibus ipſorum murenas piſcinis incluſas ſaginarent, quod Tacitus refert. Rurſus fuit in Dominorum poteſtate caueis publicis eos includere, vt cum ferociſſimis beſtijs ad oblectandum populum depugnarent, à quibus illi atrociſſimum in modum diſcerpebantur. & quamuis hæc fuerint temperata poſtquam Chriſtus, *Expectatio gentium, lumen ad reuelationem gentium natus* eſt anno ab ortu 163. per leges Antoninorum, quod teſtantur Martianus, ac Modeſtinus, l. Domini. de contrah. empt. l. circum. ad l. Corneliam,tamen non fuiſſe eam legem receptam conſtat ex eo, quod Conſtantinus eam renouauit, vt habetur in Codice Iuſtiniani tit. de emendatione ſeruorum. hinc eueniebant ſeruorum proditiones, rapinæ, fugæ, demumque illud, vt ſæpe arma arripuerint, ac bella periculoſiſſima concitarint ſeruilia dicta, de quibus Florus, Appianus, alijque omnes.

Quinta lex fuit Romanis. Nam parentibus licebat proprios filios impune occidere arbitrio ſuo, quod Paulus refert. l. in ſuis. de liberis,& poſthumis. Dionyſius lib. 2. quamobrem cum lege à Pompeio lata puniantur plurimi, qui ſuos propinquos occidunt, non recenſetur in his Pater, cum Filium morti tradit, quod habetur in Digeſtis, Primus Hadrianus Imperator, quod Martianus teſta-

teſtatur, l. diuus. ad l. Pompeiam, tantæ diritati modum aliquem præſcripſit anno ab ortu Chriſti 163. Quocirca abortus procurare, partus necare, exponere nullo erat loco ante ortum Chriſti inter plurimas gentes. Quid ergo ad hæc dicemus? Reſp. Romana erat optimis legibus quoad moralia temporaliaque reſpectu aliarum, quocirca eam vocat Ammianus, *Virtutum latem*. Nihilominus ſerui erant peſſimo loco, nam quo poſſunt peiori eſſe? Annon peiori, quo beſtiæ, quibus deuorandi, ac laniandi dabantur? Ciues num bono loco erant, qui ob vltimum bonorum gradū, nam talis eſt temporalium, tanta atrocitate cū filiis dilacerabantur? Quid itaque filij, ſi poterant abigi abortu, nati recens ſuffocari, aut proiici in flumen, aut adultiores facti pro cuiuſuis arbitrio necari? Hinc, quo loco eſſent exteri apud iſtos tam bonos, tam laudabiles, coniici à nobis poteſt; & hi ſcilicet bonis moribus, bonis legibus mortalium populos omnes exſuperabāt. Quod ſi ſeruorum, ſi ciuium, ſi filiorum vita eo loco erat, vt peiori eſſe haud poſſet, quo loco bona alia quæſo erant per iſtorum leges, nam legibus hæc aut ſanciebantur, aut comprobabantur? Poſt bona, vitamque reliqua inſpiciamus.

Sexta lex erat, vt ſeruis ad omne impudicitiæ genus abuti liceret, Pudet referre hæc. eo ventum, vt Nero legem tulerit, qua viro virum nubere, ac nuptias publicas celebrare fas erat. Ipſe in publico theatro cum Sporo eas Romæ celebrauit, ac toto Orbe Romano feſta ad extollendam tanti facinoris celebritatem ſunt indicta. Quid Hadrianus vir ingenio, doctriniſque liberalibus excultus? Antinoum retulit in Deos, ac pro Deo coli toto orbe iuſſit, nolentes colere occidi mandauit. Anne hæc leges conſonæ lumini naturali? Imperatores iſta, inquies, egerunt; haud Romani illi priſci. Itane? Annon illi ludos publicos in honorem Floræ meretricis inſtituerunt, eamque pro Dea coli mandarunt, quod illa quidquid boni quæſtu turpi acquiſierat hæreditatis nomine populo Romano reliquiſſet? In ijs Sacris corpora meretrices in publico nudabant, atque obſcenis motibus aſpectantes ad libidinem prouocabant. quæ Lactantius lib. 1. cap. 10. narrat. Quid in lupercalibus? nudi iuuenes circuncurſabant, matronæ honeſtiones certabant occurrere, vt loris cæſæ fœcundiores eſſent. quæ refert. Liuius lib. 1. Ouidius Faſtorum 2. Virg. 8. Plinius. 7. cap. 2. Macrobius 1. cap, 22. Quid hinc? Romæ paſsim publica obſoletorum loca. ſed pudet plura. Nam turpiſſimos omnium gētium progreſſus in omne exitialium generi humano malorum genus

nus gradibus ſuis diſtinctos è tempore in tempus recenſuimus lib. 12. cap. 19. de ſignis Eccleſiæ Dei. Huc ſcilicet mortales impellit Dæmon, niſi ordinatione ſupernaturali adiuuetur.

Philoſophi inquies non huiuſmodi fuerunt; in quibus Ariſtoteles primas tenet, quod è Rep. ipſius licet videre. Quam male colligimus? quàm male grati vel potius ingratiſſimi Chriſto ſumus, ſi talia proferre audemus? Cognoſcamus quæſo, quid ille inter alia politici ſeptimi cap. 16. ſcribat. *Circa expoſitionem autem, vel educationem filiorum lex ſit, nihil orbatum natura fore educandum. In alijs vero, ſi mores, inſtitutioque ciuitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tantæ prolis alicui cõtigerit, vt duplicatus ſit filiorum numerus (nam is definitus eſſe debet) ad multitudinem nimiam euitandam anteuertere oportet, vt non concipiantur. nam poſtquam concepti ſunt, & ſenſum, aut vitam acceperint, nefas eſt attingere eos.* Hæc ille, e quibus Primo habemus occidendos partus omnes, qui membro aliquo careant, Idne forſan conuenit lumini naturæ? An igitur claudi? An altero oculo orbati? An qui ita ægroti corpore, quacumque id naturali è cauſa contingat, vt ſupereſſe omnibus omnino negocijs haud poſſint? Si vellemus naturæ deprauatum lumen in Ariſtotele emendare, dicendum ſana expoſitione eſſet. illi mẽtem fuiſſe, vt non ita diligenter educarentur. Atqui hoc non ait. quin longe contra. ad vitandam namque multitudinem Reip. non expedientem vult id fieri. Quocirca neque partus exponere ſecundo loco videtur ille improbare, modo ciuitatis vel inſtitutio, vel mos non repugnet. Tertio ſane loco non damnat, efficere nequid concipiatur; quod multa abſurda continet rectæ rationi contraria, quæ S. Thomas libro contra gentes perſequitur, cum de fornicatione ſimplici tractat. Iam quid de Platone Deo philoſophorum, qui tanti eſt, vt abierit in prouerbium Reſpublica Platonis, dicemus? quot illa, quantaſque abſurditates habet? colligit ac refutat illas Ariſtoteles diſcipulus in Politicis ſuis.

Verum quidquid ſenſerint gentium ſapientes. Illa nobis certa ſunt. Primo haud poſſe naturam conſiſtere in percepta veritate. Secundo, neque aſſequi moribus eamdem. Tertio denique ruere vt diximus in omnia peſſima, & in Dæmonum poteſtatem pernicioſiſſimam, niſi gratia diuina adiuuetur. Sciant enim mortales, quidquid naturaliter ſciri poteſt, Atqui & iſtud Dæmonibus datur, & illi tamen ſapientia naturali abutuntur ad infanda, ſceleraque omnia. Vſus itaque ſapientiæ naturalis omnino ſubiicitur

guber-

gubernationi ſupernaturali:ductorq; ſupernaturalis probe callet omnes, quoties expedit, agendarum rerum circunſtantias, vt bonum bene agentes Deo fruamur, neq; vtamur fruendis, aut fruamur vtendis. alioquin paulatim continget hominibus idē, quod Sauli. de cuius innocentia teſtatur illud ſcriptura, *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet.* Mox tamen Samueli non obediens in ijs, quæ facienda ab ipſo eſſe, aliter quam Samuel iuſſiſſet, ob noua euenta, aut cogitata videbatur ipſa ratio recta dictare, cœpit adeo non meritos honores ambire, vt petierit ſe honorari à Samuele coram populo, Deinde haud ferens Dauidi honorem dari maiorem, quam ſibi, arreptus Dæmone ſæpius ipſum conatus eſt occidere. Inde interfecit ipſe tot Sacerdotes, Dæmonas conſuluit, atque ad extremum victus à Philiſtæis gladio ſe proprio transfixit, ſeque, ac poſteritatem ſuam totam perdidit. ducuntur itaqu æ eodem, quicumque abſcedunt ab obedientia ſupernaturalis poteſtatis, Nam ſic aperiuntur inferorum portæ, paulatimque tacita ſocietas cum Dæmonibus initur, quod libro ſexto explicatur. Hinc a priſcis fere omnibus dabantur illis diuini honores, a Chaldæis, Ægyptiis, Græcis, Romanis, & nunc ita dantur à Sinenſibus, & Iaponiis, vt eos inuadant, obſeſſos crucient, neque a cruciandis abſiſtant, niſi ijs promittatur ab obſeſſis chirographo, quod proprio ſanguine deſcribant, vt ipſos quotidie fœdiſſime depictos diuino cultu honorent, ac ſupplices ipſis thus adoleant, quaſi Deo ſummo, quin aliis perſuadent, vt ſe è rupibus dent in præceps, aliis, vt ſe in flammas, aut vndas proiiciant. quæ conſtant tum è litteris Sacerdotū Sanctæ illius Societatis Ieſu, cuius tanta eſt laus in Euangelio, tum vero è multis aliorum ſcriptis. In Occidentalibus porrò Indiis tanto erant in honore Dæmones, vt hominum multa millia quotannis, præſertim in Mexico, Sacerdotes iis ſacrificarent, quod ab innumeris olim gentibus factitatum nos adducto ſigno latè explicamus. Sic olim gentes alioquin ſapientiſſimas adduxit, vt animalia colerent; atque, vt ait ille, *Omnigenum Deum monſtra*, quæ & Romani ſupremis temporibus receperunt; ſic Deus *Stultam facit*, niſi ſe ſupernaturali ſubiiciat, *Sapientiam ſæculi huius*. Cum ſcriptum ſit, *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Ad ſummam naturalis, ac temporalis hominum Poteſtas, niſi ſe ſe ſubiiciat ſupernaturali, vel eſt hominum ſtolidiſſimorum, truculentiſſimorumque, quales erant, ac multi ſunt adhuc in occidentalibus Indiis, vel etiamſi naturalium ſcientia

maximè

maximè videatur pollere,quin poteſtate ampliſsima,eſt Dæmonũ poteſtati ſubiecta, quod ſi ſupernaturali eſt hoīum poteſtas ſubiecta, & cōiūcta maximè imperat dæmonũ poteſtati,eam profligat, illam fugat ex humana natura,ac rebus eius, ſtolidiſſimosq; illos, ac diriſſimos Indos ad oēm ſcientiam, virtutesq; omnes adducit, quod faciunt Hiſpani Heroicis virtutibus exculti, quibus & innumeros populos vincunt, & paucisſimos, vt apparet, pares habent. Naturalis enim ſupernaturali ſubiectus maximè extollitur ad eminentiſſimam celſitudinem diuinitatis, ad poteſtatem characteris æterni,ad fontem Trinitatis;contra,quamtumuis videatur ſibi poſſe,ac ſapere, maximè deiicitur,ad infima infera,ad Dæmonum tenebras,abiens in nihilum.

A characteris impreſſi aſpectu ſolo Dæmones aufugiũt. hic ſeipſo purgat, & illuminat. Clerici ſunt Reges poteſtati ſummæ configurati. quantus Eccleſiaſticis honos debeatur. Eorum poteſtas imperitis nota.
Cap. XVI.

Dictum eſt, hominum naturalem poteſtatem poſſe nihil ex ſe in terris, nam Dæmoni eſt ſubiecta,huius poteſtate inferior, ac proinde hic hominem poteſt occidere, vertere in furorem,veſaniamque, adigere,vt ſe perimat,inſtar corũ, quorum exempla adduximus, inſtar Saulis, Neronis, Diocletiani, omnia ſua præcipitet; niſi ſupernaturalis poteſtate ſua, precibus ſuis obſiſtat. Hinc fit quod aſſerit cum multis aliis Hugo, & Alexander, *Poteſtas ſpiritualis terrenam poteſtatem & inſtituere habet,vt ſit & iudicare habet,ſi bona non fuerit.* Eadē poteſtate ſupernaturali,ac meritis eius fit,ne oīnò illa eueniāt ceteris hominibus,quæ ſuperioribus eorũq; ſimilibus magis,minusve euenerũt,vt Chriſtus omniũ Dominus,ac Rex noſter, Eccleſiæ ſuæ Mundi Reginæ preces, meritaque reſpiciens magis,minusve ordinarit. Atque hæc oriuntur ab æterni illius characteris,in cuius perſona humanitas Chriſti ſanctiſsima ſubſiſtit, participatione nobis impreſsa, ſiue intellectui, ſiue voluntati, ſiue vtrique, ſeu vero eſſentiæ ipſius animæ

matur, nil refert. ſeipſo efficax eſt. mouetque intimè ad ſcienda, amanda, & efficienda optima quæque, ac diuina. Solo aſpectu, ſeipſo Dæmonas fugat, mentes hominum purgat, atque illuminat, tenebras ex ijs diſiicit. Audiamus Prudentium, qui refert, quod ſe puero accidit Iuliano Imperatori, cum Dæmoni ſacra faceret, & aſtaret Chriſtianus cum Regia poteſtate Characteris participati ab æterno Charactere, qui cuncta creata ordinat, ac regit. ſic igitur ille.

Tum ſubito exclamat media inter Sacra Sacerdos
Pallidus, en quid ago? maius Rex optime maius
Numen neſcio quod, noſtris interuenit aris.
Quam ſufferre queant ſpumantia cymbia lactè
Cæſarum ſanguis pecudum, verbena, coronæ
Accitas video longè diſpergier vmbras.

En vt purgetur hic Sacerdos, atque illuminetur, niſi obſiſtat. Et mox. Sacerdos vbi narrauit omnia turbata, & collapſa.

Neſcio quis certè ſubrepſit Chriſticolarum
Huc iuuenum. tremit hoc hominum genus inſula, & omne
Puluinar Diuùm. lotus procul abſit, & vnctus.

En vnctio Regij characteris.

Pulchra reformatis redeat Proſerpina ſacris.
Dixit & exanguis collabitur, ac velut ipſo
Cerneret exerto minitantem fulmine Chriſtum.
Ipſe quoque exanimis poſito diademate Princeps
Pallet, & adſtantes circumſpicit, ecquis alumnus
Chriſmatis inſcripto ſignaret tempora ſigno
Qui Zoroaſtræos turbaſſet fronte ſuſurros
Armiger e cuneo puerorum flammicomantum
Purpurei cuſtos lateris deprenditur vnus;
Nec negat, & gemino gemmata haſtilia ferro
Proijcit, ac Chriſti ſignum ſe ferre fatetur.
Proſilijt pauidus deiecto Antiſtite Princeps
Marmoreum fugiens nullo comitante ſacellum.
Dum tremefacta cohors, Dominique oblita ſupinas
Erigit ad cœlum facies, atque inuocat Ieſum.

Hæc Prudentius Hiſpanicæ nationis decus. è quibus habemus ab æterno Chriſti charactere, à quo omnia reguntur, participatū characterem, per ſe illuminare, ac purgare, niſi obex ponatur. Audiſti Dæmonas fugatos, Sacerdotemque, & Imperatorem veritatem cognoſcentes, fatentes, expertos; huius militis characte-

ris

ris lumine cœlitus defluente ab illo, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* purgatos, ac reuera illuminatos. Innumera huc afferre huiuſmodi exempla poſſem, quibus idem probaretur; integra volumina conficerem. Satis hoc vnum, vt ſciamus, clericum, ſimul atque aliquo accedit, niſi obex ponatur, ſolo aſpectu purgare, & illuminare animos, tanta eius Regia poteſtas; quod nulli Regum datur, ſi ſola naturali poteſtate nitantur. Cum verò exemplum ſit laici confirmationis characterem geſtantis, multo ampliora efficit clericalis, qui attolitur, atque ampliatur ſupra confirmationis characterem, & proprie cõfiguratur potentiæ Paternæ, a qua *Omnis paternitas, & poteſtas*. Rectè igitur, S. Paulus, *Si Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* Nam diuiſa hæc à ſupernaturali ſunt ſubiecta Dæmoni, qui ſubiectus eſt cum ſuis rebus oĩbus poteſtati ſupernaturali Regiæ Clericalis characteris cõſigurati potentiæ paternæ, ac proinde ſæcularia Dæmoni ſubiecta sũt ſubiecta Eccleſiaſticæ poteſtati. Hinc Sanctorũ Patrũ ſecutus dicta Alexander Halenſis par. 4. q. 8. art. 1. mẽbro 8. *Penes repræſentationẽ ſummæ potentiæ, quæ eſt in Patre, ſumitur character ordinis*. At S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 1. q. 2. ad tertium loquens de poteſtate characteris clericalis, & ſuperiorum characterum. *Poteſtas autem proprie nominat potentiam actiuam cum aliqua præeminentia, & ideo hæc diffinitio poteſtatis non conuenit baptiſmo*. & q. 3. art. 1. in reſponſione ad primam quæſtionem; *Illi autem, qui diuinis miniſterÿs applicantur adipiſcuntur Regiam dignitatem*. Et ad tertium de clerico primæ tonſuræ, *Dicendum, quod non ſolum debet ſignificari temporalium abiectio* (capillis detonſis) *ſed Regalis dignitas in forma coronæ, & ideo non debet totaliter coma tolli*. & ad tertium ſecundæ quæſtionis. *Ex hoc, quod aliquis eſt clericus, eſt in altiori ſtatu quàm laicus*. Eadem Rabanus cum aliis, vt ſupra vidimus, ac recitauimus tum illius verba libro primo, tum reliquorum paſsim. Sed & S. Dionyſius lib. de diuinis nominibus cap. 8. *Sanctos vero, & Reges, Dominoſque, ac Deos ſcripta diuina appellant gradus, & ordines, qui in ſingulis primas obtinent, quorum opera ſecundi, ſiue inferiores munera, quæ à Deo proficiſcuntur accipientes tributionis, diuiſioniſque illorum ſimplicitatem in ſuis diſtinctionibus multiplicant, eorumque varietates primi ordines vtiliter, & diuinè, ad vnitatem ſuam contrahunt*. Hæc ille ſingulis ordinibus, gradibuſque attribuens nomen, dignitatem, poteſtatemque Dei, Domini, Regis, ac Sancti, ita tamen vt vltimi

reducantur per ſuos propinquos ad primum, in quo coniunguntur omnes veluti continente omnium nomen, dignitatem, poteſtatemque Sanctam, Regiam, Dominantem, diuinam. loquitur autem loco illo Sanctus tam de Angelis, quam de hominibus, quod è multis, atque ex ipſa ratione apparet. Hinc Sanctus Thomas in commentariis ſuis explicans ea verba, *Primas obtinent, id eſt illos, qui ſortiuntur primos gradus in ſingulis ordinibus, ſicut inter Angelos ſupremi Angeli, & inter homines ſupremi homines, & hoc ideo, quia ſupremi in ſingulis ordinibus accipiunt Dei dona in maiori ſimplicitate, quia magis aſſimilãtur Deo.* Hæc Sanctus de ordinibus ob lumẽ, quod participatur ab his, *Deſcendens à Patre luminum*, per eum, *qui eſt ſplendor paternæ gloriæ, figura ſubſtãtiæ eius, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ* Diſijciens Dæmonum tenebras, in quibus eſt luminis priuatio, ac diminutio non pertingens ad finem ſuum, quod lumen per cõicati characteris poteſtatem, vel ſolo aſpectu purgat, illuminatque hominum mentes, magis minuſue prout eminentius eſt lumen ob eminentionem characterem, maiuſue, aut minus obiicitur impedimentum; quod nulli Naturalium, temporaliumve poteſtatum contingit. Quid vero ſit eſſe Sanctum, Regem, Dominũ, Deum declarat idem Sanctus initio capitis, ita dicens, *Sanctitas quidem eſt vt noſtra ratione dicam, & ſententia, ab omni ſcelere libera, perfectaque, atque omni ex parte incontaminata poteſtas. Regnum autem omnis terminus ornatus iuris, ordinumque Tributio. Dominatus vero non ſolum inferiorum præſtantia; ſed omnis etiam & pulchrorum, & bonorum perfecta poſſeſſio, veraque, ac certa conſtantia. Itaq;* κυριότης παρὰ τὸν κυρὸς, καὶ τὸ κύριον, καὶ κυριεύειν, *id eſt Dominator ab eo, quod eſt ratum, & Dominus, & quod dominatur, dicitur. diuinitas autem eſt prima contemplans prouidentia, atque id perfecta bonitate & vndique omnia luſtrans, ſuoque complexu continens, ſeque complens, ijſque omnibus, quæ ipſius prouidentia fruuntur, antecellens.* Hæc Sanctus E quibus habemus. Primo Eccleſiaſticorũ quemlibet eſſe Regem: nam clare aſſerit tales vocari ordines. Secundo non modo ordines, ſed etiam gradus. Tertio neque hos duntaxat, ſed qui in ſingulis primas obtinent in Eccleſiaſtica hierarchia, ſiue in Eccleſia militante reſpectu inferiorum.

Secundo profitetur Eccleſiaſticos, quibus ſcilicet eſt actus poteſtatis à Põtifice communicatus, eſſe diſtributores rerum quatuor, Primum termini omnis, quouſque ſcilicet aliquis laicorum,

vel

vel inferiorum progredi debeat in ſuis rebus. Secundum, ornatum quòd omnis dignitas de Eccleſiaſticorũ manu ſit aſſumenda à laicis. Tertium, iuris, quòd poteſtas omnis in omnes res ab Eccleſiaſticis in laicos, & inferiores deriuanda ſit. Quartum ordinis, quod omnis ordo inter ipſos ſæculares ſit ab ipſis conſtituendus.

Tertio profitetur Eccleſiaſticos, ſiue gradus omnes, & ordines Eccleſiaſticæ hierarchiæ, non modo Reges, ſed etiã Sanctos, Dominos, ac DEOS. Quarto ait ſic appellari à ſcriptis diuinis, quod ita eſſe apparet ex ijs, quæ adduximus, & adducentur. Ne quis verò ſciolus reuocet in dubium ſcripta Sancti Dionyſii Areopagitæ, cognoſcat ille, ſcripta tanti Patris ſcholiis fuiſſe illuſtrata à S. Dionyſio Alexandrino, qui fuit eadem, qua S. Cyprianus, ætate, quod tradit Maximus monachus. & à S. Ioanne Chryſoſtomo vocatur idem. S. Dionyſius πετεινὸς οὐρανοῦ Cœli volucris. quod refert Anaſtaſius Bibliothecarius epiſtola ad Carolum. Vult etiã Liberatus in breuiario citari eiuſdem ſcripta à Cyrillo Alexandrino aduerſus Dioſcorum, & Theodorum, & libro de incarnatione verbi; eadem citantur ab auctore Homiliæ ſecundæ in diuerſis inter opera Origenis. Hos ſequuntur SS. Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus, qui vixit tempore Gregorij Sancti, Gregorius ipſe magnus homilia 34. in Ezechielem, Martinus Papa, Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, vt habetur in ſexta ſynodo, Agatho Pontifex, Damaſcenus, aliique multi.

Neque verò mirum, ſi paſſim non erant libri Areopagitici in manibus omnium. ipſe enim Dionyſius multis in locis edicit, ne ſcripta ipſius, cum gentiles adhuc maximè imperarent, ac profani omnia replerent, euulgarentur. Euſebius verò non appoſuit in catalogo Eccleſiaſticorum ſcriptorum, ſicuti etiam multos alios, quod eſſet Arianus, & ſcripta Areopagitica valde aduerſentur hæreſi Arianorum, S. verò Hieronymus, cum texuit catalogum, potius fuit interpres Euſebij, quam de ſuo quidquam adiecerit eius catalogo.

Confirmantur ſuperiora ex eo, quod Halcut, & Rabbi Iſaac Abarbanel tradunt in Exodi trigeſimum caput, olim Reges ſic vngi ſolitos, vt circumduceretur eorum crinibus digitus oleo trinctus, eoque deſcriberetur corona. Sacerdotes ſummi vngebantur oleo producto in formam Crucis, cuius duæ lineæ extremæ, deſinerent ſupra ſupercilia. Ambobus porrò effundebantur ſupra caput olei guttæ. vtriuſque conſuetudinis nũc in-

ſignia clerici geſtant. Nam & pileus illis in ſimilitudinem Crucis eſt conformatus, & crines principio in vertice facto in modũ coronæ, quam ſemper geſtant, abraduntur, vt Reges eſſe intelligas, & Sacerdotes. Sed quando antiqua erant vmbra noſtrarum rerum, illaque erant tota propè in externis, Noſtra, autem licet externa maxime habeant, primo tamen, & maxime interna: idcirco altiora ſimul, ac maiora, & efficaciora ſunt nobis diuinitus elargita.

Superiora verò omnia reſpiciens Prudentius inducens Theodoſium nobiliſſimæ gentis Hiſpanicæ ornamentum Maxentio, & Eugenio deuictis, ita canit.

Cætibus aut Magnis Laterani currit ad ædes
Vnde ſacrum referat Regali Chriſmate ſignum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi Chriſte dicatam
In leges tranſiſſe tuas? omnique volentem
Cum populo, & ſummis cum ciuibus, ardua Magni
Iam ſuper aſtra poli terrenum extendere Regnum?

Hæc ille apertè volens ob vnctionem characteris à Pontifice ſummo habitante in Palatio Lateranenſi, quod Conſtantinus donarat Eccleſiæ Romanæ, cum prius Imperatorum ſedes eſſet, acceptũ eſſe in Eccleſia Sacerdotium Regale à Pontifice ſummo dependens, ex quo infert ille. Primò Romam, ſimulque Imperium Romanum, (nam de illo eſt ſermo) Chriſto eſſe dedicatum; quod autem Chriſto dicatur, non pertinet amplius ad ſæculares, niſi quantum Pontifex decernit? Secundo tranſiſſe in leges Chriſti, at Chriſti leges ordinant cuncta temporalia, naturaliaque, vel vſus horum. Tertio propterea ſubiicit Regnum terrenum ſuper aſtra poli extendi pennigeratum, quod aiebat Sanctus Irenæus, charactere Euangelij Sacerdotali, Prophetico, Regali, qui ab æterno charactere impreſſus Petro (cui datæ ſunt claues omniũ cælorum, quæ claues eſſentialiter ſunt character) communicatur ab illo, ſucceſſoribusque ipſius cuilibet Chriſtiano, ita tamen, vt attollatur ex ordine in ordinem, donec à minori ad maiorem, maximumque fuerit deuentum, qui refert formam *Patris omnium, continetque omnem ſub ſe poteſtatem vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.* Quod vero eſt ſuper aſtra Poli, clauditur, atque aperitur clauibus Petri, eſt in poteſtate ipſius, ac ſucceſſorum. Quarto, niſi ita dicamus, cur meminit potius ſigni Regalis, quã

bap-

baptiſmatis, fidei, vel Religionis? cur ex hoc ſigno Regali concludit Romam Chriſto dicatam?

Hinc etiam conſtat, quantus Eccleſiaſticis, & Sacerdotibus Chriſtianis honos debeatur; quantus ſcilicet nulli ſæcularium principum reddendus eſt, quod aperte habemus ex oraculo Iſaiæ. cap. 49. quod ſupra attulimus. Idcirco Sanctus Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes aiebat primo loco Epiſcopos honorandos deinde Reges. Eadem S. Baſilius monaſticarum conſtitutionum vigeſima tertia, cuius verba recitamus libro quarto cap. decimo. Multo his ampliora S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium. Sed & præter illa, quæ ſupra attulimus ita S. Ioannes Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio. *Sacerdotes,* ait, *merito non modo plus vereri debemus, quam vel Principes, vel Reges, verum etiam maiori honore, quam parentes proprios honeſtare.* S. Ambroſius libro de dignitate Sacerdotis cap. 2. *Honor igitur patris, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, ſi Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares.*

Notum eſt factum Conſtantini in Concilio Nicæno, quem Euſebius ita deſcribit ingreſſum in Epiſcoporum conſeſſum libri ſecundi de vita ipſius cap. 10. *Simul ac vero ad ſummum locum venit, primum in medio conuentu erectus conſtitit, ac cum paruæ quædam ſella ex auro fabricata illi eſſet eo in loco poſita non prius cõſedit, quam Epiſcopi ad id annuiſſent.* En Conſtantinus in parua ſella in medio Epiſcoporum ſtans, nec prius conſidens, quam illi annuiſſent.

De Leontio ſic Suidas verbo, *Leontius* ait, *Tripolis Lydiæ Epiſcopus natione Myſus ex iis, qui Iſtrum accolunt, & ab Homero* ἀγχέμαχοι, *quod cominus pugnent, dicuntur. Hunc Leontium ſibi adiungit vecors Philoſtorgius in libro ſuo, vt approbatorem Arianæ ſuæ vecordiæ. Hic Leontius cum filium vnum haberet non optimæ ſpei puerum, precibus, vt aiunt, impetrauit, vt adoleſcentulus moreretur, optimum ratus, eum ante ſuſceptum aliquod dedecus defungi, lubricis vitæ caſibus ereptum. Hanc regulam Eccleſiæ vocabant. Animo fuit ingenuo aduerſus omnes, & ore libero. & quodam tempore Concilio indicto, cum Euſebia Conſtantii vxor ſuperbia elata ab Epiſcopis adoraretur, ſolus eam adulationem aſpernatus domi manſit. At illa irritata, & animo inflammata mittit ad eum expoſtulatum, pollicitationibus*

etiam

tiam hominem alliciens, ſe Eccleſiam illi maximam extructuram eſſe, & affatim pecuniã præbituram, ſi ipſam conueniret. cui ille hoc modo reſpondet. Iſtorum quidem, ſi quid Imperatrix exequi volueris, non tam mihi ſe ſcito, quam animæ tuæ gratum facturam. Si vero me ad te venire volueris debitam Epiſcopis reuerentiam conſeruato, vt ego quidem ingrediar, tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus ſuppones benedictionem acceptura; ac deinde ego ſedeam; tu verecunde aſtes, cum iuſſero ſigno dato ſeſſura, ſi hæ inquam tibi conditiones placuerint, ad te veniam, ſin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Epiſcopis conueniente neglecto, diuinum Sacerdotij inſtitutum violemus. quæ cum renunciata eſſent, exarſit iracundia mulier, non ferendum rata Leontij reſponſum, & vehementer commota, & multum conqueſta, multumque muliebri bile, & leui ingenio minitata, rem marito exponit, eumque ad ſupplicium de illo ſumendum inſtigat. Is verò ingenuum Leontij animum magis laudat; placatamque ira vxorem in gynecæum ablegat. Hæc de Leontio Suidas.

Nunc intelligant, qui excommunicationes Epiſcoporum contemnunt, vel Clericos minores deſpiciunt, quid egerit Maximus, ac ſapientiſsimus totius Orientis Imperator Theodoſius ſecũdus Magni nepos. Nam ſic de illo Nicephorus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 14. cap. 3. *Vir quidem (*Monachus*) aſperiorem, duriorемque virtutis vitam conſectans, præfracto eum adijt animo, vt ab eo neſcio quid peteret. Atque vbi id ſæpius expertus non impetrauit, vinculis Eccleſiaſticis Imperatorem à communione arcens ſubdidit. poſtquam autem Imperator in Regiam ſuam venit, & & epulæ appoſitæ ſunt, conuiuaque omnes adfuerunt, non ille prius cibum ſumendum eſſe, quam vinculis ſibi iniectis ſolutus eſſet, cenſuit. Quapropter ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum famulum quendam miſit, petens, vt eum ipſum ſoluere ſe, qui ligaſſet, iuberet. Cum id Epiſcopus recuſaret; & pro vinculo habendum non eſſe, quod à quocumque ligatum eſſet, ſignificaret; ſolutumque iam adeo eſſe diceret. nondum calculo eius acquieſcendum eſſe dixit. multo verò labore is, qui ipſum ligauerat, inquiſitus eum abſoluit.* Hæc Theodoſius Imperatorum maximus. quid ad hæc noſtri dicent? Eant nunc aliqui noſtrorum, dicantque iuris eſſe naturalis, vt populi gubernentur à Principibus licet excommuni

municatis. An non iuris erat naturalis, vt Imperator Theodoſius cibo ſumpto vitam tueretur? inſpiciamus adhuc, quid egerit S. Martinus. Sic autem Seuerus de illo in vita cap. 23. *Cum ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum plures è diuerſis partibus Epiſcopi conueniſſent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur; ſeque degeneri inconſtantia clientelæ Sacerdotalis dignitas ſubdidiſſet. in ſolo Martino Apoſtolica auctoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandũ Regi fuit imperauit potius, quam rogauit; & à conuiuio eius frequenter rogatus abſtinuit, dicens ſe menſæ eius participem eſſe non poſſe, qui duos Imperatores vnum Regno, alterum vita exuiſſet, poſtremo cum Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe Imperium affirmaret, ſed impoſitum ſibi à militibus diuino nutu regni neceſſitatem armis defendiſſe; & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuiſſet; nullumque ex aduerſarijs niſi in acie occubiſſe, tandem victus, vel ratione, vel precibus ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente Rege, quod id impetraſſet. conuiuio autem aderant, velut ad diem feſtum euocati, ſummi, atque illuſtres viri, Præfectus idemque conſul Euodius vir, quo nihil vnquam iuſtius fuit, Comites duo ſumma poteſtate præditi, Frater Regis, & Patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat, ipſe autem ſellula iuxta Regem poſita conſederat. ad medium fere conuiuium (vt moris eſt) pateram Regi miniſter obtulit, ille Sancto Epiſcopo dari admodum iubet expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus, vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet; nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. quod factum Imperator, omneſque, qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret.* Hæc Sulpitius. Libro operis huius vltimo oſtendimus, quam reueriti fuerunt olim Reges Hiſpanici Epiſcopos, ita vt illi ingreſsi in Concilia proſternerent ſe humi, & confirmari ab ipſis leges rogarent. Tomo primo de Signis Eccleſiæ Dei, ſigno de ſumma Regum reuerentia, oſtendimus quantopere antiqui Imperatores, ac Reges coluerint ſemper Pontificem Romanum; non eſt opus, illa huc transferre: eò reiicimus lectorem.

Vulgatiſsimum eſt illud S. Franciſci dictum, ſe aſtantibus Ange-

gelo, ac Sacerdote, prius huic deoſculaturum manus omnemque reuerentiam præbiturum, deinde Angelo; quæ conſona ſunt ijs, quæ è SS. Ignatio, Ioanne Chryſoſtomo, Cyrillo, & aliis ſupra attulimus, quin iis, quæ ſcribit S. Ioannes Euangeliſta Apocalypſis cap. vltimo. Nam cum vellet Apoſtolus Angelum adorare, ſeu venerari ad terram accidens, vetitus eſt ab illo dicente. *Vide ne feceris. conſeruus enim tuus ſuum, & fratrum tuorum prophetarum.* Quod ſi Angeli haud patiuntur ſe honorari ab Apoſtolis, quomodo Principes ſæculares patientur ſe coli ab Epiſcopis, qui Apoſtolis ſucceſſere, vt habemus, ex Epiſtolis SS. Ignatii ad Smyrnenſes, Trallianos, Philadelphienſes, S. Dionyſio libris de Eccleſiaſtica Hierarchia, & Epiſtola ad Demophylum, Cypriano epiſt. 69. ad Puppianum, & aliis? Placet hic aſcribere, quæ refert Abbas Stadenſis Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto ſcripta fuiſſe ad Innocentium Quartum, à potentiſsimo Mahometanorum Sultano, vt vocat, qui Imperatoris Friderici Secundi vires fregerat, eumque ad fœdas conditiones pacis adduxerat, ſic igitur ille ad Pontificem, *Præſentiæ Papæ nobilis, magni, ſpiritualis, affectuoſi, Sancti, Tertijdecimi Apoſtolorum vniuerſalis loquelæ Chriſtianorum, manutenentis adoratores Crucis, iudicis populi Chriſtiani, ductoris filiorum baptiſmatis.* Et mox. *Nuncius venit ad nos, quem miſit ſanctus Papa, & ipſum præuenimus cum honore, & dilectione, cum deuotione, & reuerentia, ipſumque vocauimus ad conſpectum noſtrum ſibi inclinantes.* Hæc hoſtis Chriſti, & Chriſtianorum, cuius quam latè pateret Imperium colligimus ex inſcriptione, in qua ſic habetur. *A Rege regionis Aegypti, & Syriæ, & Meſopotamiæ, & Mediæ, & Idumeæ?* Hic itaque occurrit Nuncio Pontificio, prior illum voluit honorare, ac ſeſe illi, vt ait, cum deuotione reuerentiaque inclinare. ac Reges noſtri non hoc agent? Quomodo poterunt igitur ſtare in horribili die Iudicij ante Chriſti tribunal, aſtante & hoc ipſius Chriſti hoſte, ipſius Chriſti inquam dicentis, *Qui vos audit, audit me, & qui vos ſpernit ſpernit me?* En dicet iſte, aut dexteram Regni Cæleſtis ſibi deberi à Chriſto, aut multis noſtrorum damnandam ſiniſtram, locaque infera longè infra ipſum poſita, quando minus coluerint nuncios Pontificis ſummi, quam coluerit ipſe. Verum cum ſit diuini iuris hic honor, quomodo laicis permitti poteſt, ne clericis eum præſtent. An ad duritiam cordis aliquorum? An vt agnoſcant laici humilitatem Clericorum, qui debitos

ſibi,

ſibi honores remittant, quando ipſi eos laicis elargiantur, quamuis nullum ius his acquiri poſsit? Dicent laici aliqui, honorandos Clericos, cum ſpiritualia diſtribuunt, ſed hæc nullius eſt momenti reſponſio.

Primo namque ſemper in eſt humanæ naturæ appetitus ille ineuitabilis, quo nullo momento nulla in re poteſt velle à Deo diſiungi, aut non ordinari in illum, cumque appitus hic ipſi dominetur, dominatur & ipſi in ſuis membris nobilioribus, & ordinibus Eccleſia Sancta, ſine qua non poteſt ad Deum peruenire, & ordinari in illum.

Secundo dicemus adeò diſtribui ab ordine Clericali ſpiritualia quibuſlibet horis, vt niſi preces, oblationeſque ipſorum iuges eſſent, Dæmonum poteſtas quid non ageret in humanum genus?

Tertio reſpondemus, non poſſe laicos aliquid intimè, ac ſcienter cogitare, vel extrinſecum tantillum agere, quod non ſubiiciatur Eccleſiaſticæ poteſtati, quæ ſtatuit delectationem moroſam criminis alicuius mortalis, eſſe mortale crimen: non reiectam vero, ſimulatque aliquis aduerterit, ac potuerit, per quandam negligentiam leuem eſſe veniale. ac licèt hæc ſint conformia lumini naturali, tamen neque hoc ſufficit, vel ad ſingula peccata cognoſcenda, vel ad repellenda, niſi ſubijciat ſe quilibet ſupernaturali poteſtati, ab illa ſpiritus diuini deriuationem recipiens, vt ſupra dicebamus, & habemus ab Apoſtolo Epheſ. cap. 4. & 1. Corinth. 12. ſic igitur Eccleſiaſtica poteſtas hominem totum ſemper intrinſecus, atque extrinſecus complectitur. Temporalis vero nihil intrinſecus, ſed extrinſecus aliquid, ac raro. cum dandus ſit itaque honor pro modo dignitatis, ac poteſtatis, quantus Eccleſiaſtico dari poterit à ſæculari, qui non ſit debito longè minor?

Quin ſic argumentamur. Tanto maiora à veri Dei cultoribus debentur miniſtris veri Dei, quàm dederint falſorum deorum cultores miniſtris falſorum deorum, quanto præſtat verus Deus diis falſis. ob illam regulam topicam, quod efficit propoſitum in propoſito, idem efficit oppoſitum in oppoſito, ſed vti vidimus, ac fuſius enarratur libro Sexto, maximus honor ſacerdotibus falſorum deorum exibitus eſt ab illis falſorum deorum cultoribus: ergo multo maximus, ac multo maxima Dei veri Sacerdotibus exhibenda erunt à noſtris veri Dei cultoribus: hoc argumento eſt vſus S. Gregorius in epiſt. ad Mauritium, quæ ſuo loco adducitur.

Supra vero oſtendimus è Sancto Paulo tantum ſplendoris eſſe

in participato charactere Eccleſiaſticis impreſſo, vt alij digni haud ſint intendere oculos in Epiſcoporum, Sacerdotumque faciem iuxta illud prophetæ, *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* quod cap. 49. Iſaiæ habetur, lumini porro naturali notiſſima hæc eſſe latè conſtat, ex ijs, quæ libro ſexto fuſius explicamus, ac facillimè, è ſuperioribus deduci poſſunt. & maximè, cum ponendum ſit ſubiectum, (de quo diſputamus, an inſit illi aliquid) quo poſito, & cognito, protinus apparet eſſe diuiniſſimum, ſupra omnem naturam eminens, imperans illi omni in re, & omni momento, vt ſupra eſt latè deductum. Nam cum finis ſit actionum noſtrarum principiũ. finis vero ſit humanarum mentium Deus. hic eſt primum principium, quod practicum vocant, ſiue actionum noſtrarum, quod ſingulas moderatur. Quocirca naturale lumen natura impellente protinus concludit ijs hominibus omni momento, & omni in re obediendum, qui infallibili ſcientia poſſunt omni in re, atque omni momento ad Deum perducere, neque infallibili ſcientia ſolum, ſed etiam virium ſubminiſtratione. quod ſupernaturalibus, ſiue Eccleſiaſticis ordinibus diuino munere eſt conceſſum.

Afferuntur teſtimonia Conſilij Neapolitani, Vaſquij, Hiſpani, Rebuffi Galli, & Sacræ Rotæ Romanæ deffinientia, Clericos non poſſe Laicis ſubijci ab ipſo Pontifice ſummo, quod iuris diuini ſit ipſorum libertas. Cap. XVII.

EX his patet non modo Clericos eſſe liberos, atque exemptos iure diuino ab omni poteſtate ſæculari in omnibus, ſed omnem poteſtatem ſæcularem in omnibus pendere, atque eſſe à poteſtate Clericorum: idque iure ipſo diuiniſſimo, hinc fit ipſum ſummum Pontificem non poſſe efficere, vt poteſtati ſæculari ſubiiciantur, niſi in caſibus nonnullis iuriſdictionis exercendæ ſæcularis Princeps, aut Iudex ſubſtituatur executor ob neceſſitatem. Atque hæc eſt omnium Doctorum ſententia communis. Audiamus quid Thomas de Grammaticis, dicat deci-

decíſione ſacri Concilij Neapolitani ſexageſima prima, qui multa in hanc rem deducta, ex eo, quod concluſimus, dicit, ſic igitur ille num. 10.

Quinimmo, & plus, etiam Papa minime id facere poſſet, vt Clerici conueniantur coram Iudice ſæculari: & etiam ſi hoc faceret, non ex hoc poſſet Iudex ſæcularis de Clericis ipſis cognoſcere: vt dicunt Card. & Abb. in cap. perpendimus. in repet. extra de ſenten. excommu. refert, & ſequitur Rom. in ſingul. ſuo. in verbo Papa. in verſicul. quæro nunquid. ex quo clerici ſunt exempti à legibus temporalibus: & ſic à Iudicibus, cap. cum Eccleſia, extra de conſtit. ſecundùm Bald. in cap. Clericus de pace tenen. & ideo, ne dum Iudex, immo nec Princeps, nec Imperator vllam habet iuriſdictionem in perſonas eccleſiaſticas, quia lege diuina cautum eſt: Noli tangere Chriſtos meos, ideſt, Clericos, ſicque eſt exemptus penitus, ne dum à poteſtate Iudicis ſæcularis; verum etiam à poteſtate Imperatoris, immo ſi conſentiret Clericus in Iudicem ſæcularem, & paſſus fuerit ab eo cognoſci, non poſſet hoc facere: & ſic ſuo Priuilegio Clericali renuntiaret. per tex. in d. cap. ſi diligenti in ea ſignificaſti. & de foro competenti, & in cap. contingit. extra de ſenten. excommun. Et in tantum eſt hoc verum, quod Clericus litigando coram Iudice laico, nec tacite, nec expreſſe poſſet in ipſum conſentire: vt legitur, & not. in d. cap. ſi diligenti. & firmat Specul. in tit. de cit. §. verſic. ſed pone. & ibi ſubdit, quod ſi Clericus citatus per Iudicem ſæcularem coram eo non comparuerit, & fuerit contumax, ſeu bannitus, bannum non tenet, & idem ſequitur Bal. in dict. l. generaliter. C. de epiſcop. & cleric. & propterea voluit pulchre dominus Aegid. de Mandalbertis antiquus Doctor in ſua diſputatione incipiẽte. Quæſtio talis eſt, quæ reperitur inter diſputationes Pauli de Leaza: reſpondendo ad Bartho. in l. non videtur, de iudi. quod clericis coram iudice ſæculari non eſt licita comparitio, nec poſsibilis prorogatio, & per dict. cap. ſi diligenti. & idem in Regno videtur expreſſe tenuiſſe Andr. de Iſern. in conſtitutione de perſonis, ſub rubrica, vbi cleric. in maleficijs conuen. debe. vbi dicit fuiſſe conuentum inter Romanam Eccleſiam, & Regem Regni, in inueſtitura, quod Rex nullam aliquo caſu habeat iuriſdictionem in clericos, niſi ratione feudi, & tenet etiã Abb. in cap. cum non ab homine, extra de iudic. circa princ. & ita de cõuentione præfata in particulari docet cap. Regni. itẽ

ſtatnimus, quod clerici ſub rubrica de non trahen. cleric. ad iudi. ſæcular. niſi pro bonis feudalibus, & dictum cap. fuit Caroli Principis Salerni primogeniti Regis: & ſubdit id fuiſſe ex conuentione habita inter Sanctam Romanam Eccleſiam, & dominum patrem noſtrum. Imo & plus, ſi clericus Ioan. ipſe non declinaſſet forum, & in S. Concilium conſenſiſſet, expreſſe deberet puniri per iudicem eccleſiaſticum pœna extraordinaria, quaſi fuiſſet tranſgreſſor canonis. ſecundum Bald. in l. 1. in fin. C. de indi. iud. tollen. qui ſubdit hoc procedere, etiam ſi ſtatutum prohiberet declinare, forum ſub pœna, ex quo tale ſtatutum non valeret. Idem refert, & ſequitur Bertran. in ſuo tractat. de epiſco. in 5. parte quarti libri, in verſ. xlix. quæro in fin. dicti verſic. in verbo, iuxta præmiſſa ſciendum eſt. Et licet fuerit per S. Conſilium ad relationem Regij Conſiliarij, & Commiſſarij cauſæ certo modo proceſſum ad ſententiam contra ipſum clericum, & ſucceſsiue ad eius executionem, inſtante ſemper clerico in remiſsione ad iudicem eccleſiaſticum, allegando ſententiam, proceſſum, & omnia acta nulla: attamen dato, quod à ſententia non fuiſſet reclamatum, nec de nullitate dictum, ſi demum poſt ſententiam comparet clericus cum inſtrumento clericatus, dicendo de eius nullitate, eſt omnino audiendus, & ſententiam, & executionem annullabit, ac proceſſum. Ita punctualiter voluit Bald. in præallegata l. generaliter. C. de epiſco. & cleri. & idem Bald. in l. 1. C. ſi à non compet. iudi. & hoc ob defectum iuriſdictionis, quæ ſemper opponi poteſt, & reddit iudicium retro nullum, vt dicit Bald. ibi. & maxime quando deficit ipſo iure iuriſdictio, ſemper opponi poteſt, etiam ſi ſtatutum, vel cõſtitutio dictaret generaliter, quod non poſsit opponi de nullitate ſententiæ: vt not. in cap. 1. de ſequeſtratio. poſſeſ. & fructu. & ibi per Gloſ. ſingul. & idem conſuluit Bart. in ſuo conſil. 12. clericus ſub nomine, & idem poſt ipſum Deci. nullam mentionem faciens de Bart. in ſuo conſil. cclxj. ſcripſi alias breuiter. 11. volu. & plene Felyn in cap. cum ordinem, extra de reſcript. Ex quibus dixi executionem ſententiæ diu iam executæ retractandam, quo vſque aliter per S. Concilium prouiſum fuiſſet. Et hoc fuit dictum, vt deferretur honori commiſſarij cauſæ; qui proculdubio inaduertenter ad id proceſsit, & nihil detrahitur parti, quin ius ſuum non integre conſequatur; maxime cum ita votauerit totum S. Concilium, nemine diſcrepante, & ita executum fuit.

Poſt

Poſt hunc ab vltima Europa incipientes, audiamus Hiſpanos. Sic igitur Vaſquius de ſucceſsionum creatione lib.2.§.22. limitatione 28. poſtquam concluſit iure diuino clericos eſſe exemptos.

Stat ergo clericos gaudere priuilegio fori, vt non ſubſint laicis legibus, aut principibus. eſt tamen verum, quod Papa poteſt committere iudicibus, aut principibus laicis cauſas clericorum, quia tunc illi iudicabant, non tam ex propria, & laica iuriſdictione, quam ex iuriſdictione Eccleſiæ ſibi demandata. Ita ex communi opinione reſoluunt Iaſ. in dict.rubr.de officio eius, idem Iaſ. in dict.l. eſt receptum, colum.2. & Felyn. in dict. cap.2.num.5.de maioritate,& obedien.per text.in cap. officium. 32. diſtinctio. Nam & vni laico poteſt Papa dare poteſtatem conferendi beneficia. gloſ.1. in fin. in cap. imperium. 10.diſtinctione,& in cap.in ſumma. 15.quæſtione 7. Ioan. Andr. ad ſpecul.de legato.§.nunc tractemus, verſi. ſed numquid legatus. Innoc. Ioan. An. Ant. Abba. Anna. Anchar.& Dominicus in cap.2.de præben. in 6. Felyn. in cap.dilect.de teſtib. idem in cap.cauſam,de præſcript.idem in cap.2.num.3.de maioritate, & obedien. quia firmat, quod præſcriptione, vel conſuetudine id ius non poſſet acquirere princeps laicus, quod tenet Cardi. conſil.68. Ioan.And. & Dominicus in dict.cap.2. de præben.in 6.quod intellige, vt per Iaſ.num.8. in rub.de officio eius, & per eundem in dict.l.eſt receptum, num.3.& 4. Ex quibus apparet communem eſſe opin. quod Papa non poteſt conferre iuriſdictionem ordinariam principibus laicis in clericos, licet delegatam poſsit, nec laici poſſunt tempore, vel conſuetudine talem iuriſdictionem acquirere. Quæ nota ad leges regias in quibus refertur vſus Regum Hiſpanorum circa iuriſdictionem in res & beneficia, & perſonas eccleſiaſticas.

Amplia, & etiam clericus minoris ordinis, ſeu primæ tonſuræ non ſubſit principibus ſæcularibus. Iſta eſt vera, & communis opinio, vt per Ant.& alios in dict.cap. cum non ab homine, Abb. Felyn. & Dec. colum.1.& Alciat.num.8. Alex.conſi.8. videtur ſuper primo.lib.1.idem Alex.149.in cauſa inquiſitionis lib. 6.idem Alexan. conſ.60.lib.4.Dec.conſ. 150. dubitatur num.4. per tex.in cap.de foro competen. & in cap. cum non ab homine ſupra alle. quod vltimum procedit etiam ſi is clericus eſſet vxoratus, vel bis matrimonium contraxiſſet ſecundum Alex. vtrobique, per cap.vnicum.de clericis coniugatis lib.6.

Amplia ſecundo. etiam ſi clericus non incedat cum habitu clericali, Imol. in cap. Ioannes de cler. coniugatis, per text. ibi Alex. in tribus conſilijs ſupra alleg. Alciat. vbi ſupra num. 8. quod limita, niſi admonitus eſſet a iudice competente, & adhuc noluiſſet incedere cum habitu clericali; nam tunc priuilegio fori non gauderet is clericus minoris ordinis. Habitum autem clericalem quemlibet accipere debemus, dummodo honeſtus ſit, quia nullo iure cautum eſt qualis eſſe debeat habitus clericalis, gloſ. not. in Clem. 1. de electione. quę ſingularis eſt ſecundum Alex. in dict. conſi. 149. colum. fin. gloſ. & Doctor. in cap. penult. de vita, & honeſtate cleri. Laudenſis, & Cardin. in Clement. 2. eodem tit. Innocent. in dict. cap. penult. gloſſ. 30. diſtinct. cap. ſi quis virorum Alexand. dict. conſil. 8. colum. fina. lib. 1.

Amplia tertio, vt gaudeat priuilegio fori, etiam clericus minoris ordinis, licet immiſceat ſe negotijs ſæcularibus, & etiam enormibus ſecundum Alciatum, vbi ſupra Alex. in dict. conſil. 149. idem in dict. conſ. 8. Hoſtienſ. & Anchar. in cap. 1. de appoſtatis, Abb. in cap. perpendimus, de ſententia excommunicationis, & eſt communis ſententia per d. cap. Ioannes, quæ communiter limitatur, niſi à iudice competente ab enormibus, & vetitis, profaniſque negotijs, vt abſtineret admonitus, parere voluiſſet; tunc enim etiam priuilegio fori non gauderet ſecundum Alex. & Alciat. in locis ſupra citatis. idem Alex. conſ. 61. lib. 4. Cardin. & Abbas in d. cap. perpendimus. Hoſtien. & Anchar. in cap. 1. de apoſtatis.

Amplia quarto, vt procedat etiam, ſi cum clericus ille minoris ordinis captus eſſet à iudice laico, nihilque allegaret, & condemnatus eſſet; nam adhuc proceſſus non valeret, quaſi per hanc diſsimulationem fori priuilegio renuntiare non poſſet, argumen. text. in cap. ſi diligenti, de foro competent. ita tenet, & firmat communiter teneri Alexand. in d. conſ. 149. lib. 6. colum. fina. num. 13. Archidiaconus 15. quæſt. 4. in cap. placita, Speculat. de cit. §. 1. verſ. ſed pone Ioan. Andr. de reg. ſcienti. in Mercuria. Cin. in l. generaliter, Bald. & Ang. in l. 2. C. ſi quis in ius citra non ierit, Ang. & Imol. in l. quidam conſulebant. ff. de re iudi. tradunt omnes Doctor. in d. c. ſi diligenti, Anchar. in c. ea quæ. 24. quæſt. de reg. iur. in 6.

Amplia quinto, etiam ſi is clericus minoris ordinis expreſſim renuntiaſſet priuilegio fori, vt tradunt omnes per text. ibi.

d.cap.ſi diligenti,per nouiſſ.in l.penul.C.de pact.etiam ſi interfuiſſet iuramentum,vt tradit Bart.in l. ſi quis pro eo.ff. de fideiuſſor.Alexand. in dict.conſ.8.& in dict.conſ.149.niſi fuiſſet publicus hiſtrio,ſeu buſo,aut paraſitus,& in exercitio illius artis ignominioſæ, & turpis per annum perſeueraſſet, ita Alexand. in dict.conſi.194.per cap.vniuerſitatis,de ſententia excommunicationis. iuncto cap. 1. de clericis coniugatis lib.6.in ſimili, per Felyn.in cap.2.colum.1.de maior.& obed.

Amplia ſexto, vt procedat etiam ſi teſtator diſpenſaret, vt clericus cum hæredem inſtituebat, poſsit conueniri à iudice laico, ita Bald.in l. 2. C. vt in poſſeſsionem legatorum. Decius conſil.150. num.4. quod ſatis dubium eſt, argument.tex.in l.2. §.ex his.ff.de verbor. obligat. vbi qualitas obligationis ex perſona ſucceſſoris,non poteſt immutari, aut deterior fieri; præſertim cum is clericus ſponte adierit hæreditatem. l.nec emere.C.de iur. deliberand. Niſi dicas,quod vt actor tenetur ſequi forum rei.l.2.C.de iuriſd.omn.iud. non multum intereſt vtrum adeat iudicem eccleſiaſticum, an vero iudicem ſæcularem. Adde Dec.in c.quia gu.nu.10.de iud.& infra latius diſſeram.

Amplia ſeptimo, vt procedat, & ſi is clericus, & expreſsim renunciaſſet priuilegio fori, & propterea eſſet conſuetudo, quod poſſet conueniri coram iudice laico. Iſta eſt communis opinio, quam reſoluunt Hoſtienſ. in cap. 1. de apoſtatis. Alexand.d.conſ.149.lib.6.num.10.idem conſ.8.lib.1.ſentit Dec. d.conſ.150. num.4. Felyn.in d.cap.2.& l.1. ad finem. de maioritate,& obedientia.

Amplia octauo, vt procedat etiam ſi iudex eccleſiaſticus eſſet negligens in huius clerici punitione, ita Alex.col.2.conſ.8. lib.1.per cap.quanto,de iud.& ibi late per eum.

Amplia nono, vt huius controuerſiæ, an ille clericus eſſet necne,iudex competens, ſit iudex Eccleſiæ, non iudex laicus. Iſta videtur communis opinio, vt per Alexand. dict. conſ.149. lib.6.Cynus,& Bald.in l.ſi qua per calumniam,C.de epiſ.& cleri. Dominicus de Sancto Geminiano in d. cap. vni. de clericis coniugatis.in 6.Rota deciſione 197. incipien. Item ſi clericus coniugatus, Ant. Abb. & Imol. in cap.tuam, de ordin. cognit. Lapus alleg.56.Alex. conſ.8.lib.1. num.4. Denique licet is clericus minoris ordinis admonitus à iudice noluerit incedere cum habitu clericali, id ſibi non nocet ſi poſtea ſine fraude,& ſponte illum habitum reaſſumpſit. Ita eſt communis opinio

ſecun-

ſecundum Alex. conſ. 149.nu.6. Ioan. Monach. Ioan. And. Ioan. de Lig. Dom. & Archid. in d.cap.vni.de cleri.coniugatis, num. 6.Paul.de Liaz.in Clem.1.de vita & honeſtate cler.per text.ibi verb. quandiu iuncto intellectu 1.glo. ibi.verb. omnimodo, qui intellectu communiter appr.ſecundum Alex.d.conſ.149. idem conſ.8.lib.colum.fin. Hæc Hiſpanus Doctor.

Audiamus modo Gallum. ſic autem Rebuffus in rub.de protectione concordatorum.

Et quod Papa poſsit ſubijcere clericos vnius terræ, ciuitatis,vel diœceſis iuriſdictionis laicorum, in vno caſu eſt text. in cap.vbi periculum,in §.præterea,de electione in 6. Cardinal.in repet.cap.perpendimus. coll.7. verſ. oppono ad eandem lecturam, de ſententia excommunicationis. Felyn. ſequitur in cap. 2.colum.1.& cap.fin.in fin.de maioritate & obedientia. Poteſt etiam delegare cauſas aliquorum clericorum laicis, cap. præter.32. diſtin. vbi commiſit cauſam clericorum ſimoniacorum duobus ducibus,dando eiſdem poteſtatem deponendi eos.cap. mennam. 2. quæſt. 5. vbi in ſubſcriptione apparet commiſiſſe clericorum cauſam Reginæ Franciæ, facit cap. ſolitæ, de maioritate,& obedientia. cap. verum.de foro competen.Felyn.& alij in cap. eccleſia, de conſtitut. Sed totum Clerum, non poſſet ſubijcere iudici laico,cum priuilegium fori clericorũ ſit de iure diuino introductum,glo.in cap. ſi Imperator.96. diſtinct. & Num. cap.3. Ego tuli leuitas à filiis Iſrael, eruntque leuitæ mei. meum eſt enim primogenitum,& cap.18. & Ioſue cap.17. in fin. *Tribui Leui non dedi poſſeſsionem; quoniam Deus Iſrael ipſe poſſeſsio eius.* Et alibi. *Nolite tangere Chriſtos meos.* gloſ. in verbo degenerari,in authen.de non alter.reb. eccle.colum.2.& Beatus Gregorius in cap.ſacerdotibus.11.quæſ. 1. dicit Imperatorem Conſtantinum retuliſſe, cum Epiſcoporum accuſatio eidem propoſita fuiſſet: *Ite, & inter vos cauſas veſtras diſponite, quia dignum non eſt,vt nos iudicemus deos, id eſt, clericos.* Immo dicit Baptiſta Fulg.lib.1.de religionis cultu, Conſtantinum in Concilio Chalcedonenſi,cum vltimus inter ſacerdotes ſederet, accuſationes clericorum ad ſe ex ſcripto delatas combuſiſſe dicentem ſacerdotes, ſeu numina ad hominum regendam conſtituta eſſe, & propterea in tantum ſe Deo eorum iudicium reſeruare velle, quod non faciunt quidam ſæculares iudices,in ſuarũ animarum perniciem,& hi clerici aliquando in ſacra ſcriptura dij vocantur Exodi cap.22. *Dijs non*

detra-

detrahes. cap.cum ex iniunctio de hæret. Et aliquando Angeli. Malachiæ 6.cap. *Quia Angelus Domini exercituum eſt*. Item alibi is Conſtantinus in ſancta Synodo Nicæna præſidens cum querelam quorundam clericorum ad ſe conferendam conſpiceret,ait. *Vos à nemine dijudicari poteſtis, quia ad Dei ſolius iudicium reſeruamini*. cap. ſatis.96. diſtin.& caput continua.11. quæſt.1. facit tex.in cap.1. de immun.eccle.lib.6.& cap.penult. de cenſibus,eodem lib.& l. proxime ibi vos habetis iudices veſtros.ff.de his,qui in teſtamen. delen. Roman. ſingula. 414. ſed an poteſt, &c. Item licet Pharao ſuapte natura malus,omnem ſubieciſſet Ægypti terram, & cunctos populos, tamen ſacerdotes, & terram illorum reliquit liberam, vt patet Gen.47.cap.

Immo etiam Clericum iudicari à laico, videtur contra rationem naturalem,quæ eſt quod inferior non iudicat ſuperiorem.cap.cum inferior,& è ſolitæ. vbi Felyn. de maioritate,& obedientia,& naturaliter inferior, exhibet honorē ſuperiori in l.1.§. ſicut,& ibi gloſ. ff. de aqua pluuia arcen.glo.in ſumma 93.diſt.l.2.ff.de alien.Iud.mutan.cauſa fact.& Clerici ſunt maiores laicis,etiam Principibus,cap.1.in fin.17.diſt. & cap. quis dubitet.96.diſt.& cap.duo ſunt.12.q.1.nec valet conſuetudo & inferior habet iuriſdictionem in ſuperiorē tex.in cap.inferior. & ibi Propoſitio.21.diſt.& inimicis ſe committere eſt contra rationem naturalem,ſed laici ſunt communiter Clericorū inimici,& infeſti,cap.laicos.2.q.7.Clericos de immun.Eccle.in 6. Ergo Papa non poteſt committere totum Clerum laicis, quia peruerteretur vniuerſalis ſtatus Eccleſiæ, quod non poteſt Papa facere gloſa,& Doctores in cap.propoſuit de conceſ.præbē. Bened.in cap.Raynutius,in verbo & vxorem.num.427. & ſeq. & in verbo ſi abſque in 2.num.47. de ſubſtit. de fideicommiſs. de teſtamen.

Immo Anno 1431.Die 5.Aprilis,ante Paſcha fuit arreſto huius Senatus remiſſum cadauer Gottridij Clouet Presbyteri, qui ſe ſuſpenderat Pariſijs in vico S. Germani Altiſsidiorem, Ex quo patet,quod Iudex Eccleſiaſticus cognoſcit contra Clericos viuos,& mortuos,quia character eſt impreſſus animæ,& oſsibus. Ideo non euellitur,vt ſcribunt Doct.in cap. degradatio de pœnis.in 6.Aufrer in ſtylo parlamenti arreſto 109. Item nota. Nec obſtat falſa,& damnata opinio Petri de Ferra.

Confirmentur hæc omnia ſacræ Romanæ Rotæ, ad quas ſecun-

cuncta ex orbe toto deferuntur, deciſione, quæ eſt decima in antiquis, alias 839.

Vtrum valeat conſuetudo Anglicana. quod poſsit cognoſcere, & habere iuriſdictionem in Clericos ſolutos, in actionibus ciuilibus, etiã perſonalibus mere, vel criminalibus. vbi agitur ciuiliter. & videtur quod non per ea, quæ notat Innocen. de foro compet. cap. poſtulaſti vltra medium. per Archidiaconũ. in cap. Romana. in ſecund. glo. eod. tit. lib. 6. præſertim, qnia eſt contra libertatem eccleſiaſticam, & ſanctorum Patrum inſtituta: ergo. &c. Argumentum, extra de his quæ fiunt à maiori parte capituli, cap. 1. cuncto. cap. 11. extra de foro competenti. Item quia talis conſuetudo eſt contra præceptum prohibitiuum, & negatiuum vt d. cap. 2. cui renunciare expreſſe non poteſt. vt ibi not. & probatur eod. tit cap. ſi diligenti. & argumento notatorum. C. ne fideiuſſores dotium dentur. l. 2. in fin. ergo multo fortius, nec tacite; præcepta enim negatiua obligant ſemper & ſemper, ſed nõ ad ſemper ſecundũ Theologos. Item quia talis conſuetudo eſt contra generale ſtatutum Eccleſiæ præſertim introductum in honorem totius ordinis clericalis, ne dum Clerici Anglicani. Immo & vniuerſalis: ergo clericus Anglicanus, tacite conſentiendo, aut aſſentiendo, tali abuſui, non poterit prætextu talis conſuetudinis ei derogare argumento. 25. q. 2. ſunt quidam. & argumento. nota. per Innocentium de conſuetud. ſuper Rubrica, circa medium. Item, quia talis conſuetudo eſt contra legem diuinam, per quam exempti ſunt Clerici à iuriſdictione Principũ ſæcularium iuxta ea, quæ notat Innocentius de maioritate, & obedientia. ca. ſi quis. Item quia eſt contra inſtitutionem eccleſiæ: ergo, &c. Argumentum extra de temporibus ordinãdorum. cap. 2. Item pro hoc bene faciunt notat. per Archidiaconum de clericis coniugatis è primo libro Sexto. ſuper verbo condemnari. et per Hoſtienſem & Ioannem And. in Nouella extra de obligatis ad ratios. cap. 1. Item contra præcepta non poteſt induci conſuetudo præſertim per eum, qui non poteſt contrariam legem, vel præceptum ſtatuere. vt notat. Innocen. de conſuetudine in Rubrica circa. Nec obſtat ſi dicatur quod eccleſia Anglicana, nec tex. obſeruauerũt illud ſtatutum, & ſic non videtur ligari, Nec ex hoc tranſgreſſores illius argumento, 4. diſt. in. leges iũcta notata de treuga, & pace. cap. 1. in fine. in glo. Item quia Papa hoc ſciuit & ſemper tolerauit, quia cum fuerit Ius prohibi-

hibitiuum, Et ab exemptione diuina procedens, vt not. Innoc. de maioritate, & obed. cap. ſi quis; & per conſequens contrarium eſſet peccatum, non poſſent dici ex hoc eſſe excuſati, quantocumque etiam tempore in contrarium ſint abuſi, quia tanto ſunt grauiora peccata, &c. vt extra de conſuetudine. cap. fin. cum concordantijs. Nec hoc caſu videtur ſufficere tolerantia Papæ argumento notatorum per Innocentium in Rubrica de conſuetudine, & dato quod propter ſcandalum, quia aliàs prohiberi poterat, tolerauit; non propter hoc approbaſſe cenſetur, nec conſuetudinem voluiſſe introduci argumento notatorum per Innocentium, in Rubrica de conſuetudine, & de præſcriptione. cap. nihil. Nec obſtat etiam ſi dicatur, quod Papa non potuit Clerum Anglicanum priuilegiare in præiudicium Regis Angliç. cui, omnis antequam CHRISTVS veniret, iuriſdictio cōpetebat; quia iſtud priuilegium, & hęc libertas conceſſa eſt clericis à CHRISTO, in quem omne imperium fuit tranſmiſſum, & in temporalibus, & ſpiritualibus, iuxta notata in cap. nouit, de iudiciis. & per Innocentium de voto, & voti redemptione, cap. quod ſuper his, & de foro competenti, cap. licet: & quia ſunt ſpirituales, & in ſpiritualibus Papam ſolum, ſeu iudices eccleſiaſticos poſſe intromittere, priuilegium generale fuit datum à Deo, iuxta cap. quādo de iud. & notat per Innocentium de ſentent. excommunicationis, cap. nouerit, circa principium.

Nec per conſequens obſtat, quod dicebatur per allegantem pro parte iſta, quod Papa expreſſe proteſtatur in iure, quod non vult derogare iuriſdictioni Regis Angliæ. extra, qui filij ſint legitimi. cap. cauſam, cum ſimilibus. quia vt in præmiſsis patet in clericos nullam iuriſdictionem habet, nec habere poteſt.

Finis Libri Secundi.

DE IVRE NATVRALI ET DIVINO ECCLESIASTICAE LIBERTATIS ET POTESTATIS.

LIBER TERTIVS.

Christvs venit, vt recapitularet cuncta in antiquum ſtatum, quo idem ſimul erat omnium Pater, Sacerdos, & Rex; veluti fuere Adamus, & Noe, lateq. oſtenditur ob actus, fidem, doctrinamq. ſuam clericos Chriſtianos, ſiue eccleſiaſticos ab ortu mundi, ac multo magis poſt Christvm *natum; Patres eſſe, Sacerdotes, ac Reges.* Cap. I.

IAm vero, ſi recte meminimus, aduertimuſque omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, maxime autem libro primo, conſtat à Deo nullos ab initio fuiſſe inſtitutos Reges, niſi, qui ſimul parentes, ac ſacerdotes eſſent. Ita vt hæc tria conuenirent in vnam perſonam, ſacerdotium, generatio, regnum. Non enim prius Adamus Euam Deo fabricante protulit, quam ſacerdos foret: ac propterea, neque habuit, quibus vlla regia poteſtate imperaret. Prius itaque, vti oſtendimus, fuit ſacerdos, quam genitor, aut

Rex: ac proinde etiam prius genitor; idemq; apparet in Noe, qui ſacerdos, parens, ac denique Rex fuit.

Venit itaque CHRISTVS in terras ille ipſe, per quem facta ſunt omnia, reſtauraturus omnia, nouus Adamus, alter Noe, qui Sacerdos, Pater, & Rex fuit, Agnus dominator vniuerſæ terræ: ac ſacerdotes conſtituit, qui non modo Sacerdotes, ſed etiam Parentes, ac Reges eſſent: Pontificemq; Romanũ cõſtituit, qui loco ipſius in terris Sacerdos Sacerdotum, Pater Patrum, Rexq. omnium Regum foret, atque vti fuit ſub Adamo, ac Noe fieret vnum ouile, & vnus in omnibus paſtor. Videre hoc Sancti, ac Docti viri. Audi S. Bernardum: quem libentiſsime adduco teſtem, quod oppugnatores eccleſiaſticæ poteſtatis nimis, ac ſupra modum nimis in tanta re hallucinati, ne dicam faſcinati, quaſi contrarium ſenſerit, auſi ſunt aſſeuerare. ſic itaque Sanctus, qui nihil timebat Pontifices, hoſque & Imperatores ipſos duris aliquando verbis increpare ſolitus erat, alloquens Eugenium Papam prope finem ſecundi libri de conſideratione: *Age*, inquit, *indagemus adhuc, qui ſis, quam geras, videlicet pro tempore, perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus.* Hæc Sanctus: eodem modo etiam S. Hieronymus Eccleſiam comparans arcæ, Pontificem ſummum Noe vocabulo deſignat epiſtola ad Damaſum Papam. *Ego*, ait, *nullum primum, niſi* CHRISTVM *ſequens Beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri communione conſorcior. ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Eadem tempora ſpectans Henricus Gandauenſis Doctor Sorbonicus ita ſcriptum reliquit quodlibeto ſexto, quæſt. 23. *De iure diuino, & naturali ſacerdotium ſupereminet imperio, & penes ipſum reſidet vtraque iuriſdictio, & ſuper ſpiritualia.* (Audi hæc ſacroſanctæ poteſtatis impugnator.) *Et ſuper temporalia, & ſimiliter eius immediata.* (Audi hoc rurſus argutule) *Executio. vnde in tempore legis naturæ ſimul currebant regnum, & ſacerdotium, & omnes primogeniti Regum ſacerdotes erant, & Reges, & iuriſdictionem in temporalibus exercebant. nec debebant diſtingui illo tempore; quia nondum erant ſacerdotes vocati*

 ad ſpi-

ad ſpiritualis vitæ exercitium, ſicut tempore gratiæ; ſicut etiam ambo currere debebant propter eandem rationem in lege Moſaica, ſicut & cucurrerunt vſq; ad Samuelem, ſub quo populus petijt ſibi Regem, quem, quantum erat ex parte populi, dominus conceſſit in onus propter peccata eorum. Vnde dixit Dominus Samueli, non abiecerunt te, ſed me, ne regnem ſuper eos. diſponente tamen æterna prouidentia, quæ mala noſtra, & quæ concedit; & ea, quæ concedit pro peccatis noſtris, in bonum conuertit, hoc factum eſt in præſagium eius, quod futurum erat Deo ordinante in noua lege, & vt ſacerdotes expediti à iudicijs temporalium aſſueſcerent, imminente tempore aduentus CHRISTI *vacare ſpiritualibus, qui veniens Rex, & ſacerdos ſimul ſecũdum ordinem Melchiſedech, qui ſimul erat Rex, & ſacerdos Dei, ſacerdotium, quod per accidens ſecundum prædicta ſeruile factum erat in lege Moſaica, in qua ſacerdotes ſubiecti erant Regibus, ad libertatem ſacerdotij legis naturæ reduxit, in qua in eadem perſona vtraq; dignitas iuxta curſum legis naturæ debuit reſidere, qui Rex, & ſacerdos debuit eſſe ordinarius ſuæ gentis, & hoc principalius ratione, qua ſacerdos ſuper ſpiritualia principaliter, quam ratione, quia Rex ſuper temporalia principaliter.* (Audi Vicarium CHRISTI principaliter eſſe ſacerdotem ſuper ſpiritualia, & principaliter eſſe Regem ſuper temporalia,) *Vnde etſi fuiſſent Reges alij ab inſtitutione, qui non eſſent ſacerdotes, ſub quibus eſſent ſacerdotes non ordinarij, ſed inſtituti, illi ſubeſſe debuerant illi, qui ſimul Rex eſſet, ac ſacerdos ordinarius; & hoc non tam ratione, qua Rex erat; ſed ratione, qua ſacerdos erat.* Hæc Theologus ille, qui paulo ante præmiſit Reges, ac Principes in legibus ferendis eſſe, reſpectu Pontificis ſummi, tamquam artifices reſpectu alicuius architecti, neq; ab illis vllas leges ferendas, niſi quas Pontifex præſcribat, aut ab eo præſcriptis ſint concordes, vt ſupra libri ſecundi, capite ſexto retulimus.

Quocirca, cum CHRISTVS reipſa ſit Sacerdos, Pater, ac Rex, ſuoſque ad primæuum ſtatum, inſtitutum diuinum, voluntatemque æterni patris, cum ſcilicet Adamus, & Noe fuerunt ſacerdotes, patres, ac Reges, reduxerit; duo ſequntur neceſſario ex ijs, quæ ſunt hucuſque commemorata.

Primum. reipſa Chriſtiano populo fuiſſe exhibita, & exhiberi à Clericis, Sacerdotibus, Epiſcopis, & Pontificibus ſummis officia ſacerdotum, patrum, & Regum.

Secundum, quoad fieri poteſt exhibita, & exhiberi hæc quan

tum

tum ad animum, corpus, & externa.

Conuenienter enim dicemus fieri, exhiberiq; per ipſos Reges illud, vt conſeruentur nobis externa bona; per Parentes, vt corpus habeamus; ac propterea corporis, & externa bona ſimul; per Sacerdotes, vt à ſuperis hæc omnia nobis ipſorũ miniſterio donentur, ſintque hi Reges, & Parentes, & per eos humanum genus conſiſtat. E quibus neceſſario fiet, vt ſacerdotibus Chriſtianis, cum ſint etiam Reges, mirabilique, quod oſtendemus, modo parẽtes, æqualia nullo modo reddi poſsint; & ab eorum meritis omnino ſuperetur, quidquid ab vllo dari poteſt animi deuotione, & obediẽtia, corporis miniſterio, cultu, omnium denique rerum externarum dilargitione. Notum quippe eſt illud Philoſophi dictum, Ethici octaui capite decimo quarto, & noni primo. *Dijs, parentibus, & ſapientiæ magiſtris æqualia reddere non poſſumus*. Nam cum iure omni ſimus obligati reddere æqualia ijs, à quibus aliqua accepimus, neque aliter diſſolui hæc obligatio poſsit, quam redditione eorundẽ: cum nihil tam naturale ſit, quam diſſolui vnumquodque eo genere vinculi, quo colligatum fuit, l. nihil tam naturale, ff. de regulis iuris, naturamque vniuerſam cognoſcamus paria paribus, æqualia æqualibus aſsignare; quid poterimus Deo reſtituere, à quo ſunt omnia? quid parentibus, per quos vt ſimus, accepimus? quid ſapientiæ, magiſtris cum ſine aliqua ſapientiæ parte nihil cõſiſtere poſsit? tales autem probabimus eſſe Chriſtianos Sacerdotes.

Primo igitur. initium dandis hiſce tribus animi, corporis, atq; externis bonis, & humano generi elargiendis faciunt ipſi clerici primæ tonſuræ. Nam tria Deo conſecrant obligatione propria, quæ quidem conſecratio confert humano generi tum natura ſua, tum quia Deum propitium reddunt, atque ad eadem multipliciter pro ſua benignitate mortalibus reddenda inuitant.

Primum, quod clerici quilibet Deo conſecrant eſt illud ad externa pertinens, quod propter Deum ſe continent à duobus; ab adminiſtratione munerum ſæcularium, & ab omni quæſtuoſa negotiatione. Quamobrem ſæculares maiores hinc fyerũt quæſtus, & habent plures, quos adipiſcantur, ſæculares magiſtratus. Cum vero hoc agant clerici propter Deum, quo ſcilicet liberius ipſi ſeruiant, Deus irremuneratum nullo modo id relinquit; ſed ampliora multo tum clericis, tum ſæcularibus

bus clericos honorantibus reponit.

Secundum, quod offerunt clerici, ſpectans ad corpus, tria continet. Primum neque alicui vitam, neque membrum poſſunt auferre. id duobus modis eſt vtile tum ſæcularibus, tum mortalibus cunctis. Primo namque ijs tum vitam, tum munia membrorum conſeruãt. Secundo inuitat omnes ad pacem, mutuumque amorem. Secundum vero, quod offerunt Deo, ſit illud. Nam clericus non permittitur niſi vni, Virginique adiungi; quod habetur titulo de clericis coniugatis. Hoc eſt ſingulare exemplum continentiæ, ſimulque oſtendit quemlibet clericum nouæ legis eſſe quodammodo ęqualem Pontifici ſummo antiquæ legis, cui non licebat, niſi vnam, Virginemque habere, Deum vero id propitium reddit ob tanti muneris oblationem. Tertium denique Deo dicant, quod habitu decenti, honeſtoque vtuntur.

Tertium Clericorum munus diuinitati conſecratum pertinens ad animum duo complectitur. Primum, quod diuinæ ſapientiæ, diuiniſque percipiendis, & adminiſtrandis operam dant. Secundũ, quod corpori CHRISTI diuinitatis altiſsimæ inexhauſto theſauro in terris conficiendo, cõmunicandoq; miniſtrant. Hinc omne in omnes creaturas, ſpeciatimque in ipſos mortales eſt bonum.

Secundo poſt hæc diximus ſupra, eſſe inferiorũ ad ſuperiora eſſentialem ſubordinationem, externarum rerum ad corpus humanum, corporis ad animam, animæ ad Deum: ſimiliter eſſe eſſentialem ſubordinationem bonorum externorum ad corporis bona, bonorum corporis ad animi bona, animi bonorũ ad bona Dei. Ita vt licet ſuperius poſsit eſſe ſine inferiori, non tamen inferius vllo modo valeat eſſe ſine ſuperiori. Nam niſi ſit Deus, non poterit eſſe anima, corpus, aut vlla res. eodẽ modo niſi ſit anima, non erit vllo modo corpus humanum, vel aliquid ad ipſum ſpectans: quamuis enim ſit aliquid, niſi ipſum corpus ſit, quomodo ad ipſum corpus pertinebit? Sic igitur, ſi corpus humanum non ſit, neque poterit aliquid eſſe illi bonum, quamtumuis illud per ſe ſubſiſtat, vel ſaltem totum prorſus ſit creatum propter illud. Rurſus quantum ad bona, etiamſi corpus ſubſiſtat, niſi tamen habeat ſua bona, ſibique inhærentia, & ab ipſo profecta, nulla erunt illi bona externa. quid enim ſurdo muſica? quid cæco colores? quid palato penitus corrupto, aut inquinato cibi? quid carẽti odoratu

odo-

odores proſunt? igitur pro ea parte deſũt corpori bona externa, pro qua parte deſunt ipſi corpori propria bona reſpondentia bono externo. hinc ex omni parte omnibus morbis oppreſſo nullum poteſt eſſe prorſus externum bonum. At veluti id verum conſtat eſſe in bonis corporis, id etiam patet in animi bonis: Nam niſi hæc illi ſint, nulla erunt etiam bona corporis, atque externa. fac eſſe aliquem ſtultum, furioſum; quid eum iuuant, quæcumque ad ipſum pertinere poſſunt? idemque de virtutibus loco ſuo ſupra ex ipſo Philoſopho eſt probatum, ſine Prudentia, ſcilicet Iuſtitia, Fortitudine, ac Temperantia non poſſe, vel corporis, vel externa bona conſiſtere. Nam fac intimis animi curis aliquem penitus excruciari timore cupidineque, an bona externa, an corporis illum iuuant illi iucunda eſſe, ac bona queunt? Denique niſi Deus bona ſua communicet animo, nempe intelligendi efficaciam, voluntatisque bonum cupientis appetitum, neque vllus habitus Prudentiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis, Temperantiæque poterit acquiri, neque acquiſitus poterit retineri, neque retentus poterit operari, & in obiecto firmari: omnia namque mouentur ab inexiſtente in nobis numine aiebat, Philoſophus Eudemiorum ſeptimo cap. 8. Sic igitur ab ipſo Deo ſunt cuncta, eademque nobis bona ſunt. Ac recte idem Philoſophus Ethica exorſus eſt ab illa propoſitione: omnia appetunt bonum; concluſitque à Deo recte, per animum virtutibus excultum contemplatũ eſſe, & haberi omne bonum. Atqui cum dixerimus Clericos operam dare ex officio ſuo, vt diuina bona, à quibus eſſentialiter alia pendent ipſi percipiant, ac tradant ſæcularibus, apparet ab ipſis eſſe omnia in humanum genus bona. Quid igitur æquale ijs reddi poteſt? An non igitur eſt verum, quod à principio nobis propoſitum fuerat probandum, Sacerdotes eſſe Reges, per quos externa bona conſeruentur? eſſe inſtar parentum, quod per illos corporis bona habeamus, ac retineamus? eſſe quodammodo nobis deos, cum per ſua diuina, diuinorum ſcientiam, largitionemque diuinorum Deo coniugamur?

Tertio conſtat igitur adhuc illud, quod ſæpius repeti eſt neceſſe, nulla poſſe humanum cætum, vel conſortium ſtare abſque Sacerdotibus. Vt igitur ſint coniuges, & parentes, id totum Sacerdotibus, eorumque officio eſt attribuendum. ſic itaque, vt apparet, niſi fuiſſent hi, numquam nati eſſemus, periiſſet omne humanum genus, omnis vniuerſitas populorum, cætus

omnis,

omnis,omne conſortium. Deteriori loco eſſemus, quam fuerint illi Indi,qui non modo corpora exterorum comedebant, ſed etiam filios ex ancillis ſuſceptos alebant, vt pinguiores deinde effectos fercula parentibus proprij corporis,membrorumque appararent. En igitur,vt alio modo ſint parentes,ac Reges.Reges,quod vniuerſitas vlla abſque ipſis ſtare vllo modo, haud queat; parentes,quod neque vlli abſque ijſdem poſſint conſiſtere parentes. Recte igitur Iuriſconſulti dixerunt, publicum,ſiue populi totius ſtatum conſiſtere in ſacris, & Sacerdotibus, ſiue populum per iſtos ſtare, vt operis initio dicebamus. Nonne igitur illi ſunt Reges,ac parentes?

Quarto, dicet aliquis forſan communia ſunt Chriſtianis, hæc cum qualibet gente. Audiamus itaq; propria Cleri ipſius Chriſtiani,& noſcamus per ipſius religionē regi omnia, ſtare omnia quæcumq; ſunt in terris, ac niſi ipſorū diuina doctrina & regimen ſtetiſſet,nihil in terris foret, & cum ruet illa,ruent humana omnia. Quod ſi reguntur omnia propter ipſorū regimen, ac doctrinam gignuntur, ſtant, nonne ipſi merito ſunt Reges, parentes,ac dominatores? Atqui diximus futurum fuiſſe ab initio mundi,vt omne humanum genus interiret, niſi omnem ſuam ſpem collocaſſet Adamus in CHRISTO Rege venturo,in illo Agno dominatore vniuerſæ terræ, quin in omnibus,ait Apoſtolus,primatum tenens. Deductas ab illius Agni fide, ac doctrina diſciplinas, cultumque illius religioſior Adami poſteritas ſeruauit amplificauit; excepit Noe, progeniesque ipſius. cum prorſus obſcurata, obliterata, ac deleta eſſet ex hominum memoria. Prædicarunt tanti agni,vt diximus, regnum non modo Hebræi, ſed etiam cunctæ gentes Orientis,atque Occidentis, vt ſupra à capite ſeptimo vſque ad finem Libri ſecundi eſt dictum. Per cultum tanto agno exhibitum veluti omnium non cæleſtium duntaxat,& ſpiritualium Regi ſtetit humanum genus, ſtetere omnia bona externa,quæ moderantur temporalium Reges; ſtetere corporalia, quæ parentibus debentur; ſtetere animi bona, quæ Deo. Sic igitur Agnus hic omnia bona,nos ipſos nobis, ac parentes parentibus dedit. Nonne igitur eſt REX, ac parens? Nonne item Reges, ac parentes illi, qui niſi fuiſſent, huius Agni regnum non haberemus, neque vlla externa corporis, & animi bona? Hic igitur eſt Agnus ille ab origine Mundi occiſus, qui totius potentiæ, ſcientię, benignitatiſque diuinę ſignacula aperit.

clauim Dauid, principatumque humeris geſtat, vt ex Iſaia, & Ioanne habemus. Hic eſt ille, propter quem veluti cauſam finalem cuncta ſubordinantur, quem Deus ex æterno tempore primum voluit; atque idcirco ex ipſius fine, gloriaque nihil non in terris, cæloque ſubordinauit bona externa ad corporis bona; bona corporis ad animum, animi bona ad ſemetipſum per hunc, vti aperietur, mirabiliſsime reducens, atque inter ſe eſſentialiter connectens; ita vt cuncta corpora ſeruiant corpori ipſius CHRISTI glorificãdo, cunctæ mentes animæ eiuſdem CHRISTI glorificandæ. *Et omnis lingua confiteatur, quia* CHRISTVS *in gloria eſt Dei patris*. vt habetur ad Philippenſes cap. 2. ipſe autem cuncta omnino ſubijciat patri, quod eſt 1. Cor. 15.

Sic igitur Chriſtiani ſacerdotes, & clerici dum CHRISTI doctrinam, cultumque ſiue diuina docent, ſunt Reges, parentes, ac ſacerdotes.

Quinto maxime à clericis, (quo nomine continentur etiam Pontifices ſummi, cuncti enim Pontifices clerici, non contra, CHRISTI doctrinam, cultumque amplificatum, & ſtabilitum fuiſſe, & in dies amplificari, ac ſtabiliri conſtat è multis.

Primo è perenni Martyrum ſerie, qui plerumque religioſi ſunt, clericique, & vitam quotidie pro vna CHRISTI fide ſarta, tectaque tuenda ponunt.

Secundo, è perpetua gentium conuerſione, quæ fit per eoſdem.

Tertio, è perpetua ſanctorum, qui CHRISTO addictiſsimi ſunt, ſucceſsione, qui plerique omnes clerici ſunt, ac religioſi.

Quarto, è monaſterijs arctiſsimæ vitæ, nihil aliud meditantium, quam quomodo CHRISTI cultus latiſsime extollatur.

Quinto, è varijs religionum inſtitutis, quæ Deus quolibet prope ſæculo excitat in Eccleſia catholica.

Sexto, è varijs eccleſijs, parochijs, collegijſque clericorum magis, minusue Chriſti cultum, doctrinamque profitentium, referentium, docentium.

Septimo, ex innumeris libris ad pietatem, doctrinam, cultumque Chriſti ſpectantibus, qui per ſacerdotes, & religioſos quotidie prodeunt in lucem.

Octauo, è Synodis diœceſanis, prouincialibus, vniuerſalibuſque è toto orbe ad vnanimem conſenſum in eandem fidem conuocatis, quæ ſane omnia, ſi bene examinentur, vti tomo

primo de Signis Eccleſiæ Dei ſunt à nobis examinata, quilibet videbit apertiſsime nullo loco eſſe omnia, quæ à reliquis, vel pro vlla religione, vel pro catholica fiunt, ſi ſupra memoratis comparentur: nam ſi qua ſunt aliorum, ſunt per iſtorum labores, ac doctrinam, vt merito propter clericos, & ſacerdotes, (quæ ſumma eſt ex omni parte amantiſsimi omnium genitoris, & Chriſti benignitas) ſtet in terris Chriſti cultus, id eſt ſtent omnia bona externa, corporis, & animi: ac merito propter hæc ſint non modo ſacerdotes, ſed etiam Reges, & parentes. Per iſtos enim diuinitus euenit; Primo, vt è terris exterminarentur cunctæ impietates; veluti inter Ægyptios cultus omnigenum monſtrorum, cæparum, & alliorum; inter Romanos cultus Floræ, cloacinæ, ſterquilinij, febris, aliorumque huiuſmodi. Inter Græcos ſpurciſsimorum ſimul, & crudeliſsimorum deûm. Inter omnes gentes exterminaretur cultus ipſorum dæmonum, quos aperte cuncti adorabant, ſicuti etiam nunc inter Indos adorātur; vt propterea noſtri ſint in admiratione, quod illos torquent, ac fugant, ne quid obſeſsis, & eorum rebus mali adducant. Secundo per noſtros ſacerdotes profligatæ ſunt variæ philoſophorum ſectæ, quæ pro luce denſiſsimas tenebras mentibus humanis offuderant, ita vt nobiliſsima ſecta eſſet Academicorum ſtatuentium cum Socrate, vt ipſi aſſerebant, & Platone, illud vnum ſciri, quod nihil ſciretur.

Tertio profligatis huiuſmodi ſectis, delecta Philoſophia minus aberrans à veritate, & quidquid in illa poterit eſſe erroris illud eſt emendatum. Viſa eſt hæc peripatetica, quoad ea, quæ lumine naturali cognoſci poſſunt, quæ nos omnia late explicauimus vltimis libris primi tomi de Signis Eccleſiæ Dei.

Quarto, cum plurima gentes ipſæ crederent à maioribus per manus accepta, & tradita, quæ pertinebāt ad lumen ſupernaturale, neque naturali bene percipi poſſent, collecta ſunt illa à noſtris, ad maiorem veritatis teſtificationem, talia ſunt plurima dicta à Sybillis, Hyſtaſpe, Zoroaſtre, Mercurio Trimegiſto, & alijs quæ habentur apud Iuſtinū, Tertullianū, Athenagoram, Arnobium, & alios noſtrorum multos, Lactantium, SS. Auguſtinum, Gregorium, Nyſſenum, Nazianzenū, quæ ſpeciatim proprio libro collegit, & in ordinem digeſsit Stecchus libris de perenni philoſophia.

Quinto, eloquia diuina explicata, dilatata, illuſtrata, lumen-

menque ſupernaturale per ſacerdotes diuinitus eſt animis hominum mirabiliter omnia ſanans ingeneratum.

Sexto denique, cum multa iniquiſsima, intemperantiſsima, & contra veræ fortitudinis iura à gentibus cunctis laudarentur, ea per noſtros ſunt ablata, & veræ iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinisque iura ſancita, quæ ſigillatim nos explicauimus primo tomo de Signis Eccleſiæ Dei. Quamobrem mirabiliora adhuc inſpiciamus, è quibus apparebit diuiniſsimis modis eſſe iſtos, & Reges, & parentes.

Explicatur latè clericos Chriſtianos eſſe per adminiſtrationem ſacramentorum parentes, Reges, ac participata diuinitatis poteſtate admirabiliter deos, & datores omnium bonorum animi, corporis, atque externorum. Cap. II.

ADmirabiliſsimum prorſus eſt illud, quod Deus Chriſtianis ſacerdotibus elargiri eſt dignatus, vt ipſi regenerent homines, quoad animam, & quoad corpus, id fit per ſacramentũ tum baptiſmi, tum reliqua, quæ ſane regeneratio corporali generatione tanto eſt præſtantior, quanto eſt præſtantior vita morte. Nam corporis parentes generãt filios iræ, ac propterea dãnationis æternæ; ſacerdotes vitæ, beatitudinisq́. æternæ. Secundo corporales parentes generant filios ſubiectos peccato, deſtructioniq. omniũ bonorũ, (peccati nãq; eſt hæc natura) ſacerdotes virtuti, conſecutioniq. omniũ bonorũ. Quocirca reuera hi ſunt parentes, ac Reges. Tertio cũ per ſuperiora, q̃ attulimus, id tantum fiat, vt veritas extrinſecus hominibus tradatur, non autem detur intime vis intelligendi, neq; vllus magiſter, quin neque vllus Angelus id queat homini elargiri, vt intellectus eius intimam perſpicaciã conſequatur, ſacerdotes id elargiri poſſunt per ſacramenta. Quarto non modo hoc valent, ſed etiam vim donant, qua valeat homo conſequi bonum, quod appetit, neque illud ipſi contingat, quod dicitur.

– video meliora, proboque.

Deteriora ſequor.
En igitur vt mirabiliſsimi ſint ſapientiæ magiſtri. Quinto, licet aliquis, quantum ad ſe, quod datum fuerit ipſi per ſacerdotes, vitaliaque hæc dona, intimeque inſita ſepeliat, atque obruat, ſacerdos tamen ad vitam reuocare millies, ac millies valet, quod corporis parentes haud poſſunt. Sexto, cum poſsint hæc Angelis ipſis denegata, quantam dicemus eſſe ſacerdotum poteſtatem? nonne propter diuiniſsimam poteſtatem, qua id valent; ſcientiam, qua id cognoſcunt, & credunt; Bonitatem, qua id volunt ad humani generis bonum, ſacerdotes erunt dij, neque Reges duntaxat, aut parentes? Septimo ſacerdotes conficiunt illud idem Chriſti corpus, ac repræſentant in terris, quod ſedet ad dexteram Patris omnia, quæcumque ſunt, mouens, vti ſupra diximus, ac regens, vt omnia corpora glorificet, omnes animas glorificet; cunctis corporibus donet omnia, quæcumque habere naturaliter, ac ſupernaturaliter bona poſſunt; cunctis mentibus omnia, quæcumque eodem modo aſſequi bona valent. Certiſsimo autem donabit propter hoc corpus in terris confectum, traditum per ſacerdotes, acceptum, cultumque ab alijs, quod ex parte contingit modo; ne omnino contingat, euenit per peccata, & poteſtatem tenebrarum: pleniſsime continget in extremo iudicij die. En itaque, vt ſacerdotes non modo Reges, ſapientiæ magiſtri, parenteſque ſint; ſed etiam mirabiliſsimo modo dij, largitoreſque idcirco ob eſſentialem ſubordinationem, neceſſariamque prætcrea conſecutionem omnium bonorum, quæ vel externa ſunt, vel ad corpus, animamque pertinent. En vt vere dixerit Sanctus Ignatius epiſtola ad Smyrnenſes. *Ego autem dico honorare, quidem Deum, & auctorem omnium, & dominum; Epiſcopum autem tamquam principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum quidem ſecundum Deum* (nota, vt diſtinguat in Epiſcopo principatum, & ſacerdotium) *Sacerdotium vero ſecundum* CHRISTVM, *& poſt hunc honorare oportet* (en poſt Epiſcopum Rex honorandus) *etiam Regem. Nemo enim potior eſt Deo, neque ſimilis ei, neque Epiſcopo honorabilior in Eccleſia ſacerdotium Dei gerente, pro mundi ſalute, neque Regi quis ſimilis eſt in exercitu, pacem, & beneuolentiam omnibus principibus cogitanti. Qui enim honorat Epiſcopum, honorabitur à Deo; vt qui inhonorauerit eum, à Deo inhonorabitur. Si enim quis contra Regem inſurgens damnatione dignus*

eſt,

eſt, vt pote qui tranquillitatem, & pacem communem diſſoluit, quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Epiſcopum (non ait contra) *aliquid egerit? Sacerdotium enim ſumma eſt omnium bonorum* (nota hæc verba) *quæ in hominibus conſiſtunt, quod ſi quis inhonorauerit Deum, inhonorat, & Dominum Ieſum Chriſtum primogenitum totius creaturæ, & ſolum naturæ principem ſacerdotem Dei*. Hæc Sanctus.

Primo volens ſacerdotium eſſe omnium bonorum ſummã.

Secundo, ſacerdotes non modo ſacerdotes eſſe, ſed etiam principes, diſtinguique hæc in ipſis.

Tertio, quantum ad ſacerdotium, Chriſti imaginem ferre, quantum ad principatum, ferre imaginem Dei, ita vt ſacerdos Deus quidam ſit, ob admirabilem, quam diximus, poteſtatem ſupra Angelos collocatus.

Quarto, nihil agi poſſe præter epiſcopum, quia ſacerdotiũ ſit omnium bonorum ſumma, ſit princeps imaginem Dei ferens, ſit ſacerdotium Chriſti imaginem gerens, qui primatum tenet in omni creatura, vt ſuo modo primatum teneat etiam ſacerdos.

Verum probemus ea, quæ à nobis ſupra propoſita fuerunt, Ac primo regenerari homines per ſacerdotium: per baptiſmum quilibet renaſcitur, quod CHRISTVS dixit, Ioannis cap. 3. & 5. & 1. Petri cap. 1. renaſcimur autem, quia qualitas intima menti noſtræ imprimitur illuminans hanc, ſimulque flectens per inſpirationem ſancti Spiritus ad intelligenda diuina, & credenda, nec modo illa, quæ lumine naturali percipi poſſunt, ſed etiam, quæ ſupernaturali cognoſcuntur. Idemque ſit, quoad propria quædam in quibuslibet ſacramentis. baptiſmus tamen, confirmatio, & ordo dicuntur inſculpere ſignum quoddam, ſiue characterem, vel imaginem potentiæ diuinæ à nobis per amorem noſtrum Chriſtum participatæ, quæ iugiter impellit nos ad cognoſcenda, & tenenda, quæ dicimus, neque abradi poteſt poteſtas illa, qualitas, & forma accidentalis impellens ad naturalia ſana, & ſupernaturalia, ac propterea vocatur character indelebilis, ac dicitur creari, quod ſcilicet Deus ſolus hæc efficere poſsit, quod efficit per medios ſacerdotes, & eccleſiaſticos, qui tamen id velint efficere, ac ſolemnia verba, materiamque adhibeant. Idcirco SS. Paulus 2. Cor. 5. Gal. 1. Epheſ. 2. & Iacobus 1. appellant Chriſtianos nouam creaturam. ſed vt diximus, baptiſmi character imprimitur intel-

intellectui ad intelligenda, & appetenda, quæ ſunt generatim neceſſaria ad beatitudinem ſuam tantum, confirmationis autem character ad maiora, vtilia, & ſpecialia pro ſua felicitate tantum, ſed ſacerdotalis pro beatitudine hominibus alijs poteſtati ſuæ commiſsis comparanda.

Sic itaque eccleſiaſtici ſunt parentes aliorum, regenerantes mirabiliter animam, diuinitatemq. illi impartientes. Hinc dicuntur Chriſtiani participes effecti diuinæ naturæ. 2. Petri cap. 1. & initium ſubſtantiæ diuinæ habere. Hebræorum cap. 1. neque ex ſanguinibus, ſed ex Deo naſci. Ioannis cap. 1. Quid ita? quod inſculptam, indelebilemque, vti diximus, imaginem Dei, ac poteſtatem gerant, inſculptam inquam, per ſacerdotis voluntatem, & admirabiliſsimam poteſtatem.

Quod ſi dicas non deriuari proxime à ſacerdote hanc vim, qua regeneretur homo. Nam cauſa efficiens gratiæ ſolus eſt Deus, & Chriſtus per eccellentiam poteſtatis, inſtrumentumque humanitatis diuinitati coniunctum; & ab eccleſiaſticis tantum proferri verba formalia, quibus conficiuntur ſacramenta, voluntatemque applicari duntaxat, & miniſterium, vt velint efficere, quod Eccleſia, Chriſtus, & Deus volunt. Reſpondemus nihil hæc, quæ dicuntur obeſſe, quominus ipſi ſacerdotes ſint renatorum parentes. Nam neque parentes corporales animam rationalem creant, per quam ſumus homines in ſtatu naturali, & tamen vere ſunt hominum parentes. Satis eſt itaque, ſi ambo tam carnales, quàm ſpirituales parentes, quam proxime fieri poteſt, attingant ad hoc actionibus ſuis, vt quod Deus creat, intime nobis inſit ab anteriori, vt aiunt, ac dicetur, parte procedens, non à poſteriori, intime inſit, inquam, indelebiliterque ſicut intime anima corpori adhæret; intimeque, & indelebiliter character animæ adhæret. Quin hoc amplius fit per ſacerdotem. Nam character indelebiliter adhæret animæ, ſed anima non adhæret indelebiliter corpori.

Secundum nobis eſt probandum, qnod in confeſſo eſt, parentes carnales generare filios iræ, ac propterea mortis, & peccati; ſed ſpirituales gratiæ, vitæ, beatitudiniſque æternæ. Id in confeſſo eſt apud omnes catholicos. in Concilio namque Mileuitano eſt definitum, non niſi per baptiſmum nos regenerari; natura enim naſcimur filij iræ diuinæ. Epheſ. cap. 2.

Quod

Quod ſi quis dicat. à Sacerdotibus poſſe generari filios iræ, ob leges, quas ferunt, cum ſcriptum ſit, Quęcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Reſpondemus, à præcepto non generari filios iræ, ſed ab inobedientia animi. Neque præcepto eſſe adnexam ſemper inobedientiam. Generationi autem carnali (de qua agimus) eſſe adnexā ſemper iram Dei, niſi adſit baptiſmus. Quod ſi adhuc dicatur, in ſtatu innocentiæ parentes carnales non generaſſent filios iræ, refellitur hoc, nos enim loquimur, & agimus toto hoc opere de ſtatu, in quo ſumus, naturæ lapſæ; neque poſſumus aliter loqui, niſi forſan aliquis, velit non curari ægrotum, quia ſanus eſt natus ab initio. At poſſunt à parentibus filij baptizari. Reſpondemus hoc eſſe iniunctum Sacerdotibus Matthæi, cap. vltimo. Deusq́; vult eis deberi hanc generationem. Quod ſi parens carnalis baptizat, non vt carnalis hoc agit, ſed vt ſpiritualis parens, à Sacerdote, vel hoc mutuatus, vel furatus; mutuatus ſi ex neceſſitate hoc agat, furatus, ſi præter neceſsitatem; quod eſt ſacrilegij genus. Quin ſpeciatim prohibetur parentibus carnalibus baptizare. Ac ſi adſint duo, pater, atque alter laicus, hic non ille baptizabit. Nam vult Deus diuerſos eſſe, vt melius infanti caueatur, ac pro vno duos habeat, atque vt recte ſingula fiant ex ordine naturæ perfectæ, quæ in perfectis, vni officio vnum præponit, vt oculū viſui, (quod non eſt in oſtreis quibus eſt vnus pro quinque ſenſibus tactus) aurē auditui; ſacraq; à profanis diſtinguerentur, ac ſacerdotio Chriſtum repræſentanti, & quod à Chriſto diuinitus eſt inſtitutū, cuncta deberentur, quia ſcilicet Chriſtum proprie repræſentat, & à Chriſto eſt inſtitutum, Chriſtusque vt homo eſt poſt Deum magis, quam creaturæ omnes ſimul, quæcumque ſunt, aut eſſe poſſunt glorificandus. Idcirco adminiſtratio ſacramentorum, doctrinæque infallibilitas ſolis Sacerdotibus eſt à Chriſto Deo commiſſa, & de quibus præcipuè Chriſtus dixit Ioannis cap 17. ad Patrem, *Claritatem, quàm dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum.*

Tertium porro eſt diuiniſsimum. Nam magiſter exterior poteſt explicatione quadam facili, inductione, argumento, exemplo, ſimilitudineque aliquid mihi declarare. Similiter Angelus poteſt menti intellectuique obiicere varias imagines rerum, cogitationique, ſeu phantaſiæ appingere illas, Neuter tamen poteſt efficere, vt intimum lumen ingeneretur intellectui ad veritatem percipiendam, vel intime eius inſeratur vo-

lun-

luntati ad appetenda, quæ cognoſcuntur: naturalem vim tantummodo intellectus, ac voluntatis excitabunt. At Sacerdotes per ſacramenta, eo, quo diximus, modo ingenerant intime non ponentibus obicem vim menti noſtræ, ac voluntati infixam poteſtatem, qua percipiant naturalia, ac ſupernaturalia vera, & conſequantur æternam felicitatem, corroboratis animæ viribus per diuinitatem infuſam à ſacramentis. Atque hoc apparet eſſe, quod toties S. Paulus, ait, nos eſſe miniſtros vitę, ac ſpiritus, 1. Corinthium epiſtola cap, 3. Rom. cap. 8. Galatar. 3. Epheſ. 1. Philpp. 2. 2. Timothei 1. Titi 3. Nam vitam, ſpiritumque illi habere dicuntur, quibus intime eſt motus, atque impulſus, naturę ipſi inſertus per aliquam formam inhęrentem maxime vero indelebilem; qualis eſt character, ſiue ſignum, figuraque, & imago participata diuinitatis, ac potentiæ paternæ.

Quintum nobis eſt probandum. Nam ſæpe contingit, vt actus imaginis diuinæ, ſeu poteſtatis impreſſæ, & characteris inſculpti, obruatur ſepeliatur, & quodammodo ligetur, ob mortale peccatum, in quod incurrunt Chriſtiani. Quocirca impulſus characteris eſt inefficax, languet, iacet. Sacerdos ad vitam, efficacitatemque illum, niſi obex ponatur, per ſacramenta pænitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis rite adminiſtrata reuocare poteſt. At ſæpe fit, vt aliquem peccati admiſſi pæniteat non tamen principaliter ob Deum, ſed ob aliquam rem creatam, quod peccator non aduertit. Si ſacramentum percipit à Sacerdote, haurit vim, qua mens intime conuertitur in Deum, licet hoc ignoret, vt accidit in lethargicis ſomnove oppreſsis, qui vnguntur. Quamobrem, qui prius obiecta aliqua re creata paratus fuiſſet, inſcienter tamen, Deo terga omnino vertere, percepto Sacramento paratus eſt omnino, Deo ſeſe applicare, ſicuti prius non ſatis paratus, neque intime vim tantam habebat, qua poſſet obſiſtere obiectæ rei, quam amabat, & quæ illum non aduertentem à Deo auertebat.

Sextum, nemo eſt; qui neget Angelis non eſſe poteſtatem conficiendi, & adminiſtrandi ſacramenta, ac tanta efficiendi, quanta per adminiſtrationem confectionemque Sacramentorum Sacerdotes efficere queunt. quod S. Ioan. Chryſoſtomus admiratur lib. 2. de Sacerdotio, & S. Ambroſius lib. de ſacerdotali dignitate.

Septi-

Septimum, quod per Sacerdotes habemus eſt, quod Chriſti corpus conficiunt, id à nobis perceptum, dat ſuo modo corporibus noſtris, non modo vt ipſa reſurgant in æternã gloriam ſi permanſerimus in obedientia; ſed etiam reſurgant cuncta corpora, quin tellus ipſa, atque elementa glorificentur glorioſis corporibus ſubiecta ſint, deriuatione ſcilicet facta à corpore Chriſti in animas, & corpora propinquarum mentiũ beatarum, ac ſubinde in alia, atque alia, vſque ad infimas terræ partes, quibus damnatorum corpora includentur reſurgentia propter eandem vim, ſed in dedecus, ac pœnam ſempiternam, quod noluerint obedire ſupernaturali, dum viuerent, poteſtati. Audiamus S. Irinæum lib. 5. *Quemadmodum*, ait, *lignũ vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in vſum hominum veniunt, & percipientia verbum Dei fiunt Euchariſtia, quod eſt corpus, & ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & repoſita in terra, & reſoluta in eam, reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem donante in gloriam Dei Patris.* Hæc ſanctus, volens cuncta ſemina corrumpi, atq; è corruptis multiplices fructus naſci; ſic etiam corpora noſtra corrumpi, atque ex ijs reſurgere tum ipſa, tum alia partim in gloriam, veluti plura grana complexu eiuſdem ſpicæ contenta, partim vero in pœnam, & dedecus, veluti paleas, glumos, ariſtas. Alia ſimilitudine id explicat S. Cyrillus Alexandrinus libro quarto in Ioannem, capite decimo quinto. *Sicut enim* inquit, *ſcintilla ignis in fenum, vel paleam immiſſa totam inflammat, ſic verbum Dei per Euchariſtiam naturæ noſtræ corruptibili coniunctum totam reſurgere faciet immortalem, & glorioſam.* Hucuſque S. Cyrillus.

Ex his itaque conſtat, quod ab initio propoſueramus, ſacerdotes eſſe parentes, per quos regeneremur in veram fœlicitatẽ, in perfectas virtutes, per quas bona corporis, atq; externa habemus, vt ſupra eſt explicatum. ſic quoque hac parte ſunt etiam Reges, cum parentes carnis nos generent naturæ corruptæ; proptereaque ad infelicitatem, virtutesq; deficientes, & ad corruptionẽ ſua natura tendentes. Rurſus verius parentes ac ſapientiæ magiſtri ſunt ſacerdotes, quod intime ingenerent poteſtatẽ, qua intellectus verum, voluntas bonum conſequi valeat, quod nullus magiſter ſapientiæ poteſt efficere. Reſuſci-

tent ſæpius hanc poteſtatem, quod Angelis ipſis eſt denegatũ; quocirca hac parte Dij ſunt, participata, atque admirabili poteſtate, quod multo magis apparet, quod corpus Chriſti Dei conficiunt in terris, à quo eſt omne in cælo inter Angelos, atque in terris inter mortales bonum.

Summatim recenſentur bona animi, corporis, atque externa, quæ adſuere cunctis ſupra tractus Rheni, Danubijque poſitis, & inſulis adiacentibus, Græciæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ſtudio, & laboribus Pontificum ſummorum, Epiſcoporum, & Sacerdotum: è quibus fit hos eſſe participata diuinitate admirabiliter deos ſapientiæ magiſtros, parentes, & Reges. Cap. III.

AC ne quis hæc aſſeuerari putet à nobis abſque euentuum certiſsimorum fide, & cognitione, oſtendimus libro decimo quinto de Signis Eccleſiæ Dei, ſigno ſeptuageſimo primo, incredibiles terrarum vaſtitates, quæ acciderunt ante ortum Chriſtum ex inundationibus immenſis, quæ regiones ampliſsimas deleuerint, ex incendijs, quæ loca latiſsima vaſtarint, è terremotibus, beſtijs, fulminibusque. Ita vt clariſsimum fiat, Chriſto nato vniuerſitatem totam corporalium rerum melius habere; ac longe felicius vna cum genere humano: quamuis renouentur hæ clades, non tamen ita magnæ, quoties in Eccleſiam, ſacerdotes, ac præſules ipſius acerbiores per impiorum factionem, Regesque iniquos renouatæ ſunt perſecutiones, quod centeſimo ſigno tomi ſecundi explicamus. Ideoque cum veniet Antichriſtus, tunc futura eſt euerſio rerum cunctarum, ſuccedente omnium feliciſsima per Chriſtum renouatione. Hinc teſtatur Ganzalus Ouetenſis cap. 10. & Lopezius libro ſexto capite tertio hiſtoriæ generalis Indiarum, ſæuiſsimas in Indiis occidentalibus tempeſtates, ac terræmotus excitari olim ſolitos, verum cohibitos, ex quo Euchariſtiæ ſacramentum,

tum,per ſacerdotes ijs in locis conficitur,confectumque aſſeruatur. Rurſus ſigno ſeptuageſimo tertio clariſsimum fecimus, ampliſsimos orbis terrarum tractus habitabiles effectos, ex quo in illos eſt illata per ſacerdotes noſtros religio Chriſtiana, quod futurum libro ſeptimo apud Lactantium Sybilla prædicit. Idcirco Tertullianus in Apologetico, Arnobius libro primo S. Auguſtinus libro tertio de ciuitate Dei, capite vltimo, Oroſius initio hiſtoriæ ſuæ, Conſtantinus Imperator in vita per Euſebium ſcripta teſtantur orbi terrarum fuiſſe infelicius ante natum Chriſtum, poſtea multo feliciſsime facta antiquorum collatione.

Sic etiam ſigno octuageſimo octauo aperuimus loca,quæ ab ipſa mundi origine per tot ſæcula fuerunt horrentia,ſquallidaque poſtquam Chriſtiani ſacerdotes intulere in illa Chriſti cultum,cultiſsima, atque omni bonorum genere ornatiſsima eſſe effecta, ſpeciatimque, quidquid eſt ſupra Danubium, & Rhenum,quod eſt Europæ duplum.

Contra vero aperuimus loca illa, quæ deſciuerũt ab obediẽtia noſtrorum ſacerdotum, doctrinaque excidiſſe ab antiqua dignitate,decore,cultu,fœcunditate, ſalubritate, veluti quidquid Africæ,Aegypti, Syriæ, Aſiæ, & Europæ Mahometani tenent,ita vt antiqui ſplendoris pulchritudinis, ac bonitatis parum retineant illa loca, & regiones, ac paulatim cuncta redigantur ad vaſtitatem,ſqualloremque lugubrem, quæ nos vltimo libro, tomi ſecundi de Signis Eccleſiæ Dei late complexi ſumus.

En igitur, vt per ſacerdotium toto orbe terrarum ſtent omnia bona humana externa generatim. En igitur, vt vere ſint externorũ,quæ ad homines pertinent,bonorum ſuo modo parentes,ac Reges, nec ſolummodo ſacerdotes. En igitur, vt verum ſit, quod Iſaias de catholica Eccleſia propter eccleſiaſticos ſacerdotes prædixit. Primo quantum ad cultum regionum.cap. 58. *Aedificabuntur in te deſerta ſæculorum fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis, & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitam in quietem.* Et cap.61. *Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas,diſsipatas in generatione,& generationem.* Contra autem de ijs, qui ſacerdotibus Eccleſiæ catholicæ repugnant,ſic idem cap.60. *Gens enim, & regnum,quod non ſeruierit tibi peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Quid ita?

quia cum per ſacerdotes, eorumq; doctrinam naturalia ſanantem, perficientem, promouentem habeantur, conſeruentur, amplificenturque externa bona, ſunt reuera ipſi Reges, ac parentes. idcirco hæc ipſis omnino debentur. Hinc idem ſubijcit alloquens eccleſiaſticos ſacerdotes. *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis tua, & locum pedum meorum glorificabo, & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt ſe, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion, ſancti Iſrael.*

Sed vt illuſtriſsima hæc fiant, euidentiſsimeque eluceſcat, quod aſſerimus, transferemus huc paucis immutatis, quæ libri de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu quarti capite quinto explicauimus, oſtendentes omnia bona externa, & interna eſſe à ſacerdotio Chriſti in Chriſtianos, & mortales, vt ob id temporalium, ſiue externorum regnum ſit ipſius totum, ſit verum magiſterium, meritoque illi debeantur omnia bona externa, & in primis ipſi Apoſtolicæ ſedi. Videamus, reuera vt à Dei bonis ſupernaturalibus tradita per Chriſtianorum ſacerdotum doctrinam, ſacramẽtorum ſupernaturalium adminiſtrationem, quibus docemur, regeneramur, viuimus, aut etiã mortui reuiuiſcimus ſint, ac ſtent animi bona, nimirum prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia; ab his ſint, ac ſtent corporis bona; à corporis bonis ſint, ac ſtent externa ob eſſentialẽ ſubordinationem inferiorum ad ſuperiora, vt duobus capitibus ſuperioribus eſt explicatum, tetigimus libri primi, ac ſecundi initio. Hoc namque eſt veriſsimum ius ſtatus, per quod ſtant omnia bona ab amore noſtro Chriſto naturalium Rege, ſupernaturalium datore, deriuata per miniſteriũ Romani Pontificis, Epiſcoporum, ſacerdotumque eius, cui mortales cuncti obedire tenentur, cum quodlibet à iure naturali impellatur, vt ſit, bene ſit, ac ſtet, vt operis initio dicebamus.

Igitur, vt à Septentrionis regionibus initiũ capiamus, multis eſt monumentis teſtatum, in Britanniam fuiſſe ab Eleutherio Papa miſſos Fugatium, & Damianum anno 182. qui Lucium Regem, plurimoſque Britannorum dicuntur Chriſto adiunxiſſe. Verum Chriſtiana religio in ijs oris maxime proſtrata eſt, ac prope euerſa, imperante Diocletiano, quod Gildas conqueritur, neque poſtea bene reſtituta vmquam. Quin anno, vt quidam numerant, 432. cum Pelagius Britannus hæreſi

reſi ſua gentiles ſuos corrupiſſet, Palladius Romanæ Eccleſiæ, Diaconus effecit, vt Cæleſtinus Pontifex eo mitteret Germanum Epiſcopum Antiſiodorenſem, qui ſuo nomine illos ad fidẽ Catholicã reduceret, & 434. idẽ Palladius ab eodem Cæleſtino eſt ordinatus Epiſcopus, ac miſſus ad Scotos, credentes, inquit Proſper, qui his tẽporibus vixit, in Chronico ſuo, cui Beda cõſentit lib. 1. cap. 13. hiſtoriæ Anglicæ, & libro de ſex ætatibus mundi, ſiue de temporum ratione, in Theodoſij minoris vita. ex quo apparet, falli, qui vitam Sancti Patricij ſcripſit, affirmantem Scotos Deo nomen haud dediſſe Palladio Epiſcopo viuente, cum tam Proſper, quàm Beda teſtentur eos iam crediſſe, cum primus eſt illis Epiſcopus datus Palladius; & nihilominus à Pontifice Romano Patricius Britannus eſt ad idẽ munus delectus, qui tamen Epiſcopus non eſt conſecratus, niſi poſt obitum Palladij, diſcipulis huius petentibus per Amatorem Epiſcopum, vt vult, qui ſcripſit eius vitam. Tum vero Scoti Hiberniam tenebant, & in eam Britanniæ partem irruperant, quam de ſuo nomine Scotiam vocarunt. Commaculatus porro eſt, ac fere exciſus in Britannia verus Chriſti cultus, hæreſibus Pelagij, & aliorum, vt Gildas conqueritur, quò tẽpore Angli è Saxonia à Britannis aduerſus ingruentes Pictos, & Scotos acciti, non modo inſulæ loca cuncta occupauerunt; ſed cuncta vaſtitatibus repleuerunt, ac viginti octo, inquit Beda, nobiliſsimas ciuitates euerterunt; ita, vt imperante Iuſtiniano, Iornandes ſub annum 558. ſcripſerit libro de rebus Geticis. *Britanniæ Reges in virgeis caſis, cæteros autem cum pecoribus ſimul in ſtabulis habitaſſe*, Sic autem pura, quæ &, catholica Chriſti doctrina eſt ab hæreſibus exterminata, vt Beda in vita Auguſtini referat, quo tempore ille ad inſulam venit eos, qui ſuperfuerant, Britannos omnes hæreticos fuiſſe.

Igitur anno 603. centum quinquaginta annis poſt aduentũ Anglorum Auguſtinus, alijque Itali à Gregorio Magno miſsi populos Britanniæ, quæ ab Anglis eſt Anglia vocata, ad Chriſtum perducere ceperunt, atque ex eo ſic inſula eſt omnibus bonis amplificata, quod aperiemus, vt nulli vlla in re inſulæ, quæcumque illa ſit, cedat, pleraſque omnes poſt ſe longiſsimo interuallo relinquat; cum prius, vt è Iornande diximus, ipſi *Reges in virgeis caſis habitarent*. Et, quamuis Beda dicat, in illa fuiſſe 28. ciuitates nobiliſsimas antequam diruerentur ab

An-

Anglis,anno ſcilicet 453. tamen intelligo nobiliſsimas, vt illa a tempora in huiuſmodi locis ferebant, quin eas colonias Romanorum fuiſſe,non Britannorum ſedes: vt videtur Gildas aſſerere. Certiſsimum namque eſt,anno Chriſti 210. hunc fuiſſe inſulæ ſtatum, quem deſcribit his verbis Dio in vita Seueri. *Britannorum duo ſunt genera,Caledonij, & Mæatæ,nam cæterorum nomina ad hos fere referuntur. incolunt Mæatæ iuxta eum murum, qui inſulam in duas partes diuidit: Caledonij poſt illos ſunt,poſsident vtrique montes aſperrimos,& ſine aqua, itemque campos deſertos,pleroſque paludibus; quodque mœnia non habent, nec vrbes; agros nullos colunt,de præda, & venatione, bacciſque arborum viuunt: nam piſces, quorum ibi maxima eſt & innumerabilis copia,non guſtant: degunt in tentorijs nudi, & ſine calceis.vtuntur communibus vxoribus,liberoſque omnes alunt; apud hos populus magno ex parte principatum tenet: latrocinantur libentiſsime: militant de curribus: equos habent paruos, & celeres, pedites currunt celerrime: dum ſtant,firmiſsimi ſunt, horum arma ſunt ſcutum, & haſta breuis: in cuius inferiore parte pomum eſt ex ære,vt,dum concurritur,hoſtes ſonitu perterrefaciant: pugiones quoq; habent,ſed in primis famem,frigusque,ac labores omnes perferunt: nam merſi in paludibus capite tenus, per multos dies inediam ſuſtinent: in ſiluis autem, corticibus, atque radicibus arborum aluntur.* Hæc Dio: E quibus,vt inſulæ ſqualorem, incolarumque feritatem diſcimus, ſic mendacia illorum deteguntur,qui Reges quoſdam Britannorum proferunt, eorumq. longiſsimas ſucceſsiones: cum Dio teſtetur inter eos plerumque fuiſſe gubernationem popularem. Quocirca è Porphyrio docet nos ipſe Gildas, Britannos, ſi qui fuerunt in Britannia Reges, pleroſque omnes tyrannos fuiſſe; ita, vt ille ſcripſerit. *Britannia fertilis prouincia tyrannorum.* Ac, reuera ita eſſe, docet nos, multis editis querelis, idem Gildas, cum facta deſcribit atrociſsima Conſtantini, Aurelij, Conani, Vortipotaris, Cuneglaſi, Magocluni tyrannorum. Talis itaque ſtatus Angliæ fuit ab ortu mundi vſque ad Auguſtini aduentum,per annos, vt quidam numerant, quater mille ſexcentos nonaginta duos.

Auguſtinus autem miſſus à Gregorio primo Papa Cantuariam ſtatuit ſedem,quæ toti inſulæ in ſacris tradēdis præeſſet: in eaque ſeptem ſibi ex ordine ſuccedentes Archiepiſcopi fuerunt,omnes Clerici Itali, vt poſt Bedam notauit Polydorus hiſtoriæ

ſtoriæ Anglicæ libro 4. Miſsi ſunt etiam poſt illum ab eodem Gregorio Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Ruffinianus: Romæ prætereà eſt inſtituta Anglorum ſchola, multique ad Vrbem non modo priuati viri, ex Anglis, ſed, & ipſi Reges religionis cauſa ventitabant, vt ex eodem Beda, & Polydoro habemus.

Ex Anglia per Italos Sacerdotes ad CHRISTI cultum perducta prodiit eorum doctrina excultus Bonifacius Anglus, qui de mandato Gregorij ſecundi anno Chriſti 720. in Germania Chriſti doctrinam cæpit diſſeminare, & ab eodem mox Epiſcopus ordinatus Anno 724. deinde à Zacharia Papa patentibus Carolo Magno, & Pipino Francorum Regibus ante annum 750. Archiepiſcopus Moguntinus plurimos epiſcopatus in intimis Germaniæ locis, ac plurima Monaſteria erexit, ex illo Germania prius horrida, & nihil culti habens, ad tantam, quam cuncti ſuſpiciunt, & mox attingemus, felicitatem peruenit, poſt annos quater mille octingentos tredecim ab orbis fabricatione.

Nicolaus primus, ſedere cæpit Anno 858. ab eo miſsi in Bohemiā terram ſquallentem, ac nihil habentem dignitatis Cyrillus, & Methodius, qui Romæ in Monaſterio, quod in cliuo Scauri extruxit Gregorius Magnus, vt nos alibi docuimus, commorabantur, ab his ad humanitatem, moresque ciuiles, & Chriſtianos expoliti Bohemi, cum ſua regione ad hanc, quam nemo non miratur, omnium bonorum affluentiam perducti.

Idem Nicolaus Eccleſiam Bremenſem, Hamburgenſemque coniunxit, ab Epiſcopo Colonienſi exemit, eique præficiens Anſcharium, & mox eo defuncto, Rhembertum, dedit in mandatis, vt inter aquilonares gentes Chriſti cultum propagarent: quin cum Froto Danorum Rex, ad Agapetum Pontificem legatos miſiſſet petens, vt ad eius regna mitteret, qui Chriſti doctrinam diſſeminarent, quod Saxo lib. 9. ſcribit, adijcit Crantzius, ab eodem Agapeto conceſſum fuiſſe Adalgago Archiepiſcopo Hamburgenſi, vt Romanæ ſedis nomine in Dania Epiſcopos crearet.

Poſtea tamen, quod tempora ita exigerent, cum Rex Daniæ Ericus Romam petiſſet, obtinuit à Pontifice Romano, vt Laudenſis Epiſcopus Daniæ, Suetiæ, Noruegiæque præeſſet, & Romanæ ſedis nomine mitteret, qui in ijs locis latè doctrinam Chriſti amplificarent. Id tanti fuit, vt Danicus ſcriptor

Saxo

Saxo libro 12.ſcriptum reliquerit. *Nec parum Dania Romanæ benignitati debet, qua non ſolum libertatis ius, ſed etiam exterarum rerum dominium aſſecuta eſt.* ſequenti deinde tempore Nicolaus Cardinalis multos populos Noruagienſium Chriſto adiunxit, eiſque Archiepiſcopum ſuum conſtituit, quod Saxo libro 13.& Crantzius in Metropoli ſua tradunt.

Adalbertus Epiſcopus Pragēſis à Bohemis eiectus Romam veniens, & à Pontifice Romano exceptus, de ipſius iuſſu rediens, acceptoque ab ipſo, inquit Cromerus libro 3.commeatu, in Hungariam profectus, Hungarorum Regem Geyſam Stephanumque Chriſto adiunxit, quod & Drubauius ſcribit hiſtoriæ Bohemicæ libro ſexto, qui & addit, ab eo ſex Monachos Romanos in Hungariam, Poloniamque adductos illi auxilio maximo fuiſſe in promouendis rebus Chriſtianis: e quibus aliqui inter Hungaros Epiſcopi creati, Gaudentiusque illorum vnus Gneſnæ primus Epiſcopus factus, qui eſt Metropolita Poloniæ.

Aegidius ſimiliter Cardinalis Romanus in Poloniam miſſus à Pontifice, Regi, qui iam tum Chriſto nomen dederat, animum dedit in amplificando Chriſti cultu, cunctosque Italici ſanguinis Epiſcopos Poloniæ dedit, quod Cromerus lib.3. refert.

Denique, vt finem faciamus, oſtendimus nos late libro 4.de Signis eccleſiæ Dei, Signo ſexto, non alio, quam Romanorum Pontificum ſtudio cultum Chriſti diſſeminatum in Anglia, Scotia, locisque omnibus ſupra Danubium, Rhenumque poſitis: quin pleroque omnes, qui huic rei dederunt operam, fuiſſe Monachos ex ordine, & inſtitutis Sancti Benedicti Itali, aperuimus ſigno 12.cap.3.lib.5.Populos porro illarum regionum maximę feritatis fuiſſe, nullis litteris, nulla diſciplina, ſigno 28.lib.7. & libro 22. cap.9. ad finem; loca horrentia, ac nullo cultu ex antiquiſsimo tempore ſemper extitiſſe docuimus ſigno 88. de cultu deſertorum locorum libro 20.ſigillatim vero, quantum malorum terris, ac populis illis antea fuerit, quantum bonorum ſit acquiſitum, recenſuimus libro vigeſimo ſecundo, certiſsimis omnium teſtimoniis in medium productis, rurſus, quantum præ cunctis Regibus, Angliæ, Scotiæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Suetięq; Reges fuerint diuinitus amplificati, ex quo Pontifici Romano obedientiam pręſtant, explicauimus libro 21.

Mira-

Mirabile ſit igitur poſt tot annorum millia, tantos terrarum tractus, qui duplo ſunt Europa reliqua maiores, tot bonis auctos, tot malis liberatos, tam breui, (ſi reſpicias anteacta ſæcula) tempore, ex quo amplexatæ ſunt eorum nationes Pontificis Romani præcepta, ac diſciplinam. Prius enim nullæ illis certæ ſedes, indigentia omnium cibariorum, fœditas turpis, in conuictu nullæ vrbes, nullæ domus: nunc vrbes, & quidē munitiſsimæ, frequentiſsimæ, plurimæ, mirabili decore, amplitudine, ſitu, emporia nobiliſsima, nundinæ, mercatura opulentiſsima; pro ſterili olim tellure ſubijt fœcunda; & cum nulla ijs eſſet agricultura, nunc ſingularis ſit; multis in locis etiam vineta, viuaria, nemora exculta; pro dumetis villæ inſignes; pecorum, & equorum ſpecies vtilior; innumeræ porro auri, argenti, ferri, æris, cupri, omniumque metallorum fodinæ, machinæque adhæc ingenioſiſsimæ, quarum ſanè fodinarum prius, aut nullus, aut tenuis erat vſus. Quid hic memorem gemmas, thermas, lina, lanificium, aulæa, ſericeas artes; artificiaque omnis generis infinita; quæ ſane prius aut nulla erant ijs, aut obſcura?

An referemus externarum gentium inundationes in iſta loca repreſſas? tot indigenarum millia prius occiſa, capta? nullus erat antea publicarum rerum ſtatus, nulla familiarum nobilitas, nulla Regiarum cognationum ſatis diuturna ſucceſsio, nulla ijs facta egregia, & quæ laudem, gloriamue honeſtam ſuis auctoribus inter exteras, ac remotas gentes adſciſcerent: poſtea vero nobilitas ſingularis, Regiarum cognationum longiſsimæ ſucceſsiones; cum maximis, & Regibus, & Imperatoribus Orientis, & Occidentis affinitates, geſta immortalia, & laudabiliſsima, ad laudem nominis, celebritatemque ſempiternam vſque ad remotiſsimos populos comparatam.

Pudet me hic repetere ſuperſtitiones diras, ſtolidas, ac magicas, quæ olim populis iſtis erant, eas adductis locis aperuimus.

Non tamen ſilentio præteribimus in vnius Dei cultum conueniſſe tot, ac tantas nationes, tam diſsimiles, tam diſcrepantes, & belluinas coiiſſe in incredibilem mentium coniunctionem, extitiſſe ijs innumeram ſanctiſsimorum virorum, fœminarum, virginum multitudinem, & ex ijs aliquas linguarū multiplicium doctrinis liberalibus, dono prophetiæ admirabiles: præterea vero Reginas, aut Regum ſorores, & quidem religio-

ſarum ſodalitatum inſtitutrices,plurimas adhuc,quæ intrepido pectore pro virtutis officio tuendo, aut religione vitam libentiſsime profuderunt,& in his Reginas clariſsimas,ac præter has innumeros exercitus Martyrū,Reges ipſos Martyres, aut alioquin ſanctiſsimos, quorum memoria cultu anniuerſario toto orbe Catholico coletur. Vt omittamus Pontifices, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sacerdotes, Abbates, & cuiusuis conditionis, ætatisque, ſanctimonia,vitaque cæleſti admirabiles,ordinum religioſorum auctores, cultus Chriſtiani amplificatores.

Quid hic recitabimus Epiſcoporum, Abbatum, Canonicorumque nobiliſsimos conſeſſus,illuſtriſsima monaſteria,innumera,ditiſsima,templa magnificentiſsima, pluri maque ornamenta eorum, opes eccleſiaſticas, Theologos, & Philoſophos eminentiſsimos? tot eorum ſcripta, concionatores ſacros, præclariſsimos omnium literarum, linguarum, diſciplinarum cognitionem profundam,ſcholas frequentes,gymnaſia omniū doctrinarum publica, tot, ac tanta? Aſtrologos, Arithmeticos,Geographos, Dioptras, Meteoroſcopos,Geometras,Mathematicos ſummos, omniumque iſtorum ſcripta, & inuenta ſingularia? Hiſtoricos,Medicos,Muſicos,Pictores,Plaſtas,Statuarios, Architectos, Artifices, inuentoresq. horologiorum, Typographicæque artis admirabiles?

Hæc vero omnia tot,ac tanta,cum nihil eorum Angliæ,Scotiæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Suetiæ, Pruſiæ, Liuoniæ,Lituaniæ,Noruegiæ, duodecim latiſsimis regionibus adfuiſſet ex omni æuo per tot annorum millia,quamuis populi pugnaciſsimi forent, & iſtorum quædā ſibi comparare viribus poſſent, poſtquam Romani Pontificis auctoritatem ſecuti ſunt, eorumque, quos ipſe miſit, ac delegauit,doctrinam ſunt amplexati, breui tempore ſic aſſecuti ſunt, vt protinus ad eorum ſummum peruenerint; cum prius neque ſomnio per tanta temporum ſpatia potuerint illa attingere,aut adumbrare. An vero tempore exiguo, tot, ac tam cæleſtia dona poſſederunt? Per multa ſæcula ſunt conſecuti,& adhuc potiuntur;cum tamen videant innumeras gentes eodem cæli tractu cōſiſtentes ad Aquilonem ſquallere cum ſuis terris, neque minimam tantæ beatitudinis partem comparaſſe,quæ nos omnia clariſſime aperuimus adductis locis. En igitur, vt à Dei Chriſti donis ſupernaturalibus traditis per Chriſtianorum ſacerdotum

doctri-

doctrinam, ſacramentorumque ſupernaturalium adminiſtrationem, ex qua doctrina, & adminiſtratione docemur, regeneramur, viuimus, ac mortui reuiuiſcimus, ſint, ac ſtent animi bona, nimirū prudentia, iuſtitia, & fortitudo, temperantia. Ab his ſint, ac ſtent corporis bona, à corporis bonis ſint, ac ſtent externa ob eſſentialem ſubordinationem inferiorum ad ſuperiora, vt duobus primis capitibus libri huius eſt explicatum, tetigimusque libri primi, ac ſecundi initio. Hoc namque eſt verum ius ſtatus per quem ſunt, ac ſtant omnia bona ab amore noſtro Chriſto naturalium ſupernaturaliumque Rege, deriuata per miniſterium Romani Pontificis, Epiſcoporum, Sacerdotumque eius, cui mortales cuncti obedire tenentur, cum quodlibet naturali iure impellatur, vt ſit, bene ſit, ſtet, quod operis initio dicebamus.

Sed an Pontifex Romanus, & qui illius doctrinam ſecuti, intra hos anguſtiſsimos fines exundantia ſuæ beatitudinis è cælo dimiſſæ flumina continuerunt? An non in reliquas Europæ partes, & loca ſe effuderunt? Audi, an ita ſit. Quid Græcia felicius olim poterat exiſtimari? Quid ſi illi oſtendemus adiectum plurimū, ex quo Pontifici Romano obedijt, ac perſtitit in eius obedientia? & quidem per eos maxime, qui maxime Pontificem Romanum coluerunt? Enimuero, quantum Pontifex Romanus iuuerit Græcos, quantū ruentes ſuſtentarit, oſtendimus ſigno de confirmata vndique fide lib. 5. cap. iv. Nunc aliud aperiamus. eſt in confeſſo apud pleroſque omnes Græcorum ſcriptores, Conſtantinum fuiſſe à Silueſtro Papa baptizatum, ſic Photius in Nomocanone, Glycas, Zonaras, Cedrenus in annalibus ſuis, Nicephorus: ita Hadrianus Papa in ſeptima Synodo, Concilium Romanum Conſtantino imperante habitum, Gregorius Turonenſis tradiderunt. illa vero in re nemo dubitauit eum fuiſſe in omnibus, quæ pertinent ad religionem Chriſtianā, maxime edoctum Romæ à Silueſtro Papa. Romæque Chriſtianæ penitus ſe religioni addixiſſe. Cum vero, vt ait Zoſimus libro 2. ad finem, contenderet, vt à Senatoribus cunctis Chriſtiana religio admitteretur, plurimique ex illis obſiſterent, is largiſsimis Pontificem Romanum donis amplificans, relicto illius ſedi palatio Lateranenſi omnium nobiliſſimo, quin occidentalis imperij potiſsima ditione, vt optime oſtendimus è Codicis Theodoſiani lege, monumentisq. alijs ſigno 76. libro 17. cap. 3. de Signis Eccleſiæ Dei. Nouam Ro-

mam condere in animum induxit, Conſtantinopolimque Romæ parem fere extruxit, & conſecrauit anno 330. imperijque orientalis caput eſſe ſanxit.

Romanorum vero Senatorum nobilitate præ cæteris illuſtrium, Chriſtianæque fidei addictiſsimorum, duodecim cum ſuis familijs Conſtantinopolim duxit, Olybrium, Verum, Vrbicium, Zoticum, Eugenium, Eubulum, Studium, Florentiũ, Calliſtratum, Maurianum, Seuerum, Iſidorum, quod Glycas teſtatur annalium quarta parte. Ab his non modo Conſtantinopolis, quod in ea ſedem poſuerint, eſt illuſtrata, ſed etiam magnificis ædificijs, optimis inſtitutis, quæ perpetuo durarent, aucta. Nam Zoticus presbyter factus, ampliſsimum, vt Græci vocant, orphanotrophium in illa vrbe excitauit, vt eſt in Codice Iuſtiniani, ac Menologio vltima Decembris die. Studius vero monaſterium nobiliſsimum conſtruxit, in quo erat locupletiſsima bibliotheca, atque in eo monachos omnium doctiſsimos commorari voluit: quibus tantum fuit ſemper auctoritatis, vt eorum Præfectus oecumenicus magiſter vocaretur; ipſi ad omnia grauiſsima ab Imperatoribus adhiberentur. Meminit eorum Zonaras in vita Leonis Iſauri, Nicephori generalis, Michaelis Rangabis. atque hæc hi duo clerici Romani egerunt ſpectantia ad animi, & corporis bona. Denique Glycas inquit: omnes hi Conſtantinopoli domos, templa, hoſpitium, ædes extruxerunt. Quin ipſe Conſtantinus, ait Zoſimus lib. 2. quibuſdam Roma eum ſecutis Senatoribus domos ædificauit. Tantæ porro dignitatis, & amplitudinis Conſtãtinopolis euaſit, vt poſt Romam prima eſſet in orbe terrarum; quod Auſonius poſt Zoſimum, cæteroſque teſtatur. In ea manſit imperij omnium maximi ſedes, quæcumque ab orbe condito vmquam fuerit, vſque ad Conſtantinum Palæologum cum capta eſt à Turcis anno 1453. per annos mille centum viginti tres. Atqui numquam Græciæ contigit, vt vllus in ea foret Imperator, cui tot regiones parerent, tantum foret imperij, quantum pluribus eius Imperatoribus. Licet enim Conſtantinopolis eſſet in Thraciæ confinibus, & Græciæ, huic tamen eſt illa adiuncta, & adnumerata: ſimiliter nulla in orbe terrarum fuit vmquam regio, cui tam magnum ſimul, ac diuturnum foret imperium, Latio excepto, ob Romam veterem. ſed hoc intereſt, quod vſque ad annos 400. Romanis fuit anguſta ditio, at Imperatoribus Conſtantinopolis à principio maxima omnium,

nium, & raro ad illas anguſtias eſt redacta, in quibus Romanorum perſtitit annos 400. ita, vt vere aſſeri poſsit illud imperium latius fuiſſe, niſi facta fuiſſet diſiunctio orientalis, & occidentalis: & nihilominus hoc in vno non perſtitit, niſi ab Auguſto vſque ad Conſtantinum per annos 394. vt quidam numerant, ſæpè tamen aut à tyrannis diſcerptum, aut à rebellibus populis, & orientale adhuc occidentali coniunctum perſtitit aliquando in vno, vt Conſtantino, Conſtantio, Iuliano, Iouiniano, Valentiniano, Theodoſio ſeniore, & iuniore, & aliquot aliis per aliquod tempus. Iam vero vſque ad vltimas irruptiones Turcarum, quæ contigere, ex quo Andronicus Palæologus ab obedientia Pontificis Romani diſceſsit anno millesimo ducenteſimo octuageſimo tertio, tanta plerumque pax in intima Græcia fuit, nimirum Peloponneſo, Achaia, & Attica, Theſſalia, Macedonia vſque ad fines Thraciæ, & Epyrij, per annos 971. vt nihil illa tranquillius vmquam fuerit experta, licet in finibus Thraciæ, & Epyri olim Gothorum, Hunnorũ, Slauinorum, Bulgarorum, & Hungarorum ſit aliquid perpeſſa ſimile antiquis populationibus, cladibusque, ac vaſtitatibus, de quibus Thucydides initio operis ſui; nullum tamen habuit è ſuis Alexandro in bellicis rebus æqualem, vel Ariſtoteli in naturalium ſcientia, Euclidi in Mathematicis, Hippocrati, & Galeno in medicina. De rerum vero diuinarum doctrina, & ſanctitudine, virtutibusq. ſolidis non eſt, quod loquamur: cum Chriſtianis nulli ſint comparandi, & priſci illi nihili ſint præ Græcis Chriſtianis. fuerit Alexander, aut ſi quis alius Græcorum militari peritia nobilior: cum tamen poſt conſecrationem Conſtantinopolis Græci ſint tutati potentius, latius, ac diuturnius imperium, quam vel Alexander, Seleucidæ, Ptolomæiue Reges, illud eſt in cauſa, quod catholica gubernandi doctrina (Catholicum vocamus, quod Pontificiis decretis eſt conſonum) cunctis præſtat, Deoque ipſi innititur ob eſſentialem, de qua diximus, ſubordinationem. Quocirca, ne Græci attribuerent arti militari hanc tanti imperij diuturnitatem, permiſit, ac prouidit Deus, vt eorum maiores, copiarum duces maximi, à Pontificia doctrina alieni, neque adipiſci imperium tantum, neque adeptum quodlibet magnum diu tutari poſſent, aut ſaltem non ita diu, vt poſt Conſtantinum ſunt tutati. quod ſigno de infelici poſteritate alienorum conſtat libro 23. cap. 8. Hinc etiã, quicumq; Imperatores Græci ab alie-

nauc-

nauerunt ſe à Pontificis Romani obedientia, ijdem paſsi ſunt inſigne imperij detrimentum, quod non euenit illis, qui Pontificis Romani fidem ſunt ſecuti. Denique ijs imperantibus illud eſt euerſum, qui diutius, ac maxime omnium ſe ab ipſo abiunxerunt.

Rurſus, ne humanæ aſcriberent peritiæ tanti imperij diuturnam conſeruationem, voluit in ea Græcos Chriſtianos quodammodo ſuperari à maioribus ſuis, cum tamen his præſtiterint illi in diuinarum rerum cognitione, ac ſanctitate morum.

Sed quando conſtant homines ex animo, & corpore, animi vero felicitas, & beatitudo ſit, vbi ille à vitiis, & perturbationibus vacuus in diuinæ veritatis contemplatione iugiter defixus, quantum fieri poteſt, occupatur, & hac parte Græci catholici infinito interuallo ſuperent antiquos, colligitur neceſſario, eſſe animi bonis abundantiores.

Hinc poſt Conſtantinum vſq; ad Baſilium Macedonem ſunt habita octo Concilia generalia in Græcorum terris, ad quæ ex omni prope cogniti orbis regione doctiſsimi viri aduenerunt, & in vnam fidem conſenſere; habemusque plurimorum ſcripta eruditiſsima. Idem colligitur ex innumeris virorum, fœminarumq. ſanctitudine illuſtrium vitis, quas Methaphraſtes, aliique collegerunt. inſtar ſit omnium Pulcheria Auguſta, quæ tamdiu tamque prudenter imperium orientale adminiſtrauit, cui nullam tota antiquitas parem nominare poteſt: vt ſigno de prudentia politica eſt explicatum. Ab hac porro diuinarũ rerum notitia Græci exceſſerunt; ac proinde ab intima mentis beatitudine, cum Pontificis Romani obedientiam ſimul abiecerunt, vt oſtendimus toto libro 12. atque ita ob eſſentialem ſubordinationem quatuor illorum bonorum facta eſt ab illis omnium iactura.

Ad corporis beatitatem facit non modo decus, ſanitas, ac robur eius, ſed affluentia externorum bonorum, quæ Græcis catholicis adfuit magis, quam maioribus à vero Dei cultu auerſis, ob imperii quo ſunt potiti, amplitudinem, & diuturnitatem, ad hæc autem plurimum confert tanta, ac tam diuturna tranquillitas, qua per tot ſæcula abundarunt, maxime in mediterraneis locis. Ex quo fit, vt vita magis in tuto fuerit Græcis poſt Conſtantinum, quam prius; ac propterea, quoad corpus fuerint magis fœlices; corporis enim primũ, potiſsi-

tiſsimumque aliorum omnium bonum vita.. Hinc nullas in Græcia legimus, quantum recordor, vrbes exciſas poſt illum, vſque ad Andronicum Palæologum, cum prius multas nemo non ſciat euerſas. Hæc igitur ſint ſatis, quantum ſpectat ad Græciam.

Quod ſi Galliam reſpiciamus, ac tempora illius antiqua conferamus cum illis, quæ poſt Conſtantinum fuere, quot, quæſo, ac quantis illa poſt Romani Pontificis auctoritatem auctam, & à Gallis, Franciſque cultam, bonis eſt amplificata, aucta vrbibus nouis, antiquæ vrbes nouis, & admirandis, ſiue decoribus, ſiue incrementis, agri exculti non modo ad fructus terræ vberrimæ producendos, ſed ad habitationem mortalium commodiſsimam? Quid hic Regum potentiſsimorum longiſsimas ſucceſsiones, affinitateſque cum omnibus totius orbis Regibus, & Imperatoribus iunctas familias, Principum nobilitate, vetuſtate, ac rebus præclare actis illuſtriſsimas, Reges ampliſsimos tot regionibus datos in Africa, Europa, atque Aſia, Imperatores Orienti, atque Occidenti datos, bella geſta, victoriasque relatas e bellicoſiſsimis, ac remotiſsimis gentibus, præſtantiſsimos in omni doctrinarum genere viros editos, atque alia bona priſcis Gallis ignota recenſebimus? ea complexi ſumus Signo 32. de prudentia politica, cap. 1. tomo 1. & de felici poſteritate Catholicorum 92. tomo 2. cap. 4.

Iam vero, nemo poteſt negare, cum tot bona Gallis euenerint, poſtquam Romani Pontificis auctoritatem colunt, ab eodem Chriſti cultum, per eos quos ille miſit, accepiſſe; id enim clariſsime fatentur Epiſcopi ipſorum in literis, quas ad Leonem primum dedere: plurimos autem eorum, quos ad doctrinam Chriſti in Galliis diſſeminandam Pontifices Romani deſtinauerunt, Italos Sacerdotes, atque etiam Romanos fuiſſe, colligi poteſt ex ijs quæ ſigno de Fidei propagatione libro 3. diximus. non eſt opus eadem repetere, ſed habemus adhuc alia, quibus oſtendere poſſumus, quantum Romani Pontifices euexerint Gallos, ſeu Francos: ijdem namque nunc quidem ſunt Galli, & Franci; quantum dignitatis, ac potentiæ fuerint ijs largiti, conſilioque, & ope; tantum certe quidem, quantum nunquam leguntur antea conſecuti.

In primis igitur, cum Deſiderius Longobardorum Rex inua-

inuaderet in ditiones Pontificias, Eccleſiæque Romanæ vrbes conaretur occupare, Hadrianus Papa, idemque ciuis Romanus Carolum Magnum poſtea dictum, conſilio, monitiſque impulit, vt in Italiam veniret, Regnum Longobardorum ſibi armis compararet, eiusque auctoritate, & opibus, quantis poſſet, effectum, vt in Italia tantum ditionis acquireret, quantum Galli nunquam potiti fuerant vnquam. Huic conſilio, monitiſque Papæ reluctati ſunt omnes Gallorum proceres, vt ait Eginarthus Caroli Magni ſcriba, in ipſius vita: Carolus tamen Pontificis fidem ſecutus eſt: venit in Italiam, latiſsimumque in illa imperium ſibi, ac poſteris ſuis, magno tamen Italorum bono, acquiſiuit Anno 774. Rurſusque Anno 801. à Leone III. Romani ſanguinis viro coronatus eſt Occidentis Imperator, quod illi, ac nepotibus eius, apud omnes auctoritatem maximam, potentiamque adauxit. Hæc poſt Eginarthum, Ademarũ, Aimoinum, Rheginonemque, & alios multos latè proſequitur Paulus Æmilius. Quantum porro conati ſunt ijdem Romani Pontifices poſterorum Caroli Magni dignitatem, & Imperium tueri, diximus ſigno 8. de cura Pontificis Romani in Catholicis tuendis libro 19. cap. 4.

Rurſus Anno 1095. Vrbanus ſecundus Pontifex Maximus Italici ſanguinis; cũ in Gallias ſe contuliſſet, & indicto ad Claramontem concilio Regem Philippum, ob illicitas nuptias excommunicaſſet, vt cunctis notum fieret, Gallorum decus, ac maieſtatẽ, ab vnius Papæ conſilio multo magis pendere, quã ab ipſius Regis, quem à ſe Pontifex ab alienauerat, potentia; & viribus, Gallos in primis, atque alias deinde nationes impulit, vt expeditione facta in Orientem contenderent. quod illi Conſilium ſecuti Turcos nobiliſsimis victoriis relatis profligarunt, Aſiam, quam Conſtantinopolitano Imperatori conceſſere, Ciliciam, Syriamque, quæ Gallici ſanguinis Regibus, ac Principibus, vna cum Cypro diu paruere, ceperunt: tantumque nominis ſibi, ac celebritatis adepti ſunt, vt Occidentales omnes ab Orientalibus Franci, ab egregia ipſorum facta appellentur, quæ referunt Robertus Monachus, & Gulielmus Tyrius proprijs libris.

At poſt Annum 1201. cum rurſus vrgẽtibus Cæleſtino III. & Innocentio III. Pontificibus Romanis, & è gente Romana ortis, Galli in Græciam profecti eſſent, vt inde Orientem peterent,

terent, contigit, vt Conſtantinopolis fuerit ab eis capta, Imperatorque Græciæ creatus Balduinus Galliæ Belgicæ, quæ tum Regi Francorum ſubiecta erat, Comes è ſanguine Gallicano, atq; ita Galli conſilia Romani Pontificis ſecuti diu Conſtantinopolitano imperio ſunt potiti, quod numquam contigerat vlli Gallorum Principi ab orbis ipſius conſtitutione. Refert hiſtoriam Vuilardinus Gallicus ſcriptor, Villanæus lib. 5. cap. 27. Extat epiſtola Balduini Imperatoris, qua rei geſtæ ſeries explanatur apud Elmodum libro 6. cap. 20. in qua aſſeritur, ab Epiſcoporum militibus primum captam Conſtantinopolim, delectumque Imperatorem tum à Proceribus ſex, tum ab Epiſcopis, in quibus erat & Apoſtolicæ ſedis Legatus Epiſcopus Bethlehemiticus.

Anno deinde 1265. cum Papa Vrbanus Quartus natione Gallus, & Clemens Quartus Prouincialis elegiſſent Regē Neapolis, ac Siciliæ Carolum aduerſus Manfredum tyrannum, is electioni acquieſcens, ac multas Francorum copias ſecum ducens, multoque maiores Italorum, Romanorumque, à quibus Senator vrbis eſt electus, & adhuc ipſius ſtatua viſitur in Capitolio rem totam teſtificans, Romæ coronatus eſt à duobus Cardinalibus Legatis, atque his opibus aſſecutus eſt regnum Neapolis, ac Siciliæ, Tunetenſem Regem in Africa ſibi tributarium fecit, multaque in Epyro, Poloponneſo, & continentibus terris, oppida, & loca, adeptusque eſt iura regni Hieroſoſolymitani dono Mariæ filiæ Bohemundi principis Antiocheni. cumque hac de re lis eſſet inter eam, Regemque Cypri Hugonem Luſinianum; Carolus pro ſe retulit ſententiam à Pontifice Romano, à quo & obtinuit, vt Imperij Vicarius eſſet in Italia: quod maximas ipſi, ac poſteris vires comparauit: Hæc late Villaneus illorum temporum ſcriptor libro 7. cap. 6. & hiſtorici rerum Neapolitanarum. Carolo filius fuit Carolus ſecundus. cui cum nupta eſſet Maria nata è Stephano Quinto Hungariæ Rege, illud eſt regnum conſecutus, & quamuis multi proceres Hungariæ reluctarentur, Rex tamen Hungariæ declaratus eſt Carolus à Bonifacio Octauo, tandemque regnum ſibi illud acquiſiuit. Ex hoc ortus Carolus Martellus ſuſcepit Carolum Robertum, atque hic Ludouicum, qui Hungariæ regnum Polonicum adiecit. Hæc tum Villanæus, qui temporibus his viuebat, ſeptimo, & octauo, tum Bonfinius ſcribunt. tenuit poſteritas Caroli Neapolitani regnum vſque ad annum

1442. per annos centum ſeptuaginta ſeptem.

Sic igitur Galli, conſilio, atque ope Romanorum Pontificũ, atque Italorum ſacerdotum conſecuti ſunt tam magnas ditiones in Italia, Hungaria, ac mox etiam Polonia, Africa, & Græcia, quas nulli è maioribus ipſorum fuerant adepti vllo tempore, aut etiam tanto. En effecta eſſentialis ſubordinationis quatuor illorum bonorum, per ſacerdotes à cordis noſtri amore Chriſto omnium creatorum Rege deriuata, vt proinde ſacerdotes ſint parentes, ac Reges.

Reliqua eſt Europæ extrema regio Hiſpania. Hæc ex antiquo tempore poſt gentium diſperſionem primos, & antiquiſſimos habuit incolas, qui in Thartesſo à Tharſis Iapheti filio, quod in vniuerſali hiſtoria antiquitatum latè oſtendimus, ſiue in Betica conſedere, ac Turditani, Turduliue ſunt appellati, vt ait Strabo: dein vero ſic eſt ab Iberis Aſiaticis occupata, vt nomen ab illis acceperit, quod poſt alios Dionyſius Alexandrinus tradit; poſtea vero ex magna parte adducta eſt in poteſtatem ab Afris, è quibus Gerion dicitur fuiſſe, inde à Græcis, Troianis, Tyriis, quin & ab ipſo Nabuchodonoſoro, Chaldæisque, vt vult Ioſephus libro contra Apionem: mox autem Celtis, vnde Celtiberi, Carthaginenſibus, & Romanis: ſed & variis tẽporibus occupatæ illius regiones fuere à Lydis, Thracibus, Rhodiis, Phrygibus, Cypriis, Ægyptiis, Mileſiis, Caribus, Lesbiis, Phocenſibus, qui Hiſpanias occuparũt: habemus Herodotum teſtem, libro 1. à quo diſcimus circiter ætatẽ Cyri id accidiſſe ſub initia Romanæ vrbis, quantum colligimus è Iuſtini libro 43. atque ita decem, & nouem nationes exteras illa habuit, à quibus ante imperium Romanum detenta fuerit; neceſſe eſt autem, maximas clades ſubierit, tot exteris in illam irrumpentibus, ac priores incolas, vt mos erat antiquus, exturbantibus, aut in ſeruitutem rapientibus per annos mille quingentos, tot enim numerant plus minus aliqui ab irruptione Iberorum vſque ad imperium Romanum. Vnus porro inferiori tempore Tiberius Gracchus dictus eſt à quibuſdam ſubuertiſſe in Hiſpania trecentas vrbes, vt è Polybio narrat Strabo, quod quamuis ipſe irrideat libro Geographiæ tertio, Florus tamen in epitome ait, in Celtiberia ſola dirutas vrbes à Tiberio centũ quinquaginta, illudq. certum, Traiano Imperatore à Romanis euerſam nobiliſsimam Lemacenorum vrbẽ Emporiumque, vt aliqui volunt, Norbæam: præterea in Pom-

peia-

peianis, Illyturgium, Caſtulonem, Carthaginem veterē à Scipione Africano, Numantiã, Iberiam, Bilbilimque ab ijſdem Romanis, & Saguntum à Carthaginenſibus, præclariſsimas ciuitates ſolo æquatas, quæ refert poſt alios Ioannes Gerundenſis Paralipomenon lib. 1. cap. vlt. Atque vt omittamus bella à Carthaginenſibus aduerſus Hiſpanos in Hiſpaniæ medio geſta, Romani eos variis prælijs cōciderunt per annos ducentos quinquaginta, vt Paterculus teſtatur: atque ita non immerito cecinit Horatius, carm. lib. 3. ad 8.

Seruit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ.

Cum vero per annos mille quingentos tot in illam nationes exteræ irruperint, ac tandem Romani illam ſub imperium miſerint, & colonijs inductis antiquos fundorum dominos pluribus in locis ſpoliarint; Mauri poſt hæc, imperãte M. Antonino, Hiſpanias prope omnes, inquit Capitolinus, vaſtarint, quos & Bæticam populatos ſcribit Lampridius in vita Seueri Imperatoris; Germaniq. Gallieno imperante eaſdem diripuerint, quod Eutropius refert: quin illæ ſæpius ab Imperatoribus Romanis vario modo ſint vexatæ, & ſpoliatæ, vt à Caligula, & Galba, qui multas vrbes Hiſpanicas mœnibus priuauit; imperante tandem Conſtantino ab anno 312. vſque ad 414. in maxima tranquillitate ſteterunt, quo ſcilicet Oſius ille Cordubenſis Romanæ ſedis ſtudioſiſsimus, in Niceno, ac mox etiam Sardicenſi Concilio Pontificiam poteſtatem decretis clariſſimis maxime ſtabiliuit, donec in Hiſpania Priſcillianiſtæ hæretici cuncta, teſte Seuero Sulpitio, conturbarunt, atque eo tempore, vt notauimus ſigno de interitu fidei 16. lib. 5. in illam ſe effuderunt Sueui, Alani, Vandali; ac poſtremo Viſigothi, qui tamen, ſi ſuperiora tempora ſpectemus, exigua Hiſpanis damna intulerunt, & quod aliqui de fame neſcio qua ingenti ſcripta retulere, à quonam ex antiquis ſcriptore id acceperint ignoramus: excitarunt autem Viſigothi nobiliſsimum in Hiſpaniis regnum, quod adhuc durat in eorum cognatione, vt aperuimus ſigno de felici poſteritate Regum catholicorum 92. lib. 1. c. 3. Cumq; Viſigothi omnes Ariani forent, anno 586. Richaredus eorum Rex amplexatus eſt religionem catholicã, quæ vna cum regno, & Hiſpania tota floruit vſque ad annum 709. per annos centum viginti tres, quibus Hiſpania pacatiſſima fuit. poſt hos Vitiza deſciuit à fide Romani Pontificis, fecitque poteſtatem cuilibet ſacerdoti, vt plures habere vxo-

res eodem tempore poſſet;iuſsit ne quis ad Romanum Pontificem appellaret. Succeſsit illi Rodericus, eiſdem moribus; quo imperante, Arabes Hiſpanias conciſa Viſigothorũ nobilitate, anno 716. occuparunt, ac multas illis grauiſsimasq; clades attulere; expulſi vero ſunt prorſus ex illis anno 1492. Atq; ita per annos ſeptingentos prope, & ſeptuaginta ſex non diſsimili ſtatu Hiſpaniæ fuerunt, quo vel ante Conſtantinum, vel, quod veritati propius eſt, ante Auguſtum: ante hunc enim ſemper Hiſpaniæ coloni priores ab exteris bello fatigati ſunt, eorumque regiones prædationibus, & vaſtationibus patuerunt, quod tum ex ijs, quæ diximus, tum ex Strabonis libro tertio liquet, cum latrocinia domeſtica, feritatem maximam, prœliaque Hiſpanis inter ſe, & cum exteris plerumque continentia in medijs terris fuiſſe ſcribit, per quæ contingebat, vt incolæ priores à poſterioribus eijcerentur è ſedibus ſuis, aut bonis omnibus priuarentur.

Igitur poſt imperium Conſtantini bis Hiſpaniæ fuerunt ab exteris oppreſſæ, priuatæque fructibus optatæ pacis, cum bis à fide Romani Pontificis ſe abiunxerunt: ſed quod vltimo loco euenit, luctuoſiſsimum fuit, maxime diuturnum, ac ſimile ijs, quæ accidere ſolebant ante Auguſtum. Videamus autem, quid quantumue boni contulerit Hiſpaniæ Pontifex Romanus, Itali ſacerdotes, aut alijs ſedis Romanæ ſtudioſi.

Satis autem conſtat, Hiſpaniam conceſsiſſe ad cultum Chriſti illorum labore in primis, quos Romani Pontifices Roma miſere; vt ſigno 6. de fidei propagatione libro 4. explicauimus. Tria porro illi tempora præ cunctis felicia fuere, qualia numquam contigere ab orbis fabricatione. Primum, à Conſtantino imperāte vſque ad irruptiones Sueuorum; ſecundum, à Recharedo ad Vitzam; tertium, ab expulſis omnino Saracenis, quod adhuc perſiſtit. Semper autem tribus iſtis temporibus fuere in Hiſpania, qui ſtudioſiſsimi forent auctoritatis pontificiæ, ijdemque auctores præcipui felicitatis, qua poſita eſt Hiſpania. Nam primo floruit Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui Romani Pontificis nomine præſedit vniuerſali Concilio Nicæno, & Sardicenſi, quo decreuit vna cum cæteris Epiſcopis, maxima in honorem ſedis Apoſtolicæ, quæ habentur cap. 7. & 10. Tempore autem ſecundo floruit Leander Pontifici Romano addictiſsimus, vt apparet è Gregorij Magni epiſt. 41. libro

bro 4.ep.125.libro 7.& dialogorum libro 3.cap.31.Moraliumque præfatione; is autem fuit Leander, cuius opera Recharedus,& Viſigothi ad fidem Catholicam redierunt, & quem Romanæ Eccleſiæ Legatum fuiſſe, eo tempore ſcribit Lucas Tudenſis,vt notat Vaſæus anno 589.Tertio præter alios ipſe Rex Ferdinandus, qui tribunal inquiſitionis inſtituit, cui ſe, regiamque poteſtatem ſubiecit, quod nos ſigno de admiranda progreſsione ſacræ poteſtatis oſtendimus libro 17. Atque ita, veluti cum maximis eſt Hiſpania calamitatibus afflictata,tum receſſerant eius Reges, aut plerique è populo ab obedientia Pontificis Romani;ſic cum maxime eſt euecta ad fęlicitatem, maxime obedientiam Romani Pontificis eſt amplexata.

Eſt autem iucundiſsimæ contemplationis intueri Hiſpanias Primo tempore ad ampliſsimam felicitatem prouectam tribus ſanctionibus in honorem Dei,ac Pontificæ ſedis, quaſi tribus gradibus factis per Oſium Cordubenſem ſedis Apoſtolicæ Legatum,in Concilio Nicæno,ac Sardicenſi.contra auté corruiſſe in acerbiſsimas ærumnas euerſis à Vitiza, Gothicaque natione, tribus illis ſanctionibus, quaſi tribus gradibus deiectis.

Prima eſt in Concilio Nicæno can. 3. qua vetantur clericis cuiuſuis mulieris cõtubernia,niſi ſit mater, auia, ſoror,matertera,amita,atque ita, quod explicant docti, coniugia prohibita clericis apparent; vt alibi oſtendimus.

Secunda eſt, vt appellare cuiuis liceret ad Pontificem Romanum, quod quamuis in more poſitum foret,ac diuini iuris habeatur,Concilij tamen auctoritas clarior acceſsit.

Tertia denique erat in vtroque Concilio ſtabilita,qua filius Patri conſubſtantialis aſſerebatur. Hæ tres leges euerſæ ſunt, cum Saraceni Hiſpanias occuparunt. Vt enim Marinæus notat lib.7. Alfonſus Primus, cognomento Catholicus, Caſtellæ Rex,qui regnum iniuit anno 737.curauit,celebrato Concilio, vt omnes Gothi,qui hæreſi Ariana infecti erant,quaſi in illam relapſi, amplecterentur veram doctrinam. ſic igitur euerſa erat ſanctio Concilij Nicæni,pertinens ad filij conſubſtantialitatem.

Vitiza vero,cuius mores imitatus eſt Rodericus,duas alias ſanctiones euertit, ac vetuit appellari ad Pontificem Romanum, clericisque, & ſacerdotibus poteſtatem fecit, vel plures vxores ducendi, atque ita tres præcipuæ ſanctiones

per

per Oſium Romani Pontificis in Concilio Nicæno Legati ſtā-bilitæ, per Vitizam, Rudericum, gentileſque ipſorum proſtra-tæ ſunt, ac ſimul etiam omnia bona Hiſpanorum Saracenis Hi-ſpanias occupantibus.

Nacta vero eſt Hiſpania primo tempore, non modo fructuo-ſiſsimam pacem, ſed & per clericos Romanos, vt haberet è ſua natione Pontificem ſummum Damaſum Papam; quo viuente eſt habitum Concilium ſecundum vniuerſale Conſtantinopo-lis. ac Romæ, inquit Ammianus Marcellinus lib. xiij. erat Pom-peiani ſecuritas temporis, & qui virtutum, laudumque omni genere excelluit. Amplius, vt orbi daret optimū, fortiſsimū-que Imperatorem Theodoſium Magnum, cuius poſteritas per multos annos eſt imperium Romanum moderata, ſucceden-tibus illi filiis Honorio, & Arcadio, ac mox iſtorum progenie Theodoſio iuniore, cui ſubſtituta eſt Pulcheria ſoror, & Eudo-xia Imperatrix Valentiniani vxor, cuius liberi è Vandalicis Regibus ſuſcepti, Africam diu tenuerunt, vt Procopius eorum temporum ſcriptor libris de bello Vandalico narrat. Atque ita Hiſpani Theodoſij conſanguinitas diutius imperauit in or-be Romano, quam Imperatoris vllius, qui fuerit ante ipſum; Hiſpaniæque contigit, vt eodem tempore nanciſceretur ele-ctum à clerico Romano Damaſum Pontificem ſummū, ſimul-que Imperatorem ſummū Theodoſium, quem Gratianus Ro-mæ, & Occidentis Imperator Orienti dedit, vt nobiliſsima re-gio gloriari poſsit tantæ proſperitatis euentu, quanto nulla in orbe terrarum toto omnium ſæculorum decurſu. Id vero per clericos, & Pontifices Romanos, ob eſſentialem quatuor il-lorum bonorum ſubordinationem miniſterio ſacerdotum, à Chriſto omnium Rege ſtabilitum.

Videamus autem, quid Itali clerici, ac Romanus Pontifex Hiſpanię contulerit in aſſequenda, qua nunc fruitur, fęlicitate. vt vero antiquiora mittamus, maxime Hiſpanos iuuerunt illæ expeditiones indictæ aduerſus Saracenos ab Vrbano II. cum cruce primus ſignare cępit eos, qui in ea bella nomen darent. ex quo factū, vt Henricus Comes Biſuntinus nepos ex fratre Gu-lielmo Lotharingię Duce Godifredi Regis Hieroſolymitani Pō-tificū Romanorū cunctos aduerſus Mahometē mouētiū cōſilia, & hortationes ſecutus, cū militibus ſuis ad Hiſpanias appel-lens, iunctus ſit affinitate Regibus Caſtellæ, & varie Saracenos in Hiſpanijs fatigans, ac frangens nobiliſsimū regnū Portugal-

liæ

liæ conſtituerit, viresque Saracenorum diſtraxerit, quominus poſſet aduerſus alios Hiſpaniæ Reges, ac populos. Idem conſilium ſecuti Genuenſes, ac Piſani, ſed maxime illi Claſsibus comparatis multas in Hiſpania ciuitates Saracenis abſtulere, multis eos victoriis relatis contudere, ne tanta in Hiſpanos molirentur, ac poſſent. Anno enim 1117. Piſani Maioricam ceperunt, quod Villanæus teſtatur lib. 5. cap. 30. quam cum deinde Saraceni iterum tenerent, Genuenſes diripuere Anno 1146: & ſeq. profligatis in littore Granatenſi ad Almeriam Saracenis, ingentem predam fecerunt: poſteroque in ora Barchinonenſi Tortoſam aggreſsi, eam Saraceni eripuerunt; quod poſt Othonem Friſingenſem, notauit Sigonius libris de regno Italiæ. ſed maximè Hiſpanorum vires auxit illud, quod his verbis de equitibus S. Iacobi, illorumque ordine recitat Antonius Nebriſſenſis: *Extat in monumentis Alexandri Quarti Pontificis Maximi, Anno Pontificatus ſui xvij, ſalutis vero Chriſtianæ ſexto, & ſeptuageſimo, ſupra milleſimum centeſimum, in fauorem ordinis Priuilegium, in quo refertur, fuiſſe in Hiſpania temporibus illis viros quoſdam nobiles ordinis equeſtris, qui ſeipſos, omniaque bona ſua Chriſti militiæ deuouerunt profeſſi, quoad viuerent, ſe geſturos bellum contra Chriſtiani nominis hoſtes Saracenos, qui totam prope Bæticam, magnamque Tarraconenſis Prouinciæ partem occupauerant, tenuerantque per annos 400. fuerunt autem ea tempeſtate Equitum illorum facultates, perquam tenues, quippe qui non multo plura, quam viginti Caſtella, & ea quidem munitiſsima, poſsiderent, quæ ſub obſcuris nominibus in ipſo Priuilegio nominantur. Per idem tempus Magiſter ipſe, cui Petro Ferdinandi nomen erat, cum pleriſque ſui ordinis Equitibus Romam profectus, ſuo, atque ſuorum omnium Fratrum nomine rem omnem cum perſonis Apoſtolicæ ſedis, ſubiecit, ſupplicauitque, vt ab eadem in proprios, ac peculiares filios admitterentur, traderetque illis viuendi normam, id quod eſt à Pontifice factum. nam, & illos in filiorum ſuſcepit locum, & bona omnia ſub Apoſtolicæ ſedis patrimonio repoſuit normamque viuendi tradidit, quam deinceps in ordinem cum monitorio pænali Magiſter Albertus S. R. E. Cardinalis vir plane optimus, atque eiuſdem militiæ admodum ſtudioſus redegit, quæ noſtra quoque ætate recenſuit, confirmauitque Iulius Secundus Pont. Max. anno Chriſtianæ ſalutis, ſeptimo ſupra milleſimum quingenteſimum.* Ex paruo itaque illo principio, per

quoſdam incrementi gradus eo potentiæ hic Equeſter ordo peruenit, vt noſtro ſæculo mille cataphractos equites bello armare poſsit, quas copias beneficio Principum acquiſiuit, ob inſignis res geſtas in bello, quod ſine intermiſsione contra Mauros Bæticæ iniuſtos poſſeſſores ad hæc tempora geſsimus. Nam & pugna illa memorabili, qua Miramolinum ſuperauimus, ſub Petro Ario eiuſdem ordinis Magiſtro ſingularem operam nauauit: quæ victoria parta, eſt Anno ſalutis duodecimo ſupra milleſimum ducenteſimum, Hiſpanorum Rege Alphonſo nono. Atque deinceps Ferdinando Rege in oppugnatione vbere, & Corduba per quam ſtrenue hic ordo militauit, ſed præcipue in obſidione Hiſpalenſi, vbi Pelagius Corrigia cognomento Enſiferorum Equitum Magiſter firmiſsimumque tenuit præſiduum: fuere deinde huius ordinis Magiſtri viri ſplendidiſsimi, quorum inſigni opera in bellis Reges vſi ſunt, quæ contra nominis Chriſtiani hoſtes Mahometis cultores geſta ſunt. Hæc ille libro 2. decadis primæ cap. 9. Hiſpanarum rerũ de militia S. Iacobi inſtituta exemplo aliarum, quas Romani Pontifices excitarunt aduerſus Chriſtianæ religionis hoſtes, vt oſtendimus ſigno de cura Pontificis Romani in tuendis Catholicis, ſicut hanc etiam maximo Hiſpanicarum ditionum bono. Poſt hæc aliud incrementum Romani Pontifices adiecerunt illis, & quidem maximum. Anno enim 1296. Bonifacius Octauus conſtituit Iacobum Admirantem, vt vocant, Vexilliferumque S. R. E. toto mari, Regemque Sardiniæ creauit, Sardos adhortans decretis, ac litteris promulgatis, vt à Piſanis Eccleſiæ Romanæ aduerſantibus ſe abiungentes, Iacobi ſeſe poteſtati ſubiicerent. Cuius decreti auctoritate perfectum eſt, vt aucta potentia Iacobus Sardiniæ Regnum ſibi, ac Regibus Aragoniæ parauerit, quod memoriæ prodidit æqualis eorum temporum Villanæus libr. 8. cap. 18.

Ruſus aliud Romani Pontifices Hiſpanicis regnis robur addidere. Ioannes enim vigeſimus ſecundus inſtituit in Portugallia ordinem militiæ CHRISTI, cuius præfecto ſedes eſt in Marino Siluenſis diœceſis oppido: ac mox bona Templariorum, qui deleti ſunt malis artibus Philippi regis Francorum ac nimia Clementis V. indulgentia, fuerunt Equitibus eius ordinis à Pontifice Romano attributa, quod teſtatur Franciſcus Tharapha lib. de Regibus Hiſpaniæ, cap. 11. Horum porro fortitudo ſingularis extitit non modo in Hiſpanienſibus

bus locis; ſed in Africæ plurimis, ac munitiſsimis oppidis expugnandis, imperioque Luſitanico adijciendis, quod hiſtorias illius legentibus apparet. Henricus, Ioannis Primi Portugalliæ Regis filius fuit iſtorum equitum magnus Magiſter, niſi me fallit, continenterq. operam dedit in explorandis, & acquirendis Africæ maritimis terris ad Auſtrum protenſis: cumque magnos faceret progreſſus, impetrauit à Martino Quinto, vt quæcumque Luſitani loca detegerent, eorum forent, neq; poſſet vllus Chriſtianus ſibi illorum conquirendorum facultatem modo vllo vſurpare, quod Ioannes Petrus Maffeius initio hiſtoriarum teſtatur. Aloyſius deinde Muſtus Venetus patritius Luſitanicarum nauium dux ob ſummã peritiam factus, vſque ad æquinoctialẽ circulum maritimas Africæ plagas detexit. Atque ita tum Pontifex Romanus, res Hiſpanicas maxime amplificauit. Teſtis eſt Petrarcha libro 2. de vita ſolitaria, Fortunatas inſulas ab armata Genuẽſium claſſe detectas, acquiſitas; quę Caſtellanorum deinde imperio ſunt adiectæ: ſed illud maxime auxit Hiſpanica imperia, quod à Pontificibus Romanis eſt prouectum, confirmatumque, & ab Italis ſacerdotibus ſtudio religionis eſt inuentum. Anno enim 1492. Chriſtophorus Columbus natione Genuẽſis, accepta trium nauium claſſe ab Iſabella Caſtellæ Regina, nouas in Occidente Indias detexit: votis tamen multis nuncupatis, propter quæ clariſſime apparuit religioni in primis Indiarum acquiſitionem deberi, vt apparet è relationibus ipſius: & poſt annos quinque Americus Veſpuccius Florentinus, ſimilibus Deo votis conceptis, continentem terram latiſsimis ſpatiis protenſam. Cumque poſt hæc Luſitani Emanuele Rege in Oriente nouos & ipſi, ampliſsimosq. terrarum tractus aperuiſſent, Alexander VI. Papa partitus eſt tamquam Vicarius Chriſti, cui data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra, inter Caſtellanos, & Luſitanos, quæcumque illi ignota loca inueniſſent in Occidente, & Oriẽte; ita vt Caſtellanorum foret quidquid occidentem verſus incognitum foret vſq; ad dimidium totius telluris; viciſsim Luſitanorum quodcumque Orientem verſus incompertũ prius occurreret, neq; vllus poſſet interturbare acquirendas ab ipſis terras, ſibiq. vllo modo parare. Cumque ob Moluchas inſulas opulentiſsimas à Luſitanis ſubactas quæſtio foret. ad ſummum Pontificem delata eſt controuerſia, lataque in Auditorio Rotę Romanæ pro altera parte eſt ſententia, à qua rurſus ad eundẽ

Pontificem fuiſſet appellatum tranſactione quæſtio finem ſortita eſt, vt eſt in hiſtoria generali Indiæ lib. 2. cap. 8. Meminit eius rei Petrus Martyr in operis ſui medio: ſed enim niſi etiã religioſi viri incolas earum regionum traduxiſſent ad virtutes, ab efferatiſsimis moribus fruſtra tot conceptis votis Indiæ detectæ fuiſſent, fruſtra nauigantibus ad illas apertiſsime Deus adſtitiſſet.

Sic itaque religioſi ſunt in cauſa ob eam, quam diximus ſubordinationem quatuor illorum bonorum, gratiamq. diuinam à Chriſto in homines per ſacramenta deriuatam, vt ſtent omnia bona externa, & humana, ac merito ſint, quod S. Dionyſius aiebat cap. 12. de diuinis nominibus, clerici, Reges, Dominique, & quando, vt ſupra è S. Ignatio referebamus epiſtola ad Smyrnenſes, ſacerdotium eſt ſumma omnium bonorum; propterea vult idem Sanctus, ipſos non modò ſacerdotes eſſe, ac propter ſacerdotium Chriſti locum tenere, ſed etiam principes eſſe, ac propter principatum locum Dei, domini vniuerſorum ſibi ſummo Dei dono vendicare. Recte enim S. Thomas in compendio Theologiæ cap. 242. *Non eſt dubitandum etiam hoc iudicium, quo in mundo reguntur homines, ad Chriſti iudiciariam poteſtatem pertinere, vnde etiam ad ipſum introducuntur in pſal. centeſimo nono verba Patris dicentis, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: aſsidet à dextris Dei ſecundum humanam naturam, in quantum ab eo recipit iudiciariam poteſtatem, quam quidem etiam nunc exercet* (aduerte hæc) *antequam manifeſte appareat, & omnes inimici pedibus eius ſubiecti ſunt. Vnde & ipſe ſtatim poſt reſurrectionem dixit Matthæi cap. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: eſt autem, & aliud Dei iudicium, quo vnicuique in exitu mortis ſuæ retribuitur, quantum ad animam, ſecundum quod meruit.* Hucuſque Sanctus, volens omnia temporalia diſtribui viuentibus à Chriſto pro merito, cuiuſque ex illa quatuor bonorum deriuatione, ſicuti debent etiam diſtribui à quolibet rege, ne ſit tyrannus, ac diabolicus, nõ legitima, ſed diaboli poteſtate vtens; illud eſt tamen verum, Chriſtum manſuetiſsime agere, ac nullum relinquere irremuneratum bonum, quod nõ modo à Chriſtianis, ſed etiam infidelibus fiat, quod illis aliqua ſit diuinorum cognitio, & perſuaſio, cultusq. diuinitatis, à quo in animum corpus, & externa deriuatur cõmunicatio ſupernæ bonitatis, cui communicationi Chriſtus in omnibus præeſt,

eiuſque miniſterium, quoad homines dirigendos in terris Vicario ſuo Pontifici Romano, ac clericis per hunc ex ordine cōmiſit; ſic itaque temporalium cunctorum Rex eſt Chriſtus.

Sic Pontifex ſummus, Chriſtique ſacerdotium pertinet ad omnem terram, ac totius terræ regna ſunt illi ſubiecta, quod à petra Danielis in Petro deſignatum ſcribit S. Auguſtinus contra Iudæos, & Arianos, & tractatu nono in cap. 2. Ioannis, & S. Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ Heſychius pſal. 2. Giutmūdus Auerſanus lib. 3. de ſacramentis. ſed adhuc tamen propriora inſpiciamus è quibus apertiſsimum fiet adhuc clericos eſſe reuera in temporalibus parentes, ac Reges.

En igitur, vt à Dei donis ſupernaturalibus traditis per Chriſtianorum ſacerdotum doctrinam, ſacramentorumque ſupernaturalium adminiſtrationem, quibus regeneramur, viuimus, aut etiam mortui reuiuiſcimus, ſint ac ſtent animi bona, nimirum charitas, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Ab his ſint, ac ſtent corporis bona; à corporis bonis ſint, ac ſtent externa ob eſſentialem ſubordinationem inferiorum ad ſuperiora; inter hæc quatuor Deum, animam, corpus, externa, vt duobus primis capitibus libri huius eſt explicatū, tetigimuſque libi primi, & ſecundi initio. Ita vt ſit hoc verum ius ſtatus, quo ſtant omnia bona, per quem ſtatum Pontifices ſummi, Epiſcopi, Sacerdotes, Clericique ex ordine ſunt participata diuinitate Dei, ſapientiæ magiſtri, parentes, ac Reges, vt S. Dionyſius vna cum S. Petro, quod infra aperiemus, aiebat, & in his, quod iuriſconſultus dixit, ius ſtatus conſiſtat.

Cum ſpectet ad parentes, Regesque optimos, ac vere Reges alere filios, qui ſe alere haud queunt, eandem poteſtatem, dignitatem, bonaque ijs relinquere, tueri bona animi, corporis, atque externa, idque præſliterint, ac præ cunctis præſtent Pontifices ſummi, Epiſcopi, Sacerdotes, & Clerici; hinc fit hos reuera eſſe parentes, ac Reges. Cap. IV.

CLericos, Sacerdotes, Epiſcopos, Pontificesque ſummos eſſe quoad temporalia, parentes reuera ac Reges eſt adhuc aliis argumentis probandum.

Primo igitur ſpectat ad parentes alere filios ſuos, niſi habeāt ipſi vnde ſe alant e proprijs bonis. Idemque ſpectat ad Regem, ſi quidem velit officio veri Regis fungi. hoc vero totum referri debet ad virtutes, ac Deum, quod Philoſophus vltimo Ethico, & Politico, ac ſeptimi Politici primis capitibus docet. Atqui eccleſiaſtici præſules, & ij quibus eſt animarum cura commiſſa, aut beneficia poſsident, tenentur quantum poſſunt, pauperum, miſerabiliumque perſonarum curam gerere, ſi quid ſupereſt ijs dare. Qua in re, modo nimij ne ſint, ſuorum domeſticorum iure habere rationem poſſunt, ac debent, cum dicat Apoſtolus 1. Timothei cap. 5. *Qui ſuorum maxime autem domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Tenentur itaque eccleſiaſtici efficere, ne quid ad pauperes alendos deſit, quod ex omni memoria temporū conſtat. Ita vt hæc ipſis præcipua ſemper cura fuerit, quod cunctos nimirum ſæculares loco filiorum ducerent. Hinc Sanctus Iacobus cap. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt, viſitare viduas, & pupillos in tribulatione eorum.* Et Concilio Tridentino ita cauetur ſeſsione 23. cap. 1. *Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo facere, pauperum, aliarumque miſerabi-*

lium perſonarum curam paternam gerere. Hæc Concilium. Fuit hic mos ab initio naſcentis Eccleſiæ, quod ex Actis Apoſtolicis apparet. Quamobrem Paulo eunti ad gentium prædicationem, fuit inter alia mandatum à Petro, vt eleemoſinas colligeret, quibus ali pauperes poſſent, quod ipſe tradit ad Galathas cap. 2. Romanos cap. 15. & 2. Corint. 9. Hinc Sanctus Gregorius paſtoralis parte ſecunda cap. 7. *Sunt nonnulli, qui gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed ſic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur. qui cum curare temporalia funditus negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minime ſuccurrunt, quorum nimirum prædicatio plerumque deſpicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria vitæ non tribuunt nequaquam libenter audiuntur.* Multa in hoc argumentum referuntur à Gratiano diſtinctione 85. Iuone parte 6. cap. 157. S. Ambroſio lib. 2. de officiis, cap. 21. & ſeq. Hinc ad Damaſum S. Hieronymus. *Quidquid habēt clerici pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum, & hoſpitum inuigilare debent: maxime curandum eſt illis, & de decimis, & oblationibus cœnobijs, & xenodochijs, qualem voluerint, & potuerint ſuſtentationem impendant.* Eadem S. Auguſtinus ep. 50. ad Bonifacium, S. Ambroſius ep. 33. ad Marcellinum.

Affert ad hoc probandum pulcherrimam rationem Caſſiodorus vrbis præfectus ad Ioannem Papam ſcribens, cum refugeret hic ſæcularia tractare. *Nolite,* ait, *in me tantam reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis. vos Patris nomine vniuerſa diligitis: ſecuritas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia. qua propter vos decet cuſtodire aliqua, vos omnia. paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem; tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis ſubſtantiam videntur continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ita boni patris eſt vtraque re fouere.* Hæc ille, oſtendens ad ſacerdotem pertinere curam corporis, & animæ.

Probatur hoc, & alia ratione. Nam Chriſtus ob hoc etiam præcipuè venit, vt egentium ſubleuaret inopiam, pauperesque ſolaretur omnibus modis, vt habetur pſalmo 9. 11. 21. 34. 68. 73. 112. 131. Iſaiæ cap. 11. 14. 25. 49. quin Chriſtus ait Lucæ 4. & 7. hæc miſſum euangelizare pauperibus, atque hoc eſſe ſignū ſe eſſe Chriſtum. Cum ſacerdotes itaque ſint Chriſti, tenentur

pau-

pauperes omnibus modis adiuuare. Cumque clerici Chriſto in terris reuera per ſacramentum exiſtenti ſeruiant, huic etiam legationi ſeruire debent, quæ pertinet ad corpus, ac bona externa.

Quamobrem Romanis Pontificibus hic mos ſemper fuit, vt miſerabilium, pauperumque indicẽ haberent, quod nunc per ipſos parochos fieri curant, quin eleemoſynas erogarent ad pauperes alibi degentes alendos, vt Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum, Euſebiusque eius epiſtolam referens teſtatur lib. 4, cap. 22. hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Hinc Romæ cunctis nationibus Armenis, Indis, Aethiopibusque extremis videmus ædificata hoſpitalia. Quin Leo Quartus vrbem condidit in Vaticano Corſis ex Inſula per Saracenos eiectis. Gregorius XIII. noſtra ætate Romæ ſeptuaginta aureorum millia quotannis diſtribui curabat pauperibus alendis; præter ea, quæ expulſis per Turcas, & hæreticos elargiebatur hinc tot inter Chriſtianos hoſpitalia, quæ, vti ſupra diximus, à Zotico ſacerdote Romano primo inuenta, atque ædificata ſunt.

Recte igitur Franciſcus de Silueſtris Ferrarienſis in caput 67. lib. 4. conſiderandum eſt, inquit, ex doctrina Sancti Thomæ ſecundo ſententiarum diſtinctione vltima in expoſitione literæ, *quod ſummus Pontifex habet in Eccleſia apicem, & excellentiam vtriuſque poteſtatis, non ſolum ſpiritualis, ſed etiam ſæcularis. Ideo illi præ omnibus obediendum eſt, & in ijs, quæ ad ſalutem animæ pertinent, & in ijs, quæ pertinent ad bonum ciuile. Similiter, vt dicit idem Sanctus Thomas libro de regimine principum 9. cap. 10. & 19. poteſt ratione ſupremæ huius poteſtatis vnumquemque ratione delicti punire, & taleas, atque collectas pro republica Chriſtiana conſeruatione imponere, ſicut & Rex in ſuo regno poteſt.* Hucuſq. Franciſcus è Sancto Thoma. Recte. nam Chriſtus eſt caput hominũm quoad corpus, & quoad animam, ſuumque corpus corpori noſtro adiungit, idque ipſi ſacerdotes conficiunt, & Chriſtianis tradunt.

Secundo loco pertinet ad parentem relinquere omnia bona ſua filiis. eodem quo ipſe habuit modo, quantum fieri poteſt; ita vt ipſi ſint, eodem quo fuit ipſe, in omnibus loco. Quamobrem Pontifex ſummus, Epiſcopi, Sacerdotes, Clericique, & dignitatem, & poteſtatem, & bona omnia cunctis Chriſtianis patere voluerunt. Nam quilibet, dummodo ob crimen longe non arceatur, poteſt eſſe Pontifex, Epiſcopus, Sacerdos, Clericus,

cus, & bona Eccleſiaſtica poſsidere. Non ita Principes ſæculares; nam Regiam principalemque poteſtatem ſuis liberis relinquere volunt, ac relinquunt. Neque eorum poteſtas, vel dignitas vna cum reditibus cuilibet virtutibus licet prædito, communicatur. Non enim paternus eſt illi ita amor in cunctos Chriſtianos non in virtutem, ſicut Eccleſiaſticis, qui licet aliquando à charitatis paternæ, quæ exigitur ab eis, perfectione aberrent, non ita tamen, vt ſæculares aberrant. Ex hoc etiã capite fit, Eccleſiaſticos magis eſſe Reges in populo Chriſtiano, quam ſæculares. Hoc enim diſcrimen eſt inter Tyrannum, & Regem, quod Rex commune ſubiectorum bonum quærit, & procurat, Tyrannus vero ſuum & ſuorum. Rurſus nihil ſibi arrogat Rex, niſi pro modo virtutis, qua præcellit & quatenus eſt illa, eatenus poteſtatem ſibi adſumit. Apparet itaque, Eccleſiaſticos bonum commune præ oculis habere, & idcirco totam ſuam poteſtatem, totam ſuam dignitatem, totã & omnia ſua bona in communi ponunt, cunctis volunt patere. Non ita Reges, & Principes ſæculares hæreditaria regna, quantum valent, filiis cognatisve ſuis propria, & hæreditaria volunt, efficiunt, relinquunt.

Atque hic multipliciter apparet, Pontifici ſummo præ cunctis aliis commune ſubiectorum bonum cordi ſemper fuiſſe.

Primo enim videbis admitti, & procurari Epiſcopatuum, beneficiorumque reſignationes efflagitantibus, & importuna prece impetrantibus id ijs, qui Epiſcopi ſunt, vel beneficia dignitatesque obtinent. Numquam tamen Pontificatus ſummi reſignatio fuit in alicuius fauorem, commodumve admiſſa. quod nimirum Pontificia ſedes commune bonum magis reſpiciat, quam ſedes vlla, & in communi ſemper pateat eligendis.

Secundo videbis multis in locis ad multa Eccleſiaſtica non admitti, niſi ex eadem gente, quod licet vſque ad aliquem terminum laudabile poſsit eſſe; tamen non admittere vllum externum vnquam, quamuis polleat virtutibus, indicat commune bonum non eſſe, vti debet, præ oculis, vti eſt in Pontificia ſede, ad quam quilibet è quavis gente admitti poteſt, modo aditum virtutibus aperire diuinitus concedatur.

Tertio, multis locis, non niſi nobiles euehuntur ad aliquas vel dignitates, vel beneficiorum titulos. Ad Pontificatum

ſummum cuilibet aditus. Atque ita cuncti filiorum loco habentur.

Quarto, quæ diximus de Pontificatu ſummo, eadem de Cardinalatu aſſeruntur. Atque ita, tam Pontifex ſummus, quam Cardinales magis, quam quilibet ſæculares reges, & Parentes, magis quam quilibet Eccleſiaſtici, Parentum, Regumque vera munera, propriaque explent, vt ſint re vera præ cunctis maxime Reges, ac maxime Parentes, ſi rationem ſequi, ideſt, ſi homines eſſe re vera velimus.

Aduertendum vero quemlibet in pari amoris diuini, ſiue virtutis cauſa magis debere ſuis, quam exteris, vt habetur, 1. Timoth. 5. ſed quando fieri nullo modo poteſt, vt toto orbe Chriſtiano ſit nullus, qui maiori ſit virtute, quam quicumque in vna regione, ac natione ſunt, idcirco inuiolabili lege ſancire, vt nemo exterus aſſumatur ad aliquam dignitatem, vel id inuiolabiliter obſeruare, quod eſt idem cum lege, eſt contra illud Apoſtoli, ac Dei ad Coloſſenſes, cap. 3. *Apud Deum neque barbarus. neque Scytha, neque ſeruus, neque liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Quamobrem Pontificia ſedes, collegiumque ſacroſanctum Cardinalium maxime Chriſtianum, quod voluit haberi omnium rationem, modo Chriſtus in illis eſſet, qui venit glorificaturus omnes homines in omnibus ſuis, præcipue tamen aliquos. Hinc ſponſa Chriſti Eccleſia catholica nuncupatur, quod orbem totum complectatur exéplo amatiſsimi, Amantiſsimique ſponſi ſui Chriſti amplexu amoris, & communicationis ſuæ. Cumque Chriſtus ſit dominator vniuerſæ terræ, Rex & hæres vniuerſorum merito Pontificia ſedes, & Cardinales omnium maxime participant præ Regibus cunctis, vniuerſæ terræ, vniuerſorumque dominium, & Regnum, quatenus ab hominibus aliquid dirigi poteſt: excepit autem Chriſtus ordinario iure, ac ſibi ſolam reſeruauit excellentiæ poteſtatem.

Rurſus aduertendum nobis eſt, Parentis eſſe, vt diximus, communicare omnia ſua filiis ſuis, eodem, quo ipſe habet, modo, quantum fieri poteſt; atq; hoc eſſe ab ipſo Deo, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 3. Pater enim communicat omnia filio ſuo, quæ communicari poſſunt. Idemque communicauit omnia animæ Chriſti, excepta annihilatione, & creatione, quæ ſimpliciter cõmunicari non poſſunt, vt alia, quod omnes Theologi

logi concludunt. S.Thomas 3.q.13.art.2.Scotus in 4.diſtin.48. Idcirco etiam Chriſtus ſponſæ ſuæ communicauit in terris,omnia,quę corporaliter ſunt,& quæ communicari ad homines dirigendos poſſunt, cum ſit eadem caro, idem corpus; nihilque corporale externum poteſt eſſe, quod quatenus refertur, ac referri poteſt ad corpus humanum ſuis modis, non fuerit Eccleſiæ, capitique ipſius conſpicuo in terris communicatum. Quamobrem bene dixit Apoſtolus ad Romanos cap. 3. *Quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Vt enim diximus,ac ſæpius repetemus, eſt eſſentialis ſubordinatio inferiorum ad ſuperiora,inter hęc quatuor externa corporalia,quatenus referri poſſunt ad corpus humanum; corpus humanum,animam Deum. Eodem modo igitur Pontificia ſedes, eiuſq. conſeſſus, quatenus huiuſmodi referens hierarchiam cæleſtem, communicat omnia ſua, quãtum fieri poteſt paterno amore filijs ſuis. ac propterea maxime diuina, ſimulque omnibus dominans, omnia regens exemplo Dei. Ac ſimul etiam maxime locũ Dei tenet in terris Pontifex Romanus, maxime in terris participata diuinitate dij cum Pontifice Cardinales. En igitur,vt hoc modo Chriſtus effecerit, atque obtinuerit illud, quod ait Ioannis cap. 17. *Rogo Pater, vt hi vnum ſint, ſicut ego, & tu vnum ſumus.* En igitur,vt hi ſint parentes, Reges,ſacerdotes, dijque,exemplo Adami,& Noe. En vt nihil ijs æquale retribui poſsit; en vt omnia debeantur ipſis tanto iuſtitiæ iure, vt ſuperet cuncta: quod à principio nobis propoſueramus probandum.

Tertio pertinet ad parentes corporales,nõ modo filios ſuos corporaliter alere,ſimulque eis communicare cuncta externa corporalia,referibilia ad corpus,quæ habeant ipſi parentes,vt eodem modo habeant ipſi filij quantum datur;non enim filius, qua filius eſt,poteſt eſſe pater,qua pater. Ideoque æternus Pater haud poteſt cõmunicare filio,vt ſit Pater Patris. hæc enim repugnant inter ſe. Ac Pontifex ſummus nemini poteſt ſeſe ſubijcere, quamdiu Pontifex eſt, vt omnes Theologi concludunt. ſed pertinet ad parentes quoque corpora filiorum, corporaliaque illorum,vel ad corpora illorum pertinentia per Deum bona defendere,ac tueri,quantum fieri humano modo, ac ſapientia poteſt. Nam belluæ quoque ſuos fœtus defendũt. Ideo Chriſtus dixit. *Sinite hos abire*. Ioannis cap. 18. & hoſtes ad terram proſtrauit. Ac Sanctus Petrus Saphyram,&

Ananiam ſola denunciatione morti dedit. Act.cap.5. Quamobrem Pontifex Romanus duo maxime prouidit, vt catholicis maxima pax eſſet, quod eſſe perfectum conſtat è ſigno de ſumma pace nonageſimo tomi ſecundi. Idemque inquietos, omnino contumaces, internam, & externam pacem conturbantes, neque reſipiſcentes, diu, multumque commonitos, omni poteſtate externa exuendos procurauit, ne quid filijs noceret; ſic enim pater filium conijcit aliquando in vincula, carcere includit. Quin idem Pontifex aduerſus vel excommunicatos, vel omnino alienos hoſtes arma expediuit. Amplius arma ſemper haberi voluit prompta, & expedita: ſic etiã Chriſtus eiecit è templo vendentes, & ementes; idemque gladios parari iuſsit. Perfectum fuiſſe hoc ſtudioſiſsime ſimul, ac peramantiſsime ſupra omnes, quicumque vmquam fuerint homines, conſtat è ſigno de confirmata vndique fide duodecimo tomi primi, & ſigno de cura Papæ in catholicis tuendis octuageſimo primo tomi ſecundi. Quamobrem duo, quoad propoſitum, Pontifici ſummo conueniunt. Primum nullus vmquam fuit, qui magis inter ſe colligare omnes Chriſtianos Principes indiſſolubili pace interna, & externa ſit conatus. Secundum nullus vmquam fuit, qui magis aduerſus communes hoſtes, Chriſtique, & Chriſtianarum rerum coniungere ſit enixus. Hinc illud tertium proferemus, ex quo apparebit, omnium maxime parentem hac parte Pontificem ſummum. Nam veluti, quia pater eſt, numquam legitur vllus Pontificum Romanorum, vel fideli, vel infideli membrum truncaſſe; ſic idem poſt multas expeditiones ſacras inſtituit religiones militares, eorum, qui nihil aliud agerent, niſi vt armis tutarentur Chriſti fidem, Chriſtianorum corpora, & bona; ſeque huic vni ſtudio propter Deum præcipue deuouerent. capta à noſtris Hieroſolyma ſub annum 1099. Ex illo Hieroſolymitani equites ab Amalphitanis inſtituti, vt ſcribit Gulielmus Tyrius libro primo, tutari haud abſtiterunt pugnando. à Paſchali autem Secundo approbata eſt ipſorum religio, regulaque, atque in ipſius Pontificiæ ſedis tutelam recepti tamquam religioſi, Deoque dedicati. Poſt hos inſtituti ſunt Templarij à Gallis, Theutonici à Germanis, Chriſti, Sancti Iacobi, aliorumque ordinum ab Hiſpanis. Quod autem ſit à nobis obſeruandum maxime, illud eſt: Templarij in Gallia confidentes, malis, vt volunt ſcriptores, & in his Villanæus, Philippi Pulchri artibus deleti ſunt. Theutonici

nici in Pruſſia propter hæreſes ordinem totum fere exſtinxerunt, ita vt nullæ ſint ijs vires. Soli reſtant Hiſpani; ſed hi non retinuerunt eadem vota, quæ prius. Nam ducunt vxores: antea quippe à nuptiis abſtinebant, ne amore coniugum, vel filiorum poſſent auocari à bellicis, aut effeminari. Præterea nullas expeditiones ſolent annuas facere aduerſus hoſtes fidei, religionisque Chriſtianæ.

Hieroſolymitani ſoli, qui ſemper in ipſius Pontificiæ ſedis proxima tutela fuere, & perſtiterunt in eadem regula ſemper, & annuas expeditiones aduerſus apertos Chriſti inimicos quotannis adornant. Neceſſe eſt igitur cuncti cædant in amore paterno hac parte Pontificibus ſummis, vt apparet. En igitur, vt maximè ſit omnium pater Pontifex ſummus, ac vere Papa ob tres, quas attulimus cauſas.

Quartum pertinet ad parentes, quò ad filios temporalibus bonis honeſtandos, efficere, vt bona temporalia rectè adminiſtrentur, non à ſocordibus, & inertibus; ſed prudentibus, & prouidis ad ſubiectorum bona temporalia tuenda, & amplificanda. Quocirca amouit è regno Galliarum Chilpericum Stupidum, non quod hæreticus foret, non quod flagitioſus, non quod omnino amens, vel furioſus; non quod periculum Galliæ regno, tum præſens foret ab vllis hoſtibus Chriſtianæ religionis, cui nō poſſet occurri, niſi amoto Chilperico, quod quidam falſa multa ſomniantes, vt imminuant ſacroſanctā poteſtatem, ſunt auſi abſq; vllo antiquitatis teſte ſcriptis mandare. Sed quoniam Chilpericus ſtupidus erat, vt deceret, eum magis agere vltimo loco monachum, quam Regem. Audi Ademarum, qui ſic inter ſcripta Aymoini lib. 4. cap. 61. *Richardus Vuiziburgenſis Epiſcopus, & Fuldradus Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt conſulerent Pontificem de cauſa Regum, qui in illo tempore fuerunt in Francia; qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habebant: per quos prædictus Pontifex mandauit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtas conſiſteret; dataque auctoritate ſua* (nota hæc verba) *iuſſit Pipinum Regem inſtitui. Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad huius dignitatem honoris vnctus ſacra Vnctione, manu ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & Martyris: & more Francorum eleuatus in ſolium regni Sueſſionis ciuitate. Hildericus vero,*

ro, qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt. Hæc Ademarus, qui vixit eo tempore, vt è fine libri quarti apparet, vocans Chilpericum falſo nomine regem, non quod Rex non eſſet, ſed quod facta Regis nomini non reſponderent. ac rex nomine, non poteſtate, ac factis eſſet, licet reuera ius vtendæ poteſtatis eſſet penes Chilpericum. Eadem Rhegino non longe ab his temporibus anno 749. *Burchardus,* inquit, *Vuiziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Floradus Capellanus miſsi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt interrogaret de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam poteſtatem* (facto) *Reges tamen vocabantur, ſi bene eſſent Reges. & præfatus Papa mandauit Pipino, melius ſibi videri illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, quam illum, qui ſine regali poteſtate manebat, & ne perturbaretur Chriſtianitatis ordo per auctoritatem Apoſtolicam* (nota hæc verba) *mandauit Pipinum Regem creari, & ſanctæ Vnctionis oleo inungi.*

Neque ſolummodo Pontifex Romanus hac vſus eſt poteſtate in ſimili caſu, ſed Epiſcopis ipſis eſt idem ius, quoties agitur de rege ſuarum ciuitatum, prouinciæque, & in vnum conueniunt idem ſentientes. Idcirco Carolus Craſſus Imperator eſt imperio ſpoliatus in Cõcilio Triburienſi, non ob aliam cauſam, niſi quod iners eſſet.

Eandem ob cauſam Venceslaus, & Athaulphus Imperatores ab Epiſcopis, & Proceribus imperio deiecti.

Sed & ſi nulla adſit huiuſmodi cauſa; ſitque aliquis rex iure, ſolers, induſtrius, potens, catholicus, pius, tamen Pontifex ſummus, Epiſcopiq; Pontifice approbante, iure naturali diuino in diuinis ſcripturis expreſſo, ac tradito per Chriſtum, & Apoſtolos, ac naturali ob eſſentialem ſubordinationem quatuor illorum, quæ diximus, nempe externorum, corporis humani, animæ humanæ, ac Dei, ſimiliterque ob paternam regenerationem, & ſacram poteſtatem valent huic auferre Imperia, regna, alterique nullum ius alioquin habenti adiudicare, vbi iudicauerint id eſſe, non modo neceſſarium, ſed expediens. Id vero duobus exemplis maximis, & illuſtriſsimis clariſsime patet.

Balduinus Secundus erat legitimus Orientalis imperij ſucceſſor; Michael Palæologus, veluti per ſcelus inuaſerat Aſiæ regna, ſic armis eiecit Conſtantinopoli Balduinum, qui ad

Caro-

Carolum Neapolis, & Siciliæ Regem confugiens poterat illud recuperare. Et nihilominus placuit Gregorio Decimo adiudicare Orientale imperium Michaeli Palæologo, & auferre illud Balduino, quod teſtatur Villanæus lib.7.cap.44. Nauclerus generatione.43. licet enim nulla eſſet in culpa omnino Balduinus; nihilominus vix fieri poſſe videbatur, vt imperium recipi poſſet abſque magnis bellis. Michael autem pollicebatur ſe fore in fide Eccleſiæ Catholicæ, vna cum Græcis. quod pro virili præſtitit ille quoad vixit. Atque ita Gregorius Decimus abſtulit iura Orientalis imperij Balduino vero, & iuſto, alioquin domino; & Michaeli, qui nihil iuris habebat, eſt largitus.

Similiter, cũ electi fuiſſent à Germanicis proceribus ex vna parte Richardus Anglus Cornubiæ Dux; ex alia vero Alfonſus Decimus Caſtellæ rex, ac neceſſario ad vnũ ex iſtis Germaniæ regnum pertineret; nihilominus placuit Gregorio Decimo illorum neminem confirmare, atque admittere, vel ad imperium, vel ad regnum; ſed iuſsit electoribus, vt alium crearent. Ac tunc factus eſt rex, & Imperator Rodulphus Auſtriacæ familiæ parens, ne quidquam reclamante Alfonſo. Sic igitur vni ex his ablatum ius Occidentalis imperij, quod habebant ad rem, datumque Rodulpho. quæ ſcribunt Nauclerus generatione 43. Villanæus lib.7.cap.44. Polydorus Virgilius libro 16. ſub annum 1757.

Neque id inter Chriſtianos duntaxat poſſunt, ſed etiam, & multo magis inter infideles. Alexander VI. Indias Occidentales, & Orientales æquis partibus diuiſit inter Caſtellæ, & Luſitaniæ Reges, nulla habita ratione, quod eas iuſto, ac legitimo titulo dominij Reges multi poſsiderent, neq; adeſſet alia cauſa transferendi, aut omnino, aut ex parte potiſsima huiuſmodi dominium in Reges noſtros, niſi publicum bonum, vel maius bonum. Nam Chriſtus eſt omnium rerum creatarum Rex ſupremus à Deo conſtitutus, atque excepta excellentiæ poteſtate, quæcumque in terris pertinere poſſunt ad corpus, animamque hominum, commiſit regendum ex omni parte Pontifici Romano, dicens: *Paſce oues meas, & quodcumque*, non ſolum quemcumque, *ligaueris in terra, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis.* vt interpretantur ad hoc propoſitum Sancti ſupra adducti Thomas, & Antoninus.

Pa-

Patet itaque propoſitum, quod initio libri probandum ſumpſimus, à Chriſto ſupremo omnium rerum creatarum Rege diuinitus conſtituto, ex quo ipſius anima creata eſt, atque ipſe conceptus, reuocata fuiſſe noſtra tempora ad illud, cum fuerunt Adamus, & Noe, non modo ſummi in toto orbe ſacerdotes; ſed etiam parentes, ac Reges. Ac tales eſſe in ipſis etiam temporalibus, Chriſtianos ſacerdotes, quoad res, & homines ipſorum poteſtati commiſſos, aut quoquomodo ſubiectos in ordine ad ſuperiores, initio ducto à clericis, quos merito Sanctus Dionyſius, vocat vna cum reliquis ſacerdotibus ob participatam pro infinita Dei bonitate diuinitatem, deos, dominos, Reges, Sanctos. Ac proinde, cum dijs, parentibus, ac ſapientiæ magiſtris æqualia reddi haud poſsint, & omnem iuſtitiæ metam ſuperet, quod ſæcularibus traditur, deberi illis omnia, multoque, ſi fieri poſſet ampliora.

Recte igitur Sanctus Petrus alloquens omnes Chriſtianos, illa verba pronunciauit 1. cap. 2. *Vos autem genus electum: regale ſacerdotium, gens ſancta.* En vocat Chriſtianos, ſanctos, ſacerdotes, Reges, electos, ideſt, participata diuinitate deos, vt dicitur. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et. *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Quæ ſingula Sanctus Dionyſius clericorum ſingulis attribuebat cap. 12. de diuinis nominibus, aſſerens ipſos, deos, dominos, Reges, ſanctos reſpectu inferiorum, ac proinde reſpectu ſæcularium in omni iure, ac poteſtate, quoad ea ſcilicet, quæ ad ipſos pertinent, vt bona tam eccleſiaſtica, quàm patrimonialia, ſeruos, colonos.

Recte etiam, quod attulimus, vocat Sanctus Bernardus libro 2. de conſideratione Pontificem ſummum. *gubernatu Noe, ordine Melchiſedec, auctoritate Moyſem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum.* Hoc ipſe Sanctus Petrus indicauit, Eccleſiæ militanti, cui præſidet Pontifex ſummus, comparãs arcam, cui præſidebat Noe, aquas diluuij aquis baptiſmi, inquiens. *In diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſaluæ facta ſunt per aquam, quod eſt, vos nunc ſimilis formæ facit baptiſma.* Hinc Sanctus Ambroſius in cap. 3. Lucæ, Arcam Noe gratiæ CHRISTI comparauit, cuius diſpenſator primus in terris per ſacramenta eſt Pontifex ſummus. Eodem modo ſanctus Cyprianus, libro de vnitate Eccleſiæ, ſic argumentatur, *Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcam Noe*

fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadet. & ſanctus Hieronymus in cap. 11. Iſaiæ. *Quòd Arca,* ait, *in diluuio, hoc Eccleſia præſtat in mundo.* Eadem in Ezechielis cap. 47. Clarius his omnibus ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 132. *Noe ſignificat rectores Eccleſiæ, quia arcam ipſe in diluuio gubernauit.* Atque ita ſunt Parentes, Reges, non etiam tantum, Sacerdotes mundi totius.

Sic etiam ſanctus Paulus Chriſtum vocat Adamum ſecundum, ſuæque Eccleſiam comparat 1. Corinht. 13. & Epheſ. ca. 5. *Nemo enim,* ait, *vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Rurſus idem 1. Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, Nouiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem: ſed non prius, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis, qualis terrenus, tales & terreni. qualis cæleſtis, tales, & cæleſtes: igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cæleſtis.* Hucuſque Apoſtolus. Quamobrem ſic argumentamur.

Quibus datur poteſtas regenerandi filios Adami, ijs datur poteſtas imperandi illis, & eorum rebus. At Sacerdotibus per doctrinam, Sacramentaque datur poteſtas regenerandi filios Adami; ergo ijs datur poteſtas imperandi illis, & eorum rebus. Aſſumptum patet. Ideoque namque Adamo erat poteſtas in Euam, & filios, eorumque res, quod producti, ac nati eſſent ex Ipſo, ſicut quilibet Chriſtianus natus eſt, ac naſcitur, è doctrina, & ſacramentis per Sacerdotes adminiſtrãtes. Confirmatur. quia è nobiliori, potentiori, & ampliori cauſa naſcitur nobilior, potentior, & amplior effectus. Atqui talis eſt regeneratio facta per Sacerdotes. Nobilior quidem, quod incipiat à ſpiritu, atque è ſpiritu tendat in corpus, & corporalia; quodque ſit ſupernaturalis: potentior eſt etiam, quia per hanc regenerationem renouabitur corpus, vt ſit lõngè diuinius tempore ſuo, quàm fuerit habitum ab Adamo, aut fuerit Adami corpus. Amplior, quod glorificatio corporis humani glorificabit omnia corpora ſuo modo pro cuiuſque diſpoſitione ad Chriſtum,

Pro-

Pontificem fuiſſet appellatum tranſactione quæſtio finem ſortita eſt, vt eſt in hiſtoria generali Indiæ lib. 2. cap. 8. Meminit eius rei Petrus Martyr in operis ſui medio: ſed enim niſi etiã religioſi viri incolas earum regionum traduxiſſent ad virtutes, ab efferatiſsimis moribus fruſtra tot conceptis votis Indiæ detectæ fuiſſent, fruſtra nauigantibus ad illas apertiſsime Deus adſtitiſſet.

Sic itaque religioſi ſunt in cauſa ob eam, quam diximus ſubordinationem quatuor illorum bonorum, gratiamq. diuinam à Chriſto in homines per ſacramenta deriuatam, vt ſtent omnia bona externa, & humana, ac merito ſint, quod S. Dionyſius aiebat cap. 12. de diuinis nominibus, clerici, Reges, Dominique, & quando, vt ſupra è S. Ignatio referebamus epiſtola ad Smyrnenſes, ſacerdotium eſt ſumma omnium bonorum; propterea vult idem Sanctus, ipſos non modo ſacerdotes eſſe, ac propter ſacerdotium Chriſti locum tenere, ſed etiam principes eſſe, ac propter principatum locum Dei, domini vniuerſorum ſibi ſummo Dei dono vendicare. Recte enim S. Thomas in compendio Theologiæ cap. 242. *Non eſt dubitandum etiam hoc iudicium, quo in mundo reguntur homines, ad Chriſti iudiciariam poteſtatem pertinere, vnde etiam ad ipſum introducuntur in pſal. centeſimo nono verba Patris dicentis, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: aſsidet à dextris Dei ſecundum humanam naturam, in quantum ab eo recipit iudiciariam poteſtatem, quam quidem etiam nunc exercet* (aduerte hæc) *antequam manifeſte appareat, & omnes inimici pedibus eius ſubiecti ſunt. Vnde & ipſe ſtatim poſt reſurrectionem dixit Matthæi cap. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: eſt autem, & aliud Dei iudicium, quo vnicuique in exitu mortis ſuæ retribuitur, quantum ad animam, ſecundum quod meruit.* Hucuſque Sanctus, volens omnia temporalia diſtribui viuentibus à Chriſto pro merito, cuiuſque ex illa quatuor bonorum deriuatione, ſicuti debent etiam diſtribui à quolibet rege, ne ſit tyrannus, ac diabolicus, nō legitima, ſed diaboli poteſtate vtens; illud eſt tamen verum, Chriſtum manſuetiſsime agere, ac nullum relinquere irremuneratum bonum, quod nō modo à Chriſtianis, ſed etiam infidelibus fiat, quod illis aliqua ſit diuinorum cognitio, & perſuaſio, cultusq. diuinitatis, à quo in animum corpus, & externa deriuatur cōmunicatio ſupernæ bonitatis, cui communicationi Chriſtus in omnibus preeſt,

ciuſ-

eiuſque miniſterium, quoad homines dirigendos in terris Vicario ſuo Pontifici Romano, ac clericis per hunc ex ordine cōmiſit; ſic itaque temporalium cunctorum Rex eſt Chriſtus.

Sic Pontifex ſummus, Chriſtique ſacerdotium pertinet ad omnem terram, ac totius terræ regna ſunt illi ſubiecta, quod à petra Danielis in Petro deſignatum ſcribit S. Auguſtinus contra Iudæos, & Arianos, & tractatu nono in cap. 2. Ioannis, & S. Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ Heſychius pſal. 2. Giutmūdus Auerſanus lib. 3. de ſacramentis. ſed adhuc tamen propriora inſpiciamus è quibus apertiſsimum fiet adhuc clericos eſſe reuera in temporalibus parentes, ac Reges.

En igitur, vt à Dei donis ſupernaturalibus traditis per Chriſtianorum ſacerdotum doctrinam, ſacramentorumque ſupernaturalium adminiſtrationem, quibus regeneramur, viuimus, aut etiam mortui reuiuiſcimus, ſint ac ſtent animi bona, nimirum charitas, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia. Ab his ſint, ac ſtent corporis bona; à corporis bonis ſint, ac ſtent externa ob eſſentialem ſubordinationem inferiorum ad ſuperiora; inter hæc quatuor Deum, animam, corpus, externa, vt duobus primis capitibus libri huius eſt explicatū, tetigimuſque ibi primi, & ſecundi initio. Ita vt ſit hoc verum ius ſtatus, quo ſtant omnia bona, per quem ſtatum Pontifices ſummi, Epiſcopi, Sacerdotes, Clericique ex ordine ſunt participata diuinitate Dei, ſapientiæ magiſtri, parentes, ac Reges, vt S. Dionyſius vna cum S. Petro, quod infra aperiemus, aiebat, & in his, quod iuriſconſultus dixit, ius ſtatus conſiſtat.

Cum ſpectet ad parentes, Regesque optimos, ac vere Reges alere filios, qui ſe alere haud queunt, eandem poteſtatem, dignitatem, bonaque ijs relinquere, tueri bona animi, corporis, atque externa, idque præſtiterint, ac præ cunctis præſtent Pontifices ſummi, Epiſcopi, Sacerdotes, & Clerici; hinc fit hos reuera eſſe parentes, ac Reges. Cap. IV.

CLericos, Sacerdotes, Epiſcopos, Pontificesque ſummos eſſe quoad temporalia, parentes reuera ac Reges eſt adhuc aliis argumentis probandum.

Primo igitur ſpectat ad parentes alere filios ſuos, niſi habeāt ipſi vnde ſe alant e proprijs bonis. Idemque ſpectat ad Regem, ſi quidem velit officio veri Regis fungi. hoc vero totum referri debet ad virtutes, ac Deum, quod Philoſophus vltimo Ethico, & Politico, ac ſeptimi Politici primis capitibus docet. Atqui eccleſiaſtici præſules, & ij quibus eſt animarum cura commiſſa, aut beneficia poſsident, tenentur quantum poſſunt, pauperum, miſerabiliumque perſonarum curam gerere, ſi quid ſupereſt ijs dare. Qua in re, modo nimij ne ſint, ſuorum domeſticorum iure habere rationem poſſunt, ac debent, cum dicat Apoſtolus 1. Timothei cap. 5. *Qui ſuorum maxime autem domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Tenentur itaque eccleſiaſtici efficere, ne quid ad pauperes alendos deſit, quod ex omni memoria temporū conſtat. Ita vt hæc ipſis præcipua ſemper cura fuerit, quod cunctos nimirum ſæculares loco filiorum ducerent. Hinc Sanctus Iacobus cap. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt, viſitare viduas, & pupillos in tribulatione eorum.* Et Concilio Tridentino ita cauetur ſeſsione 23. cap. 1. *Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo ſacere, pauperum, aliarumque miſerabi-*

lium perſonarum curam paternam gerere. Hæc Concilium. Fuit hic mos ab initio naſcentis Eccleſiæ, quod ex Actis Apoſtolicis apparet. Quamobrem Paulo eunti ad gentium prædicationem, fuit inter alia mandatum à Petro, vt eleemoſinas colligeret, quibus ali pauperes poſſent, quod ipſe tradit ad Galathas cap. 2. Romanos cap. 15. & 2. Corint. 9. Hinc Sanctus Gregorius paſtoralis parte ſecunda cap. 7. *Sunt nonnulli, qui gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed ſic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur. qui cum curare temporalia funditus negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minime ſuccurrunt, quorum nimirum prædicatio plerumque deſpicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria vitæ non tribuunt nequaquam libenter audiuntur.* Multa in hoc argumentum referuntur à Gratiano diſtinctione 85. Iuone parte 6. cap. 157. S. Ambroſio lib. 2. de officiis, cap. 21. & ſeq. Hinc ad Damaſum S. Hieronymus. *Quidquid habet clerici pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum, & hoſpitum inuigilare debent: maxime curandum eſt illis, & de decimis, & oblationibus cœnobijs, & xenodochijs, qualem voluerint, & potuerint ſuſtentationem impendant*. Eadem S. Auguſtinus ep. 50. ad Bonifacium, S. Ambroſius ep. 33. ad Marcellinum.

Affert ad hoc probandum pulcherrimam rationem Caſsiodorus vrbis præfectus ad Ioannem Papam ſcribens, cum refugeret hic ſæcularia tractare. *Nolite*, ait, *in me tantam reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis. vos Patris nomine vniuerſa diligitis: ſecuritas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia. quapropter vos decet cuſtodire aliqua, vos omnia. paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem; tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis ſubſtantiam videntur continere. Nam ſicut homo conſtat ex dualitate, ita boni patris eſt vtraque re fouere*. Hæc ille, oſtendens ad ſacerdotem pertinere curam corporis, & animæ.

Probatur hoc, & alia ratione. Nam Chriſtus ob hoc etiam præcipuè venit, vt egentium ſubleuaret inopiam, pauperesque ſolaretur omnibus modis. vt habetur pſalmo 9. 11. 21. 34. 68. 73. 112. 131. Iſaiæ cap. 11. 14. 25. 49. quin Chriſtus ait Lucæ 4. & 7. hæc miſſum euangelizare pauperibus, atque hoc eſſe ſignũ ſe eſſe Chriſtum. Cum ſacerdotes itaque ſint Chriſti, tenentur

pau-

pauperes omnibus modis adiuuare. Cumque clerici Chriſto in terris reuera per ſacramentum exiſtenti ſeruiant, huic etiam legationi ſeruire debent, quæ pertinet ad corpus, ác bona externa.

Quamobrem Romanis Pontificibus hic mos ſemper fuit, vt miſerabilium, pauperumque indicē haberent, quod nunc per ipſos parochos fieri curant, quin eleemoſynas erogarent ad pauperes alibi degentes alendos, vt Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum, Euſebiusque eius epiſtolam referens teſtatur lib. 4, cap. 22. hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Hinc Romæ cunctis nationibus Armenis, Indis, Aethiopibusque extremis videmus ædificata hoſpitalia. Quin Leo Quartus vrbem condidit in Vaticano Corſis ex Inſula per Saracenos eiectis. Gregorius XIII. noſtra ætate Romæ ſeptuaginta aureorum millia quotannis diſtribui curabat pauperibus alendis; præter ea, quæ expulſis per Turcas, & hæreticos elargiebatur hinc tot inter Chriſtianos hoſpitalia, quæ, vti ſupra diximus, á Zotico ſacerdote Romano primo inuenta, atque ædificata ſunt.

Recte igitur Franciſcus de Silueſtris Ferrarienſis in caput 67. lib. 4. conſiderandum eſt, inquit, ex doctrina Sancti Thomæ ſecundo ſententiarum diſtinctione vltima in expoſitione literæ, *quod ſummus Pontifex habet in Eccleſia apicem, & excellentiam vtriuſque poteſtatis, non ſolum ſpiritualis, ſed etiam ſæcularis. Ideo illi præ omnibus obediendum eſt, & in ijs, quæ ad ſalutem animæ pertinent, & in ijs, quæ pertinent ad bonum ciuile. Similiter, vt dicit idem Sanctus Thomas libro de regimine principum 9. cap. 10. & 19. poteſt ratione ſupremæ huius poteſtatis vnumquemque ratione delicti punire, & taleas, atque collectas pro reipublica Chriſtianæ conſeruatione imponere, ſicut & Rex in ſuo regno poteſt.* Hucuſq. Franciſcus è Sancto Thoma. Recte. nam Chriſtus eſt caput hominūm quoad corpus, & quoad animam, ſuumque corpus corpori noſtro adiungit, idque ipſi ſacerdotes conficiunt, & Chriſtianis tradunt.

Secundo loco pertinet ad parentem relinquere omnia bona ſua filiis. eodem quo ipſe habuit modo, quantum fieri poteſt; ita vt ipſi ſint, eodem quo fuit ipſe, in omnibus loco. Quamobrem Pontifex ſummus, Epiſcopi, Sacerdotes, Clericique, & dignitatem, & poteſtatem, & bona omnia cunctis Chriſtianis patere voluerunt. Nam quilibet, dummodo ob crimen longe non arceatur, poteſt eſſe Pontifex, Epiſcopus, Sacerdos, Clericus,

cus, & bona Eccleſiaſtica poſsidere. Non ita Principes ſæculares; nam Regiam principalemque poteſtatem ſuis liberis relinquere volunt, ac relinquunt. Neque eorum poteſtas, vel dignitas vna cum reditibus cuilibet virtutibus licet prædito, communicatur. Non enim paternus eſt illi ita amor in cunctos Chriſtianos non in virtutem, ſicut Eccleſiaſticis, qui licet aliquando à charitatis paternæ, quæ exigitur ab eis, perfectione aberrent, non ita tamen, vt ſæculares aberrant: Ex hoc etiã capite fit, Eccleſiaſticos magis eſſe Reges in populo Chriſtiano, quàm ſæculares. Hoc enim diſcrimen eſt inter Tyrannum, & Regem, quod Rex commune ſubiectorum bonum quærit, & procurat, Tyrannus vero ſuum & ſuorum. Rurſus nihil ſibi arrogat Rex, niſi pro modo virtutis, qua præcellit & quatenus eſt illa, eatenus poteſtatem ſibi adſumit. Apparet itaque, Eccleſiaſticos bonum commune præ oculis habere, & idcirco totam ſuam poteſtatem, totam ſuam dignitatem, tota & omnia ſua bona in communi ponunt, cunctis volunt patere. Non ita Reges, & Principes ſæculares hæreditaria regna, quantum valent, filiis cognatisve ſuis propria, & hæreditaria volunt, efficiunt, relinquunt.

Atque hic multipliciter apparet, Pontifici ſummo præ cunctis aliis commune ſubiectorum bonum cordi ſemper fuiſſe.

Primo enim videbis admitti, & procurari Epiſcopatuum, beneficiorumque reſignationes efflagitantibus, & importuna prece impetrantibus id ijs, qui Epiſcopi ſunt, vel beneficia dignitatesque obtinent. Numquam tamen Pontificatus ſummi reſignatio fuit in alicuius fauorem, commodumve admiſſa. quod nimirum Pontificia ſedes commune bonum magis reſpiciat, quam ſedes vlla, & in communi ſemper pateat eligendis.

Secundo videbis multis in locis ad multa Eccleſiaſtica non admitti, niſi ex eadem gente, quod licet vſque ad aliquem terminum laudabile poſsit eſſe; tamen non admittere vllum exterum vnquam, quamuis polleat virtutibus, indicat commune bonum non eſſe, vti debet, præ oculis, vti eſt in Pontificia ſede, ad quam quilibet è quavis gente admitti poteſt, modo aditum virtutibus aperire diuinitus concedatur.

Tertio, multis locis, non niſi nobiles euehuntur ad aliquas vel dignitates, vel beneficiorum titulos. Ad Pontificatum

ſum-

ſummum cuilibet aditus. Atque ita cuncti filiorum loco habentur.

Quarto, quæ diximus de Pontificatu ſummo, eadem de Cardinalatu aſſeruntur. Atque ita, tam Pontifex ſummus, quam Cardinales magis, quam quilibet ſæculares reges, & Parentes, magis quam quilibet eccleſiaſtici, Parentum, regumque vera munera, propriaque explent, vt ſint re vera præ cunctis maxime Reges, ac maxime Parentes, ſi rationem ſequi, ideſt, ſi homines eſſe re vera velimus.

Aduertendum vero quemlibet in pari amoris diuini, ſiue virtutis cauſa magis debere ſuis, quam exteris, vt habetur, 1. Timoth. 5. ſed quando fieri nullo modo poteſt, vt toto orbe Chriſtiano ſit nullus, qui maiori ſit virtute, quam quicumque in vna regione, ac natione ſunt, idcirco inuiolabili lege ſancire, vt nemo exterus aſſumatur ad aliquam dignitatem, vel id inuiolabiliter obſeruare, quod eſt idem cum lege, eſt contra illud Apoſtoli, ac Dei ad Coloſſenſes, cap. 3. *Apud Deum neque barbarus. neque Scytha, neque ſeruus, neque liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Quamobrem Pontificia ſedes, collegiumque ſacroſanctum Cardinalium maxime Chriſtianum, quod voluit haberi omnium rationem, modo Chriſtus in illis eſſet, qui venit glorificaturus omnes homines in omnibus ſuis, præcipue tamen aliquos. Hinc ſponſa Chriſti Eccleſia catholica nuncupatur, quod orbem totum complectatur exēplo amatiſsimi, Amantiſsimique ſponſi ſui Chriſti amplexu amoris, & communicationis ſuæ. Cumque Chriſtus ſit dominator vniuerſæ terræ, rex & hæres vniuerſorum merito Pontificia ſedes, & Cardinales omnium maxime participant præ Regibus cunctis, vniuerſæ terræ, vniuerſorumque dominium, & Regnum, quatenus ab hominibus aliquid dirigi poteſt: excepit autem Chriſtus ordinario iure, ac ſibi ſolam reſeruauit excellentiæ poteſtatem.

Rurſus aduertendum nobis eſt, Parentis eſſe, vt diximus, communicare omnia ſua filiis ſuis, eodem, quo ipſe habet, modo, quantum fieri poteſt; atq; hoc eſſe ab ipſo Deo, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 3. Pater enim communicat omnia filio ſuo, quæ communicari poſſunt. Idemque communicauit omnia animæ Chriſti, excepta annihilatione, & creatione, quæ ſimpliciter cōmunicari non poſſunt, vt alia, quod omnes Theo-

logi

logi concludunt. S.Thomas 3.q.13.art.2.Scotus in 4.diſtin.48. Idcirco etiam Chriſtus ſponſæ ſuæ communicauit in terris,omnia,quę corporaliter ſunt,& quæ communicari ad homines dirigendos poſſunt, cum ſit eadem caro, idem corpus; nihilque corporale externum poteſt eſſe, quod quatenus refertur, ac referri poteſt ad corpus humanum ſuis modis, non fuerit Eccleſiæ, capitique ipſius conſpicuo in terris communicatum. Quamobrem bene dixit Apoſtolus ad Romanos cap. 3. *Quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Vt enim diximus,ac ſæpius repetemus, eſt eſſentialis ſubordinatio inferiorum ad ſuperiora,inter hęc quatuor externa corporalia,quatenus referri poſſunt ad corpus humanum; corpus humanum,animam Deum. Eodem modo igitur Pontificia ſedes, eiuſq. conſeſſus, quatenus huiuſmodi referens hierarchiam cæleſtem, communicat omnia ſua, quātum fieri poteſt paterno amore filijs ſuis. ac propterea maxime diuina, ſimulque omnibus dominans, omnia regens exemplo Dei. Ac ſimul etiam maxime locū Dei tenet in terris Pontifex Romanus, maxime in terris participata diuinitate dij cum Pontifice Cardinales. En igitur,vt hoc modo Chriſtus effecerit, atque obtinuerit illud, quod ait Ioannis cap. 17. *Rogo Pater, vt hi vnum ſint, ſicut ego, & tu vnum ſumus.* En igitur,vt hi ſint parentes,Reges,ſacerdotes, dijque,exemplo Adami,& Noe. En vt nihil ijs æquale retribui poſsit; en vt omnia debeantur ipſis tanto iuſtitiæ iure, vt ſuperet cuncta: quod à principio nobis propoſueramus probandum.

Tertio pertinet ad parentes corporales,nō modo filios ſuos corporaliter alere,ſimulque eis communicare cuncta externa corporalia,referibilia ad corpus,quæ habeant ipſi parentes,vt eodem modo habeant ipſi filij quantum datur;non enim filius, qua filius eſt,poteſt eſſe pater,qua pater. Ideoque æternus Pater haud poteſt cōmunicare filio,vt ſit Pater Patris. hæc enim repugnant inter ſe. Ac Pontifex ſummus nemini poteſt ſeſe ſubijcere, quamdiu Pontifex eſt, vt omnes Theologi concludunt. ſed pertinet ad parentes quoque corpora filiorum, corporaliaque illorum,vel ad corpora illorum pertinentia per Deum bona defendere,ac tueri,quantum fieri humano modo, ac ſapientia poteſt. Nam belluæ quoque ſuos fœtus defendūt. Ideo Chriſtus dixit. *Sinite hos abire.* Ioannis cap. 18. & hoſtes ad terram proſtrauit. Ac Sanctus Petrus Saphyram,&

Ananiam ſola denunciatione morti dedit. Act.cap.5. Quamobrem Pontifex Romanus duo maxime prouidit, vt catholicis maxima pax eſſet, quod eſſe perfectum conſtat è ſigno de ſumma pace nonageſimo tomi ſecundi. Idemque inquietos, omnino contumaces, internam, & externam pacem conturbantes, neque reſipiſcentes, diu, multumque commonitos, omni poteſtate externa exuendos procurauit, ne quid filijs nocerent; ſic enim pater filium conijcit aliquando in vincula, carcere includit. Quin idem Pontifex aduerſus vel excommunicatos, vel omnino alienos hoſtes arma expediuit. Amplius arma ſemper haberi voluit prompta, & expedita: ſic etiã Chriſtus eiecit è templo vendentes, & ementes; idemque gladios parari iuſsit. Perfectum fuiſſe hoc ſtudioſiſsime ſimul, ac peramantiſsime ſupra omnes, quicumque vmquam fuerint homines, conſtat è ſigno de confirmata vndique fide duodecimo tomi primi, & ſigno de cura Papæ in catholicis tuendis octuageſimo primo tomi ſecundi. Quamobrem duo, quoad propoſitum, Pontifici ſummo conueniunt. Primum nullus vmquam fuit, qui magis inter ſe colligare omnes Chriſtianos Principes indiſſolubili pace interna, & externa ſit conatus. Secundum nullus vmquam fuit, qui magis aduerſus communes hoſtes, Chriſtique, & Chriſtianarum rerum coniungere ſit enixus. Hinc illud tertium proferemus, ex quo apparebit, omnium maxime parentem hac parte Pontificem ſummum. Nam veluti, quia pater eſt, numquam legitur vllus Pontificum Romanorum, vel fideli, vel infideli membrum truncaſſe; ſic idem poſt multas expeditiones ſacras inſtituit religiones militares, eorum, qui nihil aliud agerent, niſi vt armis tutarentur Chriſti fidem, Chriſtianorum corpora, & bona; ſeque huic vni ſtudio propter Deum præcipue deuouerent. capta à noſtris Hieroſolyma ſub annum 1099. Ex illo Hieroſolymitani equites ab Amalphitanis inſtituti, vt ſcribit Gulielmus Tyrius libro primo, tutari haud abſtiterunt pugnando. à Paſchali autem Secundo approbata eſt ipſorum religio, regulaque, atque in ipſius Pontificiæ ſedis tutelam recepti tamquam religioſi, Deoque dedicati. Poſt hos inſtituti ſunt Templarij à Gallis, Theutonici à Germanis, Chriſti, Sancti Iacobi, aliorumque ordinum ab Hiſpanis. Quod autem ſit à nobis obſeruandum maxime, illud eſt: Templarij in Gallia confidentes, malis, vt volunt ſcriptores, & in his Villanæus, Philippi Pulchri artibus deleti ſunt. Theutonici

nici in Pruſſia propter hæreſes ordinem totum fere exſtinxerunt, ita vt nullæ ſint ijs vires. Soli reſtant Hiſpani; ſed hi non retinuerunt eadem vota, quæ prius. Nam ducunt vxores: antea quippe à nuptiis abſtinebant, ne amore coniugum, vel filiorum poſſent auocari à bellicis, aut effeminari. Præterea nullas expeditiones ſolent annuas facere aduerſus hoſtes fidei, religioniſque Chriſtianæ.

Hieroſolymitani ſoli, qui ſemper in ipſius Pontificiæ ſedis proxima tutela fuere, & perſtiterunt in eadem regula ſemper, & annuas expeditiones aduerſus apertos Chriſti inimicos quotannis adornant. Neceſſe eſt igitur cuncti cedant in amore paterno hac parte Pontificibus ſummis, vt apparet. En igitur, vt maxime ſit omnium pater Pontifex ſummus, ac vere Papa ob tres, quas attulimus cauſas.

Quartum pertinet ad parentes, quo ad filios temporalibus bonis honeſtandos, efficere, vt bona temporalia rectè adminiſtrentur, non à ſocordibus, & inertibus; ſed prudentibus, & prouidis ad ſubiectorum bona temporalia tuenda, & amplificanda. Quocirca amouit è regno Galliarum Chilpericum Stupidum, non quod hæreticus foret, non quod flagitioſus, non quod omnino amens, vel furioſus; non quod periculum Galliæ regno, tum præſens foret ab vllis hoſtibus Chriſtianæ religionis, cui nõ poſſet occurri, niſi amoto Chilperico, quod quidam falſa multa ſomniantes, vt imminuant ſacroſanctã poteſtatem, ſunt auſi abſq; vllo antiquitatis teſte ſcriptis mandare. Sed quoniam Chilpericus ſtupidus erat, vt deceret, eum magis agere vltimo loco monachum, quam Regem. Audi Ademarum, qui ſic inter ſcripta Aymoini lib. 4. cap. 61. *Richardus Vuizibur genſis Epiſcopus, & Fuldradus Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt conſulerent Pontificem de cauſa Regum, qui in illo tempore fuerunt in Francia; qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habebant: per quos prædictus Pontifex mandauit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtas conſiſteret; dataque auctoritate ſua* (nota hæc verba) *iuſſit Pipinum Regem inſtitui. Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad huius dignitatem honoris vnctus ſacra Vnctione, manu ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & Martyris: & more Francorum eleuatus in ſolium regni Sueſſionis ciuitate. Hildericus ve-*

ro, qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt. Hæc Ademarus, qui vixit eo tempore, vt è fine libri quarti apparet, vocans Chilpericum falſo nomine regem, non quod Rex non eſſet, ſed quod facta Regis nomini non reſponderent. ac rex nomine, non poteſtate, ac factis eſſet, licet reuera ius vtendæ poteſtatis eſſet penes Chilpericum. Eadem Rhegino non longe ab his temporibus anno 749. *Burchardus,* inquit, *Vuiziburgenſis Eccleſia Epiſcopus, & Floradus Capellanus miſsi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt interrogaret de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam poteſtatem* (facto) *Reges tamen vocabantur, ſi bene eſſent Reges. & præfatus Papa mandauit Pipino, melius ſibi videri illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, quam illum, qui ſine regali poteſtate manebat, & ne perturbaretur Chriſtianitatis ordo per auctoritatem Apoſtolicam* (nota hæc verba) *mandauit Pipinum Regem creari, & ſancta Vnctionis oleo inungi.*

Neque ſolummodo Pontifex Romanus hac vſus eſt poteſtate in ſimili caſu, ſed Epiſcopis ipſis eſt idem ius, quoties agitur de rege ſuarum ciuitatum, prouinciæque, & in vnum conueniunt idem ſentientes. Idcirco Carolus Craſſus Imperator eſt imperio ſpoliatus in Cōcilio Triburienſi, non ob aliam cauſam, niſi quod iners eſſet.

Eandem ob cauſam Venceslaus, & Athaulphus Imperatores ab Epiſcopis, & Proceribus imperio deiecti.

Sed & ſi nulla adſit huiuſmodi cauſa; ſitque aliquis rex iure, ſolers, induſtrius, potens, catholicus, pius, tamen Pontifex ſummus, Epiſcopiq; Pontifice approbante, iure naturali diuino in diuinis ſcripturis expreſſo, ac tradito per Chriſtum, & Apoſtolos, ac naturali ob eſſentialem ſubordinationem quatuor illorum, quæ diximus, nempe externorum, corporis humani, animæ humanæ, ac Dei, ſimiliterque ob paternam regenerationem, & ſacram poteſtatem valent huic auferre Imperia, regna, alterique nullum ius alioquin habenti adiudicare, vbi iudicauerint id eſſe, non modo neceſſarium, ſed expediens. Id vero duobus exemplis maximis, & illuſtriſsimis clariſsime patet.

Balduinus Secundus erat legitimus Orientalis imperij ſucceſſor; Michael Palæologus, veluti per ſcelus inuaſerat Aſiæ regna, ſic armis eiecit Conſtantinopoli Balduinum, qui ad

Caro-

Carolum Neapolis, & Siciliæ Regem confugiens poterat illud recuperare. Et nihilominus placuit Gregorio Decimo adiudicare Orientale imperium Michaeli Palæologo, & auferre illud Balduino, quod teſtatur Villanæus lib. 7. cap. 44. Nauclerus generatione. 43. licet enim nulla eſſet in culpa omnino Balduinus; nihilominus vix fieri poſſe videbatur, vt imperium recipi poſſet abſque magnis bellis. Michael autem pollicebatur ſe fore in fide Eccleſiæ Catholicæ, vna cum Græcis. quod pro virili præſtitit ille quoad vixit. Atque ita Gregorius Decimus abſtulit iura Orientalis imperij Balduino vero, & iuſto, alioquin domino; & Michaeli, qui nihil iuris habebat, eſt largitus.

Similiter, cũ electi fuiſſent à Germanicis proceribus ex vna parte Richardus Anglus Cornubiæ Dux; ex alia vero Alfonſus Decimus Caſtellæ Rex, ac neceſſario ad vnũ ex iſtis Germaniæ regnum pertineret; nihilominus placuit Gregorio Decimo illorum neminem confirmare, atque admittere, vel ad imperium, vel ad regnum; ſed iuſsit electoribus, vt alium crearent. Ac tunc factus eſt Rex, & Imperator Rodulphus Auſtriacæ familiæ parens, ne quidquam reclamante Alfonſo. Sic igitur vni ex his ablatum ius Occidentalis imperij, quod habebant ad rem, datumque Rodulpho. quæ ſcribunt Nauclerus generatione 43. Villanæus lib. 7. cap. 44. Polydorus Virgilius libro 16. ſub annum 1757.

Neque id inter Chriſtianos duntaxat poſſunt, ſed etiam, & multo magis inter infideles. Alexander VI. Indias Occidentales, & Orientales æquis partibus diuiſit inter Caſtellæ, & Luſitaniæ Reges, nulla habita ratione, quod eas iuſto, ac legitimo titulo dominij Reges multi poſsiderent, neq; adeſſet alia cauſa transferendi, aut omnino, aut ex parte potiſsima huiuſmodi dominium in Reges noſtros, niſi publicum bonum, vel maius bonum. Nam Chriſtus eſt omnium rerum creatarum Rex ſupremus à Deo conſtitutus, atque excepta excellentiæ poteſtate, quæcumque in terris pertinere poſſunt ad corpus, animamque hominum, commiſit regendum ex omni parte Pontifici Romano, dicens: *Paſce oues meas, & quodcumque*, non ſolum quemcumque, *ligaueris in terra, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis.* vt interpretantur ad hoc propoſitum Sancti ſupra adducti Thomas, & Antoninus.

Pa-

Patet itaque propoſitum, quod initio libri probandum ſumpſimus, à Chriſto ſupremo omnium rerum creatarum Rege diuinitus conſtituto, ex quo ipſius anima creata eſt, atque ipſe conceptus, reuocata fuiſſe noſtra tempora ad illud, cum fuerunt Adamus, & Noe, non modo ſummi in toto orbe ſacerdotes; ſed etiam parentes, ac Reges. Ac tales eſſe in ipſis etiam temporalibus, Chriſtianos ſacerdotes, quoad res, & homines ipſorum poteſtati commiſſos, aut quoquomodo ſubiectos in ordine ad ſuperiores, initio ducto à clericis, quos merito Sanctus Dionyſius, vocat vna cum reliquis ſacerdotibus ob participatam pro infinita Dei bonitate diuinitatem, deos, dominos, Reges, Sanctos. Ac proinde, cum dijs, parentibus, ac ſapientiæ magiſtris æqualia reddi haud poſſint, & omnem iuſtitiæ metam ſuperet, quod ſæcularibus traditur, deberi illis omnia, multoque, ſi fieri poſſet ampliora.

Recte igitur Sanctus Petrus alloquens omnes Chriſtianos, illa verba pronunciauit 1. cap. 2. *Vos autem genus electum: regale ſacerdotium, gens ſancta.* En vocat Chriſtianos, ſanctos, ſacerdotes, Reges, electos, ideſt, participata diuinitate deos, vt dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Et. *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Quæ ſingula Sanctus Dionyſius clericorum ſingulis attribuebat cap. 12. de diuinis nominibus, aſſerens ipſos, deos, dominos, Reges, ſanctos reſpectu inferiorum, ac proinde reſpectu ſæcularium in omni iure, ac poteſtate, quoad ea ſcilicet, quæ ad ipſos pertinent, vt bona tam eccleſiaſtica, quàm patrimonialia, ſeruos, colonos.

Recte etiam, quod attulimus, vocat Sanctus Bernardus libro 2. de conſideratione Pontificem ſummum *gubernatu Noe, ordine Melchiſedec, auctoritate Moyſem, poteſtate Petrum, vnctione Chriſtum.* Hoc ipſe Sanctus Petrus indicauit, Eccleſiæ militanti, cui præſidet Pontifex ſummus, comparãs arcam, cui præſidebat Noe, aquas diluuij aquis baptiſmi, inquiens. *In diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod eſt, vos nunc ſimilis formâ facit baptiſma.* Hinc Sanctus Ambroſius in cap. 3. Lucæ, Arcam Noe gratiæ CHRISTI comparauit, cuius diſpenſator primus in terris per ſacramenta eſt Pontifex ſummus. Eodem modo ſanctus Cyprianus, libro de vnitate Eccleſiæ, ſic argumentatur, *Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcam Noe*

fuit,

fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadet. & ſanctus Hieronymus in cap. 11. Iſaiæ. *Quòd Arca,* ait, *in diluuio, hoc Eccleſia præſtat in mundo.* Eadem in Ezechielis cap. 47. Clarius his omnibus ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 132. *Noe ſignificat rectores Eccleſiæ, quia arcam ipſe in diluuio gubernauit.* Atque ita ſunt Parentes, Reges, non etiam tantum, Sacerdotes mundi totius.

Sic etiam ſanctus Paulus Chriſtum vocat Adamum ſecundum, ſuæque Eccleſiam comparat 1. Corinht. 13. & Epheſ. ca. 5. *Nemo enim,* ait, *vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Rurſus idem 1. Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, Nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem: ſed non prius, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis, qualis terrenus, tales & terreni. qualis cæleſtis, tales, & cæleſtes: igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cæleſtis.* Hucuſque Apoſtolus. Quamobrem ſic argumentamur.

Quibus datur poteſtas regenerandi filios Adami, ijs datur poteſtas imperandi illis, & eorum rebus. At Sacerdotibus per doctrinam, Sacramentaque datur poteſtas regenerandi filios Adami; ergo ijs datur poteſtas imperandi illis, & eorum rebus. Aſſumptum patet. Ideoque namque Adamo erat poteſtas in Euam, & filios, eorumque res, quod producti, ac nati eſſent ex ipſo, ſicut quilibet Chriſtianus natus eſt, ac naſcitur, è doctrina, & ſacramentis per Sacerdotes adminiſtrātes. Confirmatur. quia è nobiliori, potentiori, & ampliori cauſa naſcitur nobilior, potentior, & amplior effectus. Atqui talis eſt regeneratio facta per Sacerdotes. Nobilior quidem, quod incipiat à ſpiritu, atque è ſpiritu tendat in corpus, & corporalia; quodque ſit ſupernaturalis: potentior eſt etiam, quia per hanc regenerationem renouabitur corpus, vt ſit longè diuinius tempore ſuo, quàm fuerit habitum ab Adamo, aut fuerit Adami corpus. Amplior, quod glorificatio corporis humani glorificabit omnia corpora ſuo modo pro cuiuſque diſpoſitione ad Chriſtum,

Pro-

Probatur adhuc principale propoſitum. Quibus eſt idem ſpiritus, & idem corpus participata diuinitus poteſtate, & coniunctione, ijs eſt neceſſario eadem poteſtas in exteriora cuncta. nam ſi ego Regis animum corpusque idem habeam, neceſſario Rex idem ero. At Sacerdotibus, propter characterem Chriſtique imaginem impreſſam eſt idem ſpiritus à Chriſto participatus ad regendos homines ſibi commiſſos, eſt ſimiliter, idem corpus ex poteſtate participata, quia conficiunt idem Chriſti corpus, quod ſedet ad dexteram Patris, eidemq; coniunguntur. Primo ipſi reuera illud ſumentes; rurſusque tradunt illud tamquam filiis, & membris in vnum Chriſti corpus myſticum verumque coniunctis ſæcularibus, vt in regeneratione ſtabiliantur, & quòd ait Apoſtolus, *Initium diuinæ ſubſtantiæ*, quod acceperunt, retineant. ergo Sacerdotibus eſt idem in cuncta exteriora regnum, quod Chriſto dominatori vniuerſæ terræ. Sed tanti argumenti altiſsimum myſteriũ magis infra explicabitur, & pro Dei ſumma benignitate dilucidius aperietur.

Præterea, quibus eſt idem Regni effectus participatus in exteriora, eſt eadem Regni poteſtas participata. At Sacerdotibus excepta excellentiæ poteſtate, eſt idem Regni effectus à Chriſto Deo, & homine participatus in exteriora. ergo eſt eadem poteſtas. Aſſumptum probatur. Nam primo Sacerdotes per doctrinam ſacramentaque inferunt gratiam, virtutesque in animis, ac proinde iuſtitiam, quæ eſt in externis rebus, & cum reliquis hominibus ſeruatur. ſimiliter temperantiam, qua corpus noſtrum bene moderamur, & quæcumque externa pertinent propinquius ad noſtrum corpus. Denique fortitudinem aduerſus aduerſa, extrinſecus aduenientia. Sic igitur eſt Sacerdotibus idem Regni effectus in externa cum Chriſto, & Parente optimo. Amplius ijdem Sacerdotes, veluti pacificant inferiorem partem hominis ſibi, ſiue ipſimet homini per temperantiam, & fortitudinem, ſic ſimul pacificant homines inter ſe non modo illuminando per doctrinam exteriorem, ſed etiam illuminando, vt ſupra diximus, per intimam vim Sacramentorum, ſimulque infundendo vim, roburque ad exequenda virtutum munia; pacificant autem per inſitionem iuſtitiæ, quæ verſatur in tribuendis vnicuique iuribus ſuis: ex quo redditur Reſpublica tranquilla. Quamobrem nulla vnquam Reſpublica, vel natio, tot virtuti-

tutibus floruit, vt Chriſtiana. quod apparet è primo tomo de Signis Eccleſiæ Dei; præſertim vero ſignis de ſumma ſanctitate, de religione, de turpiſsimis alienorum progreſsibus, de ſanctitate Eccleſiæ nunc militantis. Apparet item tomo ſecundo, & maxime primis, & vltimis libris.

Præterea vero eſt idem regni effectus in exteriora, quod ſacerdotes arceant, & coerceant ſacrificio iugi, iugiq; precatione poteſtatem, rabiemque, dæmonum malignorum ne ſurant in cuncta humana & corporalia ſeruientia generi humano. Idcirco, quamuis Eccleſia militans conſtet è ſæcularibus, & clericis; tamen clerici ſpeciatim Deo militare dicuntur, non laici, 1. Corint. 10. 1. Timo. 1. hinc 2. Timothei cap. 2. *Nemo militans Deo negotijs ſe implicet ſæcularibus*. Hinc fit, ne & dæmones adeo poſsint in impios, & malos, quos in poteſtate habent, & è quibus inſtruunt militiam ſuam, concitare in pios, & bonos. Eſt etiam regni idem effectus in exteriora; eccleſiaſtici enim ponunt eccleſiaſticas dignitates, bona, ac reditus in communi, quippe, quæ Dei ſint, qui cunctis ſeſe externis communicat. Idcirco ſpeciatim pauperum, miſerabiliumque perſonarum cura eſt illis commiſſa, patrocinium ſimiliter oppreſſorum; quod etiam ciuilia iura cauerunt, ne dum diuina, vt ſupra eſt explicatum. Verum diuiniora adhuc, & longe ſublimiora Dei ſumma benignitate aſpirante contemplemur.

Cum ſacerdotes conficiant CHRISTI *corpus in terris, eique clerici ſeruiant, à quo in terris ſunt omnia bona naturalia, & ſupernaturalia, maximeque hæc per illud ſtabunt glorificata, hinc fit ſacerdotes, & clericos eſſe participata diuinitate deos, parentes maxime, & vere Reges, quibus omnia ſubijciantur.*

Cap. V.

QVamuis nonnulli Theologi ſint opinati Angelos ante vniuerſitatē rerum creatos eſſe, tamen id ita intelligendum recte ſentiunt, & declarant doctiſsimi ſimul, & ſanctiſsimi ex illis, creatos antea ſanè illos; verum nihil omnino temporis, aut potius momenti fuiſſe inter creationem ipſorum, rerumque aliarum, continuatamque, & connexam fuiſſe creationem totius vniuerſitatis; ac propterea eodem momento, quo cæli mouendi, ac protinus moti ſunt conditi, ſimul etiam conditi fuere Angeli, Sed intelliguntur, hí prius tamquam nobiliores, tamquā motores eorum. Quæ latius explicantur à nobis in hiſtoria vniuerſali antiquitatum. Creati porro Angeli in natura perfecta, & gratia primo actu mentis, & voluntatis, vel æternam, ſupernaturalemque beatitudinem ſunt adrpti, vt diximus, vel ab illa exciderunt, quicumque ad infera ſunt detruſi. ſexta deinde ab initio rerum creandarum die Deus eſt hominem fabricatus, & priuſquam fabricaretur ex eius coſta Euam, dedit homini omnium rerum dominium δεσποτικὸν, vt vocant Græci, ſiue abſolutum, & herile; effecitque, quomodocumq; id fuerit, vt cuncta animalia mirabiliter adducta ante eius conſpectum, reciperent ab ipſo quaſi hero proprium nomen, & naturæ ipſorum conueniens. Mox immiſſo ſopore ex eius coſta Euam Deus fecit, ſecutusque eſt vetiti pomi eſus, exturbatio primorum parentum è Paradiſo, totius humani generis deiectio; quin orbis totius, pulcherrimæque, & admirandæ tranquillitatis perturbatio.

Ex æterni deinde conſilij, infinitæque clementiæ decretis, placuit

placuit amantiſsimo omnium genitori, vt inquit Apoſtolus Epheſiorum cap. 1. *In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælo, & quæ in terra ſunt in ipſo*. Græce eſt ἀνακεφαλαιώσασθαι, ideſt recapitulare, vt verterunt Sancti Irenæus, & Hieronymus. ſic enim decebat, vt per ſapientiam, per quam ſunt omnia condita, recapitularentur, ideſt à capite, qui eſt Chriſtus, exordium reſtaurationis deſumeretur. Nam ſic Sanctus Irenaus libri tertij cap. 30. & ſequenti. *Secundum repromiſsionem Dei de ventre Dauid ſuſcitatur Rex æternus, qui recapitulat omnia in ſe. & antiquam plaſmationem in ſe recapitulatus eſt. Quia quemadmodum per inobedientiam vnius hominis introitum peccatum habuit, & per peccatum mors obtinuit: Sic & per obedientiam vnius hominis iuſtitia introducta vitam fructificet his, qui olim mortui erant hominibus. & quemadmodum protoplaſtus ille Adam de rudi terra, & de adhuc virgine, nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram, habuit ſubſtantiam, & plaſmatus eſt manu Dei, id eſt verbo Dei. omnia enim per ipſum facta ſunt: & ſumpſit Dominus limum à terra, & plaſmauit hominem. Ita recapitulans in ſe ipſe, verbum exiſtens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, & ex ſemine viri natus eſt, merito dicerent, & ſecundum Adam ex Ioſeph eſſe generatum. Si autem ille de terra quidem ſumptus eſt, & verbo Dei plaſmatus eſt, oportebat id ipſum verbum recapitulationem Adæ in ſemetipſum faciens, eiuſdem generationis habere ſimilitudinem. Quare igitur non iterum ſumpſit limum Deus, ſed ex Maria operatus eſt plaſmationem fieri? vt non alia plaſmatio fieret, neque alia eſſet plaſmatio, quæ ſaluaretur, ſed eadem ipſa recapitularetur ſeruata ſimilitudine.* Hæc Sanctus. His expoſitis oſtendemus adhuc quando res ita poſtulat pleniſsime, animam Chriſti totius mundi amorem, & decus, ſimulatque eſt creata, quod ſupra diximus, protinus aſſecutam fuiſſe omnium rerum creatarum regium dominium vna cum actibus regijs dominij, qui tamen non omnes in apertum prodiere, non enim prodibunt omnes in apertum, ſiue executionem plenam quoad omnia, niſi extremo iudicij die, atque hoc eſt, quod plurimos fallit, & Iudæos ipſos fefellit.

Primo igitur, idem Sanctus Irenæus altiſsimus ſublimium contemplator ita libri quarti capite 37. *Dominus omnia*, inquit,

quit, *tradita ſunt à Patre meo: manifeſte ab eo, qui omnia fecit: non enim aliena, ſed ſua tradidit ei. In omnibus autem nihil ſubtractum eſt; & propter hoc idem eſt iudex viuentium, & mortuorum, habens clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Nemo enim alius poterat, nec in cælo, nec in terra, nec ſub terra aperire paternum librum, nec videre eum, niſi agnus; qui occiſus eſt, & ſanguine ſuo redemit nos: ab eodem, qui omnia verbo fecit, & ſapientia adornauit, accipiens omnium poteſtatem, quando Verbum caro factum eſt.* (en ſimulatque anima Chriſti eſt creata, accepit omnium regiam poteſtatem) *vt quemadmodum in cælis habuit principatum verbum Dei, ſic & in terra haberet* (Nam in cælis habuit quoad omnia, quæ extrinſecus agebantur, vt ſupra concluſimus, & docet hic Sanctus) *principatum: quoniam homo iuſtus, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Principatum autem habeat eorum, quæ ſub terra ſunt, ipſe primogenitus mortuorum factus, & vt viderent omnia, quemadmodum prædiximus, ſuum Regem:* (Audi nomen regium? Audi ab omnibus cognoſcendum propter actus omnes regios in omnibus executioni mandatos?) *& vt in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius rutila veniat in nos.* Hucuſque Sanctus, aperte tradens Chriſto fuiſſe omnium traditam à Patre poteſtatem, cum verbum caro factum eſt; ſiue cum creata eſt anima ipſius, ex tunc Angelos cœpit illuminare, vt ſupra è Sanctis Dionyſio, Thoma, Alexandroque Halenſi aſſerebamus, & illis ordinare, quæcumque agenda eſſent in creaturis; vt ſicut in mundo inuiſibili, angelico, & intellectuali inuiſibiliter habebat omnium poteſtatem, inuiſibileſque imperij, & illuminationis actus; ſic hos actus prodiens ex vtero, rediensq. in cælum paulatim viſibiles, & omnibus conſpicuos efficeret, quod plene continget in die iudicij.

Secundo idem patet ex eo. Nam Chriſtus recapitulaturus eſt omnia, vti diximus: ergo neceſſe eſt, ſimulatque eſt anima ipſius creata, illuminaret Angelos in omnibus agendis; & quid facto opus eſſet in ſingulis ediceret. Alioquin non à capite exorſus eſſet: ruina namque omnium cœpit à defectu illuminationis ſupernæ, poteſtatiſque ſupernæ, à qua rebellis angelus oculos mentis auertit. Ideo dæmones dicuntur fuiſſe *rebelles lumini*. Iob cap. 28. Sicut itaq; angeli rebelles haud exceperunt ſua culpa lumen ſupernaturale, neque illo infor-

ma-

marunt actus ſuos; ac ſemetipſos, & inferiores illo non illuminarunt. Sic anima Chriſti recapitulans omnia ſecus omnino fecit.

Tertio: ſicuti primo actu ſuo malus angelus eſt omnium rerum dominio deturbatus in centrum terræ, ac poteſtate eſt omni ſpoliatus, & actu in naturalia viſibilia, & in bonos Angelos, & cæleſtes orbes mouendos; ſic contra Chriſtus primo actu mentis omnia recepit, omnia recapitulaturus.

Quarto. quemadmodum boni Angeli primo actu mentis ſunt aſſecuti, non modo omnium poteſtatem, ſed actus etiam; ſic anima Chriſti, & multo magis. Efficacior namq; in Chriſto fuit ille intimus mentis actus, quo ſeſe obtulit Deo, vt ſupra eſt aſſertum.

Quinto, ſic itaque protinus verum fuit, quod Sanctus Petrus de anima Chriſti, ait, & illuminationibus eius. 1. cap. 1. *Quibus* (Prophetis) *reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Græcè eſt *in qua* explicans illud. Nam ſimulatque illa creaturarum Regina Chriſti anima ſupereminentiſsimam ſuam pulchritudinem detexit in in mundo angelico, Angeli amore illius poſt Deum maximo inflammati ſunt, deſiderantes in illius vultu proſpicere, quid agendum foret aduerſus malos dæmones, qui rurſus inuaſerant orbem terrarum, cuius erat ipſis à Deo regnum commiſſum; ſed fraude dæmonum circumuentus Adamus viſibilium, corporaliumque mutabilis, & corporalis monarcha illud imminuerat, ac proſtrarat.

Sexto. ac ſicut Adamus omnium rerum dominium conſecutus eſt, antequam ſibi Euam corporalem è coſta haberet diuinitus immiſſo ſopore factam, cunctiſque animantibus nomen dedit, exercuitque actu in cuncta imperium: ſic etiam Chriſtus nouus Adamus omnia recapitulaturus, antequam ſibi Euam nouam, ſiue Eccleſiam corpore ſuo renouatam, factamque haberet per admirabile Sacramentum, quod mox aperietur, omnium rerum dominium conſecutus eſt, actuque exercuit in cuncta imperium; non omni actu, ſed actu inuiſibili poteſtatis, illuminationiſque circa agenda in viſibilibus creaturis, nomina conuenientia ſingulis ante oculos ſuæ mentis admirabiliter collocatis imponens.

Septi-

Septimo id probatur ea ratione. Nam Chriſti beatiſsima anima totius vniuerſitatis imperatrix, magis cupiebat efficere, ac magis videbat, quid efficiendum foret in ſingulis, quam cuncti Angeli ſimul, & ad ipſius beatitudinem nihil hac in re addi poterat, quoad ipſius apicem. Similiter Angeli corpora inferiora regentes, deſiderabant ea cognoſcere, cum nihil agant, niſi ex præſcripto diuino reuelatum, vt è Sancto Petro eſt dictum. Chriſtus itaque illuminauit illos, cum nihil obeſſet, quominus ipſe illuminaret, illi illuminarentur, ſed omnia concurrerent ad hoc, & ordo hierarchicus id expoſceret.

Octauo. id aperuit etiam Dauid, canens illud de Chriſto, inducens eum, qui ſuo Patri dicat, Pſal. 38. *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi* (ſiue *corpus aptaſti mihi*, vt interpretatur Sanctus Paulus) *holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna.* Hæc à Chriſto dicta vult Sanctus Paulus Hebræorũ cap. 10. eo momento, quo ingreſſus eſt mundum. Nam ſic Idem. *Ingrediens* (Chriſtus) *mundum dicit hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi, ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Hæc Apoſtolus. Atque Dauid ait eodem momento annunciatam fuiſſe à Chriſto iuſtitiam Dei in Eccleſia magna; quæ nulla eſſe potuit, niſi Angelorum, quibus annunciauit, quid cuique in ſingulis è Dei iuſtitia tribuendum foret.

Nono. igitur apparet eſſe verum, quod Apoſtolus idem eadem epiſtola tradit capite 2. orbem terræ futurum, ſiue renouandum non fuiſſe Angelis ſubiectum, ſed Chriſto, cui paruere in omnibus agendis Angeli, quique illis nulla re inferior fuit, niſi quoad paſsionem. Cæteris in rebus omnino, ac ſupereminentiſsime ijs erat ſuperior, erat caput influens regimen in illos, quo ad agenda, regiminiſque leges præſcribens actibus illuminatiſsimæ ſimul, & illuminantiſsimæ mentis.

Decimo. recte igitur Theologi concludunt, Chriſtum ſimulatque eſt conceptus, eodem momento ſanctiſsimæ Genitrici ſuæ altiſsima dona impartitum, quoad animam, & quò ad corpus: ideoque non modo vidit intellectu, ſed etiam prædixit

dixit ore, quæ Cantico illo eſt elocuta, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent, omnes*, & *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* En vt Virgo nobiliſsima recapitulationem factam iam dicat, quia ſcilicet in mundo Angelico, iam Rex erat actu Chriſtus, quo ad agenda per ipſos.

Vndecimo, placetque admodum, quod Sanctis, ac doctis viris placuit per vocem ſanctiſsimæ Virginis Chriſtum mentium Regem geſtantis in vtero, ſpirantemque, & inſpirantem corporaliter vna cum matre fuiſſe Ioanni acceleratum liberi arbitrij vſum. Sic itaque Chriſtus adhuc magis, & magis in apertum viſibilis apparebat exercens, non modo in mentes Angelicas, & per has in corpora, ſed adhuc propius per ſpiritum ſuum corporeum, corpusque ſuum materno coniunctum in ipſa corpora Regiam poteſtatem. Per hunc enim modum fuit acceleratus Ioanni vſus liberi arbitrij, & exiliit, non quaſi hædulus irrationalis, neque gaudens vti bellua, ſed intelligens, quod volunt ſancti Irenæus lib. 3. cap. 18. Cyrillus catecheſi 3. in communi, Ambroſius lib. 4. cap. 4. & in commentariis cap. 1. in Lucam. Hieronymus dialogo aduerſus Luciferianos, Chryſoſtomus homilia de ſancto Ioanne Baptiſta, Chryſologus ſermone 84. Bernardus in ſermone de Natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, Origenes hom. 10. in Lucam, Græcique omnes Chryſoſtomum ſecuti.

Duodecimo igitur, iam natus vti Rex agnoſci voluit ipſorum temporalium Rex regum temporalium. Recte enim ſanctus Auguſtinus ſermone ſecundo de Epiphania: *In Præſepio, tunc iacebat* (Chriſtus homo) *& Magos ab Oriente ducebat.* Hæc Sanctus. quid vero Magi? Aurum, Thus, Myrrhamque obtulere. *In Auro*, canit Eccleſia in Reſponſoriis, primi nocturni, *vt oſtendatur Regis potentia; in Thure Sacerdotem magnum conſidera: in Myrrha Dominicam ſepulturam.* Hæc ibi. En itaque ex parte Chriſti, actus efficax ducentis Reges, ex parte Regum actus agnoſcentium regiam temporalium poteſtatem, diſtinguentiumque inter Sacerdotem, & Regem, munera debita Sacerdoti, & Regi; quod eodem modo in Magis interpretantur, vti diximus. Sanctus Gregorius homilia 10. Sancti Hieronymus in cap. 2. Matthæi. Ambroſius libro ſecundo in Lucam. Irinæus libro tertio cap. 10. Cyprianus ſer-

ſermone de ſtella, & Magis. Baſilius homilia de humana Chriſti generatione, Nyſſenus homilia de Natiuitate. Chryſoſtomus homilia prima in varios Euangeliſtas. Auguſtinus ſermone primo de Epiphania. & ſermone 37. Hinc Sedulius.

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi
Thura dedere Deo, Myrrham tribuere ſepulchro.

Hinc quoque ex Prudentio canit Eccleſia.

Regem, Deumque annunciant
Theſaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac Myrrhæus
Puluis ſepulchrum prædocet.

Sed enim probauimus ſupra à Chriſto, dum viueret, multos actus Regiæ poteſtatis emanaſſe. Quod ſic eſſe neceſſario confitendum nobis eſt è deductis. Præterea vero ex illo. Nam poſito agente, poſitis mediis, & obiecto, neceſſe eſt actus, qui prodit in obiectum, non modo prodeat à Deo cuncta in omnibus operante, non modo, quo ad Chriſtum, prodeat ab hypoſtaſi diuina, vt quæ agat, ſed etiam prodeat ab anima, vt qua hypoſtaſis diuina agebat; & cui regia poteſtas inſita erat in omnia creata.

Secundo etiam patet hoc. Anima Chriſti ſciebat omnia, quæcumque pertinere poſſent ad creaturas, volebatque agere, quidquid Deus volebat agi in illis. Poterat ex illo ampliſſimo dominio; quidquid volebat. qui fieri poteſt igitur, vt quæ egit, non egerit ex illo dominio Regali?

Sic igitur Chriſtus nouus homo, cæleſtis Adam, mirabilis ab exordio, cuncta recapitulare cœpit. Sed quomodo ſacerdotes tantæ recapitulationis, ac Regiæ poteſtatis participes erunt, vt ipſi etiam, ſint noui Adami, ſint ſuo modo ob participatam diuinitatem Chriſti? Adamus fuit à Deo formatus è terra, atque ex Adamo Eua: Chriſtus fuit à Deo formatus è Sanctiſsimæ Virginis puriſsimis ſanguinibus, idemque Chriſtus ſibi Eccleſiam formauit ex humana, vt aperiemus, natura ſua, ſibique illam coniunxit in vnum corpus, & carnem.

Chriſti Sacerdotes conficiunt Chriſti corpus, è pane, ac vino, illique adiungunt reuera, & corporaliter fidelium corpora, recapitulantes cum Chriſto, & in Chriſtum caput omnia reducentes.

Sed intueamur adhuc diuina aſpirante Dei ſummi Chri-

ſtique omnium Regis gratia, quæ dicta ſunt hucuſque à nobis propius, & diſtinctius. ac primo loco afferamus, quæ Sanctus Methodius Martyr in ſympoſio decem virginum pulcherrime tradit. Sic igitur ille. *Vnde recte Apoſtolus retulit ad Chriſtum de Adamo, ſic enim congruit ex oſſibus eius, & ex carne eius Eccleſiam eſſe factam; propter quam relicto Patre in cælo deſcendit verbum, vt exhibeat ſibi Eccleſiam glorioſam, & omnis maculæ expertem, emundans eam lauacro ad excipiendum ſpiritum, & beatum ſemen: quod ipſe intonat, & inſerit in profundo mentis; excipit autem illud ſemen Eccleſia, & format inſtar vxoris ad generandum virtutem, & alendam. Hac enim ratione impletur illud: creſcite, & multiplicamini, capiente Eccleſia incrementum per congreſſum, & communionem verbi, quod adhuc ad nos ſe demittit, & ſoporem capit ſecundum commemorationem paſſionis. Non enim poteſt Eccleſia aliter concipere credentes, & regenerare per lauacrum regenerationis, niſi & Chriſtus propter eos ſe exinaniens, vt capi poſſit ſecundum commemorationem paſſionis, vt dixi, iterum moriatur deſcendens de cælo, adhærensque vxori ſuæ præbeat virtutem quandam lateris ſui, vt augeantur, qui in eo ædificati ſunt omnes per lauacrum regenerationis.* Hæc Sanctus. è quo multa habemus.

Primum, ſicut ex Adami diuinitus immiſſo ſopore dormientis coſta ædificata eſt Eua, ſic è Chriſti crucifixi latere ædificata eſt, ſiue recapitulata Eccleſia Chriſti ſponſa. Eadem Tertulianus aduerſus Marcionem. Eadem cum Tertulliano SS. Auguſtinus aduerſus Fauſtum, Proſper libro de prædictionibus, Eucherius, Rabanus, Rupertus in Geneſim tradunt. Nam ſimulatque Chriſtus eſt mortuus, aperti ſunt cæli, eductis è limbo Patribus diuina beatitudo, contemplantibus illis Deum per eſſentiam, communicata eſt, ſublata ſunt veteris teſtamenti ſacrificia, noua ſacramenta ſancita, ac reipſa cœperunt omnia recapitulari in cælo, & in terra, reparante Angelorum ruinas Chriſto, cælumque terræ, & cæleſtibus terrena coniungens.

Secundum. quoties Chriſti corpus in terra cóficitur, idem quoad ſimiles effectus renouari, quod egit Chriſtus in cruce offerens ſemetipſum Deo Patri, ac reſtaurans, ſiue recapitulans vniuerſa. In eius namque commemorationem conficitur, & offertur illud idem corpus, eandem cum Chriſto continuantibus nobis oblationem, licet nihil illud patiatur. Eodem

tempore exiſtens in terra, & in cælo, quamuis diuerſo modo. Idcirco eſt vna oblatio cunctorum ſacerdotum, de qua Sanctus Paulus ad Hebræos, & Malachias cap. 1. nam tamquam Chriſtus, atque ex Chriſti perſona, inquit ſacerdos, hoc eſt corpus meum. & quando neceſſe eſt, vt adſit ſacerdoti poteſtas, & voluntas, quas neceſſario comitatur ſcientia: propterea ſacerdos tam magna omnipotenti Deo reſeruata, potens, ac patris potentiæ ſimilis, ſciens, ac ſcientiæ filij ſimilis; volens, ac Spiritus ſancti bonitati ſimilis Trinitatem referens altiſsime eſt inſtar, & Chriſti amoris noſtri, & Dei ſummi.

Tertium. per hoc corpus in terris confectum, & oblatum Deo regenerari fideles, augeri, doceri intime, carnemque noſtram Chriſti carni adhærere, & coniungi, quod *reipſa*, inquit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum, *nos efficiat corpus ſuum, carneſque noſtræ illius carni coniungantur*. Eadem Sancti Auguſtinus pſal. 142. Irenæus, Dionyſius de eccleſiaſtica hierarchia par. 3. cap. 3. Hilarius libro 8. de Trinitate, Cyrillus Hieroſolymitanus in cathecheſibus, & Alexandrinus lib. xj. cap. 26. ac proprio libro Algerius multa colligens, Guitmundus Auerſanus, Paſchaſius Corbeienſis, quorum dicta lib. 13. & 14. de Signis Eccleſiæ Dei recitauimus. & in his oracula quædam Sybillę à libro quinto, in quibus vocat Eccleſiam Chriſti domum Dei, templum è Sanctis conſtructum, è corpore ipſius Dei: rurſus eodem libro tradit eſſe vrbem, ædem, turrim, carne vna cond tam pulchriorem Luna, Sole, Stellis, ad nubes pertingentem. Quamobrem ſexto ita concludit.

Ἐκ δὲ μιῆς ῥίζης ἄρτου κορὸς ἔσεται ἀνδρῶν
Οἶκος ὅταν Δάβιδ φύη φυτὸν, ἐν χερσὶ δ' αὐτοῦ
Κόσμος ὅλος καὶ γαία, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα.

Ideſt.

Ex vna autem radice panis nouellum germen erit virorum
Domus cũ Dauid germinabit germen, in manibus vero eius
Mundus totus, & terra, & cælum, & mare.

Quartum. per idem corpus, à quo regeneramur, augemur ad bona animi, docemurq; omnia bona, vt retulimus ſupra renouanda noſtra corpora, glorificanda, vna cum tota vniuerſitate rerum. Nam corpus illud animatum, glorificatum diuinitatis templum, ſubſiſtens in hypoſtaſi diuina, firmat omnia noſtra ab bonum, connectens in ſe ipſo, Deoque arctiſsime ani-

animam, corpusque noſtrum ſimul per virtutes, ſpiritumque diuinum, bona animi, & corporis noſtri, cum bonis animæ, & corporis illius, Deique ſummi. Nam ſicuti à prudentia naſcuntur, ordinantur, ac reguntur omnes virtutes ad omne bonum morale; ſic à gratia defluente per illud ſanctiſsimum corpus nos afficiente, & in ſe, niſi obex ponatur, infallibiliter conuertente naſcuntur, ordinantur, ac reguntur, non modo omnes virtutes morales, & diuinæ; ſed dona etiam Spiritus ſancti ad bonum ſupernaturale; ita vt maior ſit, firmior, ac potentior eſſentialis ſubordinatio illorum quatuor, quæ retulimus. Inferioris nempe ad ſuperius. ea ſunt externa pertinentia ad corpus humanum, corpus humanum, anima, Deus. Rurſus externa bona pertinentia ad corpus humanum, bona corporis humani, bona Dei. In ordinatione enim quatuor iſtorum ſublato ſuperiori tolluntur omnia inferiora. Quocirca totus inferioris ſtatus, ac fœlicitas pendet à ſuperiori, & quanto magis inferius ſubijcitur, coniungiturque ſuperiori, eo magis ſtabit inferius, ac fœlix erit (atque hoc verum ius ſtatus.) Recte enim Philoſophus Eudemiorum ſeptimi capite octauo. *Patet autem ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo eſt Deus, & viciſsim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine. Rationis autem non eſt ratio, ſed præſtantius quiddam eſt principium. quid autem ſcientia præſtantius eſt, niſi Deus? Nam virtus eſt intellectus noſtri inſtrumentum.*

Hæc ille ſupra virtutem, & intellectum ponens Deum, qui moueat infallibiliter ad intelligendum, conſequendam virtutem, dirigendas intimas actiones per illam, per prudentiam, actiones intellectus, per iuſtitiam actiones voluntatis, per temperantiam actiones cōcupiſcibilis, per fortitudinem iraſcibilis. Ex his bona corporis, atque è corporis bonis correſpondentia bona externa, fructusue illorum. Sicuti autem tres prudentiæ ſunt ſubiectæ virtutes Græce εὐβουλία, σύνεσις, γνώμη, bene conſiliari, bene iudicare, ac bene ſentire. vt habetur in ſexto Ethicorum. Atque ad hanc vltimam pertinet iudicare, quid agendum ſit altius præter ordinarias, & vſitatas regulas, vt declarat optime Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 57. art. 6. & 2. 2. quæſt. 51. artic. 3. Sic Chriſtus Deus per ſuummet corpus noſtro coniunctum reipſa, vel animi deuotione, ac deſiderio, vel infuſa diuinitus per ſacramentum propenſione animæ bene diſpoſitæ intellectum gratia ſua perficiens, no-

uamque in ea gratiam creans, & cum gratia virtutes, & dona infundens, maxime vero ad altiſsima, infallibiliter mouet, quatuorque illa, & eorum bona coordinans excellentiſsime, & connectens ad mundi totius glorificationem, nobis miniſterio ſacerdotali, vt explicauimus. adiungitur & quandiu ſpecies permanſerint, adhæret. Hinc tandem noſtra corpora reſurgentia ſupra cælos extollentur, & Chriſti corpori, (cum nullum ſit circumfuſum ſupra cælos corpus,) ſine vllo corpore intermedio mirabiliter, cum diſtinctiſsima ſint, coniunctiſsime in idem, quod ſupra diximus, copulabuntur.

Sic itaque è ſuperioribus argumentamur. Quicumque vna cum Chriſto ex participata ipſius poteſtate actiua, licet inſtrumentali; ſed tamen ſciente, & volente (non enim conficit corpus Chriſti ſacerdos, niſi volens) recapitulant omnia ſimul cum Chriſto, ij ſunt noui Adami cum Chriſto renouantes humanum genus, quoad animam, & corpus, & quæcumq; ſunt in terra, & in cælis, quod Angelorum loca, & ordines ob dæmonum ruinam deſertos, & vacuos reſtaurent. Atqui ſacerdotes huiuſmodi ſunt, vt à nobis eſt explicatum. Ergo ſunt noui Adami cum Chriſto efficienter ſimul, & inſtrumentaliter; ac proinde, vt ſupra aſſerebamus, multo nobilius, potentius, & amplius, quam Adamus, Sacerdotes, Parentes, ac Reges, ſunt quoad animam, corpus humanum, corporaliaque, & terrena cuncta.

Recte etiam concluſit B. Auguſtinus Triumphus quæſtione prima de poteſtate eccleſiaſtica par. 1. quæſt. 1. art. 1. *Poteſtas iuriſdictionis ſpiritualium, & temporalium immediata eſt in ſolo Papa: deriuata vero eſt in omnibus Epiſcopis, & Prælatis; ſed in omnibus ſæcularibus, & principibus eſt in miniſterium data.* Et articulo 3. *Dignitate quidem maior eſt poteſtas Papæ omni alia, quia ſicut dicit Beatus Ambroſius, & ponitur 56. diſtinctione cap. duo ſunt quippe. Aurum non tam precioſius plumbo, quam regia poteſtate eſt altior ordo ſacerdotalis.* Et mox. *Secundo poteſtas Papæ eſt maior omni alia maioritate cauſalitatis, quia eius poteſtas cauſat omnem aliam poteſtatem examinando, confirmando, iudicando.* Et dein. *Tertio poteſtas Papæ eſt maior omni alia maioritate auctoritatis, quia nullius Imperatoris, Regis, vel alterius principis leges, ſeu ſtatuta alicuius roboris, vel firmitatis eſſe cenſentur, niſi quatenus ſunt per auctoritatem Papæ confirmata, & approbatæ.* Et articulo 7. *Papa gerit vicem*

Chri-

Chriſti ſaltem quantum ad poteſtatem, & iuriſdictionem officij. in Chriſto autem planum eſt fuiſſe poteſtatem Regalem, & ſacerdotalem, quod oſtenſum eſt. Primo in eius incarnatione, ſecundo in eius conuerſatione, tertio in eius paſsione, & in eius reſurrectione. Et art.8. *Bona temporalia, & ſpiritualia ad tria poſſunt comparari. Primo ad eorum productionem; ſecundo ad eorum ordinationem; tertio ad eorum motionem, vel actionem. & ſecundum iſta tria tribus rationibus oſtendi poteſt in Papa eſſe potentiam ſuper omnia.*

Primo quidem propter eorum productionem; quia non ab alio producta ſunt temporalia, & ab alio ſpiritualia, vt Manichæi putauerunt: ſed ab eodem Deo, à quo producta ſunt ſpiritualia, ab eodem etiam producta ſunt corporalia, & temporalia: Papa ergo qui gerit vicem Dei in terris, ex quo habet poteſtatem ſpiritualium, habebit ſimiliter poteſtatem temporalium, & corporalium.

Secundo, hoc patet propter eorum ordinationem: ordinantur enim ipſa bona temporalia, & corporalia ad bona ſpiritualia tamquam organa, & tamquam inſtrumenta. Vnde philoſophi poſuerunt, quod ſine exterioribus bonis, quorum fortuna putabatur domina, non contingit eſſe felicem, & virtuosè operari. Componitur enim homo ex anima, & corpore. Vnde ſicut ipſum corpus ordinatur ad animam, & eſt inſtrumentum eius mediante quo exercet operationes ſuas: ſic ipſa bona temporalia ad bona ſpiritualia, ordinantur mediante Papa. Papa ergo, qui habet prouidere ſuis fidelibus de ſpiritualibus, habet eodem modo prouidere de temporalibus, & corporalibus, ſine quibus ſpiritualia in vita iſta politica exerceri non poſſunt. Vnde Apoſtolis dicentibus: Dimitte turbas, vt ſibi emant eſcas, dictum eſt: Non habent neceſſe ire, date vos illis manducare.

Tertio, hoc patet propter eorum motionem, & operationem. Videmus enim, quod temporalia, & corporalia mouentur, & regulantur in eorum operationibus per ipſas intelligentias in tantum, vt Philoſophi ſecundum numerum mobilium corporum poſuerunt numerum motorum, ſicut patet 12. Methaphyſicæ. Iſtos etiam motores poſuerunt omnes regulari, & moueri ab vno motore primo, qui eſt Deus. Auguſtinus etiam dicit, omnem ſubſtãtiã tẽporalem, & corporalem adminiſtrari per Angelos. Papa ergo in quo eſt poteſtas ſpiritualis, habebit per ipſam poteſtatem ſpiritualem; ſimiliter diſponere, & ordinare de temporalibus.

Abunde igitur eſt probatum Clericos, Sacerdotes, & Epiſco-

ſcopos eſſe Parentes, ſapientiæ Magiſtros, ac participata diuinitus poteſtate admirabiliter Deos, omniaq́; eis deberi, neque adhuc iuſtitiæ diuinæ, ac naturali ſatisfactum, qua iubetur, vt æqualibus æqualia, paribus paria reddantur. Recte hoc Sanctus Paulus expreſsit, cum detinuiſſet apud ſe ſeruum Philemonis Oneſimum, peteretque ei remitti, ſi quid nocuiſſet inquiens. *Ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis euangelij; ſine conſilio autem ſuo nihil volui facere, vti ne veluti ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* En oſtendit ius ſibi fuiſſe illum retinere, neceſsitatemque imponere ſine conſenſu domini. Et mox illum remittens addit. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego reddam, vt non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes.* Vide non modo Philemonem debuiſſe Paulo ſeruum, ſed & ſeipſum, neque obligatum fuiſſe Philemoni Paulum quidquam reddere. Idcirco, & Irenæus. *Offerre igitur* ait lib. 4. cap. 34. *oportet Deo primitias eius creaturæ, ſicut & Moyſes ait: non apparebis vacuus ante conſpectum domini Dei tui; vt in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum, qui eſt ab eo, percipiat honorem, & non genus oblationem reprobatum eſt: oblationes enim, & illic, oblationes autem & hic ſacrificia in populo (* Hebræo *) ſacrificia & in Eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantum. quippe cum iam non à ſeruis, ſed à liberis offeratur. Vnus enim & idem Dominus, proprium autem character ſeruilis oblationis, & proprium liberorum, vt & per oblationes oſtendatur iudicium libertatis. nihil enim otioſum, neque ſine ſigno, & ſine argumento apud eum, & propterea illi quidem decimas ſuorum habebant conſecratas. qui autem perceperat libertatem, omnia, quæ ſunt ipſorum ad dominicos decernunt vſus hilariter, & libere dantes ea, non quæ ſunt minora, vt pote maiorem ſpem habentes, vidua illa & paupere, hic totum victum ſuum mittere in gazophylacium Dei.* Hæc Sanctus, à Chriſtianis omnia libere data, & data olim tradens in dominicos vſus, loco decimarum, quæ erant in antiqua lege.

Sic etiam Aquiſgranenſe Concilium dicit, idcirco ad Apoſtolorum pedes omnia fuiſſe proiecta, quod ab eis cuncta recte ſint adminiſtranda, & diſtribuenda, & ad ipſos omniũ pertineret adminiſtratio, & diſtributio.

Quin audet aſſerere Beatus Auguſtinus Triumphus illud parte 1. quæſt. 1. art. 1. *Si inueniatur quandoque aliquos Imperatores*

tores

tores dediſſe aliqua temporalia ſummis Pontificibus, ſicut Conſtantinus dedit Siluestro, hoc non eſt intelligendum eos dare, quod ſuum eſt, ſed reſtituere, quod iniustè, & tyrannicè ablatum eſt. Hæc Beatus Auguſtinus.

Eadem Franciſcus Mayronis, cognomento Illuminatus. in quartam diſtin. 19. quæſt. 4. ad finem, *Canoniſtæ dicunt, quod in ſpiritualibus præſidet Papa, Imperator vero in temporalibus; probo, quia Imperatores dederũt bona temporalia Papæ, & Eccleſiæ, ſed hic dicitur, quod de facto ſic fuit, ſed de iure Papa debet dare imperium Imperatori, & alia bona temporalia.* Hæc Franciſcus.

Quin ea S. Pauli, verba ad Romanos, cap. 8. *Qui proprio filio ſuo non peperit, ſed pro nobis tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Et referuntur à S. Auguſtino, & multis, vt omnia ſint Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus donata in honorem Dei ſcilicet, & 1. ad Corinth. cap. 3. *Omnia veſtra ſunt*, & mox, *Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Quorum ſane verborum cum multiplex ſit ſenſus, neque hic eſt alienus, vt Eccleſiæ Chriſtianæ ſint omnia ſubiecta, ac Sacerdotibus eius, non vti ſingulis, ſed vniuerſis, aut ſingulis, vti parti vniuerſitatis inquemlibet honorem Chriſti, & Dei.

Ob has igitur cauſas felicisſimi quique, & optimi Reges, & Imperatores imperia regnaque Eccleſiaſticis ſubiecerunt, Regum, & Imperatorum electionem eis dantes, cenſum è regnis, ac tributum ſolui conſtituentes, vt aperuimus ſignis de ſumma Regum reuerentia, & ampliſsimis donis, tomo ſecundo, quod accidit in Occidente. ſecus in Oriente. Quocirca in Occidentibus regna, imperia, familiæ nobiles antiquiſsimæ, cunctaque temporalia bona Deus maxime prouexit. contra autem miſerrime ad barbariem, feritatem, vaſtitatem, ſqualloremque Orientalia deduxit; omnem familiarum priſcam nobilitatem ſuſtulit; ciuile, atque humanum regnandi genus euertit, artium doctrinarum, & omnium denique temporalium bonorum copiam, iucundumque vſum remouit, quod vltimis libris de ſignis Eccleſiæ Dei, & de ruinis gentium, ſatis eſt explicatum. Quod ſcilicet eſſentialis ſit, ſubordinatio inferiorum ad ſuperiora, inter hæc quatuor, Deum, animam, corpus, externa, quatenus hæc referuntur ad corpus. Rurſus, bona Dei, bona animi, bona corporis, bona externa: & quoniam Chriſtiani Sacerdotes corpus Chriſti fontem

gratiæ totius, reipſa conficiunt pro totius mundi ſalute,offerunt,illudque,& ſacramenta adminiſtrãt, vt oblatione totius mundi caſum retineant, regenerent humanum genus, vim dent, intermortuam vim reſuſcitent ad vitam, propterea participata diuinitate Dij ſunt,Parentes, ac Reges, cum tradunt animæ regeneratæ bona Dei,bona animi, ac propterea, bona corporis,ac bona externa, vtſupra certiſsimis eſt euentis comprobatum.

Cum legis antiquæ omnia fuerint vmbræ eorum quæ ſunt in Euangelica lege, & antiquis Sacerdotibus fuerit ampliſsima olim poteſtas data ſupra omnem ſæcularem. multo maxime noſtris aderit.

Cap. VI.

QVantum poteſtatis, honoris, rerumque omnium ſit adhuc Clericis nouæ legis iure diuino dandum, poſſumus colligere ex iis, quæ dabantur antiquæ legis miniſtris; differentiaque inter hos, atque illos.de hac primum videamus. aperte enim S.Paulus Rom.7. antiquæ legis miniſtros vocat miniſtros vitæ, quod ſcilicet illi pœna mortis æternæ appoſita legem præſcriberent; ad obſeruandam verò legem,vires aut nullas, aut exiguas darent. At Euangelij miniſter per ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & alia,quæ ſæpius iterari poſsunt,vt Confeſſionis,Euchariſtiæ, extremæ Vnctionis, vires intime immittit vitales impulſus, quibus valeamus præſcriptæ legi obedire. quod ſi quid magnum dabatur, ob miniſterium ſuum primis, multo maiora præſtabuntur Euangelij miniſtris. Quis enim ſoluat aliquid ei, qui occidit? ei certe, qui vitam largitur. Nihil eſt tanti, quod retribui poſsit.

Rurſus idem S.Paulus, ſcribit antiquam legem fuiſſe vmbram,ſed Euangelium imaginem. Denique illam tradit fuiſſe figuram,ſed hoc ipſum Corpus.Heb.10.1. Cor.10. Si quid igitur magnum præſtabatur figuræ, & vmbræ, multo maius ei it præſtan-

præſtandum corpori, & imagini. Quocirca S. Thomas cum verba faceret de decimis 2.2. quæſt. 87. art. 1. ſic aiebat, *Determinatio decimæ partis ſoluendæ, eſt autho ritate Eccleſiæ tempore noua legis inſtituta, ſecundum quandam humanitatem, vt ſcilicet non minus populus noua legis miniſtris noui Teſtamenti exhiberet, quã populus veteris teſtamenti exhibebat, cũ tamen populus noua legis ad maiora obligetur ſecundũ illud Matthæi 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. & cum miniſtri noui teſtamenti ſint maioris dignitatis, quam miniſtri veteris teſtamenti, vt probat Apoſtolus 2. ad Corinth. 3.* Hæc Sanctus, duas ob cauſas plura danda volens Euangelij miniſtris, & quod ipſi ſint digni maioribus, & quod populus Chriſtianus ad maiora ſit obligatus. quæ S. Thomas dixit, ante ipſum dixerat S. Auguſtinus ijſdem prope verbis in Pſalm. 146. dixeratque aliis Sanctus Paulus epiſtola ad Hebræos cap. 10.

In primis igitur Principes, & Iudices ſæculares rerum ſæcularium deligebantur à ſacerdotibus, ac nihil agebant niſi conſulto ſacerdote: legimus enim Numerorum cap. 20. ſic Moyſem precantem. *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, vt poſſit exire, & intrare ante eos, & introducere ne ſit populus Domini, ſicut oues abſque paſtore. dixitque Dominus ad eum: Tolle Ioſue filiũ Nun, virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote;* (hic ſucceſſerat Aaroni) *& omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorũ Iſrael. pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum, ad verbum eius egredietur, & omnes filij Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* Hæc ibi rurſus, cum diuidenda eſſet terra. Sic legimus Ioſue cap. 14. *Hoc eſt quod poſſederunt filij Iſrael in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar ſacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarũ pro tribubus Iſrael, ſorte omnia diuidentes.* Hucuſque ſcriptor Sanctus. Poſt Ioſue fuit electus Iudas iudex conſulto per ſacerdotes Domino, vt habetur Iudic. cap. 1.

Sic itaque principes ſæculares eligebantur ab ijs, qui diuino miniſterio conſecrati erant, neque illi expediebant quidquam graue ſine voluntate ſacerdotis.

Rurſus Moyſes delegit inferiores iudices ſeptuaginta ex

Nn ordi-

ordine ſæculari ſex è qualibet Tribu, vt quemadmodum cuilibet tribui erant ſex loca ſacerdotibus aſsignata, & propria, ſic etiam cuilibet tribui eſſent etiam ſex ſupremi principes præter illum primum, cuius locum tenebat Ioſue, vt habetur Numerorum cap. 11. & Pontificem ſummum. Amplius in omni oppido iuſsit Deus eligi iudices, ac miniſtros, quod legimus Deuteronomij, cap. 16.

Subijcit autem Deus cap. ſeq. *Si difficile, & ambiguũ apud te iudiciũ eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinẽ cauſam & cauſam, lepram, & lepram, & iudicium inter portas tuas videris verbã variari, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq́ue ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq́ue ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies, quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, ſequerisq́ue ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram; qui autem ſuperbierit nolens ſuperbire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* Hæc ibi.

E quibus multa habemus præter ea, quæ ſupra conſiderauimus de iudicibus primis Ioſue, & Iuda. Ac primo iudices cũctos fuiſſe à ſacerdotibus delectos, vel omnino, vel de ipſorũ conſilio. Deinde cauſas Leuitici generis à ſolis iudicibus ex ordine ipſorum iudicatas, cum Leuitæ ſeparati habitarent à reliquis laicis, & proprias vrbes haberent. Amplius cauſas inferiorum iudicum dubias delatas ad ſummum ſacerdotem, & iudicem ſimul, ad ſacerdotem, vt ipſe definiret, ac ſententiã ferret; ad iudicem, vt non obedientem ſententiæ ſacerdotali morte mulctaret: atque ita, qui vocabatur Iudex, erat exequutor. Poſtremo idem ſtatutum fuiſſe apparet in omni ambiguitate, ſiue rerum ſæcularium, ſiue ſpiritualium; licet enim lepræ cognitio videri poſſet ſpiritualis; tamen ſanguinis cognitio ſpiritualis non erat, neque cauſæ nomen pertinet ad ſola ſpiritualia; nam cauſæ nomine lis quælibet continetur, & patet hoc etiam. Nam ſpirituales cauſæ à ſolis Leuitici generis viris cognoſcebantur in vrbibus ipſorum. manifeſte itaq; loquitur eo loco Deus, de quacumque ſæculari cauſa.

Aliud præterea iudicium Deus voluit pertinere ad ſacerdotes, & ſæculares ſimul. Nam licet ſæcularia vellet à ſæcularibus definiri in vrbibus ipſorum, neque ipſorum iudicia defer-

deferri ad ſacerdotes, niſi cum iudices inter ſe diſſentiebant; tamen calumniantium iudicia volebat primo loco ad ſacerdotes deferri, & ſecundo ad ſæculares: ſic enim Deuteronomij cap. 19. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prauaricationis, ſtabunt ambo quorum cauſa eſt ante Dominum in conſpectu ſacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis; cumque diligentiſſime perſeuerantes, inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitauit.* Hæc ibi.

Apparet itaque, quid iure diuino quantum ad poteſtatem in ſæcularia ſacerdotibus deberetur in veteri teſtamento; ſed aliquando vtraque poteſtas in vnam conueniebat, veluti accidit in Heli, ac Samuele. Hi namque & ſacerdotes erant, & ſimul etiam iudices primarij rerum ſæcularium, quod conſtat è primo Regum.

Quamobrem ſi tanta erat poteſtas antiquis ſacerdotibus, ac tanta exemptio, multo maior debet eſſe Euãgelij miniſtris. Neque dicat aliquis correctam in his antiquam legem. Nam multipliciter à nobis reſpondetur.

Primo in iſtis, quæ pertinẽt ad ius vnicuique tribuendum, non eſſe antiquam legem correctam, ſed amplificatam, vt conſtat è Matthæi cap. 5. At iudicia ſacerdotibus iure attribuuntur ob cauſas ſuperius allatas.

Secundo quantum ad poteſtatem, dignitatemque eccleſiaſticorum reſpectu ſingularium pertinet; dicimus adeo non eſſe antiquam correctam, vt maxime fuerit amplificata: nam ſicuti poteſtas in ſpiritualibus tradendis eſt aucta, ſic in ſæcularibus moderandis quoties agitur de peccato. Hæc enim mutuo ſe reſpiciunt; quod conſtat ex ijs, quæ tradit Sanctus Paulus 1. Corinthios 6. vti infra aperietur, & ad Hebræos cap. 7.

Tertio in ijs, quæ reducuntur ad decalogum, non eſt correcta antiqua lex, vt ex adducto cap. 5. Matthæi liquet, ac poſt alios tradit Sanctus Thom. 2. quæſt. 100. art. 3. & opuſculo de præceptis. At obedientia debita ſacerdotibus imperantibus pertinet ad primum præceptum ſecundæ tabulæ. Nam ſacerdotes ſunt parentes, vt ſupra vidimus, ac multo nobiliores, quam corporis patres, vt idem tradit opuſculo eodem. Sanctus Bonauentura in tertia diſtinctione 37. in expoſitione litteræ.

Quarto in ijs, quæ ſunt iuris naturalis, non eſt correcta lex antiqua. Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 100. art. 1. eſſe autem iuris naturalis, vt ſacerdotes in omnibus vel iudicent, vel legi ipſorum conſona lex, ac ſententia feratur. ſintque ipſi liberi, iſtud eſt iuris naturalis, vt ſupra vidimus, ac fuſius proprio libro aperietur.

Quinto non eſſe abrogatum caput illud, tradit inter alios Sanctus Cyprianus ep. 6. vel 11. lib. 1. & 7. vel nono lib. 3. aliiſque, quos infra adducemus.

Mox tamen Deus ad cordis duritiam conceſsit Iudæis regem, per quem licet admodum fuerit imminuta eccleſiaſtica poteſtas in ſæcularia, plurimaque ſæcularia deferentur ad Regem, magiſque hic ob bellicam potentiam honoraretur, timeretur, adiretur, vbi de actibus ſacerdotum propriis non agebatur: tamen in maximis quibuſque erat ſacerdoti ſubiectus Rex iure diuino; atque ideo non efficitur è Regis creatione, quin eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas in cuncta ſæcularia ſit iuris diuini in nouo teſtamento multis de cauſis.

Ac primo loco, Rex ille olim, qua parte imminuebat eccleſiaſticam poteſtatem, datus fuit Hebræis ad duritiam cordis, repugnante, vt ita dicamus, & inuito Deo. quod conſtat è cap. octauo Regum primi, & infra deducemus quantum fuerit hoc peccatum populi. In teſtamento autem nouo ſi diuinum ius velimus, & Euangelium ſequi, neque eſſe Hebræis deteriores non admittitur duritia cordis, vt habetur Matthæi cap. 19. Ezech. 11.

Secundo reſpondetur. huiuſmodi Regem fuiſſe electum ſemper à Deo per os ipſius ſacerdotis, atque illum fuiſſe habitum Regem, quem ſacerdos, aut Deo conſecratus ipſe Regem pronunciaſſet, atque vnxiſſet; neque aliter licebat ipſi populo eligere Regem, niſi audita Dei voluntate per os eius, qui Deo conſecratus eſſet, & ab ipſo vnctus: alioquin populus faciebat contra diuinum mandatum. Sic enim Deus ipſe cap. 17. Deuteronomij alloquens Hebræum populum. *Cum ingreſſus fueris*, ait, *terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſque in illam, & dixeris, conſtituam ſuper me Regem: ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum ſuorum.* Hæc Deus, qui eligebat non ipſe proxime abſque alicuius interuentu, vel ſolo populi interuentu,

ſed

ſed intermedio ſacerdote, non modo declarans ſuam voluntatem; ſed etiã per eundẽ conferens interueniente ipſius vnctione poteſtatem, quæ clariſsime è libris Regum patent, innumeraque extant eius, quod dicimus exempla, quod ſcilicet adhuc, quo ad ortum ſuum Regia poteſtas à ſacerdotali penderet, ac pullularet. ac patet præcipuè in Regibus Samariæ, quorum plurimi regia poteſtate, ac vita ipſa priuati ſunt non alio iure, niſi quod Deo conſecrati viri ius Regiæ poteſtatis in alios, quos vngebant, tranſtuliſſent. quod certe nullo modo fieri licuiſſet priuatis alioquin hominibus, ac ſubiectis ipſi Regi tum viuenti, vt eam necarent, niſi ius è manu ſacerdotis, & ſacrati iuri accepiſſent, ac ſacratis viris hæc auctoritas adfuiſſet. Neque dicat aliquis Deum, per illos Prophetas, qui nouos Reges vnxerunt, ſuam tantum ſignificaſſe voluntatem, quam palam fiebat à ſe reijci primos Reges, ac dari poteſtatem regiam nouis. Non enim tãtum ſignificabatur hæc Dei voluntas per iſtos Prophetas; ſed etiam per eos dabatur poteſtas Regia ex antiquo iure, quo conſecrati Deo viri ſolebant Reges creare. Qua in re noui duntaxat eueniebat, vt hic, aut ille eligeretur à Deo ex ijs, quæ ſibi cõſecrati erant, vt hanc Regiam poteſtatem conferrent, quod multis probatur.

Primo, quoniam ſi Prophetæ iſti diuinam tantum voluntatem pronunciaſſent non erat, quod ipſi ſemper vngerent electos Reges. ſatisfuiſſet, ſi quis vnxiſſet, aut etiam ſatis erat, vt non vncti regnarent, atqui Dauid vnctus eſt à Samuele, ac Dauidi per hanc vnctionem fuit adiudicatum regnum.

Secundo Salomon fuit vnctus à Sadoc, ac regnum fuit attributum Salomoni, non ulli è fratribus ipſius maioribus.
Tertio Iehu fuit vnctus de mandato Eliſei. 4. Reg. 9. ac protinus ille, cum miles eſſet, ac ſubiectus Regi Ioram, ſumpſit arma in ſuum Regem, necauit ipſum cum fratribus ſeptuaginta.

Tertio, licet electus eſſet Rex, accepta per manum ſacerdotis à Deo poteſtate, ita vt non proxime à Deo poteſtas hæc in electum Regem deriuaretur, ac licet Rex aduocare ad ſe potuiſſet quodcumque iudicium; niſi tamen aduocaſſet certo, & expreſſe certas aliquas cauſas, ſingulæ tamen eo modo, quo prius cognoſcendæ, ac decidendæ pertinebant ad ipſos ſacerdotes, neque poterat in vniuerſum Rex auferre

ſacer-

ſacerdotibus iudicandi legitimam, iuſtamque poteſtatem.

Quarto, licet Rex poſſet aliquas cauſas,& quaſcumque ſæculares cognoſcere, neque ipſi liceret in vniuerſum ſæcularium cognitionem,quantum prius ſacerdotibus dabat lex,auferre, tamen adhuc in ijs quas iudicabat, & in cunctis agendis cogebatur ſequi interpretationes ipſorum ſacerdotum, quas afferebant ad leges iudiciales, ac morales in diuinis libris deſcriptas, atque ita quodammodo ſimplex executor erat eorum,quæ ſentiebant ipſi ſacerdotes.Probatur hoc primo è cap.17.Deuteronomij,in quo ſic ait Deus. *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba,& ceremonias eius,quæ in lege ſcripta ſunt.* Hucuſque Deus E quo multa colligimus, ac primum mandari Regibus, vt leges diuinas,& quid nam ſit præceptum Dei,non poſsint aliunde accipere, quam è manibus ſacerdotum; ſecundum non licuiſſe Regi auferre cauſarum ſæcularium vel cognitionem, vel definitionem, quaſcumque eis dabat diuina lex, aut ipſis ſacerdotibus, aut ſæcularibus inuitis. Tantum licebat, & cognoſcere, ac definire ad ſe delatas cauſas, vel vltro accedentium, vel non repugnantium ſæcularium; nam præcipitur ei, vt Deuteronomium ſeruet, eius præcepta cuſtodiat, at in Deuteronomio cauetur, vt penes ipſum ſacerdotem foret difficilium cauſarum cognitio, cum cæteri iudices diſſentiebant,& calumniarum definitio, & reliqua de quibus ſupra. Secundo probatur non licuiſſe Regi abſcedere ab interpretationibus legis, quas dediſſent ipſi ſacerdotes: ſic enim Malachias capite ſecundo. *Labia enim ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam,& legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Hæc vates, qui cum primo capite oſtendiſſet ad ſacerdotes pertinere, vt ſpiritualia, ſacraque adminiſtrent; ſecundo adiungit ad eoſdem ſpectare, ne quod ſit crimen, delictumque in moribus populi, additque hanc cauſam, quod eius ſit in primis munus interpretari leges, ſcire illas, ac ſæcularibus tradere.

Quinto, adhuc aſſerimus remanſiſſe omnium ſupremam poteſtatem in Sacerdotibus,quoties iuſtitiæ defuiſſent ipſi Reges,

ges, quod non modo colligimus, quia poterant eis auferre ipſum Regnum; ſed etiam quod iure eis liceret alios ipſa vita ſpoliare. Sic enim legimus à Samuele ablatā vitā Regi Agag, ab Elia quingentis Prophetis Baal, quæ quidem Deus per horū manus haud permiſiſſet fieri, ſed alios elegiſſet, qui id exequerentur, niſi voluiſſet palam facere iure ad eos hoc ſpectare, vbi defuerint Principes ſæculares.

Sexto adhuc rex erat ſubiectus, ex alia ratione Sacerdotibus. Hi namque præſidebant collegio ſeptuaginta duorum, in quod cum bini è qualibet tribu deligerentur Pontifex ſummus è tribu Leui, præerat omnibus, ac regem poterat ſibi ſuoque iudicio ſubiicere, vt refert Ioſeph. antiq. lib. 14. cap. 17.

Septimo adhuc remanebat penes ipſos Sacerdotes cognitio lepræ, e quo ſcilicet morbo corporis contagioſo pellendus eſſet aliquis è cœtu humano, vt habetur Lucæ cap. 5. Leuitici cap. 14.

Octauo, num foret aliquis homicidij voluntarij reus, & num plectendus eſſet, huiuſmodi cognitio, ſpectabat ad Sacerdotes, qui ſoli habitabant in vrbibus refugij, vt apertiſsime habetur, Numerorum cap. 36.

Nono tanta eſt poteſtas in omnibus ipſius Sacerdotis quo ad oues ſibi creditas, vt reuocare in dubium poteſtatem hanc quamuis ob cauſam, vel illi aliam parem facere maxime criminis loco duxerit Deus. ſic enim Deuteronomij cap. 28. *Obſerua diligenter, ne incurras plagam lepræ, ſed facies quacumque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis iuxta id, quod præcepi eis, & imple ſollicite, memento, quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ.* Hæc Deus, quid autem criminis admiſit Maria. Audi, quod ſcriptum eſt Numer. 12. *Locutaque eſt Maria & Aaron contra Moyſen, propter vxorem eius Aethiopiſſam, & dixerunt, num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus, nonne, & nobis ſimiliter eſt locutus?* Hęc ibi mox deſcribitur indignatio Dei, lepramque Mariæ inflictam. E quibus conſtat non aliud Mariam locutam, quam & ſibi Deum locutum. & tamen hoc adeo Deus vetat, vt idem fieri aduerſus vllum Sacerdotem præcipientem vetet, ac lepræ pœna ſimiliue dignum ducat.

Sic itaque contra primariam Dei mentem Sacerdos in aliquibus olim Regi ſubiectus erat, ac poſtpoſitus, vt multi

Theo-

Theologi volunt,ſed in ſpiritualibus,& maximis quibuſcumq; omnino ſuperior in rebus ſæcularibus,vt Regia poteſtate tradenda,auferenda , legum moralium declaratione , ambiguarum litium,quæ ad Sacerdotes differentur,definitione,calumniantibus iudicandis,liber ab ipſius poteſtate , quo ad perſonam ſuam,quo ad res Deo conſecratas, aut conſecrandas,inferior pręter illa,quę dicta ſunt in his,quod Rex poterat imperare laicis quælibet tributa,bella adminiſtranda.Amplius Rex extra templum,ſacris actionibus exceptis,honorabatur à Sacerdote;ſic enim legimus Saulem quaſi debitum quiddam petiiſſe à Samuele , vt coram populo honoraret eum. Denique cum clariſsime patebat aliquem de templo à miniſteriis ſacerdotalibus amouendum de voluntate Dei, poterat Rex illi imperare vt recederet à templo; ſic enim iuſsit Abiatar Sacerdoti cum certiſsimum foret amouendum ex diuina voluntate,quod habetur 3.Reg.2. Cum iure alioquin directo miniſterium templi,Sacerdotiumque ſummum pertineret ad Sadoc,qui euectus eſt eiecto Abiatar,quod diſcimus è par.1.cap. 6.& Reg.3.cap.1.

Poſt annos tamen ſeptuaginta à ſeruitute Babylonica, rediit omnium tam ſpiritualium,quam ſæcularium poteſtas ad ſacerdotium , maxime vero viuentibus Aſſamonæis, vſque ad illud tempus,quo Herodes Aſcalonita Idumæus per ſummum ſcelus inuaſit regnum ,quod late deſcribit Ioſephus ; nos autem ſummatim retulimus libro tertio de Ruinis gentium,

His expoſitis colligimus,cum noſtris Sacerdotibus iure diuino innumeris partibus plura , ac maiora debeantur , quam legis antiquæ Sacerdotibus , multa certo concludi poſſe.

Ac primo loco cauſas omnes ambiguas rerum ſæcularium cum fuerint iudicia ſæcularium diſſentientia,diuino iure pertinere ad Sacerdotes,qnibus fuerit iuriſdictio communicata, vti Epiſcopos,Archiepiſcopos.Pontificem Romanum, vel multo his maiora,& plura.

Secundo calumniantium ſimiliter iudicia, aut his longe grauiora.

Tertio iuſtam regiæ poteſtatis,legitimamque collationem quæ fiebat per vnctionem,ſimulque huius abdicationem, ſiue multo amplius,

Quarto, An aliquid ſit ob morbum contagioſum corporis

expellen-

expellendum, vel an homicidij voluntarij ſit aliquis reus id cognoſcere,& iudicare,pertinebit ad ſacerdotes,aut his ampliora.quin eis aſsignanda erunt domicilia perfugij.

Quinto, cum maxime Deo placuerit, vt vtraque poteſtas maxime foret in ſummo ſacerdote, vti accidit tempore Moyſis, Heli, Samuelis, Aſſamonæorum, fueritque aliquando, qui inter Hebræos omnia tam ſæcularia, quàm ſpiritualia pleniſſimo iure adminiſtraret: concludi ex hoc videtur, deberi iure diuino hæc ſemper Pontifici Romano inter omnes Chriſtianos,vt vberiora ei demus,non ſane,vt deijciat Reges,vel prolibito poteſtatis aliquid eis auferat,ſed vt hi ſint ſummo ſacerdoti,& obedientiſsimi,& omnimodo ſubiecti,niſi cor Chriſtianum velint exuere, & induere Hebræum, ruereque in miſerrimam ſeruitutem alienigenarum, efferatarumque gentium, ſicuti ob Regis poſtulationem corruiſſe Hebræos ex perſona ipſius Dei clamat Oſeas cap.pen.

Sexto hæc, quæ hucuſque diximus, pertinent ad Aaronem, ſucceſſoreſque ipſius. At Pontifex Romanus Moyſen refert,vt è ſuperioribus liquet,atque è SS.Irenæo,Cypriano, Bernardo. Macario, Richardo è media Villa, Henrico Gandauenſi, & Apoſtolicis conſtitutionibus apparebit. qui quidem Moyſes cõſecrauit omnes ſacerdotes,ac templi miniſtros,delegit omnes bellicos duces, omnes iudices, tractauit omnia bella, totamque Remp.formauit. Hæc igitur omnia multo magis agere poterit Pontifex ſummus Vicarius Chriſti.

Denique igitur ſi opinari vllam poteſtatem poteſtati antiquæ ſacerdotali parem Deus criminis magni loco duxit, ſacerdotumque nouæ legis longe auguſtior cunctis poteſtas eſt exiſtimanda, ac iure diuino præcipitur nobis à S. Paulo illam eſſe vmbram noſtræ; an non hæreſis erit imminui vlla in re à poteſtate ſæculari Pontificiam poteſtatem?

Sic igitur eſt veriſsimum, quod S. Macarius ſenior homilia decima ſexta ſcripſit his verbis. *Quondam Moyſes,& Aaron, cum obtinerent ſacerdotium,multa pertulerunt. Caiphas autem eorum cathedram tenens ,perſecutus eſt, & condemnauit Dominum. Dominus tamen habens in honore ſacerdotium,hoc fieri permiſit. Ibidem Prophetæ paſsi ſunt à Moyſe perſecutionem. Poſtea Moſi ſucceſsit Petrus,qui nouam Eccleſiam Chriſto, nouumque ſacerdotium creauit.* Hucuſque vir Sanctus,volens eandem Petro datam poteſtatem in Eccleſiam, quæ Moyſi fuit, qui & iu-

dices,& duces eligebat,omniaque tam ſpiritualia,quàm ſæcularia moderabatur. Et Richardus de media Villa in 4.diſt. 24. quæſt.3.ad 5. *Moyſes inquit, expreſsius quam Aaron figurauit Chriſtum,qui fuit ſummus Rex,& ſummus Pontifex, & ex conſequenti Vicarium eius in terris, in quo ſimul ſub Chriſto eſt vtraque poteſtas*. Eadem Henricus Gandauenſis quodlibetô ſexto quæſt. 23. Simili modo S. Bernardus lib. 2. de conſideratione ad finem tradit in Pontifice ſummo eſſe Moyſis auctoritem. Sed & S.Irenæus ante omnes iſtos,ac Sanctus Cyprianus, quorum verba adduximus ad finem ſecundi libri.Quocirca ſic è conſtitutionibus Apoſtolicis, Græce ſcriptis lib. 2. cap. 39. quorum bina exemplaria vetuſtiſsima Antonius Auguſtinus Epiſcopus Ilerdenſis in ſua bibliotheca ſeruauit, aliaque alibi habentur concludemus.

1 *Hos (*Epiſcopos*) exiſtimate veſtros præſides, hos putate Reges,his quaſi Regibus vectigalia offerte; eos enim,eorumque domeſticos bonis veſtris alere debetis. vt enim Samuel in primo de Regibus libro de Rege alendo ſanxit populo, & Moyſes de ſacerdotibus in Leuitico. ſic nos (* Apoſtoli *) vobis de Epiſcopo ſancimus. Nam ſi illic populus tanti Regis proportione ea, quæ dicuntur ſeruitia præſtabat, annon multo magis debet nunc Epiſcopus accipere à vobis, quæ ſunt ei à Deo conſtituta ad alendum eũ, & clericos eius? Imo ſi quid amplius dicendum eſt, plus hic accipiat,quam ille olim accipiebat. Si quidem ille militaria tantum adminiſtrabat bello,& pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis; hic vero ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, vt pericula ab animo, & corpore propulſet. quanto ergo anima corpore præſtantior eſt,tanto eſt ſacerdotium regno excellentius. Ligat enim,aut ſoluit ſupplicia, vel remiſsione dignos. Quocirca Epiſcopum oportet vt patrem diligere, vt Regem metuere, vt dominum honorare, offerendo ei in benedictionem veſtram fructus veſtros,& opera manuum veſtrarum, tribuendo inquam, vt ſacerdoti primitias veſtras, & decimas veſtras primitias frumenti, vini, & olei,pomorum,lanæ,& quidquid Dominus Deus vobis ſuppeditat.*

Bona

Bona ſacerdotum, & clericorum, quæcumque ſint, magis ſunt pauperum, quam bona ſæcularium, magisque ſeruant id, quod dicitur, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. ideo præ cunctis maxime omnium domini, ac Reges, minimeque omnium in malum, maxime in bonum, & Deum omnium Regem. Cap. VII.

VErum videtur his obeſſe illud, quod legimus in Euangelio Matthæi cap. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* & multa huiuſmodi ſimilia, quæ maxime omnium faciunt contra eccleſiaſticæ poteſtatis oppugnatores.

Primo enim, cum finis vendendi ſit inter alios, vt detur pauperibus, de quo loquitur Chriſtus, quidquid eccleſiaſticis, & eccleſiaſticæ poteſtati datur, id patet omnibus pauperibus, ac maxime ſemper patuit; ſiquidem ſæcularia reſpicias, ac ſupra eſt probatum, gradatimque explicauimus Pontificatum ſummum, cum toto omnium temporalium, ſæculariumq. ſplendore, & circumfluentia patuiſſe pauperrimis; & videmus adhuc patere, modo merita ac virtutes adſint. Sic etiam Cardinalium dignitas, poteſtas Epiſcoporum, Sacerdotum, Clericorumque cum temporalibus bonis.

Secundo. dicimus, reditus eccleſiaſticorum bonorum pauperibus magis diſtribui, quam ſæcularium, quod etiam legibus cautum videmus, vti ſupra eſt probatum. Quin videas apertiſsime religioſorum monaſteria pauperibus, ſiue nobilibus, ſiue ignobilibus eſſe plena, ac raros è diuitibus reſpectu inopum, monaſterijs ſeſe includere, ibi aluntur, ibi docentur, ibi ad cæleſtia perducuntur ſumptibus eccleſiaſticorum bonorum. Quæ ſane haud conſpicies inter ſæculares, quod ſcilicet magis quærunt, quæ ſua ſunt, quam Ieſu Chriſti.

Tertio. hinc prædictum fuit ad Eccleſiã, capitaque, & principes eccleſiarum deferendas ampliſsimas opes, dignitates,

poteſtates, omnium denique temporalium bonorum ſuper exceſſum, quod habetur cap. 60. Iſaiæ, vt interpretantur Sancti Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Procopius, Gazæus, & Angelicus Doctor 2.2. quæſt. 162. artic. 1. ad 1. Id vero multis de cauſis fieri decet, atque oportet. Primo, quod omnia Chriſto debeantur omni iure, ac proinde etiam miniſtris ipſius. Secundo, vt externarum rerum ſplendore imperfecti alliciantur, neque aliquid deſit ad omnes in Deum perducendos; omnia namque illi ſeruire debent. Tertio, vt etiam modis omnibus cuncti in fide conſeruētur, atque obedientia Dei, non modo internis, qui non deſunt in Eccleſia Dei, propter tot inſtituta, variaq; religioſorum, ſed etiam externis. Quarto, vt cōmuni bono temporali magis per omnia prouideatur; eccleſiaſtica namque, vti diximus, magis communia ſunt cuilibet è qualibet conditione, ac proinde etiam pauperibus. Quinto, vt magis omnia conſeruentur ad bonum commune tam temporale, quàm diuinum, tam externum, quàm internum, ignobilium, nobilium, pauperum, diuitum cuiuslibet nationis, ac gentis, quod ſemper omnibus magis procurarunt, ac procurant eccleſiaſtici, & Pontifex ſummus, vt ſupra eſt deductum. Quamobrem conqueruntur in Saxonia, Germaniæque multis locis extinctas eccleſiaſticas dignitates, & bona, quoniā conferebantur ſæpe nobilioribus, qui ad pauperiem deuenerant; qui dein poterant ſubleuare auxilio virtutis accedente inopiam ſuorum, tuerique in bonum auitam dignitatem, conſecuti eccleſiaſticas poteſtates. Cumque prius Imperator ex conceſsione Papæ ampliſsimas decimas aliquando exigeret aduerſus Turcas ex eccleſiaſticis bonis, modo vix aliquid ſubſidij poteſt habere. Et in Anglia dolent extincta nobilitatis inſignia, nomina, titulos, & iura oppreſſa. Per has enim vias paulatim deuenitur, ac placide, non præſentientibus minus acutis, ad tyrannidem, qualis eſt Turcarum, & Mahometanorum, qui iuxta Mahometis legem iura ponunt in ferro, ſeu feritate belluina ſerpentum, ſenſim cuncta dæmonum more ad horrorem producente, ac præcipitante. Talis namque erit Antichriſtus, vt optime Sanctus Hippolytus libello de conſummatione mundi deſcribit, ac tales tyranni omnes, qui cuncta ita ad ſe reducunt, vt alijs, & communitati ſint prorſus occluſa.

Quarto, vt appareat alius, & vltimus finis, ob quem Chriſtus vult

vult vendi ſua, eſt quod ſubijcit, *veni, & ſequere me*. quocirca in Eccleſia Chriſti ad hoc, quantum fieri poteſt, tenditur, vt nemo ſit vllius rei Dominus, niſi Deus, qui eſſentialiter eſt Dominus, neque facere poteſt, quin ſit Dominus. Atque eatenùs domini ſint perfecte, aut imperfecte ſinguli, quatenus in Deū ſua referunt, ſuaque habent. Idcirco maximè domini ſunt eccleſiaſtici, ſiue vniuerſitas eccleſiaſticorum, & minimè omniū domini in malum. Hoc namque eſt deficere à dominio, bonóque omni tam diuino, quàm temporali, tam interno, quàm externo. ſicut enim poſſe non eſſe, eſt minus eſſe; ita poſſe deficere, eſt minus effici, & eſſe dominum. Quocirca primo loco eccleſiaſtica bona non ſunt hæreditaria; ſecundò non poſſunt referri, & expendi reditus eorum, niſi in vſus natura ſua pios; tertio propter hoc clerico cuilibet imprimitur diuinitùs imago Chriſti, Sacerdotis, ac Regis, vel diſpoſitio, id eſt, vel initiū characteris ſubſtantiæ, naturæue diuinæ participatæ, qua cognoſcit, ac vult ex intima propenſione bonum diuinum, penitùsque impellitur, aut diſponitur ad omnia ſua, ſiue eccleſiaſtica, & eccleſiaſtici tituli, ſiue ſæcularia referenda in vſus diuinos, aut alioquin pios, & ſua natura bonos, quod Chriſtus exegit ab illo, cui dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Quem quidem S. Matthæus indicat addictum fuiſſe temporalibus. Subijcit enim. *Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis: erat enim habens multas poſſeſsiones*. Quin à SS. notatur adoleſcens ille tamquā præfidens, quippe, qui dixerit de mandatis diuinis. *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute, quid adhuc mihi deeſt?* Sic enim S. Hieronymus. *Iſte, qui interrogat, & adoleſcens, & diues erat, & ſuperbus*. S. Chryſoſtomus quoque auarum dicit. Sic itaque, vt ex animo adoleſcentis auaritiam penitus extirparet, edixit illi, vt venderet, ac daret pauperibus. Eſſentialiter enim perfectio conſiſtit in charitate intima animi, qua quis Deo, diuinis, pijſque operibus dedicans ſemetipſum, cum ſuis omnibus, abiungitur ab omni vſu rerum non ordinato in Deum; ac tales fuere Noe, Abrahā, Iob, multi teſtamēti veteris, ac plurimi præterea noui. Chriſtus porro, & Apoſtoli omniū ſtatuū formā perfectā tradiderūt, ac ſeruauerunt, ſiue tanquam proprium, ſiue tamquam cōmune aliquid habuiſſent, ſupereminentiſsimè autem Chriſtus. quippe qui omnium Dominus erat, nec poterat non referre in Deum, vel ſecus vllo modo velle. Sic itaque

perfe-

perfectio conſiſtit in affectu interiori charitatis in Deum, & proximum, à qua pendent omnia, quod habetur Matthæi cap. 22. & quæ *eſt vinculum perfectionis*, ait S.Paulus ad Coloſſenſes cap.3. non in exteriori abdicatione, vti declarat optime ex his, alijſque SS. Auguſtinus libro de opere monachorũ cap.29. Abbas Moyſes in collationibus Caſsiani, Sanctus Thom. 2.2.quæſt.184.art.1.& 3. Hieronymus in illud Matthæi, *ſi quer es me*, Ambroſius in Lucæ cap.5.

Siue igitur clericus habeat aliquid tamquam proprium, ſiue tamquam commune, non efficit, quominus poſsit eſſe perfectus, atque eſſe ardentiſsimæ charitatis. In vniuerſum vero minus ex natura clericus abeſt à perfectione, ac ſtatu perfectionis, quam laicus; & cum ſit in vita actiua, indiget externis. Quocirca damnata eſt in Clementina: Cum inter nonnullos, de verb. ſignificatione, hæreſis, dicentium Chriſtum, atq; Apoſtolos nihil habuiſſe vmquam, vel in ſpeciali, vel in communi; diuerſis enim temporibus habuerunt, ac non habuerunt; ſed quomodocumque haberent, id habebant, non veluti ſuum, & proprium, ſed Dei; neque volebant aliter habere, largiri, aut eſſe: publice enim ſe cum ſuis omnibus Deo deuouerant, vti extrauagantes Nicolai IV. & Ioannis XXII. declarant ac tradunt. S.Antoninus par.4. tit.12. cap.4. §.14. Ioannes è Turrecremata lib.2. ſummæ. cap.112. in ſolutione ad decimum, late in extrauagan. cum inter nonnullos. verbo aſſerit, & verbo declaramus, de verb. ſignificatione. Pauperies igitur externa eſt inſtrumentum, quo perueniant homines ad perfectionem. Inſtrumenti autem quantitas, & magnitudo ſumitur ex proportione finis acquirendi, ſicut medicinæ magnitudo tanta eſſe debet, quanta ad ſanitatem perducit. Idcirco eatenus bona eſt pauperies, quatenus conuenit fini, cui præponitur aliquis à Deo. In ſæculo autem degentes, licet ſæculares non ſint, indigent bonis externis.

Quinto igitur dicimus eſſe neceſſarium, habere ampliora externa ijs, qui ſunt in culmine actiuæ, & contemplatiuæ vitæ, vti ſunt Epiſcopi, quod aiebat S.Cyprianus libro de Chriſmate, quos proinde aiebat eſſe Reges, & Sacerdotes ſimul, non propter ſe, ſed propter alios, vt in eos exerceant charitatem, ſuamque perfectionem communicent, & adducant omnibus modis illos ad Deum, ſintque, quod ait Apoſtolus 2.Corint.6. *Tamquam nihil habentes & omnia poſsidentes*. Hinc 1.Corin.7. mo-

monet,vt ſint, *qui poſſident tamquam non poſſidentes*. Idcirco Epiſcopi dicuntur eſſe in ſtatu perfectionis exercendæ, vt optime definit S.Thomas,poſt alios 2. 2. quæſt. 184. articulo 6. In omnibus enim debent exercere perfectionem; interne, atque externe, inſtar Dei; Chriſtique omnium temporalium Domini,ac diſtributoris. Non poterunt autem perfectionem, charitatemque exercere externe in temporalibus externis, niſi habeant externa,per quæ ijs, quos diximus, modis alios adducant ad Deum; quod ipſis quidem non nocet, ſed ouibus ipſorum, quibus ex præcepto iuſtitiæ, pro virili tenentur prouidere,tamquam filijs;nocet etiam communi, tam temporali, quam diuino bono,vt tertio loco reſpondebamus. conſtat vero ijs,qui ſunt in vita actiua,quales ſunt Clerici, eſſe neceſſaria bona externa, quæ Clerici tenentur ordinare in Deum, magiſque ordinant,quam ſæculares.ſic enim S. Thom. 2. 2.q. 186. art.3. ad quartum. *Ad felicitatem autem vitæ actiuæ,quæ conſiſtit in exterioribus operationibus inſtrumentaliter diuitiæ coadiuuant,quia vt Philoſophus dicit in 10. Ethicorũ,* (cap. 7. & 8.) *multa operamur per amicos, & diuitias, & per ciuilem potentiam, ſicut per quædam organa. & ad 5. dicendum, quòd ſtatus Epiſcopalis non ordinatur ad perfectionem adipiſcendam, ſed potius, vt ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet non ſolum miniſtrando ſpiritualia,ſed etiam temporalia, quod pertinet ad vitam actiuam,in qua multa operanda occurrunt inſtrumentaliter per diuitias,vt dictum eſt. & ideo ab Epiſcopis, qui profitentur gubernationem gregis Chriſti,non exigitur, vt proprio careant.* Enimuero ob hæc,quæ diximus,Clericus in ſæculo degẽs,adeo non tenetur ſtabilia bona non habere, vt ſiquidem fieri *Sub*diaconus velit,neceſſe eſt,habeat,quantum conuenit dignitati ipſius, reliqua,ſi placet, modo ordinet in Deum. recte autem propter allatas cauſas eſt hoc prouiſum; ne & ſimul, aut cum dedecore cogatur mendicare, aut alioquin exercere quæſtus. Beatius eſt autem ſcribit *S.*Paulus, magis dare, quàm accipere: in primitiua Eccleſia bene erat,ne multa ſtabilia Clerici haberent, ad perſecutiones vitandas, quæ commouebantur ab impiis prætextu Religionis, vt bona fiſco applicarent, ſicut egit Iulianus apoſtata, & noſtra ætate proteſtantes hæretici egerunt. nunc,niſi Chriſtiani ſæculares velint imitari hæreticos,apoſtatas, & idololatras Imperatores, conuenit Clericis eſſe,vnde Templis,Pauperibus, Religioniq́ue illuſtrandæ nedũ

tuendæ, ſibique ſuppeditetur, & quando Chriſti corpori vero, ac myſtico ſeruiunt, effundant Magdalenæ exemplo vnguenta in caput ſanctiſsimi corporis Chriſti, niſi quis velit quoque vna cum Iuda ſcandalizari, ideſt rapere, Chriſtum prodere ligandum ſpoliandum, crucifigendum; exemploque facinoroſiſſimi Lutheri tradere, ac ſemetipſum præfocare. Idcirco multi obſeruarunt diuinitus conſultum fuiſſe, vt à primis Chriſtianis omnia venderentur, quoniam Romani omnia vaſtaturi, & ablaturi erant. Cum vero ponamus Clericum vocari à Deo, ideſt ea de cauſa initiari ordinibus, vt ſeruiat Deo, cum non ingrediatur religionem, virtuti conuenit, ac rationi, eſſe ipſi, vnde viuere decenter poſsit. Ac recte S. Thomas 2.2.q.32. art.6. *Neceſſarium, inquit, dupliciter dicitur. Vno modo, ſine quo aliquid eſſe non poteſt, & de tali neceſſario omnino eleemoſyna dari non debet, puta ſi aliquis in articulo neceſsitatis conſtitutus haberet ſolum, vnde poſſet ſuſtentari, & filij ſui, vel alij ad eum pertinentes, de hoc enim neceſſario eleemoſynam dare, eſt ſibi, & ſuis vitam ſubtrahere. ſed hoc dico, niſi forte talis caſus immineret, vt ſubtrahendo ſibi daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel Reſpublica ſuſtentaretur, quia pro talis perſonæ liberatione, ſe ipſum, & ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune ſit proprio præferendum. alio modo dicitur aliquod neceſſarium, ſine quo non poteſt conuenienter vita tranſigi ſecundum conditionem, & ſtatum propriæ perſonæ & aliarum perſonarum, quarum cura ei incumbit. Huiuſmodi neceſſarij terminus non eſt in indiuiſibili conſtitutus, ſed multis additis non poteſt dijudicari eſſe vltra tale neceſſarium, & multis ſubſtractis adhuc remanet, vnde poſsit conuenienter aliquis vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum. De huiuſmodi ergo eleemoſynam dare eſt bonum, & non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Inordinatum eſſe autem, ſi aliquis tantum, ſibi de bonis proprijs ſubtraheret. vt alijs largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam tranſigere conuenienter ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia: nullus enim inconuenienter viuere debet.*

Ex his itaque abunde eſt ſatisfactum propoſitæ obiectioni.

Sexto igitur cum Clerici ſint quoad ſua Reges, vti appellandos ex diuina ſcriptura, ait Sanctus Dionyſius cap. 12. de

diuinis

diuinis nominibus,ac magis tendant ad perfectionem, charitatem,communicandaque in bonum, vel diuinum, vel temporale cõmune tendens ad diuinũ ſua bona, qui nolunt eſſe illis ipſa,ſed ſæcularibus alijs, tendũt tam contra bonũ temporale cõmune, quàm contra bonum diuinum ſimiliter commune; ac proinde contra charitatem proximi,& Dei: atque vti ſuperiori libro dicebamus conſtat ab hoc effici rerum dominum diabolum magis, quam Deum. In cauſa vero pari, magis mereri clericum, qui ſeruit hominibus ad amorem Dei conuertendis per prædicationes, ſermones, & ſacramenta, & eſſe maioris charitatis poſt alios tradunt SS. Gregorius homilia 12. in Ezechielem lib. 1. his verbis. *Nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum, quam regimen animarum.* Et Thomas 3. diſt. 35. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 2. in concluſione. *Quantum,* inquit, *ad intenſionem meriti videtur contemplatiua iterum maioris meriti illa parte actiuæ, quæ circa ſui moderationem ſtudet; minoris autem quantum ad illam partem, quæ profectui aliorum inuigilat, quia hoc ipſum videtur eſſe fortioris charitatis ſecundum genus, quod homo prætermiſſa conſolatione, quæ in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conuerſione quærat: quia etiam in humana amicitia verus amicus quærit magis bonum amici, quàm de eius præſentia delectari.*

Chriſtus adhibuit, adhibendamque duxit, ac iuſsit à ſuis vim compulſiuam. Cap. VIII.

Quod ſi quis dicat à Chriſto neminem compulſum vi ad aliquod bonum faciẽdum, ad quod aliquis obligetur; nec propterea licere clericis aliquem vi compellere, quod videtur eſſe Regum bellicorum munus ad aliquod bonũ faciendum, manifeſte loquitur contra Euangelium, contra Chriſtum, contra Apoſtolos, contra Sanctos, contra eorum dicta, & facta, contra totam naturam.

Primo enim Chriſtus, vt habetur Ioannis cap. 2. aliquando, inuenit in tẽplo vendentes boues, & oues, & columbas, & num-

mularios ſedentes. *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit; & his, qui columbas vendebant dixit: auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Hæc igitur Chriſtus. quomodo itaque Chriſtus non compulit vi ad bonum? Nonne hæc vis eſt? Nonne hæc non modo vti Deus, ſed vti homo egit poteſtate diuinitus ipſi vt homini participata? Nam ſciebat anima illius, quid agebat, volebat agere, imperauit corpori agendum. Nonne itaque compulit? ſubuertit menſas, effudit æs, omnes eiecit de templo, neque vnum reliquit. Quod vero ait, quidam ſcriptor, id à Chriſto factum ex magno zelo, ſicut Phinees occidit fornicarios, Elias ſacerdotes Baal, indigna Theologo eſt reſponſio; ſic enim cuilibet ex zelo liceret occidere capitalis pœnæ reos: & quod egerunt Phinees, & Elias, egerunt ex poteſtate diuinitus data, cum ſacerdotes, ac prophetæ eſſent.

Secundo. Chriſtus mandauit Apoſtolis, vt gladios emerent, quod ſupra dicebamus, non vt ipſi illos ſtringerent, verũ ſtringendos, & educendos alijs darent, ad homines, vbi opus fuerit, occidendos, vt ſupra è Sanctorum verbis explicauimus.

Tertio, cum Iudæi vellent, vt habetur Act. cap. 23. occidere S. Paulum, pararentque illi inſidias, Lyſias Tribunus, id Paulo procurante, reſciens, ex vrbe Hieroſolyma Cæſaream miſit, honorifice ipſum tractans, deditque illi ducentos milites, totidem lancearios, & ſeptuaginta equites, vt ipſum tuerentur ab inſidijs Iudæorum, vique hos cogerent ad bonum faciendũ, remouerentque à ſcelere admittendo. Si fecere hoc infideles S. Paulo, quod Romanus eſſet, idque Paulus ipſe procurauit, & infideles voluit habere, qui tutarentur ipſum, ne à ſuis Hebræis læderetur; non licebit Epiſcopis, ſacerdotibusque Chriſtianos milites habere, vt Chriſtianos à ſceleribus abducant, à faucibus inferorum eripiant, cogant ad iuſtitiæ leges, id eſt, arceant lupos ab oui ſua, ſiue dæmones ab anima?

Quarto nonne ipſe Chriſtus iuſſit, vt aliqui compellerentur ad bonum, cum ſimilitudine inuitantis ad nuptias, in Euangelio capite 14. dixit. *Compelle intrare, vt impleatur domus mea?* Nam ſic explicuit ſanctus Auguſtinus ſermone 33. de verbis Domini, quem cæteri ſequuntur.

Quinto nonne S. Tho. dixit ad clericos ipſos ſpeciatim pertinere bella iuſta decernere, ſic ille 2. 2. q. 40. art. 2. ad tertiũ.

Quo-

Quocirca tantum abeſt, vt hoc illicitum ſit clericis, vt maxime ad ipſos, quod grauiſsimum ſit, in primis pertineat. Idcirco legimus Carolum Magnum numquam bella mouiſſe, niſi Synodo aduocata, & conſulta, quod apparet è Rheginone. Et ſane ita faciendum à principibus, cauendumque à Pontificibus eſſet, ne aliter fieret, ac ne Chriſtianorum ſanguis, niſi ob iuſtiſsimas cauſas, effunderetur.

Sexto. an non ſanctiſsimus vir Babylas Patriarcha Antiochenus ipſo Eccleſiæ naſcentis initio Imperatorem Philippũ vi de tẽplo expulit, manibus proprijs in pectus ipſius adactis? quod refert ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, vt infra recitabimus. Addens Epiſcopo licuiſſe non modo id agere aduerſus Imperatorem totius orbis maximum; ſed præterea fas fuiſſe Epõ illum colaphis percutere, cum tamen ſcriptum ſit ab Apoſtolo ad Titum cap. 1. oportere eſſe epm, *non percuſſorem*? Quid? nonne Babylas ſanctiſsimi Martyris loco habetur, vti reuera eſt, & innumeris miraculis eſſe ipſum Deus ipſe declarauit, quod ob hanc cauſam fuerit in vincula coniectus, & in ijs obierit, ac primus pro eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate vitam poſuerit?

Septimo. nonne licuit S. Ioanni Eleemoſynario Patriarchæ Alexandrino ſatellites habere, à quibus criminum rei ducerẽtur in cuſtodiam, quod in vita ipſius refert Sophronius? Annon idem licuit S. Ioanni Chryſoſtomo Patriarchæ Conſtantinopolitano, quod infra narrabimus, idque præter alia fuit in cauſa, vt Eudoxia procurauerit ipſum mitti in exilium, in quo & obiit, non immerito Martyr & ipſe appellandus pro eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate? En tres Patriarchæ ſanctiſsimi, en duo Martyres aduerſus eccleſiaſticæ libertatis oppugnatores.

Octauo. annon ex quo ſeſe Conſtantinus Chriſto addixit, arma in Imperatorem Licinium mouit, & Conſtantini filius fratri ſuo Conſtantio minatus eſt arma ſe moturum aduerſus ipſum, ni Paulum Conſtantinopolitanæ, Athanaſium Alexandrinæ reſtitueret, Pontificibus id Romanis ſanctiſsimis Syluestro, & Iulio poſcentibus? Ex illo bella geſta prope ſemper aduerſus infideles, procurantibus id Epiſcopis, atque in primis Pontifice ſummo, vt ſigno ſecundo tomi primi de Signis Eccleſiæ Dei eſt explicatum.

Nono. & S. Bernardus lib. 4. de conſideratione, nõne aperte

dixit eſſe in Eccleſia Chriſti de iuſſu ipſius Chriſti gladiũ, non modo ſpũalẽ, ſed etiã materialẽ, qui nõ modo ad iuſſum, ſed ad nutũ Pontificis ſit educẽdus. Audi ipſum loquentẽ lib. 2. prope finẽ; nam ſic ad Eugenium. *Si cor mouiſti, mouenda iam lingua, mouenda eſt & manus. accingere gladio tuo gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. glorifica manum, & brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, in alligando Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc feciſti, honorificaſti miniſterium tuum, & miniſterium te. Non mediocris iſte principatus. exturbare eſt hoc malas beſtias à terminis tuis, quod greges tui ſecuri in paſcua deducãtur. Domabis lupos, ſed quibus non dominaberis.* Hæc ſanctus ad Eugenium. quod litteris, verbis, cõcionibus populos accendiſſet ab bellum ſacrum pro recuperandis Hieroſolymis aduerſus lupos, & infideles nationes. At quarto loquens de Chriſtianis ouibus contumacibus bello ad officium redigendis, & inducens Eugenium dicentem. *Dracones,* inquit, *me mones paſcere, & ſcorpiones, non oues. Propter hoc,* inquam, *magis aggredere eos, ſed verbo, non ferro. Quid denuo vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuũ negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus. Alioquin ſi nullo modo pertineret ad te & is; dicentibus Apoſtolis, ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ* (Audi Sanctum, qui propoſitam quæſtionem definit) *& ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero & ab Eccleſia exercendus eſt. Ille ſacerdotis, & militis manu; ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Hæc Sanctus, aperte volens iure diuino gladium materialem magis eſſe Pontificis, quam Imperatoris, quod ad educendum illum ſit opus iuſſu Imperatoris, cum vult bella Imperator mouere. At cum Pontifex vult, ſatis eſt, ſi annuat, non eſt expectandus iuſſus; eumque gladium dicit eſſe Pontificis, non alterius. neque dicendum, non conuenire hunc gladium Pontifici; dixiſſet enim Chriſtus, nimis eſt. Atqui non dixit nimis, ſed ſatis. Ergo ita conuenit Pontificiæ poteſtati gladius, vt illi quod ſatis eſſe debet, non adſit, ſi gladius hic abſit. qui tamen haud euaginandus eſt manu Pontificis, ſed nutu.

Deci-

Decimo. quid plura quærimus? Bonifacius VIII. id apertiſſime declarauit in cap. vnam ſanctam, de maioritate, & obedientia in Sexto, ita vt ſecus aſſerere ſit hæreticum. Cum vero quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi ſit veluti Pontifex ſummus, niſi hic reſtringat ipſius poteſtatem, cum ſit apex, fons, & ſol ſacerdotij, poteſtatisque ſacerdotalis, & Eccleſiarũ caput, vt neceſſario toties è S. Cypriano, & Iuſtiniano repetimus, idẽ poteſt in ſua diœceſi Epiſcopus, quod Pontifex in toto orbe, vt apparet ex argumentis ſupra deductis.

Vndecimo. in Concilio Triburienſi cap. 9. decretum fuit, vt ſi princeps ſæcularis, ſeu Comes aliquid iuberet, contrarium vero Epiſcopus, omnes Epiſcopo obedirent, Comite deſtituto, quamuis hic armis, ac rei militari potiſsimum præeſſet; idque non ideo ſtatuitur, quaſi noui detur aliquid Epiſcopo; ſed quia magis ad Epiſcopum pertinet arma adhibere, vbi opus eſt pro diuinis rebus, quam ſæculari pro ſæcularibus iure naturali, ac diuino. Natura enim cogit in omnibus, vt brachium gladio imminenti ſeſe opponat, ac ſui iacturam faciat, præſcindendũ ſe offerens, ne caput lædatur, ſed hoc ſaluum ſit, ipſum brachiũ pereat. Sic etiam ſæcularis haud curare debet iure naturali aſtringente, poteſtatis propriæ facere detrimentum, quo poteſtas eccleſiaſtica ſit ſalua: Epiſcopus enim eſt inſtar capitis, vel animæ in corpore. Nam si caput ſaluum sit, eſt ſemper aliquid brachij ſaluum, non contra, vt operis initio diximus. Idcirco brachium facit aliquam ſui iacturam ne faciat omnem. publice porrò ſtatuta iura in ſacerdotio conſiſtunt.

Recte itaque reſpondet Rolandus à Valle, qui quaſi inter hæreticos, aut Turcas eſſemus, conſultus fuit, an Epiſcopo liceret armatam familiam habere, licere id aſſeuerans, ac decernens conſ. 37. lib. quarto, ac citat eiuſdem ſententiæ aſſertores Baldum l. nam ſalutem. §. vltimo, ff. de officio præfecti, inter alios Barbaciam, Decium cap. ſignificaſti, de offic. deleg. cap. cum nõ ab homine, de iudicijs. Stephanum Aufrerium Gallum tractat. de immunit. eccleſiaſtica num. 18. addens ita Tholoſæ inter miniſtros Epiſcopi, ac Regis definitũ fuiſſe. Gundiſaluus Hiſpanus tract. de hæreticis. quæſt. 11. verſ. ex quo infertur, teſtatur ita obſeruari vſu communi.

Neque obeſt, quod arma clericorum ſint lachrymæ, & preces. verum namque eſt, hæc eſſe arma potiſsima, eſſentialia, ſine quibus rueret mundus; ac dæmones, quorum poteſtati

nulla comparari poteſt, ait Iob cap. 41. omnia vaſtarent, euerterent. Sed his armis ſeruiunt, atque eſſentialiter in orbe rationali arma externa, & corporea ſubordinata ſunt.

Verum, quid hiſce in rebus pugnamus? audiamus naturam loquentem, audiamus elementa muta clamantia, audiamus inaniſsima quæque vociferantia; niſi quis Dei verbo dare aures velit.

Argumenta, quibus oſtenditur, iure naturali, ſuoque adeſſe eccleſiaſticis vim compulſiuam; qua valeant ſupra omnem poteſtatem poſitam in terris compellere alios ad officium ſuum faciendum. Cap. IX.

IAm vero Eccleſiæ poteſtati adeſſe iure naturali maxime omniũ ius vtendi viribus, quaſcumque habet, tum mentis, tum corporis; atque externis, quibus poſsit, vbi expedit, omnes reluctantes compellere ad officium ſuũ, ſiue ex naturali, ſiue ex ſpirituali impulſu, cognitione, aut ſine ſit faciendum, licet multis ſupra paſsim probauerimus; tamen adhuc plurimis alijs ab omnium rerum natura deductis argumentis oſtendi poteſt.

In primis igitur dicet aliquis ius eſt naturale, ut inter corpora, maiori poteſtate ſint ad alia compellenda, quæ viciniora ſunt primo mouenti, veluti primum cælum, magis quàm ſecundũ; ſecundum quam [illegible]um; dimiſsis vero incorruptibilibus, ignis magis quam aer, & aer quam aqua; ac denique aqua quã terra obſiſtentia ſibi impellunt, quò volunt. terra omnium maxime ſegnis, & impedita ad alia corpora mouenda; ſic igitur in naturis intellectualibus illa poteſtas, quæ maxime accedit ad Deum, qui eſt primus motor omnium tam corporum inanimatorum quam animatarum maxime poterit lege naturali compellere obſiſtentia ſibi, quo volet, ſi corporis vires adſint primo motori obedientes.

Similiter inter corpora lucentia eſt lex, vt quæ magis lucent in terris magis impellant, ac moueant, quod in Sole conſpicimus vapores attollentẽ. & ſurſum compellẽte, ignisq́; co-

eodem modo conglaciata colliquefacit, aquasque & obſiſtentia quæque, quo tulerit impetus, proijcit. Abſurdumque eſſet, ni maiores eſſent vires naturis, & corporibus, quæ lumine intellectuali præſtant, quo ad reluctantes lumini ſuo.

Tertio. Dimittamus hæc autē, & alia producamus. lege naturali, omnes vires corporis, & aliæ facultates, dantur à natura, vt quam maxime poſſunt, ſeruiant ad contraria delenda, aut in ſuam poteſtatem redigenda quoties expedit, quæ reluctantur; ſed omnibus eccleſiaſticis datæ ſunt vires corporis, & aliæ facultates à natura, ſicut alijs hominibus. Ergo omnibus Eccleſiaſticis datæ ſunt vires corporis, & aliæ facultates, vt quam maxime poſsint ſeruiant, quoties expedit ad contraria delenda, vel in poteſtatem ſuam redigenda, quæ reluctantur. Maior eſt adeo cunctis nota, vt quidquid inſpicitur, eam præſeferat, ac manifeſtam faciat. Cunctis enim rebus naturalis eſt lex, ingenitaque intime, quòd initio totius operis dicebamus, vt ſemetipſas tueantur, quibus modis ordine vniuerſi ſeruato poſſunt.

Quarto, lege naturali omnia, quoties perficiuntur naturaliter, perfectius, vbi expedit, operatur: omnia naturalia in Eccleſiaſticis per gratiam perficiuntur. ergo lege naturali omnia naturalia in Eccleſiaſticis, vbi expedit, naturaliter perfectius operantur. Maior inducentibus eſt notiſsima. Natura enim perfecit oculos aquilis, vt acutiſsime perſpicerent, atque ideo perfectius, & acutius vident, quam reliquæ volucres. Perfecti ſunt naturaliter ita cerui, vt perniciſsimi ſint ad currendum, ijdemque perniciſsime, vbi opus eſt, currunt. Hæc eſt denique lex perfecti, in omnibus, vt quo perfectius aliquid ei datum fuerit, eo perfectiora ſint illius opera. Minor eſt receptiſsima inter Catholicos. Nam gratia non modo mentem perficit, ſed corpus etiam. non vt illud liberet à morbis. & infirmitatibus, ſed vt temperātiæ legibus magis illud corroboret, vbi opus eſt robore illius, ſic alias facultates, opesq; tribuit, ac vult eſſe gratiæ lex totā naturā regens, vt expendantur, ac referantur ad amplificationem Religionis, Eccleſiam tuendam, confirmandam, leges, ac iura illius defendenda, amplificanda, ſuum cuique tribuendum. Non tollit itaque naturalia lex gratiæ naturaliumque vſum, cum iudicatum fuerit à Pontificibus expedire ijs vti, ſed perficit, & confirmat; ac veluti non tollit naturalia, ſic neque leges naturales,

Quin-

Quinto, Nullum ius naturale tollitur à lege gratiæ, ſed maxime confirmatur, atque augetur, ius naturale eſt vt homines, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue alij quilibet, vtantur viribus corporis, aliiſque opibus ad homines in bonum compellendos, quin cuncta ad bonum ſuum compellēda, quoties ita opus eſſe iudicatum fuerit. nam dantur ad bonum promouendum: ergo vt Eccleſiaſtici, reliqui ve homines iſtis iure naturali vtantur, non tollitur à lege gratiæ, ſed confirmatur, atque augetur, vbi canones, & Pontifices iudicauerint, id Religioni expedire.

Sexto, Lex eſt naturalis homini, & animanti cuilibet communi, vt aduerſus inimica ſui cętus pugnet, interimat illa ſi poteſt, ſin minus confugiat ad illa, à quibus defendi, & inimica aut fugari, aut necari poſsint. ouis non valet ſeſe tueri pugnādo aduerſus lupos, ac leones, naturali inſtinctu confugit ad paſtores, ad homines, ad canes in cuſtodiam datos, ad quosvis. Igitur ni poſsint Eccleſiaſtici cohibere impios, & ſacrilegos manibus, & opibus ipſi ſuis, poſt placidas admonitiones ad alios confugient, religionis, ac iuſtitiæ potentiores patronos, ac veluti balatu ouis, ſic ipſi, legitimis, & iuſtis querelis excitabunt valentiores ad iuſtitiam tuendam, ſuum cuique defendendum. Nonne hæc eſt lex naturalis?

Septimo. Amplius id obſeruatur in animalibus, vt ſi quo in cætu exurgat ęmulus in Regem regnum diuiſurus, pugnetur aduerſus illum donec loco cedat, aut etiam de medio tollatur. Id conſpicitur in gallinarum cætu, in apibus, gruibus, & aliis huiuſmodi. vnus namque inter gallinas Rex imperat, unus inter apes, vna inter grues ducit agmen. Regni coniunctionem ſi quod eiuſdem naturæ animal ſcindit, ac ſibi vult arrogare, vel fugatur, vel poteſtati ſubiicitur, vel omnino necatur, vt in apibus narrant; ſic igitur in Eccleſiaſtico Regno, ſi quis extollitur aduerſus ipſius caput, aut neceſſe eſt obtemperet, aut eijciatur, aut denique viribus eiuſdem Regni de medio tollatur. Eſt enim iuris hoc naturalis.

Octauo. Cumque ſint animantium plura genera, ac ſub eodem proximo genere ſint etiam plures animantium ſpecies, quæ ex his præſtantioris naturæ eſt, valentioribus etiam corporis viribus pollet ad exercenda, aut necanda inimica ſui cætus, aut ſuæ ſpeciei. Verbi gratia, inter beſtias feras ſolitarias, ac nulli duci obedientes Leo præſtantioris eſt naturæ, ac viribus maximis præcellit. Inter eas, quæ gregatim viuunt, & obediunt

diunt ſuo duci, præſtantiſsimæ naturæ eſt elephas; & idem plurimum valet viribus compulſiuis aduerſus obluctantes. Inter volatilia inſecta gregatim degentia ſub vno duce debentur apibus primæ, quo ad excellentiam naturæ. mirumque quantum nitantur in aduerſantia ſui cœtus, ac naturæ veluti fucos, apesq. alias: quin datus eſt illis naturaliter aduerſus animantia cuncta aculeus venenatus. ſed inter volatilia non inſecta, neque gregatim degentia, principatus aquilæ debetur. eadéque eſt fortiſsima, totamque fortitudinem confert in obſtantia pellenda, aut trucidanda. Cum ſint igitur eccleſiaſtici naturæ excellentioris, iuri naturali conuenit (cum corpus & ipſi ac cætera bona, ſicut alij mortales habeant) vt iſtis, cum religioni fuerit vtile, poſsint vti. lex namque eſt cum natura animalium communis.

Nono. Quin quo magis animantia participant ſuo modo rationem quandam, magis etiam ferocitatem ſuam videntur exercere aduerſus inimica è ſuo cętu, aut ſua ſpecie, vt cogant illa obedire, aut mori; vt inter apes, grues, elephantes, canes, equos, cæteraque huiuſmodi apparet. Nam vis ingenij facit, vt plures exquirantur modi ad bonum ſuum tuendum. Quocirca datæ ſunt homini manus, quibus innumera arma poteſt corripere aduerſus hoſtes, & innumeris partibus maiora, quã ſint ea, quibus animantia cætera vtuntur: poteſt enim corripere ignita telorum genera plurima è ferro, è ligno, è lapidibus confecta, fundis, ac baliſtis lapides iacere, ſagittas arcubus iaculari, laqueos tendere, tormenta bellica fabricari, ac fulmina quodammodo è ferreis fiſtulis emittere. lex eſt itaq; naturalis, vt animantia, quæ ſublimiori ſunt ingenio, longe etiam pluribus ſeſe armis tueantur, & quibus cætera vtuntur, & quibus ipſa veluti proprijs vti queunt. Quod ſi naturale lumen in eccleſiaſticis eſt ſublimius, hanc & ipſi legem naturæ imitabuntur, cum poterũt, & alia deerunt pro Dei iuribus defendendis, pro conſeruanda iuſtitia, religione, ac virtute, quod eſt hominis proprium bonum.

Decimo. Sic itaq; intuemur plantas nõ progredi, aut abſcedere è loco, vt ſe, ſuaque tueantur, quod infimæ ſint naturæ; & abiectæ; ſed animalia cum ſint naturæ ſuperioris, aggrediuntur inimica, cum vident id vtilius fugam; capeſſunt, cum ſecus

exiſtimant, & ad potentiora, vti dicebamus currunt. Quid? inter ipſas plantas, quæcumque ſunt excellentiores, Armis quodammodo ſuis obſepiuntur à natura, vt roſæ ſpinis, frumenta ariſtis acutiſsimis, poma frondibus, corticibus, excelſitate loci, proceritateque arborum ſuarum, in quas beſtiæ non aſcendunt, quaſi ſolis hominibus ſe factas eſſe, non reliquis animantibus clament. Cum vero dixerimus animantia præſtantioris eſſe naturæ, quam plantas, & ideo naturaliter ijs datum, quo fugere, aut impetere poſsint inimica; ſic illis, quæ ſunt inter ipſa magis imperfecta, velut oſtrea, quibus nullus auditus, nullus eſt viſus, nullus eſt etiã progreſſus ad vitanda, aut impetenda inimica; & tamen ijs dedit natura, vt ſimul, ac ſenſerint ingredi piſces, à quibus comedi, aut lædi poſsint intra tectorium domunculæ ſuæ, protinus operculum claudant, conſtringant, interceptos ijs piſces comprimant, enecent, comedant. ſpongijs abiectiſsimæ inter piſces naturæ, vermibuſque nihil eſt huiuſmodi datum. Sic igitur, quò ſunt præſtantioris naturæ res, eo pluribus eos munimentis, teliſque auctor naturæ Deus armauit, quibus aduerſantia coercere, & cogere valerent. Quocirca, vt ad ſummum veniamus, Angeli tantis ſunt viribus, vt ad nutum corpora moueant, & aduerſus inimicos propellant. Cumque dæmones ſint excelſiſsimæ naturæ, ſed eam ſuperbiæ vitio fœdiſsimo deturpauerint, ac proſtrauerint; idcirco ſunt eis quidem naturales vires, ſed exerere illas, aut exercere non poſſunt, niſi quantum permiſerint Angeli cæleſtes, & virtutibus cunctis exculti. En itaque lex totam rerum naturam peruadens, & colligans, qua datur rebus præſtantioris naturæ, perfectioriq. virtutum decore excultis maior etiam vis compulſiua.

Vndecimo. annon etiam contingit hoc in nobiſmetipſis? Nonne è noſtris, quid iura naturalia velint, diſcere poſsumus? Audi an hoc ita ſit; ſuprema eſt in nobis animæ rationalis poteſtas intellectus. hic omnibus imperat noſtris partibus, ſed varijs modis. Eſt namque imperium βουλευτικὸν conſultiuum, eſt etiam deſpoticum δεσποτικόν. Primo non protinus imperat mens, ſed audit voluntatem, diſpoſitionemque eorum quibus imperat; ſecundo nihil audit, verum dicto citius imperat, quod fieri mandat. Ac primo mens imperat ſenſitiuæ parti per-

ti perturbationibus obnoxiæ. Secundo autem dominatur corpori, membriſque ipſius. ita præclare Philoſophus politicorũ primi capite tertio. Eccleſiaſtica poteſtas imperat ſæculari Chriſtianæ primo modo, non ſecundo; licet Sanctus Gregorius Nazianzenus, quem multi ſequuntur, comparet illam animæ, hanc corpori. Perſpicere enim debet eccleſiaſtica poteſtas vndique, & exactiſsime, qui ſint ſæcularium mores, & audire ipſorum poſtulata; ipſiuſque eſt definire quid agendum. Sic mens videt, quid pars inferior cõcupiſcibilis amet, oderitque, quid appetat, fugiatue; quo gaudeat, aut triſtetur. Similiter quid iraſcibilis audeat, timeatque; quid ſperet, aut deſperet, denique aduerſus quid iraſcatur; temperatque has perturbationes, & ad normam virtutis moderatur, ac reducit. Numquam vero eſt inferioris partis imperare, & mentem cogere ad obedientiam; cum ſuperior contra valeat, ac debeat etiam ſæpius inferiorem compellere. Pars itaque inferior ſenſitiua particeps eſt rationis, virtuteſque proprias habet, nimirum temperantiam, & fortitudinem: per hanc iraſcibilis, per illam concupiſcibilis perficitur. Per fortitudinem præſcribitur nobis, quid, qualiterque, & quantum ſit ex humanis audendum, timendum, ſperandum, deſperandum, iraſcendum. Per temperantiam quid amandum, vel odio habendum, quid appetendũ, fugiendumue, ac demum qua in re gaudendum, vel triſtandũ. Paulatimque inferior pars, quæ ſæpius eſt belluæ inſtar, aut etiam truculentæ feræ, ad obedientiam rationis eſt reducenda, ita vt minimis quibusq. in rebus ipſi obſequatur, & quo maius illi eſt erga imperium mentis obſequium, fęlicius multo eſt, ac præſtantius omnibus eius rebus, hominique toti.

Membrorum porro eſt protinus exequi, quod imperatũ fuerit à mente, quod niſi valeat efficere, id oritur à membri peruerſitate.

Ad ſummam, membra corporis numquam dominantur, ſed eorum tantum eſt exequi imperiũ ſenſitiuæ partis. Mens enim iam cognouit ex relatione ſenſitiuæ partis, ſi quid impedimenti morboſi eſt in membro, ex quo male affectum ſit. Senſitiua autem pars dominatur membris, eademque paret imperio rationis, numquam dominatur illi. At ratio dominatur tum mẽbris abſoluto, tum ſenſitiuæ parti conſultiuo imperio, ac prout

viderit eſſe perturbationes, ita accommodat regulam ſuam; neque eſt aliquid moliendum ſenſitiuæ parti, niſi ex imperio rationis, ac virtutis participatæ.

Quocirca mens poteſt ſumma cum ratione aliquando imperare tum ſenſitiuæ parti, licet maxime reclamet, tum membris omnibus, vt aliquid exequantur; veluti ſi moriendum ſit, atque ob virtutis officium mors eligenda, adeundaque, & omnium rerum ſit facienda iactura. At nullum membrorũ, nihilq; ſenſitiuæ partis imperare poteſt intellectui, vt non intelligat, quid conueniat ſingulis quibuſq; rebus vtilibus, quovis modo, tum corpori, tum ſenſitiuæ parti, vel non imperet his, & cogat tum ſenſitiuam partem, tum membra corporis, vbi opus eſt ad imperata facienda.

Iam vero, vt probe omnia, planeq; explicentur, in ſuperiori, ac diuina noſtri parte, eſt duplex potentia, voluntas, & intellectus. Voluntas imperat intellectui mouens illum, vt intelligat, ac videat, quid ſit appetendum. Non enim poteſt voluntas facere, quin appetat, ſeu velit; quid vero ſit appetendum, vel non ſit, ne ruat in præceps, ac malum pro bono eligat, ignorat voluntas. conſulit itaque intellectum, mouetque, & compellit ipſum cognoſcere, quid verum, falſumque ſit, bonum, vel malum. Tum vero intellectus cognitum voluntati bonum proponit, eamque determinat ad hoc, illudue appetendum cæteris dimiſsis. compellitque imperio ſuo voluntatem parere. Quocirca voluntas imperat intellectui, vt exerceat actum ſuũ, ſiue intelligat, ac ſibi imperet. Sed intellectus eſt, qui præciſe in particulari imperat, appetitumque vagantem cœci inſtar in ſemitam rectam deducit. Sic itaque intellectus imperat, & cogit, quo ad obiectum determinatum, ſibi cuncta obedire. Atque in homine recte ſuas actiones ordinante intellectus imperat ſingulis quibusque, maximaque eſt illi poteſtas. (Sin minus, iam degenerat homo in belluinam naturam) naturæque ſublimiori cogendi maior eſt vis in omnia ſubiecta. Id reliquum eſt, ne intellectus à vero aberret, neque in naturalibus, neque in ſupernaturalibus. Quamobrem poteſtati eccleſiaſticæ poteſtas omnium maxima eſt attribuenda ad cogendum. Maxime enim ſanata eſt per characteres indelebiles, & maximè ſanare omnia valet per cõſimiles ſubiectorũ hominũ cha-

characteres, ac reuera maxime ſanabit, ne intellectus aberret à vero, quod veluti bonum cuncta appetunt, velint nolint ſacrilegi, impijque, & inferorum dæmonum poteſtas, quod continget in extremo iudicij die.

Ex his, quæ diximus, illud deducitur, Pontifici Romano omnium maximam poteſtatem compulſiuam deberi, tribuendamque omnino, ſi recte ſunt ordinanda omnia; cum non poſsit errare in naturalibus, vel ſupernaturalibus, quoties agit Pontificem maximum, ſiue quoties vniuerſali lege ſancit aliquid credendum; ſiue illud naturali ratione demonſtrari poſsit, ſiue ſit ſupra omnem rationem naturalem. dilatatur enim maxime, corroboraturque ipſius epiſcopalis character, vt videat, quid veluti verum ſit ab omnibus amplectendum.

Duodecimo. Verum, quid noſtra tantum contemplamur? Nulla eſt res ſubſiſtens cui non ſit compulſiua poteſtas, & quando ab eſſentia naſcitur potentia, quo ſublimior ac diuinior eſt illa, eo maior eſt hæc. Compulſiua autem diuiditur in duas partes, attractiuam, & expulſiuam. Prima attrahit ad ſe quibuſcumque poteſt modis conuenientia ſuæ naturæ, ac perfectioni. Secunda expellit à ſe diſſentientia quæque. Eſt vero, vt diximus, hoc iuris naturaliſsimi per totam naturam rerum quarumlibet diffuſi, à prima materia vſque ad Deum. Materia namque appetit formam, forma attrahit ad ſe materiam, contraria diſpellit. Verum, quando materia numquam nudatur à forma, non prius apparet appetitus, niſi cum fuerint ab agente extrinſeco introductæ diſpoſitiones. Idcirco materiæ proxima inſpiciamus. hæc verò ſunt elementa pura, è quibus mixta componuntur. Igitur in his eſt infirmiſsima, ac tenuiſsima vis attractiua, & expulſiua. quod apparet in terra, quæ non attrahit ad ſe aquam minus à natura ſua remotam, niſi loco ſe contingant; neque poteſt à ſe quidquam repellere longius; tantum condenſata impedit, ne quod corpus intime ingrediatur. Sed in Deo potentiſsima eſt vis attractiua, & expulſiua; ideoque amica ſibi maxime per eſſentiam coniungit attrahens vi potentiſsima ſupernaturali, cui naturæ omnis cedit, inimica retrudit expellens vſque ad infera loca, omnique beatitudinis, ac boni naturalis iucundo fructu priuat; idque in ſempiternum; ſicque omnia

ſubij-

ſubiicit, atque in hunc finem mouet.

Cum velit itaque benigniſsimus Deus totam naturam, cunctaque naturalia ſimul, & quoslibet humanos actus, gratiæ, ſuoque amori ſupernaturali ſeruire, qui præficiuntur huic fini ſupernaturali procurando, si naturalis ordo omnium rerum ſeruandus eſt, neceſſe eſt, cum Deo sint viciniſsimi, vt sit illis poteſtas maxima diſpellens omnia naturalia, cunctosque humanos actus contrarios sibi, ac longiſsime, maximeque attrahens, quæcumque rerum naturalium, atque actuum humanorum iudicat expedire sibi cuncta ſubijciens, & quidquid ab omnibus moueri poteſt mouens. Cum vero mortales contra hoc contendunt, ac pugnant, apparet contra ordinem naturæ præliari, atque ipſa naturalia concuti, & labefactari.

Sed quonam modo Pontifex Romanus, Epiſcopi, Sacerdotes, Clericique compellent alios ad officium ſuum faciendum? Manibus certe ipsi ſuis numquam poterunt aliquem necare, membrumue alicui truncare, idque ab vllo Pontificum Romanorum numquam factum legimus: licet Vigilius falſo, vt conſtitit, eius rei fuerit insimulatus apud Iuſtinianum, Ioannesque Octauus apud Othonem Primum. Quin reputatur nefas, si clericus qualitercumque adsiſtat, vt in aliquem certum hominem similia patrentur, licet generatim velle poſsit, vt ex legum præſcripto, quibus auferenda eſt, auferatur vita, atque hortari pugnantes in acie, belloque iuſto, vt fortiter dimicent, hoſtes fugent, fundant, profligent; ſanguine autem ſuas manus inquinare nefas eſt omnino tantis viris. Nam si dixit ille haud Chriſtianus.

Tu genitor cape ſacra manu, victosque penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attractare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Quid clericus Chriſtianus? Reges diximus eſſe Sacerdotes; erunt itaque veluti reges apum; quibus nullus eſt aculeus, quique aculeo numquam vtuntur. Erunt veluti elephantes, qui quoties incedunt, minora animalia, ne pedibus ea proterant

terant, ſummouere placide ſolent, & contra ſui generis beſtias numquam ferè præliantur; erunt columbæ numquam roſtrum cruentantes; erunt oues numquam dentibus, cornibusque inimicum ferientes. Quin ſi neceſsitas adigat eos, vt inſtruant agmina aliorum pro tuitione fidei Catholicæ iuſtitiave obſeruanda, vel Eccleſiaſtico, vel profano aliorum iure, atque ita cogantur induere, & agere Leones è tribu Iuda, atque inſtar Chriſti flagello è funibus facto vendentes, ementesque eijcere è templo; aut eos, à quibus ad mortem quærantur, proſternere ad terram, vel inſtar Petri, ſit mors in Ananiam, Saphyramque immittenda, ſiue exemplo Pauli viſus Elymæ mago auferendus, amborumve more Simon Magus allidendus ad terram membris cõfractis, vitaque ablata; quoties igitur Clericis eſt induendus leo, meminerint omnes, iſtius feræ modo ignoſcendum ſupplicibus, veniam petentibus dandam? Nam quanto magis amatiſsimi Chriſti, pro ſalute omnium Crucifixi, ſanguinemque, & vitam profundentis exemplo, eſt à nobis illud imitandum?

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quanto magis ante oculos nobis ob verſabitur aliud?

—proſtrataque more leonum
Deſpicies, alacres ardent cum ſternere tauros
Tranſiliunt prædas humiles.

Enimuero meminerimus illa Dauidis verba, ſi quidem patres vere ſumus; æternique omnium patris perſonam referre deſideramus, *ſeruate puerum Abſalon: cuſtodite mihi Abſalon:* & quæcumque huiuſmodi nobis memoriam renouant Chriſti præcipientis, *Diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde*, & adhuc alia loquentis, *Neſcitis cuius ſpiritus filij eſtis?* Nam ſi cæleſtes eſſe cupimus, ipſi cæleſtes orbes duobus modis inferiora immutant, & ad generationem ſingula perducunt, lumine & motu. ſplendor virtutum nobis eſt in omnes partes immittendus, actionumque Sanctarum motu adducendi ſunt mortales ad ſuum munus explendum, qui tamen ni manſuetudinis placiditate alliciantur, iuſtitiæ

virga

virga ſunt commouendi; Et qui nos cum Chriſto iugiter pro ipſorum ſalute precantes, vitamque quaſi hoſtiam pacificam Deo pro eorundem reſipiſcentia offerentes cruci affigunt, tenebris illi repleantur in meridie, terræ motibus concutiantur, ac dicant *montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos.* quæ benigniſsimus Pater auertat ab amatoribus ſuis, ab ecclesiæ ſanctæ ſtudioſis, ſed conuertat, ait Malachias, *Cor patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres.*

Finis libri Tertij.

DE

DE IVRE STATVS SIVE DE IVRE DIVINO ET NATVRALI ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS ET POTESTATIS LIBER QVARTVS.

ILLVSTRISS. ET REVEREN. S.R.E. CARDINALI CÆSARI BARONIO,

Poteſtas naturalis, ſeu temporalis, ſine ope ſupernaturalis eſt nulla, neq; eſt immediate à Deo. quid hæreticũ dicatur eſſe in hac controuerſia. licet poſſit, ob ſcandalum tamen Eccleſia non aufert infidelibus dominia ſua, & quodnam ſit ſcandalum tale. *Cap. I.*

POteſtas eſt (Ampliſſime Cardinalis CAESAR BARONI) qua poſſumus aliquid. Nihil vero poteſt poteſtas hominum naturalis, aut tẽporalis ſine ope ſupernaturalis. Homo nãq; ob peccatum meretur ad nihilum redigi ex rigore iuſtitiæ diuinæ; gratia Dei fit, ne redigatur, ſed naturaliter viuat; vt naturaliter viuunt ij, quibus extremum ſuppliciũ Principes, nõ ex miraculo, ſed gratia condonant. Hinc Ieremias. c. 10. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* ita S. Thomas. Quocirca ob fidem Chriſti Adamus ab hoc iuſtitiæ rigore eſt ſeruatus, ſimulque cum ſuis à morte protinus admiſſo peccato merita euaſit; ex qua liberatione Secundo loco contingit, vt homines nati ſint: ſic etiam Noe viuente, cum dixit Deus, *Pænitet me feciſſe hominem* Cuncti mortales deleti Tertio fuiſſent, niſi ſupernaturalis gratia reſidens in Noe interceſſiſſet. ex qua etiam Deus ob ſacrificium oblatum in fide Chriſti pollicitus eſt Quarto non ſe amplius homines deleturum. Sed adhuc tamen Quinto quoties homo peccat eſt

eiuſdem mortis reus,gratia ſupernaturalis Eccleſiæ ſanctæ efficit, ne id contingat. idque multo magis Sexto loco, quod nihil aliud Dæmon, in cuius poteſtate eſt peccator,molitur, quam vt hominem perdat, necet, cum ſit *Homicida ab initio.* & *ab hac poteſtate malorum Angelorum non liberat nos, niſi gratia Dei*, quæ datur per Ieſum Chriſtum, ait S. Auguſtinus in pſal. 77. Natura igitur humana tot modis habet eſſe & vitam per Chriſtum, *De cuius plenitudine nos omnes accipimus*. & in cuius corpore *Habitat omnis plenitudo diuinitatis.* ac licet anima immediate à Deo creetur, ob Chriſtum tamen,ſponſamque eius, ob horum ſcilicet merita, & gloriam creatur, & conſeruatur. Atque vt rem propius attingamus, I. ab ipſius, Eccleſiæque meritis, & diuinitus participata, ac ſupernaturali poteſtate coercetur Dæmonum poteſtas, ne occidat homines. *Alioquin non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Ad nutum namque illi corpora obediunt hominibuſque eueniret, niſi interueniret Eccleſia Sancta, quod Ægyptiorum primogenitis, & exercitui, quod filijs, familiæ, pecoribuſque Iob,quod militibus Senacheribi. Atque ita non poteſt poteſtas naturalis ſuorum vitam tueri; vt poſſit, habet à ſupernaturali poteſtate, II. cum Dæmon poſſit humores corporis turbare,atque, vt aiunt, applicando actiua paſsiuis, vertere homines vel in furorem, vt Saulem; vel in ſtuporem quod accidit Aſſyriaco exercitui miſſo aduerſus Eliſeum, vel Nabuchodonoſoro, Sola Eccleſiæ Sanctæ poteſtas in terris eum coercet ob characteris participati vim ſupernaturalem, de qua eſt actum, ob merita preces, & Chriſti corpus oblatum. *Pro noſtra, ac totius mundi ſalute*. Et hoc igitur non poteſt poteſtas naturalis; III. Dæmon poteſt obijcere humanæ cogitationi quæuis ſimulacra, ſenſibus quaſlibet ſenſilium ſpecies imprimere, *Immiſsiones per Anglos malos*, ac præcipitare ſuo dominio ſubiectos in ſcelera Caij, Caligulæ, Neronis, Domitiani, Commodi,Maximini,Maxentij, deiicere ad vitam Cyclopum,Læſtrigonum. Tueri ſe aduerſus hæc naturalis poteſtas non poteſt,poteſtas ſupernaturalis eam tuetur. toto Orbe vim ſuam, prout eam Chriſtus applicat, varia diſtributione diffundens. Quarto, non poteſt poteſtas naturalis ad finem ſuum peruenire abſque ſupernaturali poteſtate,ideſt non poteſt homines adducere ad eum ſtatum, vt abſque aliquo errore lumini naturali contrario ſtare aliquo momento poſſint. Quinto, denique neque ad ſupernaturalem, ſine quo naturalis in effectu, haud datur, conſequi valet. Sic igitur ad hunc omnia reducuntur. Ab hoc fine, ac poteſtate ſupernaturali res naturales,vt naturaliter ſiūt, & conſeruentur inter homines,pendent. Quamobrem

rem quod initio, ac ſæpè diximus. Primo ſic natura humana quãuis ignara naturali dumtaxat appetitu, multo autem magis ſciẽs rationali appetitu, ac Dei dono potens in Deum ſupernaturaliter fruendum fertur, vt nullo momento, nulla in re poſſit rectè vmquam velle, in ipſum non quam maximè ferri, ſe eximere ab hoc *Ardentiſsimo*, vt vocat S. Auguſtinus, *Appetitu* numquam valet, dominatur illi hoc ius coeſſentiale, & ineuitabile, nihilque vult, niſi ob hunc; quæcumque ſunt, nihili ob hunc facit. identidem tacitè dicens, *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, Verum cum Deus naturali iure, ac lege communicet efficientiam ſuam rebus, ac velit homines per homines regi, ac diuerſos eorum gradus eſſe; natura humana ad illum peruenire haud valet vlla in re, vllo momento, niſi Eccleſiæ Sanctæ obediat, neque enim *Poteſt habere Deum Patrem, qui non habet Dcclesiam Matrem*, Hæc enim ſola ſcit, quõ perueniatur ad hunc finem, quin ſola tot modis dat vires. Quamobrẽ iure eodem naturali diuino inſeparabili, atque æterno dominatur totĩ naturæ humanæ Eccleſia Sancta; ac tam Reges, quam priuati ad tantæ Reginæ dicta, niſi abnegare humanam naturam velint, omnia temporalia abiicere, & quò velit transferre ea ſunt inſito, & coeſſentiali iure obligati; ac rectè. Secundo enim quælibet res magis, quin tota iure eodem naturali, ac diuino ineuitabili, atque æterno facta eſt, vt ad finem ſupernaturalem perducat, nihilque eſt eius, quod non ſit huc ordinanda, magiſque eſt ob hunc finem, quam propter ſemetipſam vel inſitum, naturalemque finem. Media ſunt ipſa, quibus vtimur, ait S. Auguſtinus, non fruimur, hinc legimus, *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Ac potius ſibi, ſuoque fini peribuut res, ac perire naturaliter amabũt, quam fini huic. Sicuti partem ſe morti objicere videmus ob totum, totiusque conſeruationem. Sic etiam neceſſario fit Tertio loco, vt natura humana magis velit coeſſentiali illo iure eſſe ex illo populo, qui huic fini paret, ad hunc tendit, atque ad eumdem dat vires, quam ex vllo alio, quin è nullo, niſi exuat ſemetipſam, volet eſſe, niſi ex hoc, hunc enim ſpectant illa, *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem*, Quocirca licet, Quarto loco Deus rebus inſit eas mouens ad proprios fines, Angeli præſint cuilibet rerum ſpeciei, præſunt tamen, ordinant ac mouent ad hunc finem magis, ſiue, vt cuncta ſeruiant huic fini, quam ad proprios fines, atque vt his ſeruiant. Neque hæc lex adſidens, & adnata rebus eſt ex beneplacito diuino ad tempus, (vt ſunt multa) ſed coeſſentialis eſt, atque æterna, à qua ſunt cuncta, hinc illa, *Omnis creatura*

ingemiſcit,& parturit vſque adhuc reuelationem filiorum Dei expectans. Ad ſummam naturalis poteſtas tota eſt à ſupernaturali, nihil immediatè habet à Deo,quidquid habet, id totum habet in terris mediante Eccleſia Sancta mundi Regina,à poteſtate,precibus,ac meritis eius. Et primo eſſe & vitam. Secundo omnem mentis vſum; qualiſcumque ſit. Tertio bonum mentis vſum. Quarto finem proprium. Quinto denique finem ſupremum. Quamuis enim Deus cunctis agentibus immediatè inſit, immediatè concurrat cum ijs in agendo, tamē aliqua ſolus immediatè creat,neq; alia cōcurrunt ad eorū creationem, veluti in creatione animæ, ſed aliqua facit Deus cōcurrentibus aliis cauſis. Atq; hoc ſecundo modo naturalis hoīm poteſtas recipit cūcta à ſupernaturali poteſtate,vel quia remouentur ab hac omnia,quæ bona illius, ne ſint, impediunt; aut exiſtentia ſubuertere, ac vaſtare conantur (neque enim Deus animam creando infundit, niſi adſint parentes, aut humanam corpus in vtero ſit apte formatum.) Vel quia poteſtas ſupernaturalis non modo remouet impedientia bonum naturale,ſed ipſa proprie dat vires ad finem naturalem. Reges igitur,.ac Principes ſæculares, atque eorum poteſtas naturalis,ac temporalis non ſunt immediate à Deo, ſed mediante Mundi Regina Eccleſia Sancta. Idque Sancti omnes,& Doctores concludunt. Hinc primo S. Dionyſium ſecutus aiebat Clemens Alexandrinus Strom. 6. *Diuina prouidentia deſuper ex ijs, quæ ſunt principalia, tamquam ex capite peruadit ad omnes. ſicut vnguentum, inquit, quod deſcendit in barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius hoc eſt magni Sacerdotis.* Eum ſequuntur in propoſito noſtro, vt vidimus libro primo S. Thomas, Hugo, Alexander, Ægidius, Triumphus, aliique prope omnes. Secundo hinc SS. Ignatius poſt Dionyſiū dixit, *Epiſcopus eſt forma Patris omnium.* & Cyprianus, *velut oleum fluitat, & humidis quibuſlibet ſuperfertur,ita excellentia* Sacerdotalis, *& Regiæ dignitatis ſecundum formam Dei, & Chriſti ſub ſe omnia continens regimen, & munimentum tam actiua, quàm contemplatiua vitæ obtinet; & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarnm diuiſiones*, & S. Athanaſius ait Sacerdotes Patri coaptari per ſigillum, ſeu poteſtatem characteris, & clauis. quod ſcilicet Patri attribuatur omnis poteſtas, ſit fons Trinitatis, in quem cuncta recapitulantur. Atque ita Poteſtas Sacerdotalis eſt illa,à qua prodeūt omnes poteſtates. Tertio propterea volunt imprimi Epiſcopis, & Eccleſiaſticis characterem, ſeu figuram viuam, & efficacem, vel in remotiſſima naturalia,temporaliaq; operantem Paternæ poteſtatis, ac ſuperna-

naturalis, quæ *Ad omnes penetrat creaturas*, per quam ſumus, *panis vitæ*, ait Cyrillus, & *Dedit nobis miniſterium reconciliationis* inquit S. Hilarius. & qua Chriſtus vt homo, *Vniuerſa in ſemetipſo recapitulat, vt in viſibilibus, & corporalibus principatum habeat*, per Eccleſiam Sanctam: vt ſcribit, S. Irenæus. quē SS. Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique multi ſupra memorati ſequuntur, è quibus neceſſario fit ab Eccleſia prodire omnem poteſtatem, quæ ſit inter mortales. Quarto ob id omnem poteſtatem fuiſſe Epiſcopis datam, aiunt SS. Ambroſius explicās illud, *Omnia veſtra ſunt, quomodo hæc* (quæcumque ſunt) *iudicio noſtro concessa ſunt, & ſubiecta, & nos Chriſto ſubÿciamur*, & Chryſoſtomus. *Pater omnifariam filio poteſtatem dedit, cæterum video ipſam eamdem omnifariam à filio illis* (Sacerdotibus) *traditam. & terræ, & eorum, quæ in terra ſunt curam, & præfecturam verius reſidere penes Sacerdotes, quam penes eum*, Imperatorem, & Cyrillus, *ſicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium Dux ex Iſrael egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne, quodcumque eſt, vt ei cuncta curuentur ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſime commiſit, & nulli alÿ quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, dedit.* & S. Auguſtinus. *Prorſus totum mundum accepit Petrus, quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes.* & Anſelmus. *Omnia enim, quæcumq; ſunt, veſtra ſunt ad poſſidendum.* & Chriſtus. *vobis & homines, & omnia ſubiecit.* & S. Bernardus. *Epiſcopi habent, & Regalia. quia Domini ſunt Vrbium, & oppidorum, nec ſolum Epiſcopatus.* Quinto ob hæc dixerunt Hugo, Alexander Halenſis, Mayro, Ægidius, Henricus Gandauenſis, Triumphus, *Spiritualis poteſtas habet inſtituere terrenam, vt ſit, & iudicare, vtrum bona fuerit.* Sic itaque non eſt hæc immediate à Deo. Sexto S. Thomas tradidit temporalem poteſtatem eſſe à ſpirituali, *Quoad eſſentiam, potentiam, & actionem*, non igitur immediate à Deo. Septimo propterea dixerunt SS, Reges alios eſſe Eccleſiaſticorum figurā, ſed Eccleſiaſticos vere, ac proprie Reges. Vnctionis enim Sacerdotalis, ac Regiæ poteſtatis in ea reſidentis, *Typus fuit in Regibus Iudæorum*, ſcribit S. Ambroſius. eumque duæ ſint functiones Sacerdotalis, & Regalis, *Ambas ſolus ille* (Chriſtus) *ſuſtinuit, & non figurate, ſed proprie ſolus impleuit*. Has vero ita reliquit Eccleſiæ, *Vt omnes nondum credentes in Chriſto ſub pedibus iaceant Chriſtianorum*. Quocirca vnctione Regum Iudaicorum, *Regale Sacerdotium præfigurabatur Eccleſia*, ait S. Auguſtinus. Apoſtoli enim, quibus Epiſcopi ſucceſſerunt. *Omnibus Principibus*

bus fuerunt magis proprie Principes. ac *terrae, & eorum, quae in terra ſunt, curam, & praefecturam veriùs reſidere penes Sacerdotes, quam penes eum*, Imperatorem, tradit. S. Ioannes Chryſoſtomus. Octauo ob eamdem cauſam Sanctus Irinæus vult Epiſcopos eſſe in Eccleſia inſtar Moyſis, & Samuelis, & idem tradit S. Bernardus; quin, vt vidimus ex Eccleſiæ conſuetudine tamquam Moyſes, & Aaron vnguntur, & veſtiuntur, quæ conſentiunt ijs, quæ ſupra ſunt adducta SS. vero Epiphanius, & Paulinus ſcribunt Epiſcopos ſedere cum Regia poteſtate in ſede Dauidis, quocirca quicumque ſunt in Eccleſia Principes temporales, ab eis erunt, non immediate à Deo. Nono idem S. Bernardus vult pontificem eſſe, *Gubernatu Noe, & vnctione Chriſtum*, ac S. Chryſoſtomus tradit illa, *Pater omnifariam filio poteſtatem dedit caeterum video ipſam eandem omnifariam à filio illis traditam*. & Cyrillus, *Pedes Chriſti humanitas eſt ſcilicet ipſe homo cui tota Trynitas pleniſsimam dedit poteſtatem, quem vnus trium aſſumpſit in vnitatem perſonae, tranſuexit ad poteſtatem ſuper omnem Principatũ, & poteſtatem, vt adorent eum omnes Angel Dei, quem principatum totum, & poteſtatem dimiſit per Sacramentum Petro, & Eccleſiae eius*. & S. Auguſtinus, *Prorſus totum mundum accepit Petrus*, & alia quæ ſupra adduximus ex eodem Angelomoque, & Anſelmo. quamobrem, ſi tota, ac pleniſſima poteſtas, ac totus mundus traditus eſt Petro, eiuſque ſucceſſoribus, quicumq; habet aliquam poteſtatem mediante ipſo habebunt, non à Deo immediate. quod igitur ſcriptum legimus, *Per me Reges regnant*, intelligendum nobis eſt, Eccleſia mediante, ſimiliterque ſimilia ſunt exponenda. confirmantur hæc omnibus ijs, quæ ſupra adduximus, cum de vno totius orbis principe ageremus: addimus hic illud vulgatum, *Iure naturali, ac diuino in omni genere rerum, eſt vnum primum, quod eſt regula, menſuraque omnium genere illo contentorum*, quamobrem neceſſe eſt in genere humanarum poteſtatum eſſe vnam, quæ ſit omnium regula, ac menſura, menſura vero regulaque eſſe non poteſt, cui non conueniunt illa tria, quæ ſupra, libri ſecundi cap. 2. ſunt explicata. Igitur ad Pontificem ſummum, & quantum voluerit ipſe ad Epiſcopos, Eccleſiaſticoſque alios in omni poteſtate humana, quæ rebus vllis vtitur, vt per illas Deo fruatur, ſpectat examinare omnes circumſtantias quibus ſingula quæque agenda ſunt, iudicare, & ordinare. breui illæ verſiculo continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Ac proinde ad eoſdem pertinebit iudicare naturali, ac diuino

iure

iure, quiſnam ſit Rex; cui Regnum debeatur, cui bellica poteſtas, à quo ſit exercenda, à quo auferenda, vt ipſi, ac reliqui Deo fruantur, perueniant ad finem ſupernaturalem, naturalem, non corruant in omnia flagitia, non deueniant in Dæmonum poteſtatem, non deleantur. In ſingulis enim quibuſque expediendis, quid nos ad Deum, quo ſemper aſpiramus omni in re, perducat, ſcit ſola, *Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Quod ſi quis exiſtimat ſe ſcire, neceſſe eſt conferat cum Petri ſucceſſore, dicens cum Paulo, *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Quod ſi Oriens id iuris naturæ humanæ coeſſentialiter inſiti obſeruaſſet, non maximo noſtro dolore aſpiceremus Aſiam, Africam, Græciam perditas redactas in barbariem, Tyrannidemque immaniſſimam; quò pertrahunt nos qui opinionem contrariã noſtræ ſequuntur. Quamobrẽ Concilia Sancta, Pontificesq; ſummi, vt effrænem quorumdam cupidinem coercerent aliqua ſtatuerunt, quæ pro definitis habentur. Primumque eſt, eſſe hæreſim, ſi quis aſſerat poſſe accipi è manu ſæcularium poteſtatum iura, vel bona vlla Eccleſiaſtica. Nam ſic in Concilio Romano, ac Lugdunenſi, quæ ſunt habita Henrico Tertio, & Quarto imperantibus. *Inueſtituras Epiſcopatuum, & Abbatiarum, & omnium rerum Eccleſiaſticarum de manu laica accipere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ſequentes hæreſim eſſe iudicamus.* Hæc in Epiſtolis Iuonis; apud quem Ioannes Archiepiſcopus Lugdunenſis epiſtola 239. ſic illa interpretatur, *Licet exteriores inueſtituras per laicos factas non ſatis propriè hæreſis nomine cenſeamus ſic ſentire tamen ac defendere eas fieri debere, indubitata eſt hæreſis.* Secundum præterea apud Catholicos eſt in confeſſo, non licere imminuere iura vlla Eccleſiaſtica, hæreſimque eſſe, aſſerere id licere. Nam ſi fas non eſt ſæcularibus principibus dare vllum ius velut à ſe dependens Eccleſiaſticarum rerum perſonis Eccleſiaſticis, quomodo poterunt illa omnino redigere in ſuam poteſtatem? Quicquid verò pertinet ad Eccleſiam, vel Eccleſiæ ſeruientium poteſtatem, victum, dignitatemve, ſacrum vocatur, vt poſt alios egregiè notauit S. Thom. 2. 1. quæſt. 99. art. 1. & in hoc caſu Durandus tractatu de origine iuriſdictionum quæſt. 3. circa medium, vult eſſe hæreticos, qui dicerent fas eſſe vſurpare iuriſdictiones temporales à Regibus, Principibusve in eorum Principatibus, quæ ſint Eccleſiaſticorum. Sed quæritur tertio loco. An ius quod Eccleſiæ competit in omnia temporalia ſit huiuſmodi, vt aſſertio dicentium directè non ei competere, ſit hæretica. Qui ſanè volunt non ei competere, ita, vt poſſit Pontifex ſummus pro quolibet libito

bito dare,ac transferre imperia,& Regna,meo quidem iudicio re-ctiſſimè loquuntur, ac ſcribunt, ſicuti & Regi directa eſt poteſtas ad regenda temporalia ſuorum, neque tamen illa poteſt auferre, ſiue agamus de priuatorum bonis, ſiue de publicis Principum multorum iuriſdictionibus,qualia ſunt feuda,palatinatus, magi-ſtratuſque multi in quibuſdam Regnis perpetui. Sic igitur Pon-tifex habet directam poteſtatem in Regna, neque facere poteſt, quod non conueniat diuinæ voluntati. Nam neque Deus facit, aut facere poteſt,quod non vult. Pontifex verò locum Chriſti, ac Dei tenet. Itaque vòluntas eius erit eadem cum voluntate Chriſti, ac Dei, ſiue omnino ei concors. Hoc itaque rectiſſimè multi noſtra ætate ſcripſerunt, Quo ad reliqua quid dicendum? Primo igitur Eccleſia videtur communi teſtificatione quodam-modo comprobaſſe omnia Regna mundi, ad Pontificem ſummum pertinere. Nam ſic ex antiquiſſimo tempore canimus in reſpon-ſoris quartæ lectionis in feſto Cathedræ S. Petri. *Tu es Paſtor ouium Princeps Apoſtolorum,tibi tradidit Deus omnia Regna mundi, & ideo tibi traditæ ſunt claues Regni calorum, quodcum-que ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis.*

Quod ſi dicas hoc pertinere ad ſpirituale, Reſpondemus vſum temporalium, & ordinem rectum pendere eſſentialiter à ſpiritua-li, vt ſupra deduximus, neque vllus ordo datur, qui iuſtus ſit, ac non redigatur in Deum. Secundo vt vidimus cuncti patres ex omni tempore dixerunt gubernationem temporalium pertinere, non modo ad Pontificem ſummum, ſed ad Sacerdotes, & Epiſco-pos,qui ſi quando reiecerunt à ſe illorum curam, reiiciendamque dixere, idcirco id dixerunt, non quod ad eos iure non ſpectet,ſed quod maiora non ſint dimittenda; ſicuti neque Regem decet ſtabulariā,ſtercorariamque artes exercere, ſic neq; Eccleſiaſticos hæc ignobiliora; quæ tamen quoties expedit poſſunt, vel quoties adeuntur.iuxta l.Epiſcopale. C. de ep. aud. vel Conſtantini, Ca-rolique legem,de qua libro quinto, ſapienter,ac ſuo loco, tempo-reque obſeruandam iuxta Canonum decreta. Tertio Scholarum Principes omnes acutiſſimi, doctiſſimique è Scholaſticis peren-ni,vt vidimus,ſucceſſione,ſicuti & patres idem ſtatuerunt, atque aſſerere aliquid contra perpetuam tàm Patrū, quàm ſcholaſticorū ſententiā reputatur erroneum. Quarto Theologi Scholaſtici ma-xime docti, & acuti id tradiderunt in his Carmelitanæ Scholæ Princeps Ioannes Bacconus, ex Auguſtinianis Beatus Auguſtinus Triumphus inquiens non eſſe duas poteſtates ex æquo inter ſe vl-lo modo diſtinctas, ſed ita diſtinctas,vt altera alteri eſſentialiter,

& om-

& omnino ſubiiciatur, quoniam non ſunt duo principia, quod Me nichæi dicebant: è Franciſcanis Doctor Illuminatus Franciſcus Mayro deducens ad duas hæreſes contrariæ partis aſſertores, vti ſupra attulimus eius verba. Sic igitur ex inſignibus ordinibus Scholaſtici inſignes id volunt. ſed præter hos alii ſunt, qui contrariam ſententiam decernunt eſſe hæreticam, Beatus Ioannes è Capiſtrano ex ordine S. Franciſci Theologus, & Canoniſta tractatu de poteſtate Papæ 2.par. 2. partis principalis, & inter Ca noniſtas Hoſtienſis 24. quæſt. 6. cap. 8. cap. nouit de iudicijs. cap. cauſam quæ. qui filij ſint legitimi, & Iuriſconſultorum Princeps Bartolus idem ſignificat. l. 1. §. Præſides de requirendis reis; Hieronymus Albanus tractatu de poteſtate Papæ; Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 27. vt ſupra eius verba retulimus, ſic igitur veluti hæreticam condemnarunt opinionem contrariã. Gallicæ nationis Theologi inſignes Franciſcus Mayro, Ex Hiſpanica Aluarus Pelagius Theologus, & Canoniſta, ex Anglica Bacconus, ex Italica duo Beatis annumerati Auguſtinus Triumphus, & Ioannes è Capiſtrano præter alios memoratos. Quinto hoc videtur à Nicolao ſecundo, qui ſedere cæpit anno 1059. definitum 22. diſtin. cap. 1. Nam ſic ille, *Omnis Patriarchij cuiuslibet apicis, ſiue Metropoleos, Primatus, atque Epiſcopatum Chatedras, vel Eccleſiarum cuiuſlibet ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia. Illa vero ſolus ille fundauit, & ſuper petram fidei naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul* (nota hoc) *& cæleſtis Imperij iura commiſit. Non ergo qualibet terrena ſententia, ſed illud verbum, per quod conſtructum eſt cœlum, & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam, illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. vnde non dubium, quia quiſquis cuilibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit iniuſtitiam facit, qui autem Romanæ Eccleſiæ Priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & cum ille vocetur iniuſtus, hic eſt proculdubio dicendus hæreticus.* Hæc Nicolaus. à quo habemus eſſe ſine dubio hæreticum, qui iura terreni ſimul cæleſtisque Imperij Eccleſiæ Romanæ à Chriſto commiſſa aufert, atque aſſerit id licere, atq; ob hoc erit hæreticus, ex huiuſmodi aſſertione. Hæreſis namque non eſt in facto, ſed in aſſertione pertinaci. Multi reſpondent huic ſanctioni, quorum dicta facillime diluuntur ex ijs, quæ ſupra à nobis dicta ſunt. Nam quidquid poteſt poteſtas naturalis, aut temporalis poteſt ex poteſtate ſuper

naturali Eccleſiæ Sanctæ, ſine qua eſt in Dæmonum poteſtate, ruit ad interitum, ſtuporem veſaniamve, ad omnia flagitia, longe à fine naturali, ac ſupernaturali. Quocirca Eccleſiæ Reginæ Mundi directiſsimè omni momento, atque omni in re ſubiicitur, per quam deriuatur in homines qualiſcunque gratia Dei. diuiſusque homo ab Eccleſia Dei, qua parte eſt diuiſus, eſt iræ, pœnæ, ac vindictæ filius. præterea verò, qui ſecus atque nos dicimus volunt, ijdem volunt ob alias cauſas id à Nicolao ſancitum, quam propter eas quatuor à nobis adductas, aut illã primã, qua momento omni, atque omni in re homines naturali appetitu Deum volunt. Videtur idem multo clarius à Bonifacio Octauo decretum in Extrauaganti vnam ſanctam de maioritate & obedientia, in qua definitur illud inter alia. *Spiritualis poteſtas terrenam habet inſtituere, vt ſit, & iudicare ſi bona non eſt.* Quod eſt dictum Magiſtri Hugonis de Sancto Victore Saxonis, & Alexandri Halẽſis Angli ſupra à nobis adductum. *Item lex diuinitatis eſt infima per media in ſuprema reduci, & non ergo ſecundum ordinem vniuerſi omnia æquè immediatè, ſed infima per media, inferiora per ſuperiora in ordinem rediguntur*; Quæ doctrina eſt Dionyſij Areopagitæ, Clementis Alexandrini deſumpta ab vniuerſi ipſius Conſtitutione, vt ſupra à nobis eſt declaratum. Quin S. Pauli cap. 13. Epiſtolæ ad Romanos & 1. ad Corinth. 12. Epheſ. 4. Qui verò reſpondent indirectè eſſe, vel Chriſto, vel Eccleſiæ Sanctæ in temporalia poteſtatem refelluntur iiſdem modis, quibus refelluntur ij, qui ſupra adductam Nicolai conſtitutionem conantur infringere. Omne enim bonum, directè à Deo deriuatur in humanũ genus per Chriſtum, Sponſamq; eius; ac directiſſimè in omni bono ſubiicitur illis humana natura. Præterea qui ſecus dicunt, dicũt dari momentũ, vel aliquid, nẽpè indirectã poteſtatẽ, in quo poſſit humana natura abſcedere ab illo coeſſentiali appetitu in Deum, ſiue indirectè ſubiici poteſtati perducenti ad Deũ, quod fieri nullo modo poteſt, vel vllo momento, vel vlla in re, ſiue in ſpirituali, ſiue tpali, immediatius enim directius, principalius, ac prius vult ſubiici natura humana poteſtati pducẽti ad Deum in oĩbus, q̃ cuiuis poteſtati. Vel dicunt corporalia, tpaliave, aut naturalia magis eſſe propter ſe, q̃ propter ſupernaturalia, quorum quoduis dicamus, incidimus in duos Deos, nam propter ſe, eſt ſolus Deus, cætera magis ob ipſum & in ordine ad ipſum, quã ob ſe, vel in ordine ad aliud. Sexto ob hæc deducunt Doctores è contraria opinione hæreſes aliquot, ac prima eſt iam dicta, quàm conſiderat Ioãnes Bacconus

conus, ſi bene aduertatur, eumque multi ſecuti, atque in his B. Augustinus Triumphus 1. par. quæſt. 1. art. 8. Bonifacius Octauus Extrauagan. vnam ſanctam, nempè Manichæorum ponentium duos Deos, ac probatur eodẽ modo. Nam II. cum bona omnia deriuentur in humanum genus à Deo per Chriſtum, & Eccleſiam ſanctam Mundi Reginam, vel quatenus amouent obſtantia, vel quatenus humanam naturam perducunt ad finem ſuum, qui aliunde aſſerũt ſe habere, neceſſe eſt aſſerant ſe habere ab alio Deo, q̃ Deo Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ eius. III. iure naturali, ac diuino nulla in re naturali, aut temporali, ac nullo momento poteſt humana natura velle à Deo diſiungi, vel indirectè vlla in re, ac momento nõ ſubiici poteſtati ad eum perducenti quæ eſt *Eccleſia Dei viui, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*, & quamuis aliquid aliquis certiſſimo ſciat, tamen neceſſe eſt illo vtatur, vt membrum Chriſti, ac ſubiectus ei, de quo eſt dictum, *Super te ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* dicens vna cum Paulo, qui didicerat Euangelium, *Per reuelationem Ieſu Chriſti*, Illa, *ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem*, Ob eas cauſas, quæ ſupra ſunt adductæ; directiusque natura humana vult ſubiici Deo, poteſtatiq; perducenti ad eum cum ſuis omnibus poteſtate naturali, temporali, ac notitia, quàm quidvis aliud; ac directius eſt omne ob hoc, quàm ob quidvis aliud; ergo Eccleſiæ poteſtas eſt directa in hæc. dices in ordine ad Deũ. cõcedo, ſed nõ eſt, niſi vnus ordo, cui Chriſtus præeſt. vniuerſalis continens oẽs, ac proinde nõ poteſt eſſe vllus ab eo diſparatus, ac diuinus, ſic enim forent duo Dei. III. Hanc hæreſim deducit ex opinione contraria S. Auguſtinus lib. 2. de moribus Manichæorũ c. 6. vt ſupra adduximus eius verba, IV. S. Irenæus, ſtatuit poni duos Deos ab ijs, qui aliqua in re, nõ eſſe Eccleſiæ, Sacerdotibusve eius obediendum volunt. Sic enim libro 3. cap. 40. *Vbi enim Eccleſia, ibi & Spiritus Dei, & vbi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia. Spiritus autẽ veritas, quapropter, qui non participant eum, neq; à mamillis matris nutriuntur in vitam, neq; percipiunt de corpore Chriſti procedentẽ nitidiſsimũ fontem: ſed effodiunt ſibi lacus detritos de foſsis terrenis, & de cœno putridã bibũt aquam, effugientes fidẽ Eccleſiæ, ne traducantur, reijciẽtes verò ſpiritum, ne erudiantur, alienati verò à veritate, digni in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter, atq; aliter per tempora de eiſdem ſentientes, & numquam ſcientiam ſtabilem habentes, Sophiſtæ verborum, magis volentes eſſe, quam diſcipuli veritatis. non*

enim ſunt fundati ſupra viuam petram; ſed ſuper arenam hab.ntem in ſe ipſa lapides multos, propter hoc & multos Deos fingunt. Sic etiam V.S. Ioannes Chryſoſtomus vult eſſe in oĩbus creatis idẽ regnũ Dei, Chriſti, atq; Eccleſiæ, eo modo, qui ſupra eſt explicatus, cui ſubſcribũt innumeri Patres. Secunda hæreſis eſt, q̃ deducũt ex opinione contraria Franciſcus Mayro, Aluarus Pelagius, & ante eos SS. Ignatius, Cyprianus, Gregorius Magnus, quia ponunt duos ſpiritus, ac proinde duas Eccleſias; naſciturque hæc ex hæreſi ſuperiori & reducitur ad eam: iure enim naturali, ac diuino, neque directè, neq; indirectè poſſum velle vlla in re cognita, aut ignorata, ſeu tpali, aut naturali, nõ eſſe ex Eccleſia Dei, vel ſpiritu illius, vel aliquid velle niſi cum ſpiritu in ordine ad Eccleſiam, Chriſtum Deũ, vt eſt dictũ. Hinc Secundo S. Paulus Epheſ. 4. *Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicuti vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtrae, vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus nobis.* Et S. Ignatius ad Trallianos. *Obedite Epiſcopo veſtro, & Presbyteris, qui enim extra altare cõſtitutus eſt, extra Epiſcopum, & Presbyteros, & Diaconos aliquid agens, qui talis fuerit, pollutus eſt conſciẽtia, & deterior infideli.* Ita Sanctus non ſeparans à temporali ſpirituale, volens deprauatæ naturæ eſſe, qui aliquid, agit non modo contra, ſed extra Epm, altare, ſpirituale. Et Tertio S. Cyprianus epiſt 69. ad Pupinianũ, ſic argumẽtatur. Quicumq; eſt contra Epm non eſt in Eccleſia Chriſti. Quicumq; inquirit cõtra Epm, eſt contra Epm, ergo non eſt in Eccleſia Chriſti, ac Dei, Minor eſt euidens. Maior probatur. Eccleſia namq; eſt in Epo, vt in capite, ac fundamẽto, is enim loco Apoſtolorum ſucceſſit cap. 4. Epheſ. 1. Cor. 12. Irenæus lib. 3. cap. 3. Ignatius paſſim. Theodoretus Pſal. 44. Hinc quarto S. Gregorius in Pſal. 4. Pænit. vocabat Imperatores hæreticos qui de actionibus Eccleſiaſticorũ cognoſcere volebant, quod fieri Eccleſiaſticorũ, ſine Eccleſiæ ſpiritu, vel Dei non poteſt. Deus denique mouet hoc ſpiritu lumen naturale intellectus noſtri, vt oĩa ſubijciat Chriſto, quod latè eſt probatũ. quiſquis lumine ſuo non ſubiicit ſe Chriſto in oĩbus, dicitq; id eſſe à Dei ſpiritu, dat duos Deos neq; capiti Chriſto ſubiicitur, qui corpis eius, ideſt, Eccleſiæ nõ eſt mẽbrũ. Tertiã nõnulli hæreſim deducũt Pelagij, qui volebat poſſe à nobis haberi, tam naturalẽ, quã ſupernaturalẽ finem ſine gratia Dei; vtrũq; dãnatur à Mileuitano Concilio cap. 7. 9. & ab Arauſicano cap. 14. & 19. & S. Auguſtino lib. 2. de peccatorũ remiſſione c. 5. & hæreſi 88. Nam cum naturalis finis ſit indiuiſus à ſupernaturali

in

in aſſecutione eædem vires exigũtur ad vtriuſque. Secũdo licet diuiſus eſſet, tamen in eandem labimur hæreſim; quia vires naturæ humanæ, non poſſunt aſſequi illũ, qui cum dñetur ei, neque poſſit inſiſtere viæ ducenti in ipſum (licet boni aliquid agens minus recedat) niſi obediat, ac ſubiiciat ſe in omnibus, omni momento Eccleſiæ ſanctæ. Hæc proinde ipſi eodem iure dominatur. Quamobrem rectè ait S. Thomas, vt vidimus, poſſunt infideles ab Eccleſia priuari dominio, quod habent, ob crimen infidelitatis, non quod infidelitas dominiũ tollat, ſed quod cauſa iuſta ſit, quoties Eccleſiæ videtur, vt tolli poſſit. ab ea namq;, vti à Chriſto Deo ſponſo ipſius omne dominiũ dependet. Nõ tollit propter ſcandalũ vitãdũ. Duplex verò eſt illud; acceptũ, & datũ, ſiue actiuũ, & paſſiuũ. Datũ eſt, cũ quid genere ſuo malũ fit. Acceptũ, cũ quis accepit ſcãdalũ, quia factũ fuerit ab alio, dictũve, quod iure licet. Hoc non eſt cauendũ, cum videmus, niſi id fiat, mala naſci, aut naſcitura, vt docet Chriſtus Matthæi. cap. 15. preſertim, quoties aliquis ex malitia peccat quamuis certior factus veritatis, vt late tradunt *SS.* Thomaſ. 22. q. 43. art. 7. & 8. Auguſt. lib. 3. cap. 2. contra Parmenianum. Quamobrem quod aiebat inter alios S. Antoninus poteſt Eccleſia debellare infideles, vt puniat eorum peccata contraria lumini naturali, cum iudicauerit hoc expedire. Quod ſi licet bellum mouere ob bonum temporale, aut naturale, particulare, multo magis ob bonum, quod contiuet omnia bona. Non licet inquiũt compellere ad fidem. Concedo. licet compellere, vt abſtineant qui puniuntur, à peccatis, cæterique exemplo illorum deterreantur, vt ſupra eſt dictum. hæc igitur iſti opinionem contrariã dicẽtes hæreticam; ſed nec ne ſit aſſerere, vel dicere ad nos nõ ſpectat.

Ad ſummã, vt omnia colligamus poteſtas indelebilis, ac ſupernaturalis animæ noſtræ diuinitus per characteres inſculpta dominatur omnibus, atque eſt immediate à Deo, & quãuis interueniat miniſteriũ noſtrum, ſit hæc figura, & epiſtola hominibus inſcripta, noſtro, Chriſtique miniſterio, tamen, vt gradatim dictum fuiſſe ab Apoſtolo ſupra expendimus, illa eſt, *Scripta ſpiritu Dei viui*, qui ſolus poteſt à parte anteriori, vt loquuntur Doctores, animam mouere, intime illabens ipſius eſſentiæ, ad intelligenda, atque appetenda efficaciter, & infallibiliter diuina ſiue non excedant, ſiue excedant naturæ noſtræ poteſtatem; ſolus ipſe nos immediate coniungere ſibi ipſi poteſt; quod nullibi conquieſcens appetit humanã natura coeſſentiali, & inſeparabili iure, cui ſeruiunt ad illud imprimis facta omnia, ex æterna ſummi Patris præordinatione numquam recedente, ac numquam receſſura à

rebus. Quamobrem nos ſecuti Sanctorum, Theologorumque r eminentium doctrinam lib. 2. c. 2. argumenta omnia redegimus ad tria. Quorum primum pertinet ad Patrem, ſecundum ad Filium, tertium vero ad Spiritum Sanctum. quouis illorum ſolui argumenta omnia contraria poſſunt. Primum vero quo ſunt vſi vna cùm Paulo Auguſtinus, Hieronymus, Hugo Alexander, Thomas, Ægydius, Mayro, Bacconus cæterique omnes eſt primo loco poſitum. *Spiritualis*, ſeu ſupernaturalis, *iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*. Nam *Pater eſt, qui iudicat*. & quamuis dicat Filius, *Ego non iudico quemquam*; tamen, *Pater*, cui nos configuramur per characterem, *Omne iudicium dedit Filio*. qui dicit, *Ego à me ipſo non iudico quemquam*. Quocirca hinc oritur, ſecundum argumentum quo ſunt vſi S. Thomas, Ægidius, Mayro, ac reliqui, vti eſt dictum. Quæcumque poteſtas ordinat in vltimum finem, ordinat cuncta facta ad illum finem. Nam cum Filio attribuatur ſapientia, ſapientiſque ſit ordinare, ac Filius ſit, per quem cuncta ordinantur à Patre, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Similiterque humanitas ſanctiſſima coniuncta æterno characteri ordinet cuncta, quæcumque ordinari, ac fieri à creatura poſſunt, hinc nihil fingi poteſt, ab hominibus ordinandum, quod non ſit à participato in nobis charactere ordinandum, quæcumque autem ſint, aut fingantur, ordinanda ſunt omnino in vltimum finem, media ſunt, vtimur illis, non fruimur, explere noſtrum deſiderium non poſsunt, & quamtumuis alij ſciant alia, ſupernaturalis mouetur ad ſciendas illas circunſtantias, de quibus eſt dictum.

Hinc argumentum tertium procedens à primo, & ſecundo, quo ſunt vſi in primis SS. Dionyſius, Clemens, Thomas, Ægidius, aliique omnes, omnis poteſtas à diuina communicatur inferioribus per ſuperiores. Nam bonitas, cuius eſt communicare, attribuitur Spiritui ſancto. Sed hoc argumentum prodit à primo, & ſecundo, ſicuti Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, Nam poteſtas Patri attributa communicat ſe, & communicat ſe per ordinem, qui attribuitur filio, ſed ipſa communicatio Spiritui ſancto attribuitur. Sic itaque reditur ad primum; quo maximè diluuntur cuncta aduerſantia. Supernaturalis poteſtas inter homines omnibus dominatur. Ob id SS. Nazianzenus, Bernardus, Primaſius, Auguſtinus, Symmachus, Anſelmus, Hormiſda, Nicolaus 1. Leo 1. Gregorius 7. Baſilius, Chryſoſtomus, Græci, Dionyſius, alijque volunt ex ijs verbis, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt*, haberi, omnes in omnibus obliga-

gatos eſſe obedire Eccleſiaſticæ, ſeu ſupernaturali poteſtati, ab hac namque. Primo deriuantur, omnes poteſtates ſecundo ab illa ordinantur cuncta, tertio formam Patris tenens hæc omnibus dominabitur omnia recapitulans in Eccleſiam, Chriſtum, Deum.

Primo tamen argumento maxime diſſolui omnia poſſunt, Omni namque in re, & omni momento dominatur humanæ naturæ ius illud coeſſentiale, & in ſeparabile perueniendi ad eum, neque poteſt poteſtas vlla vlla in re, vel vllo momento eo peruenire abſque infallibili doctrina, ac poteſtate efficaci Eccleſiæ Sanctæ quocirca eius ſupernaturalis poteſtas omnibus omni in re, & omni momento eodem iure dominatur, ac proinde ſecundo loco ordinat cunctâ, & tertio communicat ſe ſuamque poteſtatem cunctis mortalibus magis, minuſue eos purgans, & illuminans cohibita Dæmonum poteſtate, ac tenebris diſiectis, perficiens vero, & coniungens Chriſto filios ſibi ex animo in omnibus omnino obedientes.

Abſurda porro innumera deduci ab opinione cõtraria poſſunt. Nã cũ deprauatio naturæ ſit diſiungere ſe à ſupernaturali directione, neceſſario quidquid ab illa oritur, deprauabitur, niſi quãtũ per merita Eccleſiæ, boni aliquid aliquid aget naturæ impulſu, cuius non omnis actus deprauatur, vt in damnatis. Per ſe tamen tendit ad omnem deprauationẽ, quiſquis à ſupernaturali ſe directe, aut indirectè diſiungit. Sed iſta mittamus, & accedamus ad examinanda teſtimonia pro Eccleſiaſtica libertate, quæ pertinent ad poteſtatem fratri noſtro vna cum quæſtionibus dimittentes.

Iure antiquo diuino templa erant exempta, ac multo magis noſtra; maxime vero perſonæ. Cap. II.

*S*Acrum dicitur aliquid, ait S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1. *ex eo, quod ad diuinum cultum ordinatur. Sicut autem ex eo, quod aliquid ordinatur in finem bonum, ſortitur rationem boni, ita etiam ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum; & ſic ei quadam reuerentia debetur in Deum & ideo omne illud, quod ad irreuerentiam rerum ſacrarum pertinet, ad irreuerentiam Dei pertinet, & habet ſacrilegij rationem.* Et art. 2. in con-

concluſione. *Sicut enim Damaſcenus dicit lib. 4. cap. 3. Purpura regale indumentum facta honoratur, & glorificatur; ita etiam ſi quis rem ſacram violat, ex hoc ipſo contra Dei reuerentiam agit.* Et 3. ſimiliter in concluſ. *Debetur autem reuerentia rei ſacræ ratione ſanctitatis, & ideo ſecundum diuerſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreuerentia exhibetur, neceſſe eſt, quod ſacrilegij ſpecies diſtinguantur. Tanto enim ſacrilegium eſt grauius, quanto res ſacra, in quam peccatur, maiorem obtinet ſanctitatem. Attribuitur aũt ſanctitas & perſonis ſacris, ideſt diuino cultus dedicatis, & locis ſacris & rebus quibusdam alijs ſacris. ſanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum exhibet: dicitur enim 2. Machabæorum 5. Non propter locum gentem, ſed propter gentem Dominus locum elegit. & ideo grauius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam ſacram, quam quo peccatur contra locum ſacrum. Sunt tamen in vtraq; ſpecie ſacrilegij diuerſi gradus, ſecundum differentiam perſonarum, & locorum, ſacrorum, ſimiliter etiam & tertia ſpecies ſacrilegij, quæ circa alias res ſacras committitur, diuerſos habet gradus, ſecundum differentiam rerum ſacrarum; inter quas ſummum locum obtinent ipſa ſacramenta, quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ ſacramentum, quod continet ipſum Chriſtũ, & ideo ſacrilegium, quod contra hoc ſacramentum committitur, grauiſſimum eſt inter omnia. Poſt ſacramenta autẽ ſecundum locum tenent vaſa conſacrata ad ſacramentorum ſuſceptionem; et ipſæ imagines ſacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo reliquiæ ſanctorum venerantur, & dehonorantur, deinde quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorum, deinde ea, quæ ſunt deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia. quicumq; autem contra prædictorum aliquod peccat, crimen ſacrilegij incurrit.* Hæc Sanctus. E quibus colligimus, ex ordine ad Deũ res eſſe ſacras, vel eſſentiam ſacrã, naturamq; participare, debitãq; Deo reuerentiã, locum porro vltimũ tenere ordinatas ad alẽdos Dei miniſtros. cum probabimus itaq; liberas eſſe à ſæculari poteſtate res vltimi loci, multo magis erũt altioris loci, vt perſonæ (quod eſſe iuris naturalis à participata in ordine ad ſupernaturalem poteſtatem natura oſtendemus) multo autem maximè, quòd Sacramento ordinis imprimitur animæ nota indelebilis, ſiue character, quo cõſecratur, ita vt ſemper impellatur ad intelligenda, & adminiſtranda diuina magis, q̃ cæteri mortales; remanetq; poſt obitũ, tanta ſcilicet eſt dedicatio perſonæ, vt imprimatur formæ; quod nõ accidit p̃terea niſi Euchariſtiæ:

nam

nam cætera ſacramenta non ita operantur niſi cum conficiuntur; antea, vel poſtea non ita. Sola Euchariſtia continet ipſum Chriſti corpus, in quod mutatur tota materia, formaque panis, & vini. in aliis ſacramentis nulla fit rerum, quæ conſecrantur, immutatio quoad intimam, naturalemq; formam. ſed in homine cultibus diuinis conſecrato tanta fit animæ immutatio, vt imprimatur illi character indelebilis: quamobrem ſi res liberæ ſunt à ſæculari poteſtate, quia ſacræ ſunt, quod maxime eſt huiuſmodi, erit maxime liberum; quod autem minus erit huiuſmodi, & minus erit liberum.

Quocirca cum probabitur in ſequentibus ex teſtamento veteri, haud potuiſſe ſæculares Principes aliquid in res ſacras vltimi gradus: concludemus etiam multo minus poſſe in teſtamento nouo in res ſacras ſuperioris gradus, veluti pſonas, tũ quod hæ ſint poſt Euchariſtiæ ſacramẽtũ ſacratiſſimæ, tũ quod antiqua præ noſtris, vt ſupra cõcluſimus ex Apoſtolo Paulo, ſint veluti vmbra informis reſpectu imaginis ĩ ſua lineamẽta diſtinctæ, & ſuis coloribus depictæ, & claræ; aut veluti figura corpis alicui' lãguida, & emortua reſpectu corpis viui, ac valentis. Igitur ad propoſitũ, Iacob expauit Geneſ. c. 28. ſimulatq; cognouit locũ, in quo dormierat, Deo ſacratũ. Moyſes autẽ iuſſus eſt calciamenta ſoluere calcaturus tellurẽ, in qua Deus potẽtiã ſuã prodiderat, Exodi 3, quaſi nudandi ſint homines ab omni dignitate, quæ eos circũſtat, ornatq; in loco, in quo ſe Deus prodit. quod nõ modo egit ille, ſed etiã faciẽ ſuã protinus abſcondit. Eodem modo edictum eſt populo cap. 19. ne accederet ad montem, vel tangeret illũ, in quo Deus Moyſi loquebatur. quæ ſane omnia nos docent, in templis, in quibus loquitur Deus, aut quæ Deo ſeruiunt, nõ poſſe vllum ſtare, aut aliquid efficere niſi eo modo, quo vult Deus; qui loquitur per Eccleſiã, *Quae eſt columna & firmamentum veritatis*. multo igitur magis in perſonis.

Accedamus vero ad antiquum tabernaculum, cuius forma eſt retenta in templo Salomonis, quantum ſpectat ad propoſitum noſtrum.

Tres erant tabernaculi ſancti partes, totidemque poſtea templi fuerunt. Prima laicis omnibus patebat. Secunda erat Sacerdotum. Tertia Pontificis ſummi, quæ tradit inter alios Ioſephus lib. 6. belli Iudaici cap. 6. Ob has cauſas pars ſecunda vocabatur ſancta; tertia vero ſancta Sanctorum. Hinc legimus cap. Leuitici 16. illa Dei alloquentis Moyſem verba. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium,*

quod

quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo ſuper oraculum) niſi hæc ante fecerit; vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtũ. Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam apponet ſup caput ſuũ; hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus cunctis cum lotus fuerit, induetur. Hæc ibi. è quibus cognoſcimus, neque ipſi Põtifici fas fuiſſe ingredi in ſancta Sanctorũ, niſi prius ſeſe abluiſſet, & ſacris veſtibus induiſſet. Adeo vetitũ cũctis erat ingredi loca illa, ne dũ rapere, aut amouere aliquid ex eis. Similiter in ſancta haud ingredi licebat, niſi Sacerdotibus ſolis, vt habetur Numer. cap. 8. & Exodi vlt. & ad ducto loco tradit Ioſephus, vt alios è noſtris omittamus. Hanc aũt formã tẽplorũ fuiſſe in præcipuis huiuſmodi partibus retentam, cognoſcimus è multis aliis, tum vero è Clementis conſtit. libro 2. cap. 62. & ex ijs, quæ S. Ambroſius egit cum Theodoſio Imperatore, vt infra oſtendemus, & S. Fabianus cum Philippo ſimiliter Imperatore.

• Ob id ipſe Rex non ingrediebatur vel ſancta Sanctorum, vel ipſa ſancta Sacerdotibus reſeruata, ſed cum precabatur in medio atrio cohærente ſanctis Sacerdotum locis erat illi ſedes ænea, in qua eminens præ cunctis preces ad Deum fundebat è regione altaris ſacrificiorum.

Quod ſi Salomon iuſſit in tabernaculo ad cornu altaris occidi Ioab exercitus regii ducem, neceſſe eſt vel id egerit de Sacerdotis permiſſu, vt par eſt credere, quaſi interrogans os Domini, vel contra diuinum mandatum fuerit id aggreſſus. Hinc cum Ioab in templum profugiſſet, & Banaias ediceret, vt iuſſu Regis illinc egrederetur, neque hæc audiens ille vellet exire, non eſt auſus Banaias, vel inde abſtrahere illum, vel ibi interficere, quamuis præceptũ Regis eſſet, vt interficeret. Quin neq; fas erat ſæcularibus intueri arcam. quòd habemus 1. Reg. 6. ex quo concludit S. Gregorius Nazianzenus erat 18. ad ciues trepidantes multo minus licuiſſe ijs, inſpicere, aut iudicare actiones Eccleſiaſticarum perſonarum.

Tãta erat præterea Sacerdotalis terræ poteſtas, vt Deus iuſſerit ſex eſſe vrbes refugii, tres cis Iordanem, tres verò vltra: ad quas quicumque confugerent homicidio perpetrato, aſſerentes id admiſſum præter ipſorum voluntatem, tuti eſſent. An autem quod affirmabant, verum foret, iudicare ſpectabat ad Sacerdotes, quod habetur Numer. cap. 35. Deutero. 4. Ioſue 21.

His explicatis, cũ ſupra cõcluſerimus, lõge ſacratiſſima eſſe noſtra

ſtra præ antiquis, ac multo maxima diuino iure his eſſe priuilegia, ſequitur confugiẽtes ad templa, domusq; hab itationi Sacerdotali ſpeciatim dedicatas non poſſe inde auelli ab vllo ſæculari neque hunc eò ingredi, Sacerdotibuſque horum iudicia ſpeciatim deberi iure diuino, ac naturali, ac ſine Sacerdotum permiſſu, neque ipſis Imperatoribus omnium maximis fas eſſe in vlla templorum parte auguſtiori conſidere, vel aliquid ex eis mouere, quod innumeris antiquorum Patrum exemplis probari poſſet, & aliqua infra adducentur.

Ex his aliud ſequitur, longe maximam Sacerdotibus ipſis reuerentiam deberi à ſæcularibus, neq; fas illos abſque honoris ſignificatione quodammodo attingere, ne dum capere, aut in carcerem ducere; nam ſi nõ licebat hæc ſæcularibus in res inferioris gradus multo minus, vt argumentatur S. Nazianzenus, in res altioris vt perſonas, ac maximè cum ſint Dei templa viua: quæ ſanctos efficiunt alios doctrina cæleſti, & cæleſtium ſacramentorum vi ſupernaturali. Amplius templa ſunt rationalia, per quæ conficiuntur inſtrumenta ſupernaturalem poteſtatem, diuinitatemq; certiſſimo, quantum in ipſis eſt, inſpirantia. quid plura? Sacerdotum viuentium corpora ſunt templa. per quæ cõficitur corpus Chriſti totius diuinitatis templũ. ſic vocat Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem, ac Sybilla lib. 5. oraculorum, cõtinens in terris quidquid eſt eritve vſque boni creati. S. Ambroſiùs de Sacramentis, lib. 4. cap. 4. Gaudentius tract. 2. in Exodum. Magnet. lib. 3. Apologiæ. Hinc Hildebertus Cænomanenſis, qui ante annos quingentos vixit, carmine de officio Miſſæ.

Tamquam ſub nebula ſacra dona frequentas, & offert
Quiſquis agit Chriſti, Chriſtus & ipſe, vices,
Hac etenim virtus, hac efficientia verbi,
Et Crucis eſt, vt mens, linguaque cedat eis,
Neſcit homo, latet & ſuperos, quo prouehat eſcas
Gratia verborum, myſteriumq; Crucis,
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento
Myſterium ſimplex, vtilitate triplex.

Ex his fit iure diuino Eccleſiaſticos eſſe liberos quoad res, & loca, & multo magis, quoad perſonas, ac iure naturali. ex natura enim ſua (vnde ius naturale) ordinatæ ad ſupernaturalem Dei poteſtatem, participant illã aiunt SS. Thomas, & Damaſcenus, quod latè explicabitur libro ſexto.

E Pſalmo centeſimo quarto, SS. Hieronymi, & Gregorij aliorumque auctoritate probatur Eccleſiaſtica libertas perſonarum, rerum, ſeruorum. Cap. III.

QVi volunt Eccleſiaſticam immunitatem, tam quoad res, quam quoad perſonas iuris eſſe diuini, iureque diuino in ſcriptura diuina expreſſo præceptam, quo prohibeatur, ne quid clericis, ac diuino miniſterio ex natura ſua addictis imperari vlla in re ad ipſos pertinente à ſæcularibus poſſit, multa proferunt ad ſuam ſententiam corroborandam. In his illud è Pſalm. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Quo loco Deus ipſe loquitur, cum verba Dauid ipſe antea feciſſet ad Abraham, Iſaac, & Iacob inquiẽs. *Ipſe Dominus Deus noſter in vniuerſa terra iudicia eius, memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes, quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac, & ſtatuit illud Iacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum, dicens tibi dabo terram Chanaam funiculum hæreditatis veſtræ, cum eſſent numero breui, pauciſsimæ, & incolæ eius, & pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum; non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Hæc è Pſalmo, è quo conſtat à Dauide multa prius locuto de Abraham, Iſaac, & Iacob, induci Deum præcipientem. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* quibus verbis multa ſunt obſeruanda.

In primis autem ipſum Deum præcipere hic edicentem, *Nolite tangere*; quod non modo è modo verbi *nolite*, cognoſcimus, qui eſt imperandi, ſed ex aliis. Nam cum dixiſſet multa Dauid ipſe, commutata deinde perſona adducit ipſum Deum, qui quaſi ore ſuo imperat, *Nolite tangere.* Manifeſtius adhuc fieri videtur è ſuperioribus, cum dicit inter alia, Dei iudicia pertinere ad vniuerſam terram: deinde Iacobo eſſe præſtitutum præceptum

ptum, & Iſaac teſtamentum æternũ, mox ſubijcit ipſum Deum præcipientem. Aperte itaque hæc verba, *nolite tangere*, præcepti, ac teſtammenti æterni eſſe affirmat, teſtamenti inquam, quoniam ſi obſeruatum fuiſſet iſtud præceptum, ſicut alijs gentibus, ſic etiam plurima Iudæis bona temporalia contigiſſent, & in his terræ ſanctæ perpetuum, æternumque dominium, niſi & alios Chriſtos, & Chriſtum Chriſtorũ tetigiſſent, & in Prophetas malignati eſſent: atque, vt Chriſtus in Euangelio tradit, eos occidiſſent, ac lapidaſſent. Sic igitur hæc verba, & præceptum ſunt, ac teſtamentum, tribusque ex cauſis præceptum, è modo imperandi, è commutata ipſius Dei edicentis perſona, non alieno ore, ſed ipſomet ſuo præceptum enunciantis, ex ipſo Dauid vocante hæc verba verbum in mille generationes præceptum, teſtamentumque æternum; licet enim præceptum, teſtamentumque poſsit alia complecti, veluti promiſſionem terræ ſanctæ; tamen & hoc, quod dicimus, complecti, patet ex alijs adductis. Nam cum dicitur verbum mandatum fuiſſe in mille generationes, hoc non poteſt ſolum reſpicere terram promiſſam, cum videamus eam nunc à Iudæis haud poſsideri; neque tamen præterierunt mille generationes, reſpicit itaque in primis illud ne tangantur Chriſti. Obſeruandum deinde hic ab ipſo Deo præcipi, ne ſit voluntas tangendi Chriſtos, vt palam fiat non eſſe operis externi præceptum, malumque id, quia prohibetur, ſed ex natura ſua, & ipſa totius vniuerſitatis à Deo diſpoſita ordinatione, de qua ſuo loco agetur, ac proprie pertinere ad æternitatem prohibitionis, & & vim teſtamenti noui, quo maxima voluntas intima hominis ordinatur, ſicut veteri teſtamento plurima ſpectabant ad externam hominis munditiem, quod apparet è Chriſti verbis Matthæi capite quinto, & Pauli ad Hebræos nono. Ex ipſo autem verbo *nolite*, elucеſcit maxime Dei voluntas, imperantis obſeruari huiuſmodi præceptum, neque permittentis vllo modo violari, vel ſola voluntate.

Sed quid ſibi vult, cum dicit *tangere*? Nonnulla prohibita ſunt tangi, quamuis honoris cauſa, & maxima cum reuerentia tangantur; idque ob eminentiſsimam dignitatem: veluti inter nos eſt Chriſti ſanctiſsimum corpus, & quæcumque ſeruiunt illi, vt calices, patenæ, & quæ vocantur pallæ, & corporalia: ſimiliter tangi haud ſolent reliquię, multaque huiuſmodi maxime ſacra, & in teſtamento veteri vaſa ſanctuarij, vt ne-

que illa filij Caath, & tribu Leui tangere poſſent pœna mortis appoſita; vt habetur Numerorum capite tertio, & nono. Sancta vero fieri ſolebant vnctione propria, qua & tangebantur filij Aaron, vt habetur Exodi capite trigeſimo. Quocirca, & homines religioſos, ac miniſterijs ſacris ex officio proprio addictos non videbatur cuiuis licere omnino, ac ſemper tangere, licet honoris cauſa, & omni ſignificatione honoris tangerentur; ac legimus in Euangelio *amorroiſſam*, cum tetigiſſet fimbriam veſtimenti, quod Chriſtus gerebat, veniam petijſſe, quaſi ſibi nefas fuerit illud, quamuis omni cum reuerentia factum fuerit. Quod legimus capite octauo Lucæ.

Tria vero hominum genera ſolebant vngi, Sacerdotes, Reges, & Prophetæ, illique maxime omnium, vt ex allato Exodi capite habetur. Chriſti autem Græco vocabulo vocabantur, ideſt vncti omnes ob hanc cauſam. explicauitque Dei præceptum Dauid vocabulo, *Chriſtos*, quamuis vncti corporali vnguento non eſſent Abraham, Iſaac, & Iacob, vt ſciremus pertinere præceptum ad alios etiam, dummodo rite vncti eſſent. Cum vero ante legem latam cuncti eſſent Sacerdotes, ac poſſent offerre ſacrificia, ſicuti legimus, oblata ad Abraham, Iſaac, & Iacob, Deus dicit: *Nolite tangere Chriſtos*, indicans aperte, idcirco non licuiſſe illos, vel honoris cauſa tangere, quod ſacerdotes eſſent alijs plerisque licet ſacerdotibus præferendi, quod Chriſtum propius attingerent in ſacrificijs ſuis, ac poteſtate ſacerdotali, & actibus eius. Nam quatenus erant Prophetæ, mox explicat, inquiens: *& in Prophetis meis nolite malignari*. alioquin ſuperuacanea foret additio.

Apertiſsimè vero conſtat, cum Deus prohibet, ne tangantur, prohibere, ne quis aliquid in eos moliatur, vel in res ad ipſos quocumque modo pertinentes, ſiue ſint patrimoniales, ſiue eccleſiaſticæ, contra ipſorum voluntatem; & quodcumque eis nocere poſsit. ideo prohibuit Deus minimum, quod eſt tangere, vt ſciremus multo magis prohibita maiora eſſe; ſic etiam prius dixit: *Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis Reges*. Et probatur exemplo Iacob, quem cum perſequeretur Laban ipſius ſocer, iuſtas (vt videri hominibus poſſet) conquerendi cauſas habens in ipſum, tamen prohibitus eſt à Deo, ne quid vel aſpere in ipſum loqueretur, vel in vxores ipſius, quod narratur Geneſeos capite trigeſimo primo. Iuſtas

ſtas autem conquerendi cauſas poterat afferre in medium Laban, quia Iacob aufugerat ſocero non ſalutato, & Rachel furata erat idola ipſius; neque tamen auſus eſt Laban ſocer tentare aliquid ex edicto diuino in filiam coniugem Iacobi, & ſcrutari, vbinam forent idola, niſi de licentia Iacobi; vt ſciamus in res Chriſtorum, & ſacerdotum, nihil quemquam poſſe extra ordinem ipſorum, niſi de licentia eorundem. Idemque probatur exemplo Pharaonis, qui detinuit vxorem Abrahæ, volens non illicito deſiderio ſibi eam coniugem copulare, & Regis Abimelech, qui eundem ſimiliter detinuit.

Secundo probatur, & alia ratione verbum, *tangere*, cōplecti quidquid ad aliquid ſpectat aliquo modo. Homo enim corpore, & anima conſtat, ac non modo tangitur corpus actu corporali, ſed anima quoque tactu ſpirituali; cum ſcilicet alicui cura exhibetur, qua angatur, & hoc maxime Deus vetuit: loquitur namque cum hominibus de hominibus, & de re humana. Atqui homo eſt homo propter animam; ergo de tactu illius potiſsimum Deus præcipit, & contra ipſius decretum fecit, qui ſacratis viris negotium faceſsit, aut vlla illos cura tangit.

Tertio probatur adhuc ex vſitato loquendi more, tam Latinorum, quàm Hebræorum; dicimus enim, nil me res hæc tangit, id eſt, nihil ad me ſpectat.

Denique cum ſupra concluſimus, perſonas magis eſſe ſacras, quam res, ac nō liceat honoris gratia tangere res ſacras: multo igitur maxime haud licebit iniurioſe tangere perſonas ſacras. ſacræ vero maxime ſunt quoad animum ob indelebilem characterem: ſic itaque haud licebit tangere illos vlla moleſtiæ cura.

Ex his omnibus apparet hoc verſiculo: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* contineri præceptum pertinens ad omnes homines, ac Reges, ne quid vel minimum in ſacerdotes, vel honoris cauſa, & honorificum patrent, niſi ipſis concedentibus, ne quid eos vexent, afficiantve iniurijs. ita interpretatur Hieronymus in Zachariæ caput ſecundum.

Audiamus Sanctum Gregorium loquentem libri ſeptimi epiſtola trigeſima quinta. *Summopere*, inquit, *omnibus fidelibus cauendum, ne clanculo, aut publice Epiſcopum ſuum, id eſt, vnctum Domini detractionibus, aut vituperationibus dilanient,*

Tt 2 *per-*

perpendentes illud exemplum Mariæ, quia pro eo, quod Moyſi famulũ Dei propter Aethiopiſſam detraxit, immunditia lepræ maculata ſit, & illud pſalmiſta: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari, & in lege diuina legitur: Dijs non detrahes, & populi tui principi non maledices, vnde valde prouidẽdum eſt ſubditis, tam clericis, quàm laicis, ne Epiſcoporũ, nec Præpoſitorum vitam temere reprehendant. Si quid eos fortaſſe agere reprehenſibiliter vident, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulſum, in profundiora mergantur, admonendi ſunt etiam, ne cum culpas Præpoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audaciores fiant. Sed ſic eorum praua apud ſemetipſos conſiderent, vt diuino timore conſtricti ferre ſub eis iugum reuerentia non recuſent; quoniam facta ſuorum Epiſcoporum, vel Præpoſitorum oris gladio non ſunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videntur, quoniã à prædeceſſoribus noſtris, ac reliquis multis ſanctis Epiſcopis ſtatutum fore cognoſcimus, vt oues paſtores non facile reprehendant, nec eos criminari, vel accuſare præſumant, quia cum in Præpoſitos delinquimus, eius ordinationi, qui nobis eos prætulit, obuiamus. Vnde Moyſes dum contra ſe, & Aaron conqueri populum cognouiſſet ait. Nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum. Quapropter admonendi ſunt ſubditi vtriuſque ſexus viri, & cum magiſtrorum facta conſpiciunt, ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non præſumant, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra dominum ſuum. Hæc ſanctus Gregorius, clariſsime teſtificans illa verba, *nolite tangere*, ſpectare ad ſacerdotes; ſtatutumq́ue eſſe à Pontificibus, multiſq́ue Sanctis iuxta ius diuinum, ne ouis criminetur, vel accuſet paſtores ſuos, quales ſunt ſacerdotes.

Ad ſummum ſatis, ſuperque ex hoc verſiculo eſt probatum, prohiberi omnibus profanis, ne quid faciant ipſi, quod ſpectet vllo modo ad clericos, cura hos afficiat, hos aliquo modo tangat.

Non recte igitur quidam reſpondit, hoc verſiculo non vetari, niſi vt clerici non afficiantur iniuria, at vocari ipſos ad tribunalia ſæcularium, non eſt afficere iniuria. Reſpondetur enim vetari hoc præcepto, quidquid eos tangit, vel quoad animam, vel quoad corpus, vel quoad vtrumque quocumque modo,: ac primo loco probauimus hoc exemplo vaſorum; ſecundo Chriſti; tertio Iacob; quarto ratione ducta à vi verbi, quod

fit

fit cum omnibus; quinto vſitato loquendi more; ſexto ratione adducta ab aliis rebus ſacris; ſeptimo interpretatione Sanctorum. Quamobrem recte Doctores cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitutionibus, concludunt fas non eſſe ſæcularibus leges ſtatuere, pertinentes ad clericos, quamuis vtiles ſint ipſis, niſi à clericis, ſiue Epiſcopis approbentur, cum non liceat tangere ſacerdotes, quamuis honorifice, niſi velint ipſi ob eminentem gradum.

Non recte ſimiliter reſpondent, qui volunt verbo illo *Chriſtos* non contineri Sacerdotes etiam, ſed Abraham, Iſaac, & Iacobum dumtaxat ad alios per allegoriam. Nam primo loco præceptum generatim proponitur, neque ad illos tantum refertur, & quod generatim prædicatur, diſtributione accommodata refertur ad omnia, quibus conuenire poteſt. Secundo, Deus inducitur ibi ſeparatim promulgans generale edictum, licet enim Dauid ſpeciatim loquatur de tribus illis, cæteros tamen ſimiles non excludens, nihilominus vt ſciremus apertè ad omnes pertinere, Deus ipſe inducitur generali verbo, ac lege præcipiens, qui mente complectitur omne tempus, oēs perſonas, & omnes res. Tertio ad tres illos pertinere, quod præcipit Deus, tamquàm ad vnctos, idcirco dicit Chriſtos, alioquin fruſtra diceret Chriſtos, ſed in diuina ſcriptura non eſt apex, aut iota, ſine ratione. alioquin primo, cur non eos nominauit? Secundo, cur non ſeruos dixit? Tertio, cur non filios? Quarto, cur ita duntaxat Chriſtos ideſt vnctos appellauit. Quarto, vt probe ſciamus pertinere illa verba ad noſtros Sacerdotes præcipuè (quamuis generale ſit preceptum continens omnes) dictum eſt Chriſtos, ideſt vnctos, cum tres illi non eſſent vncti corporaliter, ſed ſpiritualiter, tantū quoad offerēda ſacrificia. Noſtri autē tàm ſpiritualiter, quàm corporaliter. ſpiritualiter porrò Chriſtiani ac clerici vnguntur charactere indelebili, ac maximè ſupernaturali, ideoque ex intentione Dei, ibi loquentis, verſiculus ille primo refertur ad Chriſtum, dein gradatim ad ſingulos participantes, vt habetur Pſalm, 41. eius vnctionem Sacerdotalem, quam tum præ cæteris gentibus participabant Abraham, Iſaac, Iacob. quod innuit in huius Pſalmi expoſitiones S. Auguſtinus. Quinto pertinere ea verba generatim ad Sacerdotes, ne à laicis, accuſentur, nedum indicentur, eſt ſanctorum Doctorum ſententia communis, vt aperietur. Vltimo denique probatur, quia dicitur eſſe

hoc

hoc verbum mandatum *in mille generationes*, at Iudæorum progeniem certum eſt non perueniſſe ad mille generationes, antequàm Chriſtus naſceretur: licet enim pertinere poſsint hæc verba *in mille generationes*, ad promiſsionem terræ Sanctæ è quodam modo populari loquendi, vt ſit ſenſus: *in mille*, ideſt in multas, tamen ex vero loquendi modo pertinet ad hoc etiam præceptum ne tangatur Chriſtus, in primis propter quem terra illa promittebatur, ac ne tangeretur magis, minuſquè, qui magis minuſve Chriſtum referrent, & Chriſti eſſent.

Eſt item falſum, quod aliqui reſpondent, hunc verſiculum pertinere ad Sacerdotes per accommodationem. Nam per accommodationem pertinet aliquod ad alium, quod de nonnullis eſt ita dictum, vt non pertineat ad alios generatim, neq; dicens cogitauerit, aut cogitare potuerit, ſiue in vniuerſum, ſiue ſigillatim de aliis; veluti ſi ego transferam ad omnes patres, & filios, quod Virgilius dixit de vno Aenea, & Aſcanio duntaxat canens,

Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.

Verſiculus iſte ex mente illius poetæ ad Aeneam, & Aſcanium ſolos refertur, neque generatim conſiderati ſunt omnes parentes, & filij, neque ſingillatim potuerunt conſiderari à poeta, & ideo per accommodationem poteſt ad alios transferri, non ex mente ipſius poetæ, vel generatim, vel ſingillatim cunctos reſpiciente. Sed in propoſito noſtro Deus non pronunciauit hunc verſiculum, *Nolite*, ad Abraham, Iſaac, & Iacob ſolos reſpiciens vel nominans eo ſolos illos, vel non dicens verbum generale ſpectans ad alios, vel non valens alios ſingillatim conſiderare. Sed primo loco non reſtrinxit eo verſiculo ſolos illos. Secundo generale verbum appoſuit continens alios. Tertio tale verbum generale appoſuit, quod magis alios indicaret, quam Abraham Iſaac, & Iacob, nempe Chriſtos, vt ſupra expendimus illud. Quarto Deus potuit ſingillatim conſpicere veluti ante oculos poſitos omnes ſacerdotes, & euenta ipſorum. Idcirco hic verſiculus, *Nolite tangere*, eſt proprius Chriſtianorum Sacerdotum, non accommodatus ipſis aliunde.

Cum

Cum ſanctificati ſint eccleſiaſtici, eccleſiaſticaque, & his ſeruientia ad actus publicos religionis, ideo nefas eſt alijs non ſanctificatis ad illos actus, eorum delicta, vel eccleſiaſtica, & his ſeruientia cognoſcere iudicare. Cap. IV.

SAnctificare, eſt rem dedicare in vſus diuinos, & quoties ad hominem transfertur, vel ſignificat, vt homo omnia ſua referat ad cognoſcendum, amandum, & colendum Deũ; quæ communia ſunt illi cum quibuslibet; vel vt tota vita ſua ſit obligatus ex persona omnium quoslibet adducere ad cognoscendum, amandum, & colendum Deum in omni actu suo, præcipue vero precibus, sacrificiis, verbis, ſcriptis. Primus modus eſt omnium mortalium; ſecundus clericorum. Transfertur & ad omnes res hoc vocabulum, ſed proprie ſecundus modus refertur ad res Deo conſecratas ſpeciali, ac perpetuo ritu. Hinc oritur, vt laicus non poſsit miſcere ſe cum re Deo conſecrata ſecundo modo vllum actum ſuum, quo ſibi illam ſubijciat, quod tota Dei ſupereminentis ſit, niſi quatenus ſemetipſum laicus per illam Deo coniungit, & primo modo Chriſtiani omnes vocantur Sancti ab Apoſtolo 1. Cor. 1. 6. 7. Heb. 19. & alibi ſæpius. Secundo modo Chriſtus vocat ſanctificatum, quod ſuper altare Deo offertur cap. 23. Matthæi, & ſemetipſum Ioan. 10. 11. & Apoſt. 17.

Ex hoc fiebat, vt vaſa, ac res Deo dedicatæ, non poſſent adhiberi ad vllos alios vſus, præterquam ſacros, quod ſcilicet ſanctificatæ eſſent, vt habetur Leuitici cap. vltimo; neque ob id eſculenta comedi poterant, niſi à ſacerdotibus ſancta ſanctis, vt eſt Leuitici cap. 2. 6. 7. 10. 24. Cumque primogenita cuncta ſanctificata eſſent Deo, ſiue hominũ, ſiue animalium quorumuis, illa templo offerenda erant, vt eius vſibus ſeruirent ab omni opere ſeparata, quamuis aliqua Deus redimi permitteret, vt legimus Exod. cap. 13. 22. 34. Deuteron. 12. 13. 14.

Ob id cum Dauid præſcidiſſet oram chlamydis Saul,qui ſanctificatus erat Domino, quoad actus Regios corporales vnctione Sacerdotali,hoc delictum reputauit eſſe, *Et percuſſit,* inquit Scriptura 1.Reg.cap.24. *cor ſuum Dauid eo, quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul, dixitque ad viros ſuos, propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* Hæc Dauid, quamuis & ipſe vnctus eſſet, ac ſanctificatus hac parte, & Saul iam reprobatus à Deo fuiſſet, ac mortem mereretur. ex quo colligimus nefas eſſe aliquid efficere in corpus, aut veſtimenta illius Deo dedicati viri, quamuis mortem mereatur, ac nobis ſit æqualis, aut etiam maior à Deo poteſtas. Idcirco enim Dauid crimen exiſtimauit eſſe, quod egit, quia Saul erat Chriſtus, ideſt vnctus à Sacerdote vnctione Regali. Cumque Saul Rex imprudenter ſcidiſſet veſtem Samuelis Sacerdotis,dixit ad eum Samuel, *Scidit Dominus Regnum Iſrael à te bodie,& tradidit illud proximo tuo meliori te.* 1.Reg. 15. Quin cum Dauid arcam plauſtro impoſitam ſummo cum honore referret in locum honorificum, vaccæque plauſtrum trahentes calcitrarent, arcaque inclinaſſet in alteram partem,idque vidiſſet Oza,manumque, ne forte arca caderet,extendiſſet, vt cadentem ſuſtineret,protinus, eum Dominus interfecit.1.Reg.6.Quod ſcilicet neque ſanctificatis liceat opem ferre attingendo illa, ac licet honoris cauſa fiat aliquid erga res ſanctificatas,non tamen opera, actionesve vllæ poſſent illis ſeſe adiungere, & ad eas pertingere. Amplius cum delata fuiſſet arca in terras Azotiorum, percuſſi diuinitus ſunt Azotij multis cladibus,& ad internecionem delebãtur, atque è Bethſamitis interfecta ſunt hominum plebeiorum quinquaginta millia, nobiles ſeptuaginta, ob id ſolum, quod arcam licet maxima cum reuerentia vidiſſent.1.Reg.5.& 6.Adeo Deus vult ſibi ſanctificata ab actione, vſque quolibet communi,nõ attingi,aut cognoſci, nedum tractari, vt ſupra etiam in primo argumento dicebamus. Hinc etiam non licebat laicis ingredi in ſancta, neque cuilibet Sacerdoti in ſancta Sanctorum,& Moyſi,Ioſueque dictum fuit, vt terram Sanctam nudis pedibus calcarent.

Neque hoc Hebræis tantum videtur ius fuiſſe, ſed reliquis etiam gentibus;ſic enim legimus gentiles illos extimuiſſe, ac refugiſſe Ionam proijcere in mare,ex quo audierunt illum eſſe Prophe-

ſe Prophetam, miſſumque à Deo, vt prophetaret, quamuis viderent illum eſſe in cauſa, vt omnium rerum iacturam facerent, ac vitæ adirent apertiſsimum diſcrimen; neque proijcere in mare voluerunt, quamuis ipſo volente, niſi prius explorata voluntate diuina, & adacti tempeſtatis imminente periculo, precibusque ad Deum, quibus pœnam deprecabantur, antea profuſis. Quin cunctæ gentes licet diuerſiſsimi cultus eſſent; omnia tamen templa venerabantur, & ab ijs violandis abſtinebant, vt ſexto libro dicetur. Idemque pleriſque erat inuiolatum, & ſacroſanctum. Quamobrem ſcripſit Martianus Iuriſconſultus. *Sanctum eſt, quod ab iniuria hominum defenſum, atque munitum eſt. Sanctum autem dictum eſt à ſagminibus; ſunt autem ſagmina quædam herba, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret: ſicuti legatis* Græcorum *ea, quæ vocantur* κυρύκια *fuerunt: in municipijs quoque muros eſſe ſanctos, Sabinum recte reſpondiſſe Caſsius refert, prohiberique oportere, ne quid in his immitteretur.* Et Iuſtinianus inſtitutionibus de rerum diuiſione. *Sanctæque quoque* ait, *res veluti muri, & portæ ciuitatis quodammodo diuini iuris ſunt, & ideo nullius in bonis ſunt. ideo autem muros ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint.* Et Pomponius. *Si quis*, inquit, *violauerit muros, capite punitur, ſicuti ſi quis tranſcendat ſcalis admotis.* Hæc illi. qui tamen diſtinguunt inter ſanctum, & ſacrum. Nam ſacrum volunt eſſe, quod eſt ſua natura Deo dedicatum, ſanctum, quod huic eſt proximum, diuinique ideo iuris eſſe tradunt. Quocirca ſacræ res etiam ſanctæ ſunt, non contra. Chriſtiana vero lex, ſanctum non vocat, niſi ſit etiam Deo conſecratum. Quocirca diuiniori loco eſt apud nos ſanctum, quam apud gentes. Illud tamen eſt vtriſq. commune, vt res ſancta communibus vſibus ſubijci non poſſit. ſic enim Paulus. l. inter ſtipulantem. §. ſacram, ff. de verb. oblig. loquens de rebus ſacris, ac difiniens non eſſe in humano commercio. *Nam de his rebus*, inquit, *negotium recte gerimus, quæ ſubijci vſibus, dominioque noſtro ſtatim poſſunt.* Hæc ille. quocirca ſæculares humana in res ſacras poteſtate vti non poſſunt, etiamſi ipſæ velint; ſiquidem rationales ſint, vt vidimus exemplo Ionæ; cum non ſit in poteſtate rei ſacræ deſinere eſſe ſacram; propterea non licebat in ius trahere tribunos plebis, quod ſancti eſſent, neque eis vllam vim modo vllo afferre, quod libro de legibus Cicero tradit, Liuius hiſtoriarum tertio, Dio-

nyſius ſexto. Feſtus verbo, ſacroſanctum. & cum dicitur à Iuriſconſultis illud eſſe ſanctum, quod eſt defenſum, munitúmque ab iniuria hominum, & vocare in ius, minuat dignitatem, derogetque honori eius, qui vocatur, quaſi nolit, quod ſuum cuique eſt tribuere, ideoque cogendus ſit; ſimiliterque vim quomodocumque afferre videtur iniuria; nam vis affertur alicui, quaſi iuſtæ petitioni nolit aſſentire, & iniuſtus eſſe aſſeratur: ideo ſanctis neque vim licebat afferre, neque illos in ius vocare, niſi apud ſanctioris ordinis viros, quorum nomine vocantur in ius, aut compelluntur; perinde, ac ſi cognoſcere haud omnes poſsint, qualia ſint acta eccleſiaſticorum, niſi qui è ſublimiori loco poſsint omnia contẽplari. Hoc eſt enim, quod arcam nefas erat intueri. & S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri Patris aiebat: laicis haud permiſſum limis oculis eccleſiaſtica aſpicere. Sic etiam negatur per antiquas Romanorum leges filio, vocare in ius parentes, niſi petita venia, vt habetur titulo de poſtulando, quod ſcilicet hæc ſit quædam ſpecies iniuriæ, vt è dictis conſtat, ideoque calumniatores merito plectuntur.

Apparet itaque tam è ſacris libris, quàm profanis, quid ſit eſſe ſanctum, Deo ſcilicet eſſe ex natura ſua dedicatum, neque vſibus communibus eſſe ſubiectum, vel de voluntate ipſius rei; ſiquidem ſit rationalis, cum non ſit in poteſtate eius eſſe non ſancta. Quocirca ſi quis obiiciat ſequi è prædictis abſurdum, nempe haud licuiſſe olim priſcis Imperatoribus gentilium punire Chriſtianos laicos, quamuis reos, quod hi ſanctificati forent, neque fas eſſet hos tangere, aut eorum delicta cognoſcere, iudicare, ac punire, reſpondemus ſanctificatos non fuiſſe, neque eſſe laicos Chriſtianos, vt exerceant actus corporeos Chriſtianæ religioni proprios, Eccleſiæque, ex Eccleſiæ totius perſona, qualia ſunt clericorum ſingula officia. Quamobrem cum corpus eorum puniebatur, non puniebatur Chriſtianus, qua parte erat ſanctificatus vllo modo, niſi reſpectu actorum communium, vt ſcilicet illos in Deum referret, quod erat commune illis cum gentilibus, & ideo ſubijciebantur poteſtati laicali, quoties admittebant aliquid vitioſum. Reſponderi etiam poteſt, excuſationem meruiſſe olim, ac mereri quemlibet Iudicem, Principemue infidelem, cum clericos quoque ob aliquod ſcelus coercet, ſi ignoret eſſe aliquem in ſacroſancta poteſtate, eumque caſtiget ob admiſſum crimen, vel nullus ſit,

qui

qui peruicacem caſtiget, malumque ſerpit, non emendatur. periculum eſt in mora, neque aliunde excreſcenti malo poteſt occurri. Quamobrem ſi peccat clericus, aut laicus, & punitur à iudice infideli, qui noſtra ignoret, abſque culpa ſua poteſt excuſari.

Ex his, quæ diximus adhuc fit, nefas eſſe laicis, tangere, ſiue immiſcere ſeſe inuitis clericis vlla in re ad hos pertinente, vti ſeruis, colonis, rebus patrimonialibus. Nam ſi vir infidelis, & actu contrarius Chriſto ſanctificatur per mulierem fidelem, quod habetur 1. Corin. 7. multo magis modo ſuo ſeparantur à laicorum commercio res illæ, quæ non ſunt actu contrariæ Chriſto, ſed ipſi ſeruiunt ſaltem ad dignitatem; maxime cum vir ſanctificetur ad actus matrimoniales; ſed hæ ad ſacros. Confirmatur hoc ex ijs, primo. quia clericis eſt inſculpta poteſtas ſupernaturalis alia ſanctificans purgando, aut illuminando, vt ſupra è Sancto Dionyſio eſt explicatum. Secundo, quia quæcumque res in veteri lege tangebat ſanctificata, licet inanima, ſanctificabatur, exemptaque erat à laicali vſu, & poteſtate, illamq; expiare erat neceſſe, aut eccleſiaſticis ſeruire, tamquam poteſtati ipſorum ſubiecta, & obligata, vt infra dicetur. & habetur Leuitici, cap. 6. multo igitur magis eximētur à laicali vſu, & poteſtate quæcumque ſeruiunt ornatis ſupernaturali, charactere intimo, & actiuo, & ab his ſuo modo tangūtur, cum ſeruiant ex officio clericali ad corpus Chriſti glorificandum, quod in terris conficitur.

E facto Pharaonis, & Ioſephi confirmatur eccleſiaſticam libertatem iuris eſſe diuini. Cap. V.

Illud quoque deduci ſolet argumentum ad huiuſmodi opinionem probandam è capite 47. Geneſeos, in quo ſic habetur. *Emit igitur Ioſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas pro magnitudine famis; ſubiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Aegypti vſque ad extremos fines eius, præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita*

fuerat eis, quibus ſtatuta cibaria ex horreis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. Et mox. *Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti Regibus quinta pars perſoluitur, & factum eſt quaſi in legem abſque terra ſacerdotali, quæ libera eſt ab hac conditione.*

Huic argumento facillime nonnulli ſe putant reſpondiſſe, dicentes, nihil aliud ex illo haberi, niſi placuiſſe Pharaoni, vt immunes eſſent ſacerdotes, ac terræ illorum, non tamen ſequitur ſacerdotes eſſe immunes iure diuino.

Verum, quando multi adducunt hoc teſtimonium Geneſeos ad propoſitum noſtrum confirmandum; videamus, qui rectius ſentiant in huius argumenti explicatione. Quocirca nos ita colligimus.

Reges gentiles egerunt, vt immunes eſſent ſacerdotes à tributis; vt patet ex adducto capite Geneſeos. At omnes Chriſtiani ſunt obligati iure diuino, multo amplius quam Gentiles; ergo omnes Chriſtiani ſunt obligati iure diuino, multo amplius agere, vt ſacerdotes ſint immunes à tributis.

Minor propoſitio probatur ex Euangelio è Matthæi capite quinto, & epiſtolæ ad Romanos primo, & ſecundo.

Rurſus ita argumentamur, quidquid conſtituitur ex ſpiritu diuino vniuerſali cōſtitutione, id iuris eſt diuini: quidquid egit Pharao, ſiue Ioſeph Pharaonis locum tenens, quantum ad ſacerdotum immunitatem, egit ex ſpiritu diuino ita diſponente Ioſepho iuxta ſpiritum Dei; ergo ex ſpiritu diuino, ac diuina voluntate ſacerdotes ſunt immunes. Probatur minor propoſitio (nam maior eſt nota) è cap. 41. Geneſeos, in quo ſic inquit Pharao ad ſuos de Ioſepho. *Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit dixit ergo ad Ioſeph, quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire poterimus? Tu eris ſupra domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet.* Et Pſal. 104. *Conſtituit* (Pharao) *eum* (Ioſephum) *dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*. Hæc diuina Scriptura. In quibus adnotandum, quod erudire principes, ſicut principes, eſt docere eos, ex quibus legibus cuncta definiant, ac principatum adminiſtrent. At Ioſeph ſemetipſum non erudiebat, niſi ex ſpiritu diuino, quo plenus erat, atque ita nihil in eo, niſi ſpiritus diuinus erat; alioquin plenus haud fuiſſet:

ergo

ergo leges eis diuinas tradebat, ac doctrinam vere diuinam. In his erat, vt ſacerdotes de publico alerentur, neque compellerentur vendere poſſeſsiones ſuas patrimoniales. Quocirca obſeruandum nobis eſt, primo ita fuiſſe cibaria ſacerdotibus à Pharaone præſtita, vt ſimul vxores, filij, ſeruiq. ipſorum alerentur; alioquin pro his alendis, ſicut & cæteri poſſeſsiones vendidiſſent. Atque ita diuini iuris eſt, vt alantur ſacerdotes, cum tota familia ſua, ſiue magnus ſit, ſiue minimus ſacerdos. Deinde ſecundo id etiam ſic agendum, licet dati ſint ſacerdotibus agri patrimoniales immunes à tributis, datique ab ipſo Rege. Nam Pharao dederat ſacerdotibus agros. Tertio amplius, neque in maximis omnium neceſsitabus licere regibus ſummis terram ſacerdotalem tributis onerare, ſi poteſt de ſuo Rex eis neceſsitatibus occurrere. Nulla enim maior neceſsitas, quam publicæ famis. Quarto Pharaonem fuiſſe & Regem, & Sacerdotem, ſi hiſtoriis eſt profanis credendum; neque tamen id licuit illi. Igitur cum poſſet aliquo iure ſacerdotibus dici, vt ſi cibaria vellent, redderent terram. ob id enim data eis fuerat à Rege, vt illis alerentur; diuinum ius obſtitit, ne compellerentur eam vendere. ſimiliter poterat eis dici, vt illam tributo perpetuo ſubijcerent, vel denegari cibaria familiæ ipſorum, niſi vel alienarent fundos, vel obligarent, & tamen libertas diuina obfuit, ne quid horum fieret. Si quis itaque dicat non factos eſſe immunes, ac liberos à Pharaone ſacerdotes; ſed tantum non compulſos ne venderent, vel tributis terram ſubijcerent, concedimus. Hoc enim dicimus, ſuo iure, ac naturali, quod maxime eſt diuinum, fuiſſe illos liberos, neque ob vllam neceſsitatem, vel ſuæ publicæ famis, poſſe à regia poteſtate compelli ſacerdotes, vt illos obligent, aut vllo modo alienent, neque Regi obſtitiſſe, ne ad id compelleret ſacerdotes, niſi ius diuinum, quo ſolo poterat obligari, & obligabatur ex doctrina Ioſephi, cunctis principibus hanc legem præſcribentis.

Eodem modo adducitur, quod habetur Eſdræ cap. 7. ab Artaxerxe Perſarum Rege ſcriptum ſuis in hac verba: *Vobis quoque notum facimus de vniuerſis ſacerdotibus, & leuitis, cantoribus, & ianitoribus, & miniſtris domus Dei, vt vectigal, & tributum, & annonam non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.*

Sic itaque colligi poteſt. iure diuino magis obligamur face-

re

re immunes noſtros ſacerdotes, quam fecerint alieni, & ob eas, quas ſupra adduximus cauſas.

E Leuitici verbis, Conciliorum, Pontificumque interpretatione aperitur, liberas eſſe res ſacras iure diuino, ac proinde etiam perſonas, & quæcumque pertinent ad has perſonas, quamuis alioquin ſacræ haud eſſent. Cap. VI.

MOyſes referens Dei præcepta, è quibus diuinum ius conſtituitur, capite Leuitici vltimo ita ſcribit de rebus mobilibus, & immobilibus, quæ ab hominibus offerebantur Deo, vt diuinis miniſterijs, & vſibus ſeruirent, quod vocatur ſanctificare, & conſecrare. *Omne, quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non veniet, nec redimi poterit, quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit domino.* Hæc ibi. quæ domini eſſe mandata ad finem teſtatur, inquiens. *Hæc ſunt præcepta, quæ tradidit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai.* Rurſus Deo conſecrata, & ſanctificata pertinere ad ius ſacerdotum, ibidem de domo, agro, & omni re dicitur his verbis. *Poſſeſsio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotis.* Et Num. 18. *Omnia, quæ ſanctificantur* (id eſt Deo dicantur) *tradidi tibi, & filijs tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna.* Et rurſus. *Omne, quod ex voto reddiderint filij Iſrael, tuum erit.* Hæc Deus. quod adeo verum erat, vt huiuſmodi conſecrata ſiquidem fuiſſent cibi, non poſſent edi, aut tangi, niſi à ſacerdotibus ſolis, neque in vſus alios, quam ſacros conuerti; & ideo conſecrata hæc dicebãtur ſancta ſanctorum, quod ſcilicet ſanctis duntaxat vſibus, ac diuinis ſeruire deberent. ſic de oleo vnctionis habetur Exodi cap. 19. & vltimo de ſacrificiis, & oblationibus cap. 2. 6. 7. 10. & 24. In quibus ſtatuitur vt mares tantum ſacerdotes è ſtirpe Aaron comedant illa, neque vllus poterat tangere; vbi tetigiſſent, neceſſe erat, vt is Deo ſeruiret, ac diuinis miniſteriis, vel ſe redimeret, vt habetur cap. 6.

quod ſi res erat inanimis, quæ rem ſacram contigiſſet, aut comburebatur, aut ſanctificabatur, vt ibi dicitur. vno tantum caſu licebat è ſacrificatis comedere, quoties adfuiſſet præſens famis, ac mortis periculum, cui non poſſet aliis rebus, & aliis modis tunc occurri, quod tum conſtat ex adductis locis, tum è cap. 21. Regum libri primi, cum panes propoſitionis dati ſunt à ſacerdote Dauid, & ſocijs eius fugientibus, & eſurientibus, neque aliud, quo veſcerentur habentibus. quod exemplũ Chriſtus produxit aduerſus Phariſæos, vt ſuos diſcipulos excuſaret, quod neceſsitate compulſi Sabbato ſpicas euellerent, & comederent ex ijs confectum triticum Matth. cap. 12. Idcirco Iudith cap. 11. vt oſtendat Holoferni Iudæos ad extremam famis neceſsitatem redactos, atque omnino perdendos, ita loquitur. *Sancta Domini ſui, quæ præcipit Deus non contingi in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volũt conſumere, quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum eſt, quod in perditionem dabuntur.* Hæc Iudith. his poſitis multipliciter argumentamur cõtra ſacri iuris oppugnatores.

Omnes res, quæ Deo cõſecrantur, & ſanctificantur, ita ſunt diuini iuris, & ad ius Sacerdotum pertinent, vt laici non poſſint in vſus ſuos eas conuertere, aut quod eſt idem, tributis, vel præſtationibus in vſus ſuos conuertendis onerare: omnia beneficia, agri domus, aliaque mobilia, & immobilia donata Eccleſijs, aut Eccleſiaſticis, Dei contemplatione ſunt huiuſmodi: non licebit itaque iure diuino laicis in alios vſus conuertere. atque ex eodem iure ad ius Sacerdotum pertinebunt, idem vero multò magis dicendum eſt de perſonis, & templis, vt ſupra eſt concluſum.

Adde & illud, ne perſonæ Eccleſiaſticæ ſubijciantur iudicio Principum ſæcularium, non modo hoc haberi in primis à Deo, ſed etiam à Principibus ſæcularibus, vt oſtẽdemus: quamobrẽ ius hoc oblatum Deo eſt effectum iuris diuini, ita vt amplius ad profanam poteſtatem, & vſum reuerti haud poſsit.

Comprobantur hæc primo è Concilio Aquẽſi, libro primo cap. 32. & lib. 2. cap. 30. & lib. 3. cap. 21. quibus in locis adducens Concilium teſtimonia Leuitici à nobis prolata, definit laicis haud permiſſum quidquam conſtituere de rebus huiuſmodi, neque in eas vllum ius eſſe ipſis.

Quocirca cap. 21. lib. 3. tradit, Ananiæ, Saphyræque merito illatam diuinitus mortem, quod partem quadam rerum, quas

ipſi

ipſi fuerant profeſsi Domino offerre, aut Eccleſiæ, ſibi in vſus ſuos reſeruaſſent, neque ad Apoſtolorum pedes proieciſſent.

Secundo confirmatur ex eo, quod verbis Leuitici, omnino loquens conſtituit Bonifacius Papa, 12. quæſt. 2. cap. *Nulli* ait ille, *liceat ignorare, omne quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum Sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui à Domino, & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, incendit, & vſque ad emendationem Eccleſiæ ſatisfactionem, vt ſacrilegus iudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur.*

Oſtendimus autem ſupra, ſi liberæ ſint res ſacræ, multo magis liberas eſſe perſonas. Ex his quæ diximus, argumẽtari poſſumus: & omnia, quæ ſeruiunt Clericis ſuo modo conſecrari, patrimonialia, ſeruos, colonos, propter ea, quę diximus, vti egimus de ſanctificatis. omnium vero videtur illa eſſe ratio, quod ſeruiunt Chriſti corpori militanti in terris, per Sacerdotes conficiendo, offerendo, ac ſumendo ad omnium rerum glorificationem, mereanturq; idcirco, cum referenda ſint ex officio Clericali ad hoc, vt ipſa etiam glorificentur.

Cum iure diuino ſint alendæ è publico Eccleſiaſticæ perſonæ, quidquid ad hoc conſecratur, iure diuino eſt ab omni alio iure liberum, atque exemptum, ex interpretatione Conciliorum, Origenis, ſanctorum Pauli, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Epiphanij, Thomæ, Alexandri Halenſis, ac Caietani. Cap. VII.

IVris diuini eſſe, vt alantur de publico Sacerdotes, conſtat apud omnes. Ita namque Chriſtus ipſe Matthæi, cap. 10. ad Apoſtolos. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus eſt operarius cibo ſuo. In quãcumque autem ciuitatem, aut Caſtellum intraueritis, interrogate, quis*

quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. & Lucæ 10. ad ſeptuaginta duos. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Hæc Chriſtus de Sacerdotibus ad Euangelium prædicandum miſsis, dignos illos aſſerens, qui alantur, veſtiantur, & habeant ab iis, quibus erudiendis operam dant, quidquid eſt opus, quocumque ſe conferunt, de ſuo nihil ferant, vel impendant. Audiamus Paulum loquentem. 1. Cor. 9. *Quis militat ſuis,* inquit *ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eis non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundum hominem hæc dico?* (hæc ait Apoſtolus, vt oſtendat hoc eſſe ius diuinum.) *An & lex hæc dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi, non alligabis os boui trituranti. nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. neſcitis, quod hi, qui in ſacrario operantur,* (en iterum legem diuinam Paulus adducit) *quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiunt de altari participant? ita & Dominus ordinauit* (en ius diuinum Euangelij) *qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Hæc Apoſtolus, qui & Romanorum 15. *Si ſpiritualium eorum facti ſunt participes gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Et 2. ad Timothæum 5. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina. dicit enim Scriptura. Non infrenabis os boui trituranti: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Hæc Apoſtolus. Verum cum nihil in Euangelio legamus determinatum, quod eccleſiaſticis detur, conuenit, vt ſupra diximus, inter omnes, Euangelij, & legis nouæ miniſtris tanta deberi, vt nihil prorſus æquale ijs reddi poſsit, vt ſupra eſt definitum.

Conſentiunt præterea cuncti, iure diuino decimas clericis deberi ab omnibus præſtandas ex omni re, ſiue illa percipiatur ex fundis, ſiue ex negotiatione, ſiue ex laboribus alijs, aut quocumque prouentu. Origenes Num. cap. 8. & hom. 11. & in cap. 10. Ioſue; Cyprianus epiſt. 65. vel 9. lib. 3. Hieronymus in cap. 44. Ezech. & 3. Malachiæ. & in epiſtolis ad Eliodorum, & Nepo-

tianum. Epiphanius hæreſi 80. Chryſoſtomus in cap. 23. Matthæi. Auguſtinus hom. 48. inter quinquaginta. & in pſalmo 146. & Enchiridij cap. 46. à ſermone 19. vt citatur 16. quæſt. 1. cap. decimæ, & à Concilio Maguntino capite 19. & Triburienſi capite 13.

Citantur vero in id Canones Apoſtolici, & vniuerſalia Concilia, Chalcidonenſe cap. 14. Lateranenſe magnum cap. 53. ſtatuens decimas perſoluendas ante cenſus, & tributa, & idcirco à Regiis tributis, & cenſibus hoc modo iure diuino præbendas. & habetur cap. cum non ſit. extra de decimis. Idem ſtatuitur à Concilio Tridentino cap. 13. ſeſſ. 25. Plurima porro ſunt prouincialia. Aurelianenſe primum cap. 17. Matiſconenſe ſecundum cap. 5. Maguntinum cap. 38. Caroli Magni ætate, & Rabani cap. 10. & Arnulphi cap. 17. Rhemenſe cap. 38. cum plurimis aliis, à quibus citandis ſuperſedemus.

Verum cum ſupra concluſerimus, immenſis partibus plura deberi nouæ legis miniſtris, quam veteris, & illis darentur etiã primogenita cuncta, & primitiæ omnium rerum. Sed & oblata quælibet, ac Deo dicata, vt vidimus: præterea vero, & Læuitæ haberent ſeptuaginta duas vrbes, in vna Palęſtinæ regione, quarum quælibet duobus milliariis in omnem partem patebat, ita vt protenderentur earum fines centum quadraginta quatuor milliaria. In vna quaque enim tribus ſex erant vrbes huiuſmodi Leuitis attributæ, vt habetur Num. cap. 35. Ioſue 21.

Hinc apparet multo pauciora noſtris eſſe, quam priſcis. Noſtris enim dantur alicubi tantum decimæ; & alibi non habentur, niſi reditus, qui ex fundis dedicatis percipiuntur; omnium vero rerum primitias, ac primogenita nequaquam. neque fundi, quæ beneficia vocantur, tantæ ſunt magnitudinis in vnaquaque ciuitate, vt erant vrbes illæ in qualibet tribu, quod oſtendimus ſigno de liberalitate tomo primo.

Quamobrem, licet multo ampliora debeantur clericis Chriſtianæ legis, tamen multo pauciora, ac minora determinantur ex humanitate ab Eccleſia quod etiam vidit S. Thomas. 2. 2. quæſt 87. art. 1. Verũtamen in omnibus huiuſmodi rebus duo conſiderantur ſpiritualia, diuinoque iure debita, ac duo temporalia. Spiritualia ſunt, ac diuini iuris primum ius habendi res illas. Secundum ius habendi tantas, ac tales ex Eccleſiæ decreto. Temporalia ſunt primum res, ſecundum res tales, ac

tanta,

tantæ, quæ Caietanus acute, ac ſolide è ſancto Thoma, & aliis diſtinxit libri ſecundi, opuſculo nono. Neque obeſt, ait ille, quē cæteri ſequuntur, quod Eccleſia definierit quale & quantum Clerico cuique detur. eiuſdem namq; iuris eſt, & quod res debeatur, & quod talis, ac tanta, ex quo ita Eccleſia determinauit. Sic enim meæ poteſtatis erat conſecrare hanc, illamue hoſtiam minorē, maioremue: at poſtquam conſecrata eſt, & quod illa & quod tanta ſit cōſecrata, eſt ab eodem iure diuino, totaq. eſt iure diuino conſecrata, licet eius quantitas ſit ab homine determinata. idem dicimus de qualibet re, vti ſolo Eccleſiæ, vaſis, & aliis cultui ſacro dedicatis. nam licet homo determinet, quantum ſit conſecrandum, tamen vbi fuerit conſecratum, totum prorſus iure diuino eſt conſecratum. Eodem modo ieiunium, feſtaq. ſunt iuris diuini, non tamen determinata ab eodem iure diuino: per Eccleſiam determinātur: & qui violat illa ex vlla parte, violat vnicum ius diuinum, non duo iura diſtincta, qualia ſunt eccleſiaſticum, & diuinum.

Ex his conficitur non poſſe quidquam diminui per ſæcularem poteſtatem de redditibus eccleſiaſticis applicatis vſui ſacro, vel perſonæ ſacræ. Nam tota ſunt ex omni parte iure diuino cōſecrata, & violans illa ex vlla parte, is faceret contra ius diuinum, cuius declaratio, determinatioque iure diuino pertinet ad ſolam eccleſiaſticam poteſtatem. Quocirca definiunt omnes ius percipiendi redditus eccleſiaſticos, nō poſſe ab ipſo Pontifice laicis communicari, & ſecus aſſerere eſt habitū pro hæreſi in Concilio Romano, quod videbimus coactum Paſchali Secundo ſedente aduerſus Henricum Quartum Imperatorē.

Nam ius percipiendi redditus eccleſiaſticos eſt adeo ſpirituale, atque ex omni parte conſecratum iure diuino, vt neque Pontifex illud alienare poſſit, ac ſi id faciat, ſimoniæ crimen incurrat, vt omnes Theologi concludunt. Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 4. Alexander Alenſis parte ſecunda ſummæ. quæſt. 167. membro quarto, art. ſecundo. Durandus in 4. diſtin. 25. quæſt. 5. num. 8. & ſeq.

Idemque ius eſt adeo connexum cum clericali officio, vt illud diſiungi ab hoc haud poſſit, & eum Pontifex aliquid è redditibus eccleſiaſticis concedit iuſta de cauſa principibus ſæcularibus, donans ipſis, quod eſt temporale in eis, tunc ſumunt illi de manu eccleſiaſticorum, non iure aliquo ſuo, ſed quaſi donata ab ipſis, vt ijdem Doctores tradunt. Nam poteſt ſummus

Pontifex ius reſtringere, & ampliare in temporalia; non tamen à ſe, & eccleſiaſticis in ſæculares Principes transferre, vt illud manens diuinum ſit ſubiectum ſæculari. Adeo diuini iuris eſt eccleſiaſtica libertas, & poteſtas quoad res ſacras; adeo ius illud eſt ſpirituale. oſtendimus porro ſupra, ſi liberæ ſint res ſacræ, multo magis liberas eſſe perſonas cum ſuis rebus.

E verbis, ac factis Chriſti, cum tributum ſoluit. cap. 17. Matthæi, comprobatur eccleſiaſtica libertas generatim, quoad omnia ex interpretatione Sanctorum Hieronymi, Gregorij, Auguſtini, Procopij, Bedæ, Anſelmi, Hugonis, Dionyſij, Caietani, Sanctorum Thomæ, Bonauenturæ, Richardi. Cap. VIII.

ADducitur inter alia, quod Matthæi capite decimo ſeptimo recitatur. *Cum veniſſent*, inquit ille de Diſcipulis, & Chriſto, *Capharnaũ, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachmâ? Ait, etiam. & cum intraſſet in domum. prauenit eum Ieſus, dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis: dixit illi Ieſus. ergo liberi ſunt filij. vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore inuenies ſtaterem, illum ſumens da pro me, & te.* Hæc Sanctus Matthæus. Ad quorum clariorem explicationem quæritur, quid tributi hoc eſſet; nonnulli enim putarunt eſſe illud, quod ſoluebatur templo, ac ſacerdotibus ob redemptionem primogeniti, vt habetur Lucæ ſecundo. Verum interpretatio hæc eſt contra Euangeliũ; nam dicit, Dominum, cum fuit oblatus in templo, redemptum fuiſſe, datamque hoſtiam pro illo par turturum, vel duos pullos columbarum. Similiter eſt tam contra Euangelium, quam contra teſtamentũ vetus: nam niſi redimerentur, neceſſe erat, vt ſeruirent in templo; quod habetur Numerorum capite octauo. At Chri-

ſtus

ſtus abfuit à templo, ac miniſterijs vſitatis illius. Deinde hoc tributum, de quo ſcribit Matthæus, fuit exſolutum tam pro Chriſto, quam pro Petro. At Petrus non erat primogenitus. Neque recipi poteſt ſententia dicentium, tributum hoc eſſe, quod ſoluebant cæteræ tribus pro primogenitis illis, quibus excedebant tribum Leuiticam. quod eſt Numerorum capite tertio. Illud enim tributum ſemel duntaxat eſt ſolutum, nec niſi à primogenitis, qualis non erat Petrus, & à ducentis ſeptuaginta tantum.

Neque conuenit etiam loco huic alia ſententia dicentium, tributum, de quo hic agitur, & didrachma, eſſe illud, quod Exodi cap. 30. iubetur ſolui à ſingulis qui maiores eſſent, viginti annis ad vſum tabernaculi. Nam primo loco illud non bene apparet eſſe ſolutum ſingulis annis, vel perpetuo temporis alicuius interuallo; verum tunc ſolum, cum dinumerati fuerunt Hebræi ex Ægypto egreſsi. Secundo non vocatur cenſus ille, neque in ſcriptura ſancta vocari ſolet cenſus, niſi quod ſæcularibus datur. Tertio Diſcipuli Chriſti non poſſunt eſſe liberi à ſoluendo tributo in vſus Eccleſiæ: quin idcirco ſunt immunes, vt omnia ſua impendant in vſus tabernaculi, ſiue templorum.

Vera eſt igitur expoſitio Sancti Hieronymi, Bedæ, Hugonis, Primaſij, Anſelmi, Dionyſij Carthuſiani, & aliorum, tributum hoc ſolui conſueuiſſe in ſingula capita certo tempore ex deſcriptione cenſuum, cum Nazareth ſubiecta eſſet vrbi Capharnaum vti metropoli Galilææ: propterea ſoluebatur ibi tributum. ſiue potius cenſus à cenſendis capitibus, ac rebus, ita dictus; ac propterea de cenſu meminit hic Chriſtus, & in translatione Syriaca legimus, Reges gentium, è quo accipiunt tributum, vel pecuniam capitatim?

Hoc expoſito multipliciter probatur ex hoc loco, eccleſiaſticos eſſe immunes à tributis, & conſequenter à ſubiectione, propter quam ſoluitur tributum. Vt omittamus, quod Ioannes Bacchonus tradidit in prologo quarti libri ſententiarum, Chriſtum fuiſſe in propoſito facto iudicem in eccleſiaſtica, & ciuili cauſa inter Herodianos, & Phariſæos: igitur hoc omitto.

Primo loco, Chriſtus ingreſſus eſt haud ſoluens tributum, quod niſi immunes fuiſſent Diſcipuli, ſolui debebat, tamquam debitum pro Petro, & aliis; & cui ſoluendo videbatur obligatus

tus Chriſtus pro omnibus ſuis, tamquam magiſter, & dux eorum, qui ipſius diſciplinæ commiſsi, & addicti erant, ipſum ſequebantur, obedientes ei: Idcirco enim Petrum percunctati ſunt publicani. *Magiſter veſter non ſoluit tributum?* eſt autem temporis præſentis ſoluit, Græce τελεῖ. cumque peccatum ſit non ſoluere, quod alijs debetur eo tempore, quo cuncti ſoluunt, ac lex ſolui iubet, niſi ſint immunes: igitur immunes erant Diſcipuli, qui Chriſtum ſequebantur.

Secundo, aperte Chriſtus dicit, ideo ſe ſoluere tributum, ne publicani ſcandalizarentur. ex quo apparet, fuiſſe ipſi voluntatem nullo modo, ac nullo vmquam tempore illud pendere pro Petro, ac Diſcipulis; quod ſi non erant reuera immunes, ſed obligati erant tributo exſoluendo, certe Chriſtus fraudem facere voluiſſet, quod nemini cadere debet in mentem; quocirca immunes erant reuera Diſcipuli.

Tertio, re ipſa nihil ſoluerunt Diſcipuli omnes, nihilque eorum nomine eſt perſolutum, ſolum Petri nomine fuit datum didrachma; ac tamen vel ipſi, vel pro ipſis alij tributum pendere obligati erant: non enim dici poteſt ſatisfuiſſe ſi magiſter, aut familiæ caput pro ſeipſo duntaxat exſoluiſſet, cum conſtet pro ſingulis capitibus, ſolitum dari cenſum (ſic vocatur hic à Matthæo.) ideo non ſolum Chriſtus pro ſe, quamuis omnium caput eſſet, ſed etiam pro Petro ſoluit, ſicut etiam legimus, cum Chriſtus eſt natus, præſtitum fuiſſe pro Ioſeph Maria, & ipſo infantulo Iesv. Neque poteſt alia reddi ratio, cur alij Diſcipuli non ſoluerint, neque Chriſtus ſolui cenſum pro ipſis curauerit, niſi quod immunes erant illi, & Chriſtus voluerit extare teſtimonium, comprobans eos fuiſſe liberos, ſuumq. ijs priuilegium conſeruaret, neque publicani id exquiſierint ob reuerentiam ſingularem, qua Chriſtum proſequebantur, & colebant, ob quam & factum notant hic Doctores, vt ipſum non interrogauerint, ſed Petrum.

Quarto, apertiſsime Chriſtus dicit, Regibus tributum dari ab alienis, non à filiis, ac filios eſſe liberos. quibus in verbis expendendum filios opponi alienis, quod filiorum domeſtici, ac miniſtri ſint, & ipſi immunes ob priuilegium filiorum. Non enim ſunt alieni, qui ſunt domeſtici, & intimi: ideoque ſi Chriſtus tamquam filius erat à tributo liber, & ipſius etiam domeſtici, & familiares Diſcipuli, immunes erant ratione familiaritatis; alioquin tributi ſolutio redundaſſe in damnum filij, cui

pater

pater Rex priuilegium concedit; & conſequenter in damnum patris Regis, de cuius ærario filius expendit in ſumptum familiæ ſuæ. Sed quæritur adhuc tamen, an cum Chriſtus dicit filios eſſe liberos, nomine filiorum diſcipulos complectatur, & videtur complecti.

Primo quia re vera erant adoptiui, vt habetur Ioan. 1. Adoptiuusque filius eodem loco eſt, quo naturalis, niſi in ijs, quæ ſpeciatim, & expreſſe ſoli naturali attribuuntur: & Chriſtus enixè patrem rogauit, vt omnes diſcipuli eſſent vnum cum Patre, & inter ſe, ſicut ipſe erat vnus cum Patre. ſic ipſe Ioannes cap. 17.

Secundo innumeris in locis Chriſtus conſtituit, vt eodem loco, & iure ſint omnes diſcipuli apud homines, quo ipſe erat, hinc Lucæ 10. *Chriſtus*, ait, *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.*

Tertio ex ipſo facto conſtat hoc quo ad illud, de quo agitur: nam tributum non fuit ſolutum pro reliquis diſcipulis, ſed pro Chriſto duntaxat, ac Petro. Cumque reliqui videri poſſent è dictis Chriſti minus immunes, Chriſtus enim naturalis Dei filius eſt, ac Petrus eius locum ſpeciatim tenebat, ne quis in poſterum reputaret, alios diſcipulos minus liberos, quam forent Chriſtus, ac Petrus, nihil eſt pro illis exſolutum.

Quin, quarto aliqui, & in his Hugo Cardinalis Regis nomine intelligunt ipſum Chriſtum, qui Rex erat, vt habetur Pſalmo vigeſimo tertio, quadrageſimo quarto, nonageſimo primo, Lucæ decimonono, Ioannis duodecimo. Quocirca filij vocantur diſcipuli, ita vt de his ſolis dicatur eos eſſe liberos, nam de ſe ipſo non erat, quod aliquid Chriſtus diceret, cum conſtaret eſſe liberum. Verum rectiſsime præterea dicitur Regum nomine contineri, quicumque ſumma auctoritate regerent mortalium cœtus vllos. nam propter analogiam, proportionemque aliquam cum Rege Regum, rerumque omniũ Deo vocantur alij Reges, ac Deum ſuo modo referre dicuntur, ideoque cum dicit Chriſtus, Regum filios eſſe liberos, intelligit tam Deum, & ſe, quam quoſuis mortalium Reges.

Quinto, apparet Chriſtum ſuam cauſam ſemper hac in re coniunxiſſe cum cauſa Petri. Ideo dixit, *Ne ſcandalizemus eos*, non dixit, ne ſcandalizem eos, ac tam pro ſe, quam pro illo tributum ſoluit: ſicut igitur Petri cauſam coniunxit, hac in re cũ

ſua,

ſua,ſic aliorum quoque diſcipulorum.

*S*exto,conſtat hoc,quia Chriſtus filios, vt diximus,oppoſuit alienis,diſcipuli non ſunt alieni: ergo filij, alioquin non bona eſſet diuiſio,ex qua Chriſtus argumentum collegit. Quod autem quidam Patres aiunt Chriſtum loqui de ſe, cum loquitur de filiis,concedimus; nam cum dicimus loqui de ſe, ac diſcipulis dicimus etiam loqui de ſe, quod illi Patres haud negant. Ideo ſancti Hieronymus, & Auguſtinus, quos alij Latinorum ſequuntur, volunt nomine filiorum, tam ſe ipſum, quam diſcipulos complexum. falſumque eſt, quod non nulli in hac quæſtione ſcripſerunt, nos non eſſe filios, quo ad corpus, ſed quo ad animam tantum. Nam primo per gratiam ſumus filij Dei,vt habetur Ioan.1.at grati ſunt filij Dei, non anima ſola, ſed etiam corpore, & gratia totum hominem gratum Deo facit, corpuſque & animam ipſius. vt bene oſtendit *S*. Thomas 3.par.quæſt.79.art.1. Ex anima redundat effectus gratiæ in corpus,vt ſeruiat iuſtitiæ, quod habetur Rom. cap.*6*. *S*ecundo reſpondetur,corpus filiorum Dei, membraq; eſſe membra Chriſti, vt idem Paulus ſcribit primæ ad Corinthios. cap. *6*.Ideoque hac parte etiam ſunt filij Dei per animam. Tertio patet hoc, nam corpora Sanctorum veneramur, eaque templum ſunt ſpiritus Sancti, vt Apoſtolus loco adducto tradit. Cum vero dicitur, carne ſeruimus legi peccati, caro ibi accipitur pro parte hominis infecta peccato originali,tam quoad animam,quam quo ad corpus, vt omnes ibi interpretantur.

Neque obſtat, quod obiiciant aliqui, Chriſtum loqui de ſe ipſo tantum, probant hoc, quia ſequeretur è verbis Chriſti, Chriſtianum quẽlibet eſſe liberum à tributis, quod falſum eſt, & tamen Chriſtiani omnes filij Dei ſunt.

Nam reſpondetur Chriſtum loqui de filiis ijs Regum, qui tamquam filij regum, in regno adminiſtrando laborant, ſed alij filij,ſunt quidem filij regis,non vt regis, regnumque gubernantis; verum ſicut hominis cuiuſuis. Ita autem quamuis obſcure,videri poteſt reſpondiſſe Caietanus ad ſecundam ſecundæ quæſtione cẽteſima quarta articulo ſexto. Quamobrem ſoli Clerici, qui diuinis miniſteriis addicti ſunt, ac Regno ſpirituali dant operam, ſunt liberi. Si quidem ſunt filij Regis, vt Regis participes Regiæ poteſtatis, ac laboris, vt ſupra eſt è Dionyſij cap. duodecimo de diuinis nominibus probatum.

Quin-

Quinto apparet ex adducto loco propoſitum. Quæritur namque ab aliquibus, cur non ſoluerit cenſum Chriſtus è nummis, quos in loculis habebat ad ſe, ac ſuos alendos? Et non male reſpondit Ioannes Maldonatus, ideo factum fuiſſe hoc à Chriſto, vt ius immunitatis ad ſe, ac ſuos pertinentis quomodocumque conſeruaret; neque de ijs, quæ habebat, voluiſſe tributum pendere; ſed ex ijs, quæ viderentur fortuito, vt gentes putabant, ad ipſum perueniſſe. citat ille idem ſentientes Chryſoſtomum, & Euthymium.

Recte igitur Sanctus Hieronymus in adductum S. Matthæi caput, & Sanctus Auguſtinus libro primo euangelicarum quæſtionum quæſtione vigeſima tertia, volunt Ieſum, cum filios dixit eſſe liberos, complexum quoque nomine filiorum diſcipulos ſuos; & conſtat ex his, quæ adduximus quarto loco, ac proinde ex ijs Chriſti verbis, vt aperitur, eſſe clericos liberos à tributis.

Verumtamen reſpondet aliqui ad Chriſti verba, ex ijs quidem colligi poſſe aliquo modo clericos eſſe immunes; ſed non immunes iure diuino. Probant hoc dupliciter. Primo quidem, quia Chriſtus hoc non expreſſe decernit, clericos; ſcilicet; eſſe immunes; ſed colligitur ex probabili conſequentia. verum multis modis hoc refellitur.

Primo apertiſsime Chriſtus dixit filios eſſe liberos à tributis, & diſcipulos vocauit filios Regis; ſic itaque argumentum conficitur in prima figura, ac primo modo, qui eſt maxime omnium neceſſarius. Omnes Regum filij participes regiæ poteſtatis, atq; adminiſtrationis ſunt liberi à tributis: omnes diſcipuli, quorũ locum nunc clerici tenẽt, ſunt filij Regum participes regiæ poteſtatis, & adminiſtrationis; ergo omnes diſcipuli, ſiue clerici ſunt liberi à tributis. vtraque propoſitio, cum ſua concluſione eſt ipſius Chriſti Dei.

Secundo reſpondetur, ita ſequi è verbis Chriſti, quod Chriſtus dixit, vt facto conſignarit ipſe Chriſtus pro reliquis diſcipulis nil ſoluens; pro ſe vero, ac Petro ſoluens ob extrinſecam cauſam, non quia non eſſet liber. Oſtendit itaque Chriſtus neceſſario ſequi è ſuis dictis, clericos eſſe immunes, alioquin ſoluiſſet pro omnibus; & cum ſoluit pro ſe, ac Petro, non dixiſſet ſe ſoluere ad ſcandalum vitandum; quamuis liber eſſet cum Petro. Neque dicat aliquis, Chriſtum ſoluiſſe pro ſe tantum, ne ſcandalizaret, pro Petro autem, quod obligatus reuera eſſet, &

illud verbum, ſcandalizemus, pertinere ad ſolum Chriſtum: nam cum numero multitudinis dictum ſit, ſcandalizemus, apparet ad ambos illud verbum pertinere, ac pro omnibus ſolutum ne ſcandalizarent. Quod autem ſubiiciunt alij, Chriſtum dixiſſe, ſcandalizemus, quia loquebatur de omnibus Regum filiis, pro nobis facit; diſcipulos enim complecti nomine filiorum Regis volebat. Illud vero cui placebit? ideo dictum ne ſcandalizemus, quod ſi plures Dei ipſius naturales filij fuiſſent, adhuc liberi forent à tributis? vt ſit ſenſus, ne nos filii ipſius naturales, ſi plures eſſemus ſcandalum demus? Hæc expoſitio, quam conueniat Chriſto, & verbis eius aliis, totique narrationi, cuncti vident; nos enim quædam refutare, cum manifeſtiſsime ſint reiicienda, non curamus. An non enim tum Chriſtus loquebatur de ſe Petro, ac diſcipulis, tributoque ab omnibus præſtando? Ad quos itaque ſpectabunt verba à Chriſto prolata, an ad ſe, & iſtos ſimul, de quibus agebatur, an ad illos, qui nuſquam tunc erant, numquam poterant eſſe, neque vlla poterat eſſe de iis quæſtio? Et quid vtilitatis afferebat proponere, quod fieri nullo modo poterat? Miror à nonnullis ſcribi res adeo abſurdas.

Tertio reſpondetur, in ſcriptura ſacra non attendi propoſitiones probabiles ne ſint, an neceſſariæ, & an ex illis neceſſario ſequatur concluſio; ſed quid concludatur, & quid faciendum, factumue ſit: nam cum populo, & populariter verba fiũt in illa, ideoque ſæpius præmiſſa ſunt probabilia tantum, quin remotiſsima, ſatis eſt ſi accommodata ſint ad audientium ſenſum. hinc ſimilitudines adducuntur. atque ex eis concluditur, ac iubetur, quid agendum: veluti cum ex imagine numiſmatis Chriſtus inquit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: Iubetque reddi cenſum Cæſari, & tamen præmiſſa propoſitio neque neceſſaria, neque fere eſt probabilis, ſed ad rem, de qua agebatur, eludendoſque aduerſarios accommodata, ingenioſa, & arguta.

Secundo itaque reſpondent, Chriſtum nihil hic iubere, vt dici poſsit ius diuinum, ſed ſolum iudicare ex vſu hominum, filios regum liberos eſſe à tributis: verum refellitur hoc multis modis.

Primo falſum eſſe, quod aſſeritur à Domino nihil vetitum. ſecundo etiam falſum propterea non eſſe ius ab ipſo ſancitũ, quia nihil eſt vetitum: inquit enim Modeſtinus: *Legis virtus*

eſt imperare, vetare, permittere, punire. Sed hi tres vltimi effectus legis reducuntur ad primum. Nam cum vetatur aliquid, imperatur, ne fiat; cum permittitur quaſi honeſtum, cunctis imperatur, ne vetent; cum punitur aliquid, imperatur, ne fiat, vt patet. Hæc igitur omnia Chriſtus hoc ſuo facto ſanxit. Primo enim permiſit, quin voluit non ſolui cenſum, non exigentibus publicanis; quem poſtea ſoluit petentibus, & tamen licentiam ſibi iure aſſumpſit, ne pro diſcipulis aliis cenſus penderetur. Secundo cũ declarauit eos liberos, vetuit ſcientibus ipſius doctrinam, ne libertas ab ipſo aſſerta redigeretur in ſeruitutem: crimen namque eſt liberum ſibi velle ſubiicere, quod Philoſophus etiam dixit eſſe contra ius Politici ſeptimi capite tertio: niſi quis dicat admirabiliter, Chriſtianis fas eſſe furari, aut rapere, aut agere contra Chriſti doctrinam. Tertio cum vetuit ſcientibus, ac profitentibus eius doctrinam, ne exigerent cenſum à diſcipulis, ſimul quoque imperauit, vt nihil iis afferrent moleſtiæ propter hanc cauſam. Quarto neceſſe eſt adſit pœna violantibus legem Chriſti; ac proinde puniat Chriſtus aliquo modo in hac vita delinquentes aduerſus eius legem, vel ſemper, vel ſaltem plerumque. Atqui puniri à Chriſto minuentes eccleſiaſtica iura, & immunitatem docuimus abunde libro ſeptimo de ruinis gentium, & ſigno de pœnis in imminuentes iura ſacra. Ad ſummam falſum eſt, vt apparet, non eſſe iuris diuini eccleſiaſticam immunitatem è dictis hoc loco à Chriſto, quia nil vetuit, aut imperauit. Nam cum ſufficiat ad hoc, vt aliquid ſit legis diuinæ, aut iuris diuini, vt ſit illi vnus effectus legis, huic noſtræ immunitati adſunt quatuor effectus legis diuinæ. Sed etiã quinto eſt iuris diuini: nam tria ſunt iuris præcepta, *honeſte viuere, neminem lædere, ius ſuum vnicuique tribuere*, vt inquit Vlpianus. l. iuſtitia, de iuſt. & iur. & Iuſtinianus inſtitutionibus eod. tit. §. iuris præcepta. Quamobrem cum Chriſtus dictis, & factis aſſeruerit diſcipulos ſuos liberos, ſi quis contra id facit, lædit eorum libertatem, quod eſt contra præceptum iuris. cuiuſnam? Chriſti Dei, vindicantis in ſuam libertatem ſuis miniſteriis addictos; atque ita contra ius diuinum facit; vt enim diximus Chriſtus hanc ſtatuens libertatem Deus eſt.

Sexto denique cum Chriſti ipſius, qui Deus eſt, ore adiudicata ſit hæc libertas Chriſti diſcipulis, & iuris præceptum ſit,

ius ſuum vnicuique tribuere; iuris diuini eſt, vt quicumque iuri dicendo præeſt, hæc illis, eorumque ſucceſſoribus clericis attribuat: nec modo quicumque iuri dicendo præeſt; ſed omnes Iuriſconſulti ſunt obligati ita conſulere, vt eis ſuum ius, ſiue libertas à Chriſto Deo adiudicata tribuatur: alioquin contra ius faciunt, & contra ipſum ius diuinum, neque iudices erunt, ſed iniuſti, iniuriique, neque Iuriſconſulti, ſed iniquitatis, & iniuriarum conſulti, & conſiliarij.

Quod vero aiunt hic à Chriſto ſolum iudicari ex vſu hominum, filios Regum eſſe liberos à tributis; multipliciter hoc apparet eſſe falſum. Primò enim Chriſtus inutiliter locutus eſſet, quod eſt impium ſuſpicari, ſi hoc duntaxat iudicaſſet; nam quid vtilitatis afferret ad cultum Dei, quem ſemper in omni actione Chriſtus habebat in mente; id ſolum iudicare, Regū filios liberos eſſe à tributis? Secundò aperte Chriſtus dixit, & concluſit neceſſaria concluſione, nō iudicans ſolū filios Regū eſſe liberos, analogice Regum nomine intelligens, quicumque vel quacumque ſuprema poteſtate, ſiue in terra, ſiue in cælo regerent humani generis cœtus, ac proinde Deum ſe, ac reliquos mortalium Reges. Tertio manifeſte ex hoc colligit rectiſsime à ſe, diſcipuliſq; ſuis omiſſum cenſum, cum Capharnaum portas ingrederentur, quod illum non deberent; quippe qui Regum Regis altiſsimi eſſent filij: ſic itaque non ſolum iudicauit ex vſu hominum filios Regū liberos eſſe; ſed ex vſu etiam ſuo, & concluſione deducta. Quarto ex alio ſimiliter vſu hoc approbauit: non enim ſoluit pro omnibus diſcipulis, ſed pro ſe duntaxat, ac Petro; reliquos omnino voluit liberos eſſe, ac admitti: cū tamen maxime ab illis cenſus videretur exſoluendus. Quinto, & tamen quem ſoluit cenſum proteſtatus eſt à ſe exſolui, non quia deberetur ex iuſtitia, ſed ne gentes ignaræ ſcandalizarentur. Sexto neque voluit exſolui è nummis, quos neceſſario ad alendos diſcipulos habebat; alioquin alere haud potuiſſet; ſed voluit exſolui ex ſtatere inuento, vt quoquomodo priuilegium ſuum ſuis conſeruaret, penderetur que cenſus ex iis, quæ tum ſors diuina obtuliſſet. quod adnotauit hic Ioannes Maldonatus citans Chryſoſtomum, & Euthymium.

Ex his igitur omnibus conſtat eſſe diuinum præceptum, ne quid cenſus, aut tributi nomine Reges, & Principes Chriſtiani ſæculares exigant à clericis.

Audia-

Audiamus igitur poſt allata teſtimonia Sanctum Hieronymum, qui ſic in caput Matthæi decimum ſeptimum ad illa verba Chriſti: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi Ieſus. Ergo liberi ſunt filij. Dominus noſter, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius Regis erat, vel ex Dauid ſtirpe generatus, vel omnipotentis verbum Patris. Ergo tributa quaſi Regum filius non debebat, ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam, noſque infelices, qui Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum facimus tanta maieſtate. Ille pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus.* Hæc Sanctus Hieronymus, de hominibus Deo ſacratis loquens. Ac primo loco, quoniam de Chriſti familia ſunt, ait, eos cenſeri, id eſt, in cenſibus deſcribendis nominari de familia Chriſti, ſiue nomine ipſius, id eſt vncti; nam nomen Chriſti vnctum ſignificat. Secundo, inquit, humilitate illa, qua Chriſtus voluit ſeſe tributo obligari, ſponte meruiſſe nobis vnctis exemptionem à tributis, cum Chriſtus pro nobis ita ſoluerit, vt ſoluti ab omnibus tributis ipſi ſimus. Tertio Clericos non reddere tributa ad honorem Chriſti: nam Clericus eſt loco Chriſti; Euangelica lege, & Chriſti ore decernitur, atque ſtatuitur de Clericis illud, *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quarto, inquit Clericos, veluti regum filios eſſe immunes. Sic itaque ſanctus Hieronymus non alia de cauſa, vel alio iure, vult Clericos eſſe immunes, niſi ex ipſis Chriſti verbis, factis, iureque è verbis, & factis Chriſti deducto, ex hoc Matthæi capite, volens illa ad immunitatem Clericorum pertinere. E verbis, quia dixit ibi Chriſtus, eſſe filios Regum, & alibi, honorandos ſicut ſemetipſum: è factis; quia ſicut ipſe, ac Petrus ſoluentes noluerunt, vt cæteri forent obligati, ſed intelligerentur liberati ipſorum ſolutione, ſic humilitate illa meruit omnibus Clericis immunitatem.

Quidam reſpondent, à ſancto Hieronymo tantum proferri congruentiam, qua Clerici facti fuerint ab Imperatoribus immunes, quaſi congruum fuerit eſſe immunes, non debitum. ſed hæc reſponſio multipliciter eſt falſa.

Primo. Quia S. Hieronymus dicit eſſe immunes è factis, ac dictis Chriſti relatis à ſancto Matthæo capite decimo ſepti-

mo,

mo, è quibus nos multis modis ſupra oſtendimus iure diuino & præcepto diuino immunes eſſe Clericos.

Secundo. Dicimus nihil de Imperatorum legibus à ſancto Hieronymo fieri mentionem, nihil de huiuſmodi congruentia.

Tertio. dicimus ab Imperatoribus ipſis fuiſſe immunitatem Clericorum ſancitam, quod cognoſcerent, ac profiterentur, vti oſtendemus, præcipi illam iure diuino.

Quarto. Honor quo Chriſtus iubet excipi à cunctis, & audiri Clericos ipſius, non eſt honor tantum congrue conueniens illis, ſed præceptus ab ipſo, debituſque ex præcepto diuino.

Quinto. Cum dicat S. Hieronymus à Chriſto redditum pro nobis tributum; non amplius itaque debetur à Clericis, ac proinde ſunt liberi, & immunes.

Sexto. Cum dicat idem *S.* Hieronymus, à Chriſto pro nobis in exſoluendo tributo, cum liber eſſet, ex humilitate impletam reddendi tributi iuſtitiam: non igitur aliquid amplius ex iuſtitia debetur, impleta eſt enim. reſtat id ſolum, vt ſi quid ſoluatur, ex humilitate præſtetur.

Septimo. cum dicat S. Hieronymus nos Chriſti nomine cenſeri, & in cenſus libri, aut rationibus deſcribi, clariſsime aſſerit nos eſſe immunes, vti erat ille immunis, ac proinde, ait, nos hac parte ipſius maieſtatem referre, nomen ipſius referre; ſed illud quaſi infelix dolendum, quod tãto nomine, ac tanta maieſtate nihil dignum facimus. At Chriſtus erat immunis iure diuino; & nos igitur (quamuis noſtra facta iſtud haud mereantur) iure diuino ſumus immunes Chriſti merito, ac dignitate, neque obligati vllis Principum ſæcularium legibus, ad cuius obligationis teſtificationem cenſus exſolui debent.

Alij reſpondent, ibi S. Hieronymum loqui de omnibus Chriſtianis allegorice, quippe, qui non ſoluant è ſpiritualibus diabolo: ſed ſi ſenſus hic verus eſſet, ſibi contradiceret, *S.* Hieronymus nimis inſulſe, & aperte. Nam qui tales ſunt, neque ſunt infelices, & digna agunt, & tamen *S.* Hieronymus, ait, *Nos infelices tributa non reddimus, & nihil dignum tanta maieſtate agimus.* Et quid faceret ad loci illius explicationem, ſi hoc diceret S. Hieronymus? Neque facit ad rem, ſi quis dicat, verba S. Hieronymi ſpectare ad omnes Chriſtianos, & quando dici non poteſt, omnes eſſe immunes à tributis, accipienda de tributo ſpirituali; quod autem ſpectent ad omnes Chriſtianos

pro-

probant, quia dicit, *Pro nobis mortuus eſt.* Verum non vident iſti *S.* Hieronymum adducere ad dignitatem Sacerdotum oſtendendam, communia Chriſti, & ſpecialia in ipſos collata beneficia, quaſi dicat, pro nobis Clericis eſt mortuus Chriſtus, ſicut & pro aliis multa fecit, ac præterea pro nobis ſoluit tributum, vt nos immunes ſpeciatim faceret, quòd ſæcularibus non eſt datum: *& nihil dignum tanta maieſtate agimus.* Ac probatur etiam, quod aſſerimus inquit enim Sanctus, *Nos*, quæ vox deſignat eiuſdem gradus, aut ſtatus cum S. Hieronymo, nimirum Clericos, vti & ipſe Clericus erat, ſimiles itaque ſui, quantum fieri poteſt, comprehendit.

Hieronymi ſentētiam multo magis *S.* Auguſtinus cōfirmat lib. 1. Euangelicarum quæſtionum, quæſtione vigeſimatertia, Sic inquiens, *Quod dixit* (Chriſtus) *ergo liberi ſunt filij, in omni regno intelligendum eſt liberos eſſe regni filios: id eſt, non eſſe vectigales: multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno, filij regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena.* Hæc Sanctus, apertiſsime aſſerens Clericos non eſſe vectigales, & maiori ratione concludens eſſe liberos, quam filios cuiuslibet Regis. Nam filij cuiuslibet Regis ſubiecti eſſe poſſunt, ac ſolent vna cum ſuo patre rege alicui maiori Regi. ac re vera ſi quis foret omnium regnorum Rex, illi eſſent vna cum patre Rege ſubiecti, ac veluti tales tributum præſtarent. Atqui Clerici ſunt filij regis illius, Chriſti ſcilicet, cui ſunt omnia regna terrena ſubiecta: ergo multo magis Clerici non ſunt vectigales. Et aduertendum non loqui hic ſanctum Auguſtinum de Chriſtianis omnibus, vt nonnulli exiſtimarunt, quod filij ſint Chriſti, ſed de Clericis, qui ſunt, vt ſupra explicantes Caietanum dicebamus, filij Chriſti regis, vt regis, & adminiſtrantis omnia regna, ac participant ex officio proprio adminiſtrationem omnium regnorum, quod ipſi omnibus, tanquam publicæ, & diuinitus inſtitutæ perſonæ, ac proinde efficacius, veluti omnium perſonam referentes, omniumque ore obſecrantes, orent, offerantque pro omnibus ſacrificia, vel in hæc ſeruiant, ac proinde ab omnibus tributum debeatur ipſis, non ipſi debeant tributum. Nam cum reges alij corpus, & corporalia gubernent, Clerici gubernant animam, cui corpus tributū debet, obedientiamque omnem. Flagitioſumque eſt animam corpori præſtare obedientiam, vel tributum, niſi quantum mouet, ac regit illud, vt magis ipſi animæ vſquequaque in omni-

bus

bus ſeruiat, atque obſequatur. Ideoque corpus eſt ſeruum, & ſubiectum, ſed anima domina, & libera, quæ per accidens corpori aliquando ſeruit, illius bonum procurans; nam ſuum procurat directe, cum bonum corporis procurat, ſibi ipſi ſeruiens; cum ſeruit, illi imperans, vt in propoſito, de quo agimus, decernit Philoſophus Politici tertij capite quarto, & primi tertio.

Alii reſpondent hic S. Auguſtinum loqui de libertate animæ, & ſpiritualium, non de libertate corporis, & temporalium ſiue immunitate à tributis. & volunt huiuſmodi reſponſionem affingere S. Thomæ in ſecunda ſecundæ, quæſtione centeſima quarta articulo ſexto. Verum clariſsime loquitur S. Auguſtinus de tributis temporalium, & explicat locum S. Matthæi, in quo Chriſtus agit de tributo temporali, & doctiſsime, vt vidimus argumentatur; alioquin ſermo ipſius non faceret ad propoſitum. Quantum vero pertinet ad ſanctum Thomam, reſpondet ipſe ad eos, qui volebant ex his ſancti Auguſtini dictis Chriſtianos omnes eſſe liberos à tributis, quod filii Dei forēt. Inquit enim ſanctus Thomas libertate quadam pertinente ad omnes Chriſtianos non eſſe liberatos à tributis omnes Chriſtianos; nam libertas illa generalis ſpectat ad ſpiritum ſolum; de libertate autem ſpeciali pertinente ad Clericos, & tributa nullum verbum facit S. Thomas: nam libertas hæc eſt diuerſa à generali. illa namque ad ſpiritum ſolum, hæc ad tributa, tantum ſpectat. Quod ſi dicas vtramque pendere ex eo, quod tam Clerici, quam reliqui Chriſtiani ſunt filij.

Reſpondemus Primo, Clericos eſſe filios Dei, & Chriſti vt Regis, nimirum participantes adminiſtrationem regni, vt ſupra dicebamus, exponentes hoc obſcure, ac breuiſsime à Caietano dictum.

Secundo reſpondemus. Huic regno ſubiectos eſſe, quoad corpus, ac proinde etiam, quoad corporalia, & tributa ſpectantia ad corpus, reges ipſos. Nam veluti corpus ſeruire debet ex omni parte ſpiritui, vt habetur Rom. 6. ſic corporalia cuncta ſeruire ſpiritui debent, ac ſpirituali regno, quod non laici, ſed Clerici gubernant. Nam cum filiis ſint aliis alij maiores, ac minores, quo ad poteſtatem gubernandi regnum ſpirituale, maiores omni ex parte ſunt Clerici, quia nullam in partem gubernationis ſpiritualis aduocantur laici; ideoque hac parte filij non ſunt.

Tertio

Tertio reſpondemus. corpora clericorum libertate generali pertinente ad ſpiritum magis eſſe libera ex officio proprio, quam corpora laicorum. Nam corpora clericorum tota debent, & in omni actu, & exercitatione ſpiritui ſeruire, ac plerumque occupantur occupationibus ſpiritualibus, toti humano generi vtilibus, non ita laicorum. Quamobrem reges ſæculares, quo ad corporalia, magis debent tributū clericis, quam contra. quin ſi contra accidit, eſt inuerſio rerum.

Stet itaque S. Auguſtini ſententia, pulcherrimo, & acutiſsimo argumento Chriſti ſententiam firmans, atque illuſtrans, clericos eſſe immunes à tributis, ac poteſtate laicali: vt è ſuperioribus apparet. Eandem ſententiam ſequitur idem Sanctus Auguſtinus de decimis loquens in libro quinquaginta homiliarum homilia 48. & Proſper. ſent. 15.

Quocirca Scholaſtici omnes haud dubitauerunt, ijs verbis Chriſti, immunitatem eccleſiaſticam conſtitutam quo ad res: ſed aliqui poſteriores volunt ijs Chriſti verbis contineri Apoſtolicam vitam ſequentes. interpretātur deinde aliqui hos, vt, illi dicuntur Apoſtolicam vitam ſequi, qui vel nihil habeant, vel non niſi commune. Nos cum Caietano interpretamur, quoad propoſitum, clericos omnes ſequi Apoſtolicam vitam, licet Apoſtoli non ſint, quod à cunctis negotijs ſæcularibus abſtinentes addicti ſint ex Apoſtolico inſtituto, ac decreto miniſterijs diuinis. Sic enim Sanctus Thomas in ſecundum ſententiarum diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. ad primum, reſpondens obiectioni, quam attulerat è capite Matthæi 17. in quo Chriſtus aſſeruit filios Dei liberos eſſe à tributis. *Et*, inquit: *illa prælatio, quæ ad ſubditorum vtilitatem ordinatur, libertatem ſubditorum non tollit; & ideo eſt inconueniens, quod tali prælationi ſubiaceant, qui per Spiritum ſanctum filij Dei effecti: vel dicendum quod Chriſtus loquitur de ſe, & ſuis diſcipulis, qui nec ſeruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus ſuis dominis obligarentur ad tributa ſoluenda; & ideo non ſequitur, quod omnis Chriſtianus huiuſmodi libertatis ſit particeps, ſed ſolum illi, qui ſequuntur Apoſtolicam vitam, nihil in hoc mundo poſsidentes, & à conditione ſeruili immunes.*

Hæc Sanctus, volens Chriſti verba, vel pertinere ad omnes Chriſtianos, quod filij Dei ſint, vel ad Chriſti diſcipulos. ad Chriſtianos vult illa ſpectare, quod Principes Chriſtiani ſint obligati referre omnia ad vtilitatem ſubiectorum: ex quo con-

 cludit

cludit, Chriſtianos eſſe liberos, quod quale ſit, alibi oſtendetur. Hæc namque eſt interpretatio Sancti Gregorij Epiſtola quinquageſima prima, libro octauo ad Leontium excoſulem, & epiſtola trigeſima ſexta decernentis Reges, ac Principes Chriſtianos non dominari Chriſtianis, vt ſeruis, ſed vt liberis poteſtate, ſcilicet politica, & conſultiua, qua admittat eos in cōſortium poteſtatis, & conſilij, pro merito virtutis conuenientis illi poteſtati, & conſilio, quæ communicantur. Eadē Chryſoſtomus, aliique omnes in illa Chriſti verba Lucæ cap. 22. *Reges gentium dominantur eorum*. Hæc igitur prima expoſitio S. Thomæ. Secunda eſt, quæ vult eſſe immunes, qui ſequuntur apoſtolicam vitam, veluti ſequebantur diſcipuli, de quibus adducto Matthæi capite 17. Atqui tales ſunt clerici ſine vlla dubitatione reſpectu beneficiorum, rerumque eccleſiaſticarum, quarum domini non ſunt, verum diſpenſatores, & adminiſtratores, ac diſpenſationis tantum domini; ita tamen, vt diſpenſent iuxta Canonum præſcripta in pios, non in profanos vſus; ac niſi diſpenſent ita, non modo grauiſsime peccant, (quod nemo non negat) ſed etiam reſtitutioni ſunt obligati, vt communiter Doctores concludunt; & contrarium ſentire eſt hæreticum in iure, inquit Archidiaconus cap. ſtatutum, §. aſſeſſorem, de reſcriptis libro ſexto. Alexander Halenſis 3. part. quæſt. 36. membro quinto. Richardus in 4. diſtinct. 15. artic. 3. quæſt. 1.

Quamobrem ſi loquamur de tributis eccleſiaſticorum beneficiorum, nihil clerici poſsident in ijs ſuum, niſi quod neceſſario impendunt ad ſui ſtatus honeſtam tuitionem, quod iure diuino ſunt obligati, beneficiaque, vt aperiemus, ac res ſacræ omnes ipſius Dei ſunt, quoad dominium; clericorum, quoad adminiſtrationem vſuum piorum, & quoad impenſas, Innocentius cap. cum ſuper, de cauſa poſſeſsionis, & proprieta. Panormit. cap. cum eſſes, de teſtament. Decius cap. conſtitutus de reſcriptis.

Cum nihil itaque habeant clerici, quoad beneficia, ſuum; ſequuntur hac parte Apoſtolicam vitam. Sed & quoad patrimonialia ſequuntur Apoſtolicam vitam; quia cum non poſſint negotiari, & munera ſæcularia exercere, addictique ſint miniſteriis diuinis, licet Apoſtoli nō ſint, aut Apoſtolicæ vitæ, per omnia, tamen Apoſtolicam vitam ſequi dicuntur ex officio, quia ſcilicet ſeruiunt Apoſtolicis officiis: ideoque cum cle-

ricus

ricus ordinatur, canit: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Hinc clericus, id eſt, qui fit cum ſuis ex hæreditate Dei.

Quocirca Caietanus S. Thomam interpretans 2. 2. quæſtion. 104. art. 6. cuius verba infra afferemus, aperte tradit presbyteros Apoſtolicam vitam ſequi, & Epiſcopi, etiam ſi opulentiſſimos reditus habeant, ſiue beneficiorum, ſiue patrimonij, dicuntur apoſtolicam vitam ſequi.

Eadem cum S. Thoma tradit S. Bonauentura lib. 2. diſtin. 44. articulo tertio quæſt. 1. & Richardus ibidem, dum ſcribit *auctoritas illa filios regni vocat Chriſtianos illos, qui omnia temporalia relinquunt propter Chriſtum, & verum eſt, quod tales non tenentur ad tributa, & exactiones temporales:* quæ Sancti Bonauenturæ, & Richardi verba intelligi poſſunt, ac debent omnino de religioſis, & de quibuslibet clericis. Primo quia vti diximus, affectu relinquunt omnia temporalia propter ordinis officium, cui ſe conſecrauerunt, vt diximus ſupra libro tertio propter extrauagantem, cum inter nonnullos, de verb. ſignif. Ratio vero eſt huius aſſertionis, quia bona clericorum patrimonialia, cum ſeruiant perſonæ ſpirituali, ſiue ſpiritualibus dedicatæ ſunt, ac iudicantur non temporalia, ſed ſpiritualia. Nam bona externa eſſentialiter ſunt propter corpus: itaque ſi corpus eſt dedicatum miniſterio ſpirituali, bona illa ſunt tota propter miniſterium ſpirituale. Secundo, quod ita communis vſus interpretatur. Tertio, quia cognoſcimus è loco S. Matthæi adducto ſemper fieri mentionem de diſcipulis, ante, & poſtquam ſolutum eſt tributum. Quocirca cum Chriſtus dicit liberos eſſe filios, tam duodecim Apoſtolos, quàm reliquos complectitur, qui licet Apoſtoli non eſſent, ipſum tamen ſequebantur.

Quarto, quia non obfuit huiuſmodi libertati, & immunitati, quod Iudas nummorum, loculorumque haberet adminiſtrationem, eoſque furaretur; ſic neque obeſſe debet eccleſiaſticæ libertati, ſi quis beneficiorum fructus, vel alia patrimonialia peruertit in alios vſus, ac multo minus ſi poſſideat illa, & in vſus licitos expendat.

Quinto licet Apoſtoli, ac Diſcipuli reliquiſſent omnia, quoad tractationem, curam, & amorem, quod omnium caput eſt, tamen adhuc multa, quodammodo propria quoad adminiſtrationem liberam ſuis temporibus exercendam leguntur habuiſſe,

buiſſe, quæ tamen ipſi communia eſſe volebant bonis omnibus, ac religioni, & pietati dedicarant, ac reuera deuouerant. Legimus enim Petro domum fuiſſe in ipſa vrbe Capharnaum, in qua actum eſt de pendendo cenſu, vt habetur Matthæi capite octauo, & in actibus Apoſtolorum capite primo, & ſecundo, legimus fuiſſe ijs domos ſuas, in quibus habitabant, non tamen vt ſuas omnino, ſed veluti expoſitas omnium communi vtilitati, Deo dedicatas, cui ſeſe deuouerant omnes, relicta ſibi in aliquibus adminiſtratione libera in vſus pios.

Sexto, ſicut huic immunitati non obfuit, quod Magdalena effuderit, vt legimus Ioannis cap. 12. ſuper caput Chriſti vnguentum pretioſiſſimum, quod poterat venundari tercentum denariis, id eſt, ſi quoſdam ſequamur, aureis triginta, quod impius vna cum Iuda luxui tribueret; ſic etiam non obeſt ſi clerici poſſideant patrimonialia.

Septimo, niſi ita dicamus Sanctum Bonauenturam dixiſſe, locutus eſſet contra id, quod eſt in Euangelio, è quo maniſeſte habetur, Apoſtolis, ac Diſcipulis multa tẽporalia fuiſſe. Præterea vero, & Chriſtus, & ipſi nihil omnino dicerent. Quis enim dicat, à Chriſto conſtitutum, ne ſolueret tributum, qui nihil habet? Nam quis ignorat fieri non poſſe, vt aliquis tributum ſoluat, qui nihil habet? At Chriſtus non ita dixit; ſed illud dixit, liberi ſunt, quia filii Regis.

Octauo denique, niſi ita dicamus, manifeſte ſibi repugnarent iſti, qui apertiſsime ſcribunt ſæcularem poteſtatem, cum debeat cum omni re ſua ex totis viribus Deo ſeruire, eſſe eccleſiasticæ ſubiectam, vt ſupra concluſimus adducentes ipſorum verba. At ſi ſæcularis poteſtas cogere poſſet eccleſiaſticos ad tributa, non eſſet ſubiecta ex omnibus viribus Deo, ſiue eccleſiaſticæ poteſtati ipſius Dei, eminentiſsimæ inter omnes humanas à Deo procedentes.

Quamobrem Caietanus in 2. 2. quæſt. 104. articulo ſexto, exponens verba Chriſti cap. 17. Matth. *Per filios*, inquit, *Regis, ſeu Regis æterni, non intelligit* (Chriſtus) *omnes Chriſtianos, ſed eos, qui præſunt in regno, quaſi filij. Hi autem ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & qui relinquentes omnia, ſequuntur Chriſtum iudicaturi orbem. Hi enim in hoc mundo tamquam filij Regis ex eorum ſtatu regnum Dei in alijs præparare, fouereque debent; & liberi etiam à ſeruitute temporalium dominorum eſſe debent. Et hoc Saluatoris doctrinæ conſonat, dum Petrum Apoſtolum liberum*

rum inſinuat, ſubiungens, ne ſcandalizemus eos, ſolue pro te: & gloſſa loquenti in hac vita, dum dicit in quolibet regno terreno liberi eſſe debent filij regni, ſub quo ſunt omnia regna. Hæc Caietanus apertiſsime volens ijs Chriſti verbis eximi clericos ab omni temporali dominorum poteſtate, adducit hanc rationē, quia regnum Dei præparare, & fouere in aliis hominibus debent ex ipſorum ſtatu; nam dedicati ſunt ad ſacrificia, & preceſs, relictis negotiis, & occupationibus ſæcularibus, qui eſt communis omnibus clericis ſtatus, ex quo affectu omnia relinquere dicuntur, ac proinde eccleſiaſticam libertatem iuris eſſe diuini. Nam Chriſtus eſt Deus, eius ſanctiones, & iura ſunt diuina.

Patet itaque ex hoc loco generatim, liberos eſſe clericos à tributis præſtandis, vt interpretantur SS. Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Anſelmus, Beda, Hugo, Dionyſius, Caietanus, Thomas, Bonauentura, Richardus.

Probatur idem ex illis Chriſti verbis, reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, atque ex interpretatione SS. Auguſtini, Hieronymi, Anſelmi, Bedæ, Proſperi, Hugonis, & Dionyſij.

Cap. IX.

HÆc ſunt S. Matthæi verba cap. 22. *Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent eum* (Ieſum) *in ſermone, & mittunt ei Diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes: Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur; licet cenſum dari Cæſari an non?* Cognita IESVS *nequitia eorum ait. Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus: at illi obtulerunt ei denarium? & ait illis Ieſus: cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis, reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* Huc vſque Euangelium Matthæi, Eadem ſanctus Luc. cap. 20.

Aduer-

Aduertendum nobis eſt ibi actum, num liceret dare tributum Principi ſæculari, vel quia extraneus erat, & gentilis, ac lege vetitum videbatur, ne Dei populus eligeret ſibi Regē gentilē, vel quia tributū ſoluebatur è rebus poſſeſsis à populo Dei, ſiue is eſſet è numero Sacerdotū, Leuiticæq; tribus, ſiue è reliquo populo ſæcularis, & laicus; ac Læuitica tribus nulla ex re ſoluebat tributū, illiusq; res Dei videbatur eſſe. Ob has cauſas erat quæſtio in tributi ſolutione. Chriſtus Deus conſtituit tributum ſolui ex iis, quæ pertinent ad Cæſarem, Cæſari; ex iis, quæ ſpectant ad Deum, non Cæſari, ſed Deo, tributum tributo, rem rei, Deumque regi in tributi exſolutione, & interrogatione facta opponens, atque ita diſtinguens, vt alter alteri ſuas res relinquat intactas, quoad adminiſtrationem, & diſpoſitionem, quamuis omnia ſint in Deum referenda, atque hac parte omnino omnia Dei ſint, de qua re non agit Chriſtus, alioquin haud ita diſtinxiſſet. Non explicat tamen clare, quid imaginem Dei, quid Cæſaris habeat: ſed eſſe aliqua temporalia, quæ habeant imaginem Dei, clare definit.

Quocirca cum Chriſtus reddenda Deo, quæ Dei ſunt, dicit, non modo complexus eſt ſpiritualia, & animam noſtram, vel mere ſacra, ſed etiam temporalia Deo dedicata, & conſecrata, aut reddenda, vt conſecrentur, quales ſunt decimæ, oblationes, ac patrimonialia Clerici, qui in ſua ordinatione, quamuis non voueat, tamē primo profitetur illud, *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meā mihi* (en dat Domino hæreditatem ſuam) *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Secundo, quia in prima tonſura diſponitur ad internam abdicationem, & in Oſtiariatu accipit indelebilem poteſtatē, & effigiē, per quam, cum ſit indelebilis, non modo diſponitur, ſed eſt in aliquo ſtatu perfectionis, id eſt amoris diuini, quoad intimam propenſionē, & impulſum, non perfecto; (hic namque eſt Epiſcoporum) ſed per quem ſit ſupra ſæculares. Tertio, quia per leges abſtinet ab omni negotiatione. Quarto, quia quoad externa, neceſſe eſt vt in habitu, ac tonſura decenti incedat, ac proinde, quæ Clerici ſunt, Cæſaris non ſunt, neque Cæſari reddenda ſunt, neque ex iis eſt ſoluendum tributum, ſed Deo reddenda, cum Dei ſint, vt interpretatur ſanctus Hieronymus in dictum caput, Beda, ſanctus Anſelmus, Hugo, Dionyſius Carthuſianus, ſanctus Auguſtinus in libro quinquaginta homiliarum, homi-

lia

lia quadrageſima octaua, *Redde*, inquiens, *dictum eſt, Caſaris, quæ ſunt Cæſari, & Deo, quæ ſunt Dei: maiores ideo copijs omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæſari cenſum reddebant; modo autem quia diſceſsit deuotio Dei, acceſsit indictio fiſci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus.* Hæc ſanctus. Eadem Proſper ſententia 15. Hugo è S. Victore, Alexander Halenſis, qui infra adducentur, quamuis de patrimonialibus expreſſe non loquantur; non tamen illa excludunt, vt quidam negatiue argumentantes contra Logicæ regulas putarunt.

Quocirca multi Pontifices eodẽ ſunt vſi argumento è Chriſti verbis deſumpto aduerſus Imperatores Eccleſiaſtica iura vſurpantes.

Sic igitur argumentamur. Quidquid Chriſtus præcipit, eſt iuris diuini: Chriſtus præcipit non licere ſæcularibus Principibus rerum Deo dedicatarum, & ad ſacros vſus, perſonasve ſacras aliquo modo pertinentium quidquam ſibi adſumere, neque licere ijs aliquid dari, vt ſuperioribus, ex rebus illis: ergo id iuris eſt diuini, Alioquin ea parte Deo non redderentur, ſed Cæſari, vel Dei non eſſent, ſed Cæſaris, nam quod iuris eſt totius, ad totum, idem partis ad partem l. quæ de tota. ff. de rei vendicat. Atque ita fieret, quod eſt contra Dei præceptum iubentis, vt quæ Dei ſunt, Deo reddantur.

En quomodo patrimonialia, ſerui, coloni, vel alia ſpectantia ad Clericos habent titulum, imaginem, & ſuperſcriptionem Dei: habentq; etiã ſecundo modo; quia cum dicuntur eſſe Clerici, dicuntur eſſe Dei; vt enim diximus, & Clericus primæ tõſuræ, & alij Clerici in ſuis rebus ſunt Dei, domini, ac Reges, ac res eorum Dei dicuntur. habent tertio, Nam bona externa eſſentialiter tota ſunt hominis, quocumq; in ſtatu, & conditione ſit ille. Siquidem Clericus, vt diximus, habet imaginem Dei indelebilem, diuinamque, ac reſpectu ſæcularium regiam, diſpoſitionemque proximam ad hanc Clericus primæ tonſuræ. Nam character Græce eſt idem, quod Latinè figura, imago, ſpecies, ſignum, forma, ſigillum, pulchritudo, titulus, ſuperſcriptio, & quidquid eſt huiuſmodi. Verum quãdo rebus inanimatis non imprimitur intimè hic character ſupernaturalis, idcirco ob eſſentialem ſubordinationem inferioris ad ſuperiora inter hæc quatuor, Deum, animam, corpus humanum, externa

na pertinentia ad corpus humanum; ferunt quæcumque habet in poteſtate ſua Clericus ſuo modo titulum, & ſuperſcriptionem Dei, veluti aqua clarius imaginē Solis refert, quam tellus Sole conſperſa.

In die Iudicij modo ſuo imprimetur pulchritudo, & figura diuina rebus inanimatis deriuatione facta à corpore Chriſti, vt ſupra è *S*.Irinæo dicebamus propter ſplendorem, cæteraq; dona glorioſa indelebilia, actiua, ſupernaturalia, intima, ad quæ omnis creatura, inquit Apoſtolus, ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Imprimitur tamen quodammodo adhuc multipliciter rebus inanimatis ſacerdotio Chriſtiano ſeruientibus, ac ſubiectis quædam tenuis pulchritudo, vmbra, & veſtigium Dei, primo ab hominibus, ſecundo ab Angelis inter Chriſtianos, ob ſigillum ſacerdotale, ſiue obedientiam, ſubiectionemq; illi exhibitā; Ab hominibus quidē, quod Chriſtiani obedientes, ac ſubiecti Clericis ex ordine, vſq; ad apicem, fontemq; ſacerdotij, vt S.Cyprianus, & Iuſtinianus loquuntur, omnium maxime vtilibus modis, & modeſtiæ conuenientibus, vitæque humanæ per agriculturam, architecturam, cæteraſque huiuſmodi artes excolant loca ſua: res ſuas ornent, & collocupletent: ab Angelis, quod hi maxime augeant omni bono eadem loca, tueanturque à vaſtationibus dæmonum. de quibus eſt actum libro ſecundo, & tertio. Sic itaq; eſt verum, quod ait Deus de ſeipſo in Pſalmis: *Pulchritudo agri mecum eſt*, & apud Iſaiam, *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*, non quod auferat nobis formam, formæque efficaciam, ſed intime eam conſeruet, ac promoueat, propterea dicitur hoc modo Deus imprimere pulchritudinis ſuæ tenuem radium, titulumque & ſuperſcriptionem rebus inanimatis, ac res inanimatas habere titulum, ſuperſcriptionemque deriuatam inter Chriſtianos à charactere ſacerdotali. ſic in diuina ſcriptura, quidquid eſt præſtans, ac magnum dicitur Dei, vt montes Dei, quicumque altiſsimi ſunt, filij Dei quicumque boni, ac potentes. ſed videamus, an ita ſit, vti affirmamus, ne quis dicat, hæc temere aſſeuerari à nobis. Diximus late libris de antiquo & nouo Italiæ ſtatu, quantis poſt Conſtantinum bonis aucta fuerit Italia, ac tertij principio ſcripſimus in Italia nunc gigni goſſypium, ſericū, mala medica, cytria, ſuccarū, vuas ſpinæ, ribes, criſpini, barberis, mannam, ſublatas eſſe Boas, frequentes chelydros, quæ ſane Deo referimus accepta per Angelos, religionemque

nemque Chriſtianam, quam nobis Apoſtoli, & ſummi Pontifices, & Epiſcopi ſucceſſores tradiderunt, repreſſas eodem modo conflagrationes, & inundationes, quibus aliquando Italia prope eſt deleta, & aliàs viginti, ac plures in palude Pomptina vrbes ſubmerſit, ac duodecies anno vno Roma eſt ſtagnata. mittamus iſta mala aut expulſa, aut bona collata; dicamus ad præſens aliquid de Germania, præter id, quod ſupra diximus generatim. qualis hæc ætate ſua foret, ita Tacitus conſentiens multis alijs, quos infra adducemus, libro de moribus Germanorum. *Terra etſi aliquanto ſpecie differt, in vniuerſum tamen, aut ſiluis horrida, aut paludibus fœda, humidior quam Gallia, ventoſior, quà Noricum, & Pannoniam aſpicit; ſatis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, ſed plerumque improcera, ne armentis quidem ſuus honor, aut gloria frontis.* Et dein, *Nec tamen affirmauerim nullam Germaniæ venam, argentum, aurumve gignere, quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione, & vſu haud perinde afficiuntur.* Et mox: *Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicuti ex genere telorum colligitur, & equi non forma, non velocitate conſpicui.* De domibus vero ſic idem. *Nullas germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt, nec pati quidem inter ſe iunctas ſedes. colunt diſcreti, aut diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit: vicos locant, non in noſtrum morem connexis, & cohærentibus ædificijs, ſuam quiſque domum ſpatio circundat, ſiue aduerſus caſus igni remedium, ſiue inſcitia ædificandi. ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum vſus, materia ad omnia vtuntur informi, & citra ſpeciem, aut delectationem, quædam loca diligentius illinunt terra ita pura, ac ſplendenti, vt picturam, ac lineamenta colorum imitetur; ſolent & ſubterraneos ſpecus aperire, eoſque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hiemi, ac receptaculum frugibus; quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt.* Et mox de veſtibus eorum. *Tegmen omnibus, ſagum, fibula. aut ſi deſit, ſpina conſertum. Cætera intecti iuxta focum atque ignem agunt.* Rurſus de liberalibus diſciplinis. *Litterarum ſecreta viri pariter, ac fœminæ ignorant.* Ac de munditie. *In omni domo nudi, ac ſordidi, vt dominum, ac ſeruum nullis educationis delitijs dignoſcas. Inter eadem pecora in eadem domo degunt.* De cibis, ſobrietate, & abſtinentia. *Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum, ſine apparatu ſine blandimentis expellunt famem; aduerſus ſitim non eadem temperantia, ſi indulſeris ebrietati ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud minus facile vitijs, quam armis vincen-*

 tur.

tur. Et de agricultura. *Agri pro numero cultorum ab vniuerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignitatem partiuntur. facilitatem partiendi camporũ ſpatia præſtant. Arua per annos mutant, & ſupereſt ager; nec enim cum vbertate, & amplitudine ſoli labore contendunt, vt pomaria conſerant, & prata ſæpiant, & hortos rigent, ſola terræ ſeges imperatur, vnde annum quoque ipſum, non in totidem digerunt ſpecies. Annum, & ver, & æſtas intellectum, ac vocabula habent: autumni perinde nomen, ac bona ignorantur.* Et multo ante. *Materia munificentiæ per bella, & raptus, nec arare terram, aut expectare annum tam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes, & vulnera mereri. pigrum, quinimo, & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare: quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium tranſigunt dediti ſomno, ciboque fortiſſimus quiſque ac belliceſiſſimus nihil agens, delegata domus, & penatium, & agrorum cura fœminis, ſenibusque, & infirmiſſimo cuique è familia. ipſi hebent, mira diuerſitate naturæ cum ijdem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem.* Hæc Tacitus de antiquis Germanorum bonis ad animum, corpus, & externa ſpectantibus. De Sarmatis multo peiora ad finem tradit. Germanis igitur, quantum ad intellectum, nullę olim litterę erant, nulla hiſtoriæ præſertim externæ, nulla antiquitatum notitia, nulla artium liberalium. Quantum ad mores animi, à pudicitia maxime illos laudat; alioquin ſummæ inertiæ, ebrietatis, incontinentiæ, ac bellicæ feritatis, ac rapacitatis notat. Quãtum ad externa nudum illis ſolum. Iam vero nulla Germanis ab orbe condito antiquorum Regum, Principum, nobiliumq́. cognitio. Nullæ certæ populorum ſedes: nam mutuo ſeſe propellebant, quod Cæſar teſtatur libro quarto, & ſexto; ſumma ferocitas, ac prope feritas, nullæ vrbes, ac domus, niſi è luto, nulla munditie, & ornatus exiguus vſus, nulla copia metallorum. Eadem vero cum Tacito Cæſar adducto libro, Seneca Hiſpanus libro de gubernatione mundi, Mela ſimiliter Hiſpanus libro 3. cap. 11. & vltimo. Strabo Cappadox lib. 4. & 7. Herodotus Aſianus lib. 4. Appianus Alexandrinus in Libyco. Iornandes Gothus de rebus Geticis, Herodianus Græcus in Maximino, Procopius Cæſarienſis lib. 2. de bello Gothico. Hinc Iliados 13. Scythæ, quibus olim Germani annumerabãtur, ἄβιοι dicti, quod maximis, ac plurimis ad vitam neceſſariis carerẽt. I. nunc & certiſſimo cognoſce, ex quo Chriſto nomen Germania dedit opera ſacerdotum Chriſti, Nulli in orbe toto nationi

cede-

cedere in quauis bonorum quorumuis abundantia; ſic igitur à ſacerdotio Chriſti prouenere omnia in Germanos, quæ deceant maxime homines animi, corporis, & externa ad fœlicitatem bona. Quocirca Munſterus fatetur omnes vrbes Germaniæ celebriores prope monaſteria conſtructas. Videamus modo, quid contra euenit Ægypto, vti ſupra dicebamus. Herodotus libro ſecundo, Plinius, Mela referunt, Aegypto fuiſſe olim decem & ſeptem, vel octo vrbium millia, in quibus multæ erant celeberrimę; nunc vix ſunt decem & ſeptem, & in his exiguæ quædam; vix vna eſt pro mille, quod è Ioanne Leone conſtat. Prius vt Herodotus narrat, erat illi aer ſalubris; nunc contra, quod idem Leo teſtatur; fœcundiſsima erat illa olim, nunc non ita, ſi cõpares antiqua nouis. Vbi vero ſunt tot Epiſcopi ſanctitate, & doctrina præſtantes? vbi celeberrimi viri in omniũ diſciplinarum genere, qui ex Aegypto prodierunt? vbi tot Sanctorum monaſteria, quorum modo nomina toto orbe Catholico ſacris honoribus coluntur, & quanta dignitate olim foret, Aegyptus, cum Chriſti ſacerdotibus Petri poteſtatem venerantibus obediret, oſtendunt? Quid vero de Græcia, & Aſia tota dicemus?

En igitur, quomodo imprimatur, quantum fieri datur, externis rebus imaguncula quædam, ſuperſcriptioque potentiæ, bonitatiſque diuinæ. En quomodo abradatur? En quomodo hæc ſuperſcriptio deriuetur ob eſſentialem ſubordinationem inferioris ad ſuperiora inter illa quatuor, Deum, animam, corpus, externa, ab imagine, & ſuperſcriptione Dei, & Chriſti inſculpta animæ ſacerdotali, & clericali? En quomodo dici poſsit non modo rebus clericorum Chriſti, ſed omnium laicorum: *Reddite ergò, quæ ſunt Dei Deo.* & nomen Cæſaris itaque, & poteſtatem regiam, nobilitatemque Germania, cum nihil prius tale ab ortu mundi habuiſſet; Deo reddat, ac ſuperſcriptioni ſacerdotali, characterique æterno.

Et quando, neque Hiſpania, Gallia, Anglia, Dania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Suecia tam lõgas potentes, nobileſq; Regum ſucceſsiones, externorumue bonorum poſſeſsiones, ac fructus ab origine mundi habuerunt, deſcendantque hæc ab imagine, & charactere Dei, potentiæ diuinæ, qui clericis ineſt, ac pro ipſis militauit, militatque aduerſus aereos tenebrarum rectores, qui nunc hanc imaginem, ſuperſcriptionemque cum bonis eſſentialiter ſubordinatis obſcurare ad ipſorum ruinam

contendunt, Nunc reddant Deo,reddant characteri,ac poteſtati ſacerdotali , ni velint omnia , ſicuti tertio libro concluſimus,reddant ſaltem,quæcumque bona clericorum ſunt,imaginemque,& ſuperſcriptionē ipſorum habent,ſinantq; eſſe ipſorum.in rebus enim patrimonialibus proprie clerici ſunt Domini, Reges, ac Dei : illorum namque proprietas, dominiumque iure ciuili , ac gentium eſt clericorum,magis adhuc proprie in beneficialibus; maxime vero in ijs, quæ mere ſunt ſpiritualia ; communiter denique in omnibus ſunt Reges , domini, ac dei , vt è diuina ſcriptura vocandos , ait Sanctus Dionyſius cap.12.de diuinis nominibus . Reddant inquam , quæ ſunt Dei Deo,vt dici poſſit : *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, quæ ſunt laicorum laicis,Regibus,magiſtratibus,ac miniſtris.

Argumenta deſumpta ex argumento ab aduerſarijs adducto è capite xiij.epiſtolæ ad Romanos,ex interpretatione SS. Nazianzeni, Bernardi, Primaſij, Auguſtini,Symmachi, Anſelmi,Hormiſdæ, Nicolai Primi,Leonis Primi,Gregorij Septimi,Baſilij,Chryſoſtomi, & Græcorum, Dionyſij Carthuſiani, & aliorum. Cap. X.

CItant opinionis contrariæ defenſores illa Sancti Pauli verba, ad Romanos ſcribentis capite decimo tertio: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt: non eſt enim poteſtas,niſi à Deo. quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis,ſed mali. Vis autem non timere? bonum fac,& habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum; ſi autem malum feceris,time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei qui male agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote ; non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim,& tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo debita; cui tributum,tributū;*

cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Hæc S. Paulus.

Ioannes autem Chryſoſtomus interpretans illa verba. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt*, inquit, *interea vero eas rationes; quas commemoraui non mouet S. Paulus, ſed eas, quæ* (in Græco non eſt poteſtatibus, vt addidit interpres Latinus, licet nil referat) *ex debito obedire iubent, oſtendens, quod iſta imperentur ſacerdotibus, & monachis, non ſolum ſæcularibus. Id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit: omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, etiam ſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiuis tandem fueris; neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio, & non ſimpliciter dicit, obediat, ſed ſubdita ſit.* Hæc Chryſoſtomus. quem ſequuntur Græci omnes in explicatione illorum verborum, è quibus inferunt aliqui, Apoſtolos ipſos debuiſſe de conſcientia tributum Principibus ſæcularibus, obedientiamque, & potuiſſe ipſos eorum gladio puniri. Quin addo ego his, quæ adducunt aduerſarij, cum Sanctus Paulus loquatur neceſſario de gentilibus, & infidelibus, multo magis iſta omnia debentur Principibus Chriſtianis. *Si enim*, inquit ille, *iſta Paulus, tum cum gentiles adhuc eſſent principes, præcepit, multo magis oportet ea fidelibus exhiberi.* Hæc Sanctus. è quibus haberi videtur immunitatem eccleſiaſticã, quoad perſonas, ac res alias non eſſe iuris diuini. Quamuis neque Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, neque vllus interpretum Græcorum hic (quod auſi ſunt falſo in re tanta nonnulli ſcribere) nominatim dicatã clericis tributa pendenda, vel obedientiam præſtandam, ex ipſa iuris obligatione ſæculari poteſtate.

Verum tantum abeſt, vt ex his S. Pauli verbis, quod aduerſarij volunt, comprobetur, vt nihil magis contra illos faciat, atque hoc totum caput: vt multiplici argumentorum genere, ab his verbis deductorum, paulo poſt aperietur. Quod vt clariſsimum fiat, aduertendum nobis eſt primo. Illam vniuerſalem propoſitionem, quam veluti omnium dicendorum fundamentum, principiumque Apoſtolus præmiſit: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſt*, compleƈti ex ordine ſublimiores poteſtates; vſque ad vltima animantia, & vltimas res, ita vt ſublimiori alteri altera ſubdatur. Atque hoc ſibi voluit S. Ioannes Chryſoſtomus, cum verba illa interpretans dixit; ab iſta ſubiectione, neque Apoſtolum, neque Euangeliſtam,

Prophetamve excipit:apoſtoli namq; ſubiecti ſunt Apoſtolorũ principi Petro,ſucceſſores illorum ſucceſſori huius, Prophetæ Apoſtolis, Euangeliſtę Prophetis, vt habemus è *S.* Pauli epiſtola prima ad Corinthios capite duodecimo; & ad Epheſios quarto. Neque enim Ioan. Chryſoſtomus hic iſtas poteſtates enumerans vllam mentionem certam facit laicalis, ſæcularis, regalis, Imperatoriæve poteſtatis, cui dicat eſſe ſubiectã Eccleſiaſticam; conſentitque Chryſoſtomo, ſiue Haymo, ſiue Rhemigius eadem S.Pauli verba exponens, poteſtatumque nomine prælatos etiam contineri, volens, quibus alij ſint ſubditi. Quocirca Theophylactus S.Ioannis Chryſoſtomi breuiſsimus interpres hic inquit, vim propoſitionis illius ab Apoſtolo adiectæ explicans *Poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: cuiuſmodi patris erga filium, & mariti erga coniugem contemplaberis, aliaſque vniuerſas, vt & in animalibus veluti apum, gruum, & piſcium.* Hæc Theophylactus. eadem prorſus Oecumenius, & ipſe in compendium redigens, & explanans S. Ioan. Chryſoſtomi dicta, extendentes ambo vim propoſitionis illius vniuerſaliſsimæ ad piſces, apes, grues. Ac ſicut ridiculus foret, qui ex illa propoſitione vniuerſali deducens eſſe à piſcibus obediendum principi piſcium argumententur, ergo obediendum eſt etiam eidem principi piſcium à gruibus, &, hominibus, qui habent animam, & continentur illa propoſitione vniuerſali, omnis anima ſubdita eſt poteſtatibus ſublimioribus; ſic non eſt audiendus, qui dicit ex illa propoſitione colligi, eſſe à ſæcularibus obediendum ſublimiori ſuo; additque: ergo obediendum eſt etiã eidem ſublimiori ſæculari à Clericis; cũ non ſit ſublimior reſpectu Clericorum. ſicut igitur inter grues, inter apes Regẽ cõſtat eſſe, cui reliquæ præſtant obedientiam; hominemq; iure ſuo dominari cunctis huiuſmodi beſtiis, & quidquid illæ poſſunt, homini recte imperanti exhibere; inter homines autem ſubiici vxorem viro (dixit namque ad illam Deus Geneſeos capite tertio, *Sub viri poteſtate eris)* eodem modo filius poteſtati paternæ eſt ſubiectus, & quidquid acquirit, parenti acquirit: ſic homines cuncti ſubiecti ſunt poteſtatibus ſublimioribus, vel ſæcularibus, vel Eccleſiaſticis; ita vt Eccleſiaſtici Eccleſiaſticis ſublimioribus, ſæculares ſæcularibus item ſublimioribus ſubditi ſint. Conſtat autem natura ſua Eccleſiaſticam eſſe ſublimiorem ſæculari, licet *S.* Paulus, præcipue de ſæcularibus agat in concluſionibus ſequentibus; vniuerſaliſsimam-

mamque propoſitionem præmittat, quod in omni argumento ſit neceſſe alteram è propoſitionibus eſſe vniuerſalem. Ac licet in minori propoſitione, & concluſione ſermonem faciat in primis Apoſtolus de ſæcularibus poteſtatibus, tributoque, & honore ijs reddendo; non tamen ſequitur omnes contentos in illa vniuerſaliſsima, ac prima propoſitione, tributa, honoremque ſæcularibus debere. Hoc namque eſſet argumentari contra omnem Dialecticæ regulam, cum ex vna propoſitione vniuerſali poſſint colligi innumeræ concluſiones minus vniuerſales, quarum altera ab altera non pendeat. alioquin poſſemus ita concludere: omnes poteſtates ſublimiores in Hiſpania poſſunt exigere tributum, debitamque reuerentiam, ab omnibus aliis Hiſpanis: Marchiones, & Comites in Hiſpania ſunt poteſtates ſublimiores: ergo poſſunt exigere tributum, debitamque reuerentiam ab omnibus aliis Hiſpanis. ac proinde à reliquis ducibus, & ipſo Rege; vel, omni poteſtati ſublimiori debetur tributum inter omnes Chriſtianos: Imperator in ſæcularibus eſt ſublimior poteſtas, debetur itaque illi tributum in omnes Chriſtianos, ac proinde à Regibus Hiſpanis. vel etiam ſic argumentari ſecundum iſtos poſſemus. Omne animal eſt ſenſibile: aſinus eſt animal: ergo aſinus eſt ſenſibilis. ecce in prima propoſitione vniuerſali continetur homo, in ſecunda vero, & vltima continetur aſinus. Nunquid vero dicet aliquis, aſinus eſt homo? dicat hoc, quicũque mente aſinus erit: ſic in illa prima S. Pauli propoſitione continetur Eccleſiaſticus, ergo in ſecunda, & tertia? dicat hoc, cui nullus eſt rationis, aut doctrinæ rationalis vſus.

Apparet itaque quę ſit mens, tum ſancti Pauli, tum ſancti Ioannis Chryſoſtomi in illa propoſitione, atque ex vi verborum nullo modo ſubiici Eccleſiaſticam poteſtatem ſęculari; neque id dicere S. Ioannem Chryſoſtomum, quod etiam ſecundo loco conſtat, cum dicit. *Neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* Græce *εὐσέβειαν*, quæ proprie religionem reſpicit, parentes, ac patriam, non ſæcularem poteſtatem, vt S. Thomas docet 2. 2. quæſt. 101. Tertio conſtat ex interpretatione ipſius Sancti Ioannis Chryſoſtomi, & aliorum Sanctorum alibi data, vt oſtendetur: igitur quando dicere poſſet aliquis vniuerſalis illa propoſitio: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt*, complecti aliquas poteſtates æque ſublimiores aliqua in re, ita vt neutra ſit ſublimior, ſed vel ſint ex æquo pares,

vel

vel tamquam excedẽtis,& exceſſæ. Audiamus ſanctos patres, quorum dicta ſuo loco accuratius, ac ſubtilius explicabuntur, ſecundamque afferamus reſponſionem, qua volunt per hæc Sancti Pauli verba eccleſiaſticæ poteſtati ſubijci ſæcularem: atque ita non modo exemptam ſpiritualem, ſed etiam ſuperiorem, vt ſæcularem ſibi ſubijciat in actibus ſæcularibus: omnium vero ſit primus Gregorius Naziãzenus oratione decima octaua ad ciues trepidantes, inter quos; & ipſe Nazianzenus alloquens proceres, principeſque ſæculares, & ciues ſuos. *Et ſerui,*
Eth.6. inquit, *heris ſuis, & vxores viris, & Eccleſia Chriſto, & diſcipuli magiſtris, ac paſtoribus* (ſemetipſum, vt videbimus, ſignat) *di-*
Col.3. *cto audientes eſſe, atque obtemperare iubentur, ita nobis* (ciuibus Nazianzi) *etiam præſcribitur, vt præexcellentibus poteſtatibus pareamus, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcien-*
Rom.13 *tiam, vt qui pendendo tributo ſimus obnoxij: nec committamus, vt ob ſcelera, & flagitia noſtra legem odio inſectemur, ac vindicem gladium expectemus. quin potius id agamus, vt per timorem purgati laudem à poteſtate, & magiſtratu conſequamur:* Hæc Sanctus, ſemetipſum ciuibus annumerans; & cum nihil deliquiſſet delinquentibus aſſocians, vt humilitatem inſinuet, interpretans, vt apparet, Apoſtoli verba ad Romanos ſcribentis. mox vt Epiſcopus, neque amplius ciuis Nazianzi, neque inſinuans amplius humilitatem, ſed in throno ſuo conſiſtens ad Principes, Imperatoremque ipſum: *Quid vero vos Principes, & Præfecti? ad vos enim iam noſtra ſe conuertit oratio.* Et mox. *Nam vos quoque meæ poteſtati, meoque tribunali lex Chriſti ſubijcit; imperium enim ipſi quoque gerimus. Addo etiam præſtantius, ac perfectius, niſi oportet ſpiritum carni cedere, & terrenis cæleſtia.* Hæc Sanctus apertiſsime docens è S. Pauli verbis Imperatores, ac Principes ſæculares eſſe ſubiectos ipſius poteſtati, ac tribunali, verba faciens in cauſa ſæculari, & in faſcibus ipſis ſæcularibus, quos vti terram cælo, carnem ſpiritui ſubiectos ſibi eſſe palam dicit, ipſum Imperatorem alloquens.

Audiuimus Gregorium Sanctum, doctumque, ſi quis alius, Theologum verba Apoſtoli ſuperiora explicantem, dum alloquitur Imperatorem; audiamus Latinorum doctum, ſanctumque Theologum eadem verba exponentem, dum ſcribit ad Romanorum Regem Imperatorem electum Conradum. Sic itaque Sanctus Bernardus ad eum centeſima octuageſima tertia

tia

tia epiſtola. *Regis Conradi, Imperatoris electi dedecus, regni diminutionem numquam volui, volentes odit anima mea: legi quippe: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis* (nota hæc verba) *modis cuſtodire in exhibenda reuerentia ſumma, & Apoſtolicæ ſedi, & Beati Petri Vicario, ſicut ipſum vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio.* Et rurſus ad eundem epiſtola ducenteſima quadrageſima tertia. *Nonne vt Apoſtolica ſedes, ita & Roma caput imperij eſt?*

Ac ne quis contra obijciens dicat, non eſſe interpretem, qui dicat ſacerdotibus deberi tributa, vel non eſſe gladium ſuum per hæc Apoſtoli verba, atque ideo non conuenire verba Apoſtoli eccleſiaſticis poteſtatibus (quamuis pars eorũ conuenire poſſit, ac pars nequaquam) audiamus Primaſium, quẽ multi Latinorum ſequuntur in hac expoſitione, Sancti Auguſtini auditorem. Sic igitur ille explicans illud verbum, poteſtatibus. *Sed & de eccleſiaſticis poteſtatibus poteſt intelligi, vt ſacerdotibus humiles ſæculares (exiſtant ſublimioribus) eccleſiaſticis, vel ſæculi (gladiũ ſpiritus) quem portabat Petrus, & ipſe Paulus, & in ſe habet officium, ſi peccaueris (ei qui peccauerit) ſicut Ananiæ, Saphiræ, & Mago (ideo & tributa poteſtatis) reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Quicumque enim habet vnde tributum præſtet, quomodo poteſt non eſſe ſubiectus in ijs, quæ illi à Deo ſunt conſtituta? Hoc & de ſacerdotibus (miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes) dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Hæc Primaſius aperte interpretans verba Pauli, atque ex ijs volens poteſtates ſæculares eſſe tamquam ſublimioribus ſubiectas ſpiritualibus; his eſſe gladium ſuum, quo mors eſt illata Ananiæ, & Saphiræ diminuentibus eccleſiaſticum patrimonium, ablatus Elymæ Mago viſus, vt habetur in actis Apoſtolicis, vita erepta Simoni Mago. Similiter deberi tributa ſacerdotibus, quod miniſtri ſint Dei, atque (vt de ſacerdotibus verba faciens Paulus, tributoque ijs debito, ait.) *Digni ſint operarij mercede ſua.* Porro eadem cum Primaſio de ſacerdotibus, gladiis, tributiſque tradunt auctor Commentariorum in epiſtolas Pauli, qui Sancto Hieronymo attribuuntur, & alij mox adducendi.

Vidimus, qui ſit ſenſus verborum Pauli de ſententia Sancti Gregorij Græci, Sancti Bernardi Galli Imperatores ipſos alloquentium, Primaſij Afri, quem Latini multi ſequuntur. Au-

diamus Pontifices Latinos Imperatoribus ſcribentes. Sic itaque Sanctus Symmachus Anaſtaſio Imperatori. *Fortaſſis dicturus es, ſcriptum eſſe, omni poteſtati nos ſubditos eſſe debere; nos quidem poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deũ ſuas non erigant voluntates. Ceterum ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta diuinis: defer Deo in nobis.* Eadem Sanctus Hormiſda ad eundem, Nicolaus Magnus ad Michaelem Imperatorem, & S. Leo Nonus ad Michaelem Patriarcham, verba eadem Pauli interpretantes, Gregorius Septimus epiſtola quadrageſima ſecunda.

Eodem modo Sanctus Auguſtinus Primaſij magiſter libro primo aduerſus Parmenianum capite octauo, decernit Donatiſtas recte condemnatos eccleſiaſticorum Præſulum poteſtate. Dein vero punitos gladio Imperatoriæ ſimiliter poteſtatis, adducens ſuperiora Sancti Pauli verba. *Quid enim*, inquit, *non iſti iuſte patiuntur, cum ex altiſſimo Dei præſidentis, & cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis, iudicio patiuntur, & merito criminum? & ordine poteſtatum?* Et mox. *Si quid temporalis moleſtiæ paſſi fuerint per certiſſimum, atque rectiſſimum ordinem poteſtatum, ita vt ſæcularis eccleſiaſticæ ſeruiat in ſuo temporali gladio.* Sic etiam Sanctus Anſelmus Epiſcopus Anglorum Cantaurienſium verba illa Apoſtoli de poteſtatibus, refert tam ad ſæculares, quàm ad eccleſiaſticas, adiungens, diuinæ primum, deinde humanæ obediendum. Idem vult Dionyſius Carthuſianus Germanicæ nationis, ambo in commentarijs eius loci.

Quod ſi quis velit Sanctum Paulum ſpeciatim reſpexiſſe in concluſione aliqua ijs verbis principes ſęculares, non ſpirituales, quamuis prima illa propoſitio, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt, ſit vniuerſalis; non tamen efficitur, quin Sanctus Paulus maxime reſpexerit, quantum ad vim verborum, rationesque ab ipſo allatas (vt illuſtriſsimum poſtea fiet) poteſtates eccleſiaſticas. Hæc enim ſimul eſſe poſſunt; mea verba, vimque ſententiarum maxime omnium pertinere ex ipſo ſuo ſenſu ad quædam, & tamen me non illa ſpeciatim tum reſpicere, ſed aliquid aliud. exempli gratia laudo ego Sanctum aliquem virum ſpeciatim, neque meæ voluntatis eſt, tum ſpeciatim Deum laudare; & tamen, quam maxime volo Deũ verbis habitæ tunc orationis laudari. Sic Sanctus Paulus nolebat tunc ſpeciatim de eccleſiaſtica poteſtate loqui, verum de

ſæcu-

ſæculari; & tamen quam maxime volebat ijs ipſis verbis eccleſiaſticam poteſtatem corroborare; ac licet ea ſcripſerit ad Romanos, ne quis crederet ab eo, vel Apoſtolis, Chriſtique lege ſubuerti ciuilem gubernationem, quam maxime tamen voluit eodem tempore ijſdem ſtabilire eccleſiaſticam poteſtatem. Propterea Sanctus Baſilius applicat illa Sancti Pauli verba ad gentilium poteſtatem, neque vult ſpeciatim pertinere ad eccleſiaſticam; & tamen ex ijſdem maxime firmat eccleſiaſticam poteſtatem. Sic enim Monaſticarum conſtitutionũ vigeſima tertia. *Doceamus*, inquit ille, *quam magna ea obedientia ſit, quam erga antiſtites ſuos religionis veræ præſtare cultores debent, eiuſque magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quam ex ſancta Scriptura auctoritate. Paulus Apoſtolus in ea epiſtola quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit, vt excellentioribus illi poteſtatibus omnibus ſubiecti ſint. poteſtatibus inquam* (cum dicit inquam de ſuo ſenſu, ac ſuo ſermone loquitur) *mundi, non ſpiritualibus* (neque tamen dicit Sanctus Baſilius S. Paulum verba facere de ſolis mundi poteſtatibus, ſed S. Paulũ ſcribere de vtriſque; ſe autem de ſæcularibus tantum: atque hoc ex his, quæ deinceps adiecit, declarauit, cum de tributis, & vectigali locutus ſit. Nam cum in omni argumento neceſſe ſit aliquam propoſitionem eſſe vniuerſalem; Sanctus Paulus optime argumentaturus pręmiſſa vniuerſali propoſitione: omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſt, deuenit ad ſpecialem concluſionem, quam ſpeciatim colligere volebat) *quo in loco, qui vel minimum poteſtati reſiſtit, eum ait, Deo ipſi reſiſtere* (videñ. vt S. Baſilius argumentatur ex illis S. Pauli verbis.) *Si igitur, qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illam imperandi facultatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantopere voluit eſſe ſubiectos, & quod maius eſt, quorum vita tota tunc erat impietas; quam magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus Præſes ſit, & imperandi poteſtatem à legibus illius acceperit? & qui defendi poteſt, eum non Dei ordinationi reſiſtere* (en vt iterum S. Baſilius illa S. Pauli verba velit ſpectare ad eccleſiaſticam poteſtatem) *qui Antiſtiti reſiſtat ſuo? Præſertim cum apertiſſime Apoſtolus iubeat omni in re parendum eſſe ſpiritualibus præpoſitis.* Hæc Sanctus Baſilius. Atque hæc quantum ad ſecundam reſponſionem, qua aperuimus ex ipſis Sanctis Patribus eccleſiaſticam poteſtatem non modo exemptam eſſe à ſæculari ex hoc ipſo S. Pauli loco, ſed

etiam ſuperiorem iſta, ita vt ſpiritualis imperet ſæculari tanquam caput membris, cælum terræ, ſpiritus carni.

Adducamus modo ex iiſdem Sanctis Patribus, quomodo hic S. Paulus velit fideles eſſe ſubiectos poteſtatibus ſæcularibus infidelium, de quibus ipſe loquitur; alibi namque Apoſtolus idem vehementer exclamat, obiurgans Corinthios Chriſtianos, quod in ſuis cauſis adirent gentilium tribunalia, & vocat gentiles iniquos, cauſarumque ſæcularium inter Chriſtianos verſantium dicit eſſe iudices Apoſtolos, quibus Epiſcopi ſuccedunt. Afferamus Apoſtoli verba 1.Cor.6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos? & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mūdus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſæcularia?* Hæc Apoſtolus. Atqui idem ſcribēs ad Romanos ait, Iudices gentiles, qui gladium portabant, & quibus tributa præſtabantur, eſſe miniſtros Dei in bonum: ſcimus autem, tum nullos in orbe Romano, aut Romæ fuiſſe, quibus tributa præſtarentur, & vectigalia; quique gladium portarent, niſi Imperatores, Imperatoriamque poteſtatem gentilium agnoſcentes.

Quod ſi Apoſtolus non vult Chriſtianorum cauſas minimas iudicari à gentilibus, quomodo volet inquiri in vitam ipſorū? quomodo volet iudicari ab ipſis factum necne fuerit aliquod crimen? Amplius cum nolit eis dari cauſæ definitionem, per quam Chriſtiano res adiudicatur, quamuis ab alio abiudicetur, quomodo volet gentilibus dari nomine tributorum, quæ Chriſtianorum ſunt, & à Chriſtianis auferre?

Neque vero mihi dicat aliquis hic, nolle Apoſtolum cognoſci cauſas Chriſtianorum à gentilibus, ne ſcilicet hi ſcandalizarentur diſcordijs Chriſtianorum. Nam licet hæc inter alias non ſit exigua cauſa, propter quam ſit ita dicendum; tamen Apoſtolus non hanc affert; ſed ex parte gentilium iudicantium, quod digni non ſint iudicare noſtra, atque ex parte Chriſtianorum litigantium, quod indigni ſint, qui vel de minimis iudicentur à gentilibus; ex parte Apoſtolorum, quod cum iudicaturi ſint ipſi Angelos, & mundum, digniſſimi ſunt, qui de ſæcularibus etiam iudicent.

Neque dicatur agi hic, vt Epiſcopi amicè, non etiam ſententia lata concilient litigantes. Nam Sanctus Paulus aperte loqui-

quitur de iudicijs litium, tribunaliumque: idcirco affert exemplum ſupremi iudicij, quod non fiet vlla conciliatione, neq; eſt vllus interpres, qui non dicat hic agi de iudicio legali. Illud tamen eſt verum non fuiſſe eccleſiaſticis Præſulibus in orbe Romano olim poteſtatem externam, qua valerent in carceres trudere, aut corporali pœna punire delinquentes. Ius tamen aderat, quo liceba id agere, ſed non expediebat. Quocirca excommunicatione ſola Antiſtitis erga contumaces vtebantur.

Hæc igitur obiecta ſentiens ibi Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, ita ſcriptum reliquit. *Si pro priuatis non oportet apud gentiles iudicari, quomodo iis iudicia pro alijs maioribus permittemus?* Hæc ille, aſſerens non permittendum, vt infideles iudicent de noſtris, vel maioribus, vel minoribus cauſis. Et rurſus: *Non opus eſt omnia infidelibus exhibere.* deinde oſtendens hæc iudicia pertinere ad ſacerdotes, inquit. *Turpiſſimum eſt, ſi ſacerdotes nequeat fratres reconciliare.* Hæc ille, oſtendens infidelibus recta imperantibus haud reſiſtendum; noſtra tamen non eſſe iis, quantum poſſumus, exhibenda. Chryſoſtomum Græci ſequuntur, & in his Theodoretus, inquiens, Apoſtolum in epiſtola ad Romanos loqui: *ne reſiſtamus*, in epiſtola vero ad Corinthios, *ne noſtra illis ſubijciamus*. ſiquidem ſit hoc in poteſtate noſtra. Quocirca Sanctus Thomas inquirens ſecunda ſecundæ quæſtione decima, articulo decimo; an Eccleſia poſſit priuare, & habeat ius priuandi infideles dominio iuriſdictionis, & imperio antiquo, quod habuerunt, atque habent in ſubiectos ſibi fideles, ita ſcriptum reliquit. *In illis vero infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ, vel eius membris non ſubiacent, predictum ius* (ne ſubiecti illis fideles obediant) *Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet inſtituere de iure, & hoc facit ad ſcandalum vitandum; ſicut etiam Dominus Matthæi ſeptimo oſtendit, quod poterat ſe à tributo excuſare, quia liberi ſunt filij, tamen mandauit tributum ſolui ad ſcandalum vitandum. Ita etiam & Paulus cum dixiſſet quod ſerui dominos ſuos honorarent, ſubiungit, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.* Hæc Sanctus, è quibus apparet iis verbis Sancti Pauli ſcribentis ad Romanos, & illud aſſerentis. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſt:* adeo ſacerdotes non contineri tamquam ſubiectos, vt ipſis, cũ per Epiſcopos eccleſiaſticã repræſentent, ſit ius eximendi fideles à ſubiectione infideliũ: Quin fideles cunctos tantum ſubijci

infi-

infidelibus, quoad obedientiam, tributa, & honorē quantū neceſsitate, aut ſcandali vitandi, aut boni publici iudicatur expedire, atq; hoc eſt, quod ait S. Paulus, neceſsitati ſubditi eſtote ſiue ob neceſsitatem διὰ τὴν ἀνάγκην neceſsitatem ſcilicet boni publici, quæ in conſcientia obligat. Hoc autem iudicium quatenus aliquid obliget in conſcientia, quatenus extenditur bonum publicum, pertinet ad Sacerdotes. Sed audiamus Auguſtinum ſuperiora argumenta diluentem, ſimulque teſtificantem ex adducto S. Pauli loco, pertinere ad Epiſcopos iure diuino omnium rerum ſæcularium iudicia, non quaſi arbitros, ſed veluti legitimos iudices, idque vſitatum ex Apoſtolicis temporibus. Sic igitur ille libro de opere Monachorum, capite vigeſimo nono. *Quærite,* (inquit Monachis) *& agnoſcite labores occupationum noſtrarum, & in aliquibus noſtrorum etiam corporum infirmitates, & Eccleſiaſticarum, quibus ſeruimus, talem iam conſuetudinem* (nota hoc) *vt nos ad illa opera ad quæ vos hortamur, vocare non ſinat. Quanquam enim dicere poſſemus, quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit? tamen Dominum Ieſum, in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monaſterys conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotÿs ſæcularibus, vel iudicando dirimendis* (nota & hoc) *vel interueniendo præcidendis, quibus nos moleſtiis affixit Apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur* (Chriſti Dei, vt ſciamus hoc eſſe iuris diuini) *arbitrio, quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus; aliter enim ſe habebat Apoſtolatus eius diſcurſus, nec dixit ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis, ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum, ſed eos, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos inquit collocate, ſapientes, qui in locis conſiſtebant fideles, & ſanctos, non qui hac, atque illac propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit. Vnde nunquam de illo ſcriptum eſt, quod aliquando talibus vacauerit: à quibus nos excuſare non poſſumus, etiamſi contemptibiles ſimus; quia & hos collocare voluit potius, quam vt negotia Chriſtianorum defferrentur in forum.* Hæc ille. ſed &

S. Ioan-

S. Ioan. Chryſoſtomus adducto loco Epiſtolæ ad Corinthios ſcriptæ, ait *S*acerdotes in controuerſijs rerum ſæcularium diiudicandis, inter fideles adhiberi, & *S*. Ambroſius ibidem tradit, ideo mandat Corinthiis, vt eligant, qui lites ipſorum definiat, *quia rectorem*, ſiue Epiſcopum *non habebant*. Ad hos enim iure ſuo pertinebant omnium rerum, ſiue ſæcularium, ſiue ſpiritualium iudicia. quod apparet etiam è ſancti Auguſtini epiſtola centeſima quadrageſima ſeptima ad Proculeianum, & ſermone vigeſimo quarto de verbis Apoſtoli. idem conſtat è Concilio Carthaginenſi 3. cap. 9. quod refertur 11. q. cap. 1. placuitque, & colligimus ex epiſtola S. Cypriani ſexageſima quinta ad Rogationum, & ſexageſima nona ad Pupianum. His igitur è Sanctorum mente, diuinoque ipſorum ſpiritu explicatis, ita argumentamur.

Argumenta deducta ab Eccleſiaſticæ poteſtatis natura ortu atque ipſa ordinatione ex adducto capite. Cap. XI.

PRimo loco, illi poteſtati, quæ iure diuino ſublimior eſt omnibus, aliæ iure diuino ſubditæ ſunt, debent ſubiectionem, timorem, tributum: at Eccleſiaſtica eſt huiuſmodi, conſtatque ex ijs, quæ ſupra attulimus: ſic itaque Eccleſiaſticæ ſunt aliæ ſubiectæ, debent tributa, timorem, ſubiectionem. quod ſi quis dicat ſæcularem ſublimiorem eſſe in ſæcularibus; reſpondebit ſanctus Paulus hic accipi ſublimitatem è miniſterio, quod præbetur Deo; inquit enim, cum de timore exhibendo agit: *Dei enim miniſter eſt in bonum*, & cum de tributis: *Ideo enim & tributa praſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.*

Secundo, illi poteſtati, quæ magis iure diuino eſt à Deo, debent cæteræ iure diuino ſubiectionem, timorem, tributum, id enim S. Paulus aſſeuerat: *Omnis*, inquit, *anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſt*, adiicit rationem, *non eſt enim poteſtas niſi à Deo*: at Eccleſiaſtica poteſtas eſt magis à Deo, vt aperuimus ſupra late ſecundo, ac tertio huius operis libro:

Huic igitur ab omni anima, & poteſtate cuiuſuis hominis debetur obedientia tributumque & honor.

Tertio, Omni poteſtati, quæ magis ordinata eſt iure diuino, inter homines, ſubditæ ſunt aliæ, vt obedientiam tributumque ei pendant: idcirco enim vult Apoſtolus homines eſſe poteſtati ſubiectos, ac debitores, quod ordinata ſit illa à Deo: & Philoſophus Metaphy: 12. cap. etiam vult cæleſtia, quibus hæc ſubduntur, eſſe ordinatiſsima; motusque primi mobilis omniũ maxime eſt ordinatus, eique ſunt alij ſubiecti: Lunæ autem, cuius eſt infima ſphæra, eſt magis inordinatus reliquisque ſubiectus: at Eccleſiaſtica poteſtas iure diuino magis eſt ordinata à Deo inter mortales; ideo reliquæ obedientiam tributumque illi merito ex ſoluent. Eſt autem magis ordinata, quia partes intimas animi, per quem ſumus homines, ordinat, neque ad bonum naturale tantum, ſed etiam ſupernaturale, vt habetur Canticorum primo, & infundit per Sacramenta cordibus noſtris charitatem, ſine qua ſtare haud poteſt humanum genus: eſt ſimiliter ordinata, per tot epiſcopos, Parochos, Sacerdotum, Religioſorumque multiplices cœtus, ita vt referat ipſum cælum conſeſſumque ipſorum cælitum, vt diximus late ſuperioribus libris.

Argumenta deſumpta à miniſterio, & fine ex ipſis Apoſtoli verbis.

Quarto omni poteſtati, quæ magis miniſterio diuino in bonum, ad quod homines adducit, iure diuino ſeruit, tributa debentur ab omnibus ijs hominibus, ac poteſtatibus, quæ minus ſeruiunt. Nam dicit S. Paulus: *Dei enim miniſter eſt tibi in bonũ, &c. Ideo enim, et tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.* Ac Eccleſiaſtica magis diuino miniſterio ex ipſa ſua natura iure diuino ſeruit. Hinc videmus tot nationes per Religioſos ab efferatiſsimis moribus ſummaque diuinorum ignorantia traductas ad humanitatem, cæleſtiumque peritiam, quod conſtat ex ijs, quæ diximus ſigno de Religione & humanitate efferatarum gentium, Signis etiam de propagatione fidei; Ergo Eccleſiaſticæ poteſtati magis illa debentur à laicis, & ipſa laicali poteſtate, ſiue à ſæcularibus, & ſæculari poteſtate, quam

vel iſti, vel aliis.

Quinto, cum miniſterium hoc diuinum ſeruire debeat in bonum, bonum vero ſit multiplex, vel naturale, quod naturali lumine, ac vi cognoſci, & acquiri poteſt, vel ſupernaturale, ſic argumentamur: Omni poteſtati, quę in maximum bonum Deo ſupra creata omnia ſeruit ad illud inducens iure diuino, maximi honores, ac tributa ſupra creata omnia ab aliis poteſtatibus debentur: eccleſiaſtica eſt huiuſmodi: debentur itaque tantæ poteſtati perexcellentiſsimi honores, ac tributa, quibus omnia contineantur, ſicut illa miniſterio continentur, eique ſubiiciuntur humana, & creata omnia.

Sexto, omni poteſtati, cuius finis eſt ſublimiſsimus, reddendi iure diuino ſunt omnes honores, ac tributa ab omnibus aliis hominibus, ac poteſtatibus, Apoſtolus enim ſcribit ideo præſtari tributa, *quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes*, non quia profanis præſunt, & ſæcularibus, & in ijs plurimum valent; ſed quia dirigunt miniſterium ſuum in Deum; in hunc finem ſeruiunt. Ex fine igitur concludit Apoſtolus deberi, ac præſtari honores, ac tributa.

Argumenta deſumpta ab effectibus ex Apoſtoli verbis.

SEptimo, cum ſeruire Deo contingat aliquam poteſtatem multipliciter inter mortales, aut diuina docendo, aut ſacra faciendo, aut impellendo ad cultum diuinum, non modo monitis, & operibus, ſed etiam præmio, pœnaque propoſitis, vel aliis efficacioribus modis; ac certum ſit, doctrinam diuinorum, ſacrorumque adminiſtrationem pertinere ad eccleſiaſticam poteſtatem, Sanctus Paulus argumētatur; obedientiam deberi ſæcularibus poteſtatibus, ſubiectionemque, è qua poſſunt imperari, & exigi tributa, quia propoſitis pœnis incutiunt timorē, mortaleſque abſterrēt à ſceleribus perpetrādis, & inquit. *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.* Et mox. *Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit.* Et poſt. *Ideo enim & tributa præſtatis*. Quocirca ſic argumentamur: Omni poteſtati, quæ timore maiori impellit ad exhibendum ex animo debitum Deo cultum, debentur iure di-

uino ab aliis hominibus, ac poteſtatibus tributa, & obedientia; ſed eccleſiaſtica poteſtas acrioribus pœnarum, timoriſque immiſsi ſtimulis intime homines arcet à flagitio, quam ſęcularis; ergo poteſt illa ſæculari poteſtati imperare iure diuino tributa, & exigere ab illa debitos honores. Minor propoſitio multis modis probatur. Nam primo cruciatus æternos proponit, exempla eorum, quos apparuit ob ſcelera poſt obitum torqueri apud inferos ſupplicijs æternis, adducit; illorum quoque, quos viuẽtes apertiſsime Deus puniuit, ita vt profani decantarint illud.

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Ac non male rex ille quamquam de leui re, ſi cætera perpendantur, inquit.

An te genitor cum fulmina torques,
Ne quidquam horremus, cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Verum præterea ſolet excommunicare, atque ab hominum ſocietate arcere. horum nihil pertinet ad ſæcularem poteſtatem, niſi ab eccleſiaſtica hæc metuetur. Deinde pœnis corporalibus delinquentes punit; Nam fas illi eſt hoc agere, vt ſupra eſt explicatum, iuris eſſe diuini, ac naturalis. Quod ſi eccleſiaſticæ poteſtati vires externæ denegantur impijs ad ſe omnia transferentibus, & in anguſtum redigentibus eccleſiaſticam poteſtatem, fit contra ordinem naturæ. Quocirca ſi ordinem naturæ ſequi velimus, eccleſiaſticæ poteſtati iure ſuo adſunt, quæ ſæculari quoque, ac propterea maiores illa incutit timores; habet enim coercitiones ſpirituales ſuas, & corporales item ſuas, ſicuti eccleſiaſtici conſtant ex anima, & corpore, ac vires tum ſpirituales, tum corporales habent, illiſque ſæcularis tributa, omnemque obedientiam merito debet, vt S. Paulus argumentatur.

Secundo, fac tamen per impios euenire, ne corporalibus pœnis reos afficere eccleſiaſtica poteſtas valeat. Adhuc tamen hæc magis Deo ſeruit intimi timoris immiſsione: idcirco enim debetur obedientia, tributumque ſæculari ob timorem, quod illo compellat homines ad Deum, vel efficiat, ne magis recedant, vt apparet ex Apoſtoli verbis. At niſi metus pœnæ externæ concutiat intime animam, mentemque homini reuocet in Deum, quem contempſit, nihil Deo ſeruit, vt autem reducat animum pænitentis ad Deum, fit per doctrinam, quam

tra-

tradit eccleſiaſtica poteſtas, cuius eſt munus hæc tractare, & cui tractanti eſt credendum in omnibus, quæ pertinẽt ad Deũ. Quocirca ſi poteſtas ſæcularis adduceret homines à ſceleribus nulla diuinæ offenſionis habita ratione, S. Paulus haud dicit illi deberi tributa. Vt vero adducat ob hanc rationem, id habet ab eccleſiaſtica poteſtate.

Tertio patet idem. Nam ſæcularis poteſtas auocatur à flagitiis admittendis Dei cogniti timore, atque amore, propter quem poſſunt exigi tributa. Hanc autem cognitionem, quæ timorem pariter, atque amorem parit, diſcit ab ijs, qui præcipuam, propriamque operam dant diuinorum cognitioni, quales ſunt eccleſiaſtici, ac religioſi viri. Quocirca ſæcularis poſtas maxime debet tributa, & obedientiam poteſtati eccleſiaſticæ à qua habet id, per quod ipſi debentur hæc ab aliis.

Quarto adhuc patet. Nam poteſtati, quæ pœnis obiectis magis exterret à criminibus, & timore adducit ad amorem Dei; illi ſoluenda ſunt tributa, atque obedientia, ſed pœna, vt pœna eſt, odium parit, non amorem. Quamobrem ſæculari poteſtati tributa, & obedientia debentur, quatenus caſtigatio perducit ad amandum Deum, quod fit per ſolam eccleſiaſticam doctrinam, proponentem rationes, quibus animi humani accendantur ad amorem Dei. Huic igitur maxime, obedientia, tributaque deferenda. Quod ſi dicas à ſæcularibus proponi etiam præmia, quibus impellantur homines ad dilectionem Dei. Reſpondemus eſſe illa præmia temporalia, neque efficere, niſi amorem temporalem non æternum; quod ſi aſſeras, vt confutes tria proxima argumenta, à ſæcularibus Deum diuina, præmiaque æterna cognoſci lumine naturali; refellitur id multis modis. Impartitio namque primo iſtius cognitionis eſt attributa ſacerdotibus; deinde per hos magis in homines diffunditur: poſtremo magis debetur ob continuas, propriaſque mentis exercitationes, & ſtudia, quibus ipſi ſeſe addixerunt. Verum nihili inter Chriſtianos habetur huiuſmodi reſponſio, qui certo credunt lumen naturale, non pertingere ad aſſequendã rerum diuinarũ veritatem, vel Deũ rite colendũ, quod S. Paulus initio epiſtolę ad Romanos tradit.

Quinto hæc confirmantur. Nam ſi ex vna parte lumine naturali initens poteſtas ſæcularis, & homines à malo auertens, ſpe pręmiorum cæleſtium, terrenorumque inuitet ad Deum ſequendum. Ex altera vero parte ſpiritualis poteſtas lumine,

tum naturali, tum diuinitus infuſo, idem contendat à ſemetipſa nihil omnino habens poteſtatis temporalis, quo peruenient ambæ? Numquid ſæcularis ad Deum rite amandum, & colendum? Nihil minus? Nam quo gentes peruenerunt? contra quo Chriſtiani, & Chriſtianorum ſacerdotes; antequam ſeſe illis imperium Romanum ſubijceret? numquid alieni à nobis bene ſentiunt de Deo, vel illum vere amant? Et tamen ſæcularis poteſtas gẽtium primis temporibus plurimum temporalibus viribus poterat. Chriſtiana vero, & eccleſiaſtica nihil. Atq; hæc plurimum promouit homines ad amorem Dei, illa nihil. quin contra nitebatur illa ſęcularis poteſtas occidens Chriſtianos, ipſorum templa euertens, monumenta ſubruens. Conſtat itaq; propoſitum, magis conferre ad cultũ Dei eccleſiaſticam poteſtatem, vel nudam, & deſtitutam, quam ſæcularem; ac propterea debere hanc illi tributa, & obedientiã.

Ad ſummam cum velit Apoſtolus obedientiam, tributaque deberi ſublimiori poteſtati à reliquis ob timorem, quo peruenitur aliquo modo ad colendum Deum, atque amandum. Poteſtas vero eccleſiaſtica hoc maxime efficiat inter mortales, ac reliquas poteſtates. Hinc fiet, vt eccleſiaſticæ poteſtati à reliquis omnibus poteſtatibus parentum, maritorum, dominorũ, Principum, Regum, Imperatorum, & quorumlibet obedientia, tributumque merito ſit exhibendum.

Argumenta è teſtimonio SS. Pauli, Ambroſij, Dionyſij Areopagitæ, Conſtantini Magni, Nazianzeni, Gregorij Magni, & arca dignitate, & exẽplo Noe, è quibus concluditur non licere ſæcularibus vlla de re, & actione eccleſiaſticorum cognoſcere. Cap. XI.

SAncti omnes clamant, clericos, & ſacerdotes à nullo puniri, iudicari, aut reprehendi debere, vel eorum vitia cognoſci, & inſpici, niſi à ſuperioribus ordinis eccleſiaſtici, alioquin fit contra ipſum ius diuinum. Sic enim S. Paulus 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur,*

tur: mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. ſed neque me ipſum iudico. nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat, me dominus eſt; itaque nolite ante tempus iudicare. Hæc Apoſtolus, aſſerens ſe à nomine iudicandum, quamuis iudicaretur iudicio ſolius exiſtimationis, & cognitionis, niſi à Deo, vel eo ſcilicet, qui locum Dei proxime tenet, qualis erat Petrus.

Secundo loco comprobatur, quod ait S. Paulus, ex eo, quod interpretans S. Ambroſius illa verba ab humano die. *hoc eſt,* ait, *quia nec à legibus mundo creditis iudicandus erat.* Et mox interpretans illa. *Nolite ante tempus iudicare, monet,* inquit, *illos, ne iudicent, cum iudicandi ſunt, & habeant duplex peccatum, ſicut ait Dominus, nolite iudicare, vt non iudicemini, ſed expectate diem iudicij Dei, ac ſic fideles, & boni ſint. Iniuria enim iudicis eſt, ſi ante cognitionem eius à ſeruo procedat iudicium.* Hæc Sanctus Ambroſius.

Tertio confirmatur idem ex ijs, quæ ſcribit S. Pauli diſcipulus Dionyſius epiſtola ad Demophilum. *Nefas eſt,* inquit, *ſacerdotem à miniſtris, qui te ſuperiores ſunt, aut à ſui ordinis monachis corrigi, & reprehendi, ſiue aliquid impie in diuinis facere videatur, ſiue aliquid aliud eorum, quæ vetant leges,* (nota hæc) *facere arguatur. Si enim inſtitutorum, legumque violatio, quædam diſtinctionis, ordiniſque eſt confuſio, nullam habet rationem Dei cauſa, & nomine traditum diuinitus ordinem peruertere.* Et mox. *Si Dei eſt, vt ſcriptura diuina loquitur, iudicium, ſacerdotes autem nuncij, atque interpretes poſt Pontifices ſunt diuinorum iudiciorum, ab eis rite, & ordine tu per medios interiectoſque miniſtros cum tempus poſtulabit diuina diſce.*

Quarto corroboratur ex eo, quod infra ſequenti libro referemus ab Imperatore Conſtantino in Concilio Nicæno dictum.

Quinto ſtabilitur ex ijs, quæ dicit S. Gregorius Nazianzenus, oratione ad Iulianum; qui ab Imperatore exæquandis tributis præpoſitus fuerat: *Oues,* inquit, *ne paſtores ipſos paſcatis, neque vltra fines veſtros efferamini; ſatis enim ſuperque vobis eſt, ſi recte paſcamini, ne iudices ipſos iudicetis, nec legiſlatoribus leges præſcribatis. Deus enim confuſionis, & diſſenſionis non eſt Deus, ſed pacis, & ordinis: ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pedis, aut cuiuſpiam alius vilioris membri nomen ſuſtinet. Verum quo quiſque ordine vocatus eſt, in ipſo maneat*

etiam-

etiamſi alioquin præſtantiori dignus ſit. Rurſus idem oratione, in funere ad Præfectum, qui nomine Imperatoris allocutus ipſum fuerat, non rite factam electionem ipſius contendens. *Nos*,ait, *optime præfecte, rerum omnium, quæ geruntur* (audi, non dicit vnius rei) *cenſorem vnum, ac Regem habemus, qui nunc armis oppugnatur. Is & præſentem electionem expendet, quam nos rite, ac legitime, atque ex ipſius voluntate fecimus. Vobis autem, tametſi vim afferre, ſi ita tulerit animus, in procliui ſit; id tamen nunquàm extorquebitis, quin ea, quæ facta ſunt, vt rectè, iuſtèque facta patrocinio noſtro defendamus, niſi hanc vobis legem promulgare libeat, quibus ne limis quidem oculis res noſtras aſpicere fas eſt.* Hæc Sanctus, clariſsime decernens Imperatoribus haud licere actiones Sacerdotum dijudicare; aut vllo modo cognoſcere. At Ambroſius, quem ſupra oſtendimus velle nullo humano iure obligari Sacerdotes, oſtendit alibi, neque humano teneri. nam ſic Epiſtola 32. lib. 5. tomo 5. alloquens Valentinianum Imperatorem. *Auguſtæ*, inquit, *memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius* (nota hæc verba) *eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſsimilis.*

Hæc enim verba reſcripti ſunt, hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus, voluit iudicare: quin etiam ſi alias quoque argueretur Epiſcopus & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hunc voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere.

Sexto. Sequitur hos S. Gregorius, qui ſic Epiſtola 75. libri quarti ad Imperatorem Mauritium: *Sacerdotibus autem*, inquit, *non ex terrena poteſtate Dominus noſter citius indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs aliquando ſacerdotes dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moyſem de eo, qui ad iuramentum deducendus eſt, dicitur, applica illum ad deos, id eſt, ad Sacerdotes. Et rurſum ſcriptum eſt. Dijs non detrahes, id eſt, Sacerdotibus. & Propheta, ait: labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Quid ergo mirum, ſi veſtra pietas illos dignetur honorare, quibus in diuino eloquio honorem tribuens eos, aut Angelos, aut deos, ipſe etiam appellat Deus? Eccleſiaſtica quoque teſtatur hiſtoria, quia cum piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra*

tra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos euocauit, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens, vos dij eſtis à vero Deo conſtituti. In qua tamen ſententia, pie Domine ſibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præſtitit ex reuerentia impenſa. (non igitur Sacerdotibus aliquid tribuit ex humilitate, ſed neque ex reuerentia quod tribuendum iure non eſſet.) *Ante enim, quippe pagani in Republica principes fuerunt, qui verum Deum neſcientes, deos ligneos, & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, ſi Chriſtianus Imperator iure Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum paganis, (vt prædiximus) Principes honorem impendere Sacerdotibus nouerunt.*

Septimo. Comprobantur quæcumque dicta ſunt, ex eo, quod contigit inter Noe, & Cham, qui nihil aliud egit, niſi quod fratribus ſuis oſtendit Patris virilia nudata, & tamen veriſsimum erat, eſſe illa nudata: Sacerdotes autem Chriſtiani ſunt eodem loco apud quosvis ſæculares, quo Noe fuit apud Chamum, quod late ſupra tertio libro eſt explicatum. Quocirca ad huius argumenti explicationem referam verba ſancti Gregorij libro Moralium 25. *Si magiſtrorum vita,* inquit, *iure reprehenditur, oportet, vt eos ſubditi etiam cum diſplicent, venerentur. Sed hoc eſt ſolerter intuendum, ne aut quem venerari debent, imitari velint, aut quem imitari deſpiciunt, contemnant; ſubtilis enim via tenenda eſt rectitudinis, & humilitatis, vt ſic magiſtrorum vitia diſpliceant, vt ſubditorum tamen mens à ſeruanda magiſterij reuerentia non recedat. Quod bene in Noe inebriato exprimitur; cuius nudata verenda boni filij auerſi veniendo texerunt. Auerſari quippe diximus, quod reprobamus: bonis igitur ſubditis ſic præpoſitorum ſuorum mala diſpliceant, vt ea tamen ab alijs excuſent: operimentum auerſi deferunt; quia improbantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre, quod tegunt.* Hæc ſanctus: eadem Conſtantinus multo ante ipſum; ſic enim loquenté facit eum Theodoretus lib. 1. c. 2. *Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos, qui idem ipſum cernerent vlla ex parte læderentur.* Hæc Theodoretus. Ad ſummam, diuino iure vetitum fuit Chamo patefacere, & inſpicere delictum verum parentis corporalis: ergo multo magis eſt delictum Principi ſæculari, inſpi-

ſpicere, & cognoſcere, ne dum quod maius eſt, iudicare, & punire vllum crimen Clerici alicuius. Patet conſequentia ex ijs, quæ tertio libro attulimus. Nihil enim dat ſæcularis Princeps vlli Clerico præ ijs, quæ recipit in pari cauſa. Præterea vero multo maius eſt iudicare, & caſtigare, quam cognoſcere, & intueri. Quod ſi hoc nefas eſt, multo magis illud.

Octauo. Non licebat ſæcularibus, niſi ſanctificati eſſent, intueri arcam; quod legimus, 1. Reg. cap. 1. Multo ergo minus inſpicere licet vitam Clericorum, quæcumque illa ſit. Conſequentia patet. Nam magis Deo conſecratus eſt Clericus, quam res inanimata. Idcirco poſt Euchariſtiæ diuiniſsimum Sacramentum, quod eſt templum totius diuinitatis: ſecundum locum inter corporeas res ſacras tenet diuinæ potentiæ figura indelebili inſignitus Clericus, vt ſupra oſtendimus ex ipſa ratione libro tertio latè, atque ex doctrina S. Thomæ 2.2.q.99. art.1. Atque hoc indicat S. Gregorius Nazianzenus, cuius verba ſupra recitauimus.

Nono. Ex eadem cauſa poſſumus & aliud argumentum colligere. Nam, quod ſupra, vbi diſputauimus de immunitate templorum, dicebamus, neque ſæcularibus eſt licitum, niſi venia petita, & impetrata ingredi in loca altari vicina, & ſecretiora templi: ergo multo minus poteſt ingredi in vitam diſpiciendam, cognoſcendam, iudicandam Clerici alicuius, quod eſt templum viuens, vitamque dans, aut efficienter, & certiſsimo Sacramenta adminiſtrans, ſi qua poteſt adminiſtrare, aut ad illa diſponens miniſterio ſuo, & huc etiam reſpexit S. Gregorius Nazianzenus loco adducto.

Decimo. Laicus, vt diximus, reſpectu Clerici locum filij tenet; Clericus autem parentis. Quin ait S. Dionyſius cap. 12. de diuinis nominibus, loco Dei, Regis, ac Domini. neque quēquam moueat, quod Clericus ſit puer; nam Rex etiam ſæpe eſt puer, & tamen imperat: multo autem magis admittendum eſt in Clerico, vt ſit loco Dei, ac parentis. Nā Clericus eſt pars diuinitus inſtituta vniuerſitatis Sacerdotalis diuinitus inſtitutæ; & pars eſſentialis laicæ poteſtatis, ſine qua nulla poteſt vniuerſitas populi alicuius, & laicorū ſtare, cum tamē poſsit vniuerſitas ſtare abſque laicali poteſtate diſtincta à Sacerdotali. Quocirca ſi Rex, qui eſt pars accidentalis, neque diuinitus inſtituta abſque Sacerdotali, eſt loco parentis, licet puer; multo magis Clericus. Atqui iure diuino, & naturali, iubemur honorare

norare parentes cogitatis, dictis, factis, & eo præcepto maxime omnium continentur parentes ſpirituales, quod Sancti omnes, & Theologi, qui hac de re tractant, concludunt. Igitur cōtra diuinam legem faciunt, ordinemque diuinum, quod aiebat Sanctus Dionyſius, quicumque laicorum volunt inquirere in vlla crimina, aut illa cognoſcere, nedū iudicare, quos Deus ſolus, vt adducto loco Sanctus Paulus docet, & interpretatur Sanctus Ambroſius, iudicat, aut qui locum Dei tenet reſpectu illius.

Vndecimo comprobantur, quæcumque dicimus ad explicationem loci huius è Sancto Paulo adducti. Nam late toto hoc opere ſparſim demonſtramus, totam laicalem poteſtatem, cū ſit externa, eſſentialiter pendere, atque eſſe ab eccleſiaſtica. Nam ſicut vſus externorum pendet à corpore, vſus corporis ab anima, vſus animæ à Deo; qui ſi quidem ſeſe ab his ſubduceret, protinus in nihilum redigerentur. Atq; ita eſt eſſentialis ſubordinatio inferioris ad ſuperius inter hæc quatuor, Deū, animā, corpus, externa, & inter eorum bona, & vſum, ſi bono bono, vſumque vſui, potentiæque obiectum pariter conferamus. Sic poteſtas laicalis, atque vſus eius eſt eſſentialiter ab eccleſiaſtica, quæ diuina tractat. Quamobrem nihil omnino poteſt, ſi loquamur de iure, niſi eccleſiaſtica velit, ſicuti ſi oculus non videt, nullus eſt illi externi coloris vſus, aut bonum. Vel niſi anima det oculo viſum, numquam percipiet colorem. multo autem minus vbi Deus animæ non dat, vt poſsit oculo vim videndi impartiri.

Duodecimo. Ob clericorum preces, ſacrificia, ſacramenta, miniſteriumque fit, vt Deus non iudicet, ac puniat peccata laicorum, ſed indignationis ſuæ vultum ab eis auertat. Iure itaque naturali obligantur laici tantumdem rependere ſuo modo clericis, vt paria paribus reddātur, quod Philoſophus Ethico quinto late tradit. & Iuriſcōſultus. l. quod nerua, ff. depoſiti. & quādo, quod tanti ſit, rependere haud poſſunt, ſaltē repēdēt, quod minoris eſt, ne ſcilicet laici vlli cognoſcant, iudicent, aut puniant peccata clericorū; ſed iudicabit qui inter clericos eſt ordinis maioris, qui nō accipit hoc à clericis ordinis minoris.

Poſtremo recte nos docebat S. Cyprianus epiſtola 69. ad Pupianum, iudices huiuſmodi diuellere ſeſe ab Eccleſia Dei, quod faciunt ſchiſmatici, quos diabolos appellat, vti ſupra retulimus eius verba. Recte oſtēdimus etiam ſupra primo libro, pri

mum Luciferum diuiſiſſe interna,& externa ſubiectione,& obedientia,ſæcularem poteſtatem à ſacra. Ac niſi ſæcularis poteſtas interna, veraque ſubiectione, & obedientia coniungatur eccleſiaſticæ in quauis re,tunc ex qua parte, ſeſe ab illa deuellit,ex ea parte Luciferi,& diaboli partem miſerrime ſectatur, ac ruinam ſibi miſerrimam ſtruit in hoc etiam mundo, quod ad operis finem clariſsime ex apertiſsimis euentis apparebit; ſicuti qua parte diuidit ſe anima à Deo, aut corpus ab anima, vel externum à corpore,nihil efficiunt, vel externum reſpectu corporis,vel corpus reſpectu animæ,vel anima reſpectu Dei.

Recte etiam Pontifex ſummus excommunicat eos, qui volunt cognoſcere,& iudicare de litteris ipſius, & mandatis, eorumque ob id exequutionem retardare, vt eſt in bulla Cœnæ Domini,mirumque eſt,quidnam venerit in mentem nonnullis noſtræ ætatis ſcriptoribus, aſſeuerare ab vllo Theologorū tradi hoc licere. Nullus enim Theologorum tradit id licere, niſi vti licuit S.Paulo reſiſtere in faciem S.Petro,vt habetur ad Galatas cap.2. Videamus autem,quomodo reſtitit S.Paulus, hæc ſunt ipſius verba. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam,in faciem reſtiti ei,quia reprehenſibilis erat. Prius enim,quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat; cum autem veniſſent ſubtrahebat, & ſegregabat ſe,timens eos,qui ex circumciſione erant,& ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem; ſed cum vidiſſem, quod non recte ambularent ad veritatem euangelij, dixi Cephæ coram omnibus, ſi tu,cum Iudæus ſis,gentiliter viuis, & non Iudaice,quomodo gentes cogis iudaizare?* Hæc Apoſtolus.

Primo igitur neceſſe erit eum, qui obſiſtet Pontifici ſummo, eſſe eccleſiaſticum, nec quemuis; verum ſupremi gradus vti erat Sanctus Paulus,quales ſunt in regnis primates. Non itaque laicis eſt id iuris.hinc Sanctus Ambroſius eo loco. *Nam quis coram auderet Petro primo Apoſtolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit,reſiſtere,niſi alius talis,qui fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem,conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat?*

Secundo obſiſtat illa ipſa doctrina clariſsima, quam ſanxit Pontifex ſummus, obſeruandamque decreuit, ac iuſsit, & iubet. Nam Sanctus Petrus abrogauit Iudaicos ritus, & poſſe cum gentibus comedi decreuit,quod eſt Acto.cap.10.& 11.Idcirco Sanctus Ambroſius ibi ait. *Reprehenſus vtique ab euangeli-*

gelica veritate, cui hoc factum aduerſabatur. Et Theodoretus. *Tuum eſt decretum, ne ij ex lege viuant; res autem repugnant, & contradicunt ijs, quæ ſcripta ſunt.*

Tertio obſiſtat, non quomodolibet, ſed interrogando, quomodo id fiat. Nam ſic ſeſe obſtitiſſe ait Apoſtolus. ſicuti, & fons ſapientiæ totius Chriſtus, qui illuminabat omnes mentes, cum remanſit in Hieruſalem, inuentus eſt in medio Doctorum non docens, ſed inuenerunt inquit, S. Lucas cap. 2. *audientem illos, & interrogantem eos.* eodem modo igitur, & Paulus egit.

Niſi igitur clariſsime conſtet errare Papam in eo, quod iubet: atque is, qui obſiſtit, ſit è primatibus eccleſiaſticis, atque hic maxima cum modeſtia reſiſtat obſeruans illud Apoſtoli 1. Timoth. cap. 5. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra, vt Patrem.* quicumque illi obſiſtunt, eiuſque literis, & mandatis grauiſsime peccant contra ius diuinum, & naturale, quod ordinem ſeruari in omnibus quibuſque nos iubet, vt apparebit libro ſexto. Niſi adeſſet ſane eccleſiaſticus, ac Papa clariſsime in fraudem fuiſſet ob falſa narrata, vel aliud quodcumque inductus, cuicumque minimo quanta fieri poſſet maxima modeſtia ius eſſet obſiſtendi, cum res morā omnino nullā pateretur, niſi quis velit eſſe Iſaac, & Pontifex ex charitate ſit Abrahamus. alioquin apertiſsime incurritur excommunicatio. Id igitur eſt Regibus, Principibusq; agendū, vt his rebus præſint eccleſiaſtici ſoli, qui videant an Papæ obreptum, ſubreptumue aliquid fuerit, ac neque præficiendi eſſent, niſi magnæ integritatis, ac doctrinæ viri ad ſimilitudinem Sancti Pauli conſulto etiam Pontifice ipſo ſummo. alioquin maxime principibus ſæcularibus timeo, ſed multo maxime confeſſariis ipſorum, quos Deus illuminare dignetur, ne ſuæ in primis animæ, Principibus vero ipſis non modo huius, ſed omnium rerum præterea miſerrimam ruinam fabricentur. Nam quæ afferuntur ex aduerſo, nullius omnino ſunt momenti, vt quiuis ingenio mediocri ſi mente ſit pura, perſpicere poteſt.

Argumenta deſumpta ex argumento aduerſariorum, ab epiſtola 1. cap. 2. Sancti Petri, ex interpretatione SS. Iuſtini, Ambroſij, Auguſtini, Bernardi, Thomæ, Dionyſij, & aliorum. Cap. XIII.

Vidimus multipliciter primi argumenti, quo maxime noui ſcriptores innitũtur, ſolutionẽ, videamus & ſecundi. S. Petrus, vel ad Iudęos, vt aliqui volunt, vel ad Chriſtianos cunctos, quãuis in primis ad Iudęos, vt veriſimilius ex eius verbis apparet ſcribens: *Subiecti igitur*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deũ, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tamquã ab eo miſſis ad vindictã malefactorum, laudem vero bonorum*. Hæc Apoſtolorum princeps, qui cum ſcribat tam ad laicos, quàm ad clericos omnibus imperat, vt ſubiecti ſint, ſiue obediant Regibus, ac ducibus ſæcularibus. Non itaque clerici ſunt exempti, atque immunes. Verum clariſsime apparet, ijs verbis Apoſtolum loqui de ſubiectione humilitatis. nam monet, vt ſubiecti ſint, nõ modo Regibus, ſed omni etiam creaturæ humanæ; ac proinde etiam ſeruis, & infantibus, ac deſpectiſsimis quibuſque propter Deum. Nam etiã hi ſunt humanæ creaturæ: at his non, niſi cũ humilitatis lex id monet, ſubiecti eſſe debemus. Ac nemo eſt, qui neget hoc humilitatis præceptum, quod Sanctus Petrus in epiſtola apponit, non ad clericos, ſed ad Reges, Imperatores, ac Pontifices ipſos ſummos pertinere, qui ex humilitate, quoties exigit ratio, ſubijcere ſe debent, vel animo, & mente tantum, vel actionibus ſimul, ſi res ita poſtulet, externis, viliſsimo cuique, & abiectiſsimo; ſicuti Pontifex maximus ſeruum ſe vocat ſeruorum Dei, & in hebdomada Sancta abijcit ſe ad pedes ignobiliſsimorum, & diſpectorum, illos lauans. De hac igitur humilitate intelligi illa verba conſtat, ac docet etiam Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione centeſima ſexageſima prima, articulo tertio, Sanctus Bernardus libro de ordine vitæ, Dionyſius Carthuſianus, & Lyranus in commentarijs huius epiſtolæ.

Secundo reſpondetur, neque clericos potuiſſe vllo modo cõtine-

tineri ijs verbis. ſi quidem Sanctus Petrus haud loqueretur de humilitate. Indefinitus eſt enim ſermo illius non æquipollens vniuerſali, vt contra rectum loquendi modum, logicaſque regulas aliqui volunt, haud neceſſario complectitur clericos. Ac demus tamen complecti, eſſeque omnino vniuerſalem Apoſtolorum Principis allocutionem ad omnes Chriſtianos, ſiue Clericos, ſiue laicos: adhuc tamen non ſequitur, ſubijci verbis illis Clericos Regibus ſæcularibus. Vniuerſalis enim ſermo plura diuerſæ naturæ, & conditionis reſpiciens, reſpicit illa ſecundũ diuerſitatem illorum; veluti cum dico vniuerſa animalia viuere, haud dico ſingula viuere eodem modo. Vel vt exemplo clariori vtamur, ſi paterfamilias, cui ſunt coniux, atque ex ea liberi multi, nurus, nepotes, ſerui, mancipia cuiuſuis generis, lixæ, ſtabularij, dicat omnibus iſtis; ſubiecti eſtote omnes primogenito meo: certe mater iſtius, fratres, vxores horum non erunt eodem modo ſubiectæ, quo mancipia, coqui, lixæ, ſtabularij. Similiter cum dicit Sanctus Petrus, vt omnes obediant cunctis humanis principatibus, vult ijs obediri ab alijs quidem, quia ſunt aliquo iure obligati; ab aliis, ne ſcandalum præbeãt, ne maiores, ac perículoſiores turbas excitent, quæ cultui diuino aduerſentur. Quod ſi quis dicat aliquos principum Chriſtianorum ſcandalizari immunitatibus eccleſiaſticis; & ideo ad illas conſeruandas nõ eſſe excitandas, vel turbas, vel etiam bella. Reſpondemus, primo infideles neque Chriſtianæ religioni ſe ſubieciſſe, neque noſtra ſatis eſſe edoctos. At noſtri edocti ſunt, ac ſe Chriſtianæ religioni obligarunt. Ideoq; permittere, vt noſtri principes violent immunitatem ſacrarum rerum, eſt efficere eos ſacrilegos, & ſubuertere Chriſtianam religionem, cælumque terræ ſubijcere, ſcandalumque ipſorum vti ſcandalum Phariſæorum, procederet à malitia: ſed infidelium, de quibus loquitur Sanctus Petrus, ſcandalum à malitia non procedit, ſed ab imprudentia, & ignorantia oritur: idcirco inquit Sanctus Petrus: *vt obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Quod ſi noſtri ſcandalizantur, ac propterea contendunt violare eccleſiaſticas immunitates, infidelibus deteriores eſſent, quod de principibus noſtris vere Chriſtianis neque eſt credendum, neque dicendum.

Tertio loco reſpondemus. Vniuerſali præcepto, quod illa Epiſtola ſanctus Petrus euulgauit, neque adhuc ipſum, neque illos, qui eiuſdem ſtatus erant cum illo, contineri. Nam dicit,

Eſto-

Eſtote igitur ſubiecti. non itaque loquitur Sanctus de ſemetipſo, aut ſui ſimilibus Epiſcopis, & Clericis.

Quarto reſpondetur. S. Petrum loqui eo loco de Principibus infidelibus, quorum Sacerdotes erant immunes, vt late oſtendemus, ac noſtri Sacerdotes non erant illis Sacerdotes, Quamobrem iura Chriſtiana nullo ijs Principibus loco erant. Quod ſi principes Chriſtiani volunt aboleri iura immunitatis Eccleſiaſticæ, & ob illa ſcandalizantur, deteriores erunt infidelium Principibus, qui ſuis ea Sacerdotibus reſeruabant inuiolataque cuſtodiebant,

Quinto dicimus aperte, S. Petrum loqui contra aduerſarios. Sic enim ſcribit: *Subiecti, igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem.* Hæc Apoſtolus volens obedire ſuos, quaſi liberos, neque expectare, vt cogerentur; ſupponitque præcepta eſſe conuenientia bonitati, ac virtuti. Ideo præcipit Chriſtianis, & Sacerdotibus (ſi quidem velimus eos contineri) obedire, ac ſubiicere ſe, quaſi liberos, non veluti obligatos ex vi poteſtatis; illa enim vox, *quaſi liberi*, proprietatis eſt nota, ſicuti & illa, *quaſi præcellenti*, & alibi, *vidimus gloriam eius quaſi unigeniti à Patre*, Græce, ὡς, ideſt, vti. Sic itaque oſtendit illos vere liberos, & immunes, quantum pertinet ad poteſtatem. Quod ſi expectabant, vt cogerentur, contra voluntatem ſummi ſui Pontificis faciebant, qui cum non eſſet infidelibus ſummus Sacerdos, aut Epiſcopus, vt Clericos aſtringeret, non adibatur, neque ipſe poterat cogere, vt adiretur, cum non eſſet illis Pontifex, aut ſacrorum Præſes.

Verum quando adducta ſunt ab impugnatoribus Eccleſiaſticæ libertatis, hæc S. Petri verba; nos illa multipliciter aduerſus ipſos expendamus, atque exſcripta hic, & ante oculos poſita exhibeamus, vt clariſsime ipſius mens eluceſcat. Sic igitur ille alloquens Chriſtianos.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam,

nunc

nunc autem conſecuti miſericordiam. Chariſſimi obſecro vos tamquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam. conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei, omnes honorate. Hæc Apoſtolorum princeps: è quibus concludimus non modo Clericos eſſe exemptos ab omni ſæcularium Principum poteſtate: ſed omnem Principum ſæcularium poteſtatem in ipſis rebus ſæcularibus eſſe Clericis ſubiectam.

Argumenta deducta ab intimo Clericorum ſtatu è ſancti Petri verbis.

Illis hominibus, quibus diuinitus eſt datum, vt potiſſimo, ac diuino iure ſint omnium aliorum Reges, & Sacerdotes, omnes alij, debent iure diuino obedire in ſæcularibus quidem, quod ſint Reges, cum dicat S. Petrus Regibus parendum quod præcellant; in ſacris autē, quod ſint Sacerdotes. Atqui Chriſtiani Sacerdotes huiuſmodi ſunt iure diuino, vt ſupra ſecundo, & tertio libro eſt declaratū; inquit, enim ſanctus Petrus: *Vos eſtis regale Sacerdotium*: ergo tam in ſæcularibus, quam ſpiritualibus eſt ijs ab omnibus aliis obediendum.

Ad huius vero argumenti explicationem repetimus illud, Chriſto, vti homini, datam diuinitus omnem omnium rerum poteſtatem, vti ſupra libro ſecundo eſt explicatum.

Chriſtus porro totam ſuam poteſtatem nemini, ſed in terris omnium maximam, tam in ſæcularibus, quam ſpiritualibus Eccleſiæ ſuæ communicauit. Ac primum quidem Chriſtianis omnibus hanc ſpiritualem, vt omnium maxime ſciant, & poſſint eſſe Reges ſibi imperantes, & offerentes, quidquid habent, Deo; idque Regni eſt inſtar. ſic enim ſcriptor profanus.

Ad

Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Pulcher, honoratus, liber, Rex denique regum.

Atque in hoc Regno ſe iactabant Stoici, & hoc argumentũ late proſequitur ſanctus Ioannes Chryſoſtomus libro de comparatione Regis, & Monachi, & Ariſtoteles Politici tertij capite nono. *Sed in optima*, inquit, *Republica magna exiſtit dubitatio, ſi non per excellentiam aliorum bonorum, ſeu iurium, & diuitiarum, & amicitiarum, ſed ſi quis excellat virtute, quid de eo ſit faciendum; non enim dicendum eſt; vt talis vir ſit de ciuitate pellendus. atqui neque gubernationi aliorum talis vir erit ſubijciendus; perinde enim eſt ac ſi qui Iouem gubernare uelint, poteſtatem diuidentes. Reſtat ergo, ut videtur naturam huius talem eſſe, vt omnes ſponte ſua illi parere debeant, atque ita huiuſmodi homines Reges eſſe perpetuos in ciuitatibus.* Hæc ille. Ex quo ſequitur naturali iure, & ipſa ratione hunc eſſe Regem, ac fieri contra ius naturale, ac rationem, non parere, ac ſubiici huiuſmodi viro. At nulla vnquam ſanctior gens, quam Chriſtiana, vt oſtendimus alibi Signo de ſanctitate; ſingulique Chriſtiani ſunt ſpiritualiter Sacerdotes, quod nulli ſic offerant Deo ſua, vt ipſi, quod conſtat è tot Martyribus, ac Religioſis.

Sed quando Chriſtiani hanc vim dignoſcendi vera à falſis, mala à bonis, proſequendique quod conuenit, ac vitandi quod dedecet, accipiunt à doctrina ſacra extrinſecus, intime vero, ac certo à Sacramentis, quæ adminiſtrantur per Sacerdotes: atque hi non modo diuinitus habent, vt quantum ad ſe, hæc intelligant, ac valeant; ſed etiam quantum ad eos; qui iuriſdictioni ipſorum ſubiiciuntur, ita vt in ijs, quæ ſunt omnibus communia, ille præ cunctis recta videat, ac poſsit, qui præeſt omnibus, qualis eſt Pontifex Romanus: hinc ſequitur Sacerdotium regale eſſe in primis Romani Pontificis, deinde Epiſcoporum, Sacerdotum, Clericorum, denique Chriſtianorum omnium.

His poſitis diſſentiunt à Chriſto, à naturali iure, ab ipſo rationis debito, quicumque, Eccleſiaſticæ poteſtati denegant omnium tam ſæcularium, quam ſpiritualium ſummam poteſtatem. Verbaque illa, *Regale Sacerdotium*. Sanctus Petrus, idcirco tamquam Principium, fundamentumque dicendorum prudenter appoſuit, quod ſibi, ac ſuis ordine, quo diximus, ampliſsimum ſit ius in omnia ſæcularia, & ſpiritualia, ac primo

propter

propter baptiſmum, atque hic eſt primus Regum gradus; confirmationem, hic ſecundus; ordinem, hic tertius; in quo ſunt nouem gradus, vel ſeptem: neque enim diſputamus, qui ſint ordines, ac gradus, & quomodo; & an nouus ordo recipiatur in Pontificatu, vel receptus dilatetur in Epiſcopis magis, maxime vero in Epiſcopo Epiſcoporum.

Hinc Sanctus Auguſtinus homilia quinquageſima de vtilitate, ac neceſsitate pœnitentiæ. *Intuere*, ait, *Dauid Regem, iam vtique & ipſe illius temporis ſacramenta perceperat, iam circumciſus erat vtique, quod Patres noſtri pro baptiſmo habebant. Nam dicit Apoſtolus ſanctum Abraham ſignaculum iuſtitiæ fidei recepiſſe. Iam etiam vnctus erat* (*Dauid*) *vnctione venerabili, qua regale ſacerdotium præfigurabatur Eccleſiæ.* Et libri vigeſimi de ciuitate Dei capite decimo explicans illa Apocalypſis verba. *Erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis; non vtique,* inquit, *de ſolis Epiſcopis, & Presbyteris dictum eſt, qui proprie* (igitur hi proprie Reges) *iam vocantur in Eccleſia ſacerdotes; ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma, ſic omnes ſacerdotes; quoniam membra* (non confuſa, ſed diſtincta, vt alterum alteri præſit) *ſunt vnius ſacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus: plebs, inquit, ſancta regale ſacerdotium.* Et Theodoretus in caput ſeptimum epiſtolæ ad Hebræos. *Quemadmodum enim*, inquit, *Chriſtus Dominus, qui eſt Rex æternus, Pontifex noſter appellatus eſt: ita etiam tribus Iuda, quæ prius erat regia, ſacerdotium per Dominum adepta eſt.* Hæc ille cum Paulo Apoſtolo latiſsime hanc totam rem declarante in epiſtola ad Hebræos, qui & capite duodecimo oſtendit ad finem, quinam ſuſceperint huiuſmodi regnum; oſtendit vero eſſe Apoſtolos, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, & inquit: *Itaque regnum immobile ſuſcipientes* (nos Apoſtoli in primis, in prima enim perſona loquitur) *habemus gratiam, per quam placeamus placentes Deo cum metu, & reuerentia.* Et Sanctus Ambroſius explicans illud pſal. 41. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* In cap. 1. epiſtolæ ad Hebræos. *Vnctus*, ait, *Chriſtus, & Regem ſignificat, & ſacerdotem, quia dignitates iſtæ ſumebantur per ſacratiſſimas vnctiones: nam & ipſum nomen Chriſti à ſancto chriſmate vocatur.* Et mox. *Ideo autem dictum eſt præ participibus, quoniam hanc benedictionem ſupra omnes homines, ſiue Reges, ſiue Sacerdotes in veteri teſtamento, etiam Apoſtolos, & Martyres in nouo agnoſcitur acce-*

piſſe, & vnctus ſingulariter cæteros etiam vngere debuiſſet. Ex illo enim fons benedictionis, prout ipſi viſum fuerit, per vniuerſos electos competenter (id eſt, ordine ſeruato, quem Chriſtus per Apoſtolos inſtituit) *emanat*. Hæc Sanctus Ambroſius. At Sanctus Iuſtinus in dialogo cum Triphone; *Regibus*, ait, *omnibus, Chriſtisque ex huius* (Chriſti) *conſortio Reges, Chriſtosque vocari contingit. Quemadmodum & ipſe à Patre accepit, vt eſſet Rex, Chriſtus, Sacerdos, Angelus, & quidquid ſimile habuit, vel habens virga Aaronis germinans, Pontificem eum deſignauit.* At Sanctus Bernardus ad Conradum Regem Romanorum epiſtola ducenteſima quadrageſima tertia. *Nec dulcius*, ait, *nec amicabilius, ſed nec arctius omnino regnum, ſacerdotiumque coniungi potuerunt, quam vt in perſona Domini ambo hæc pariter conuenirent, vtpote, qui factus eſt nobis ex vtraque tribu ſecundum carnem ſummus & ſacerdos & Rex. Non ſolum autem ſed & commiſcuit ea nihilominus, ac conſociauit in ſuo corpore, quod populus Chriſtianus, ipſe caput illius, ita vt hoc genus humanum, Apoſtolica voce genus electum, regale ſacerdotium appelletur.* Et mox, vt oſtendat, in quo conſideat regalis poteſtatis caput: *Nonne*, inquit, *vt Apoſtolica ſedes, ita & Roma caput imperij eſt?* Hæc Sanctus. En itaque, vt alia plura ſuperius adducta omittamus, vti Chriſtus regnum conſociarit, ac ſacerdotium ſimul, Apoſtoliq. ſuſcipiant immobile, ait Sanctus Paulus, regnum propter indelebilem characterem, cauſasq. alias ab æterno charactere ſubſtantiæ paternæ deductas, vt ſecundo libro eſt explicatum; Princeps Apoſtolorum caput eſt in terris imperij, ait Sanctus Bernardus; competenter, inquit Sanctus Ambroſius, diſtribuitur; ac proprie in Epiſcopos, & Sacerdotes tradit Sanctus Auguſtinus; quoad meritum, maxime in Martyres è laicis, ſcribit Sanctus Ambroſius, quod ſemetipſos offerant ſacrificium, veluti Chriſtus, eo quo conceptus eſt momento, vt ſecundo libro explicauimus; Imperator vero inter laicos eſt ſummus executor rationalis, veluti & reliqui laici Reges ſæcularium rerum iuxta canones, quos profanæ leges haud ſequi dedignantur, ait alibi Iuſtinianus, quoties agitur de reſpectu Dei. Quamobrem non male aduerterunt Sanctus Thomas, Henricus Gandauenſis, & alij Exo. cap. 19. Hebræorum regnum vocari ſacerdotale, Chriſtianorũ ſacerdotium regale, vt vertit interpres, quod ſcilicet antiqui ab externis ad interna, Chriſtiani ab internis veniant ad regen-

da

da externa nobiliori, ac potentiori via, non ſeruientes exteris, ſed imperantes.

Ex his omnibus conſtat, vt alia plura dimittamus, Epiſcopos eſſe diuino iure, ac natura ſua Reges, quibus obediant ſæculares, in ſpiritualibus quidem meris, aut mixtis vti ſacerdotibus, in ſæcularibus, quoties eſt vllus Dei reſpectus, vti regibus ac ſacerdotibus ſimul, ſiue priuati, ſiue alioquin principes ac Reges ſint illi ſæculares, quibus non tollitur ſua poteſtas, ac dominium, ſiue ſint hi Chriſtiani, ſiue gentiles; verum per eſſentialem ſubordinationem ſubijcere omnia ſua debent regali Epiſcoporum principatui, veluti imperfectum perfecto. Quod ſi quis dicat habere & Reges à Chriſto, Deoque regnum.

Secundo reſpondemus, ideo dari à Deo Regibus regna, vt famulentur Pontificum, ſacerdotumque imperio, ac proinde ſubordinentur vel minimis in rebus, vt ſupra abunde eſt probatum. Hinc Sanctus Proſper libro de vocatione gentium capite trigeſimo quarto. *Gratiæ*, inquit, *Chriſtianæ effectibus etiam ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur*. Et Sanctus Gregorius ad Mauritium Imperatorem, libri ſecundi epiſtola ſexageſima prima: *Super omnes homines*, ait, *dominorum meorum, pietati cælitus data eſt poteſtas, vt terreſtre regnum cæleſti regno famuletur*. Eadem Sanctus Leo epiſtola ſeptuageſima tertia ad Leonem Auguſtum.

Ad ſummum, cum dicit Sanctus Petrus: *vos eſtis regale ſacerdotium*; palam facit peritis, ſacerdotes eſſe Reges, quibus ſit in omnibus, vel ab ipſis Regibus obediendum. Nam per analogiam quandam cuncti Chriſtiani ſunt reges; & primò quidem loco priuatus quilibet eſt Rex, quia ſuos actus internos, & externos iuxta virtutem regat. Secundo Reges ſæculares, quod in procurando bono publico tam animi, quam corporis ſubiectorum ſuas actiones publicas regant. Tertio ſacerdotes ſunt reges, quod regant quoslibet ſæculares tam priuatos, quam reges docendo, adiuuando, & compellendo; docendo, qua via in ſingulis actis perueniant ad Deum; adiuuando per adminiſtrationem ſacramentorum, quæ intime illuminant intellectum, & accendunt affectum, vimque ingenerant ad regendum; compellendo omni poteſtate, qua valent ijs modis, quibus ſacri canones iubent. Inter ſacerdotes autem minores à maioribus reguntur, atque ita ex ipſis minores, maio-

reſq; ſunt reges, vt ait Sanctus Dionyſius cap. 12. de diuinis nominibus, donec peruentum fuerit ad Romanum Pontificē, in quo, inquit Sanctus Thomas libro de regimine Principum, eſt apex vtriuſque poteſtatis tam ſpiritualis, quàm ſæcularis, & qui eſt Vicarius Chriſti Regis Regum; eſt vero analogia in hoc à Deo, & Chriſto deducta, quod omnibus hiſce communia ſint finis, efficiens, & maior, minorue materia, finis vltimus Deus, & Chriſtus, cui maxime omnium modis omnibus proximi ſunt ſacerdotes, & ad quem cuncta, cunctoſque dirigere Epiſcopi, ſacerdotes, & clerici debent; efficiens ſimiliter, quod ſuas actiones regunt; materia ſunt actiones; ſed formā, qua regere debeant tam priuatæ, quàm publicæ perſonæ, vt perueniant ad Deum largitorem omnium bonorum, eſt ſacerdotis ſolius decernere, & imperare; ſæcularium non eſt, niſi quatenus conſentiunt cum decretis, & imperio ſacerdotum. Vt vero id habeant ſacerdotes, eſt diuini iuris, ſeu diuino iure habent.

Argmenta deducta ab ipſo fine, propter quem Sanctus Petrus vult verſari inter gentes.

ILlis hominibus, per quos magis Deus glorificatur, & quibus obediendo in rebus ipſis ſæcularibus Deum magis glorificamus, nos cum noſtris rebus ſæcularibus iure diuino ſubijcere debemus: at hoc fit ſubiiciendo nos, ac noſtra ſæcularia imperio ſacerdotum, & Epiſcoporum, non principibus ſæcularibus, niſi quantum ſacerdotes, & Epiſcopi iubeant ſubijcere: ergo his non illis nos, ac noſtra ſubiicere debemus. Maior adſcribitur hic à Sancto Petro, dum dicit Chriſtianis, vt haberent *inter gentes bonam conuerſationem, vt illæ ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis*, id eſt, vt Græci exponūt, cōuerſionis ſuæ, cum Chriſtus eos viſitauerit. & iterum iubet eſſe ſubiectos *omni creaturæ propter Deum.* Et ruſus addit: *Quia ſic eſt voluntas Dei.* Voluntas autem Dei non tendit, niſi ad gloriam ſuam; primum quidem inter electos illuſtrandam; deinde vero præter ipſius primariam vo-

luntatem inter reprobos, neque Chriſtianis adhærentes. Minor eſt Sancti Pauli, vt ſupra oſtendimus è locis, quæ contra veritatem produxerunt ipſi aduerſarij; & adhuc multipliciter probatur.

Nam cum ſtatuerimus ſupra è Sancto Paulo, à Chriſtianis non eſſe ipſa ſæcularia gentilibus Imperatoribus ſubiicienda, niſi non reſiſtendo illis imperantibus ea, quæ non ſint contra Deum, vel publicum bonum, ſed omnia deferenda ad Epiſcopos; hinc ſequitur ſi quidem velint principes ſæculares eſſe Chriſtiani, vt & ipſi omnia ſua deferant ad Epiſcopos.

Alioquin reſpondetur eos, qui hæc adducunt, efficere Imperatores, Reges, Principeſque Chriſtianos peiores gentilium Principibus, Regibus, & Imperatoribus, per quos inuiolata cuſtodiebatur immunitas, ac poteſtas eccleſiaſtica gentilium ſacerdotibus: quin eorum potiſsima erat poteſtas in omnia ſæcularia, vt oſtendimus libro ſecundo de Ruinis gentium, & regnorum, & infra aperiemus. Igitur niſi Imperatores, Reges, ac Principes Chriſtiani velint eſſe deteriores gentilibus contra omnem Chriſtianam legem, qua pœna appoſita peccati mortalis iubemur eſſe gentilibus meliores, Chriſto dicente: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum: Et nonne Ethnici hoc faciunt?* niſi inquam Chriſtiani contendant eſſe gentilibus inſolentiores in vera ſacra, neceſſe eſt tueantur eccleſiaſticam immunitatem, quin ſacræ ſe poteſtati ſubiiciant; ſicut illi in ſæcularibus ipſis actibus ſeſe ſubiiciebant, vt ſexto libro aperietur.

Quod ſi rurſus dicant aduerſarij, antiquos Chriſtianos fuiſſe ſanctiores, cum ſubiiciebantur Imperatoribus gentilium, principibuſque ſæcularium rerum, non reſiſtendo illis aliquid iubentibus circa ſæcularia, quod non eſſet contra bonum commune. Reſpondemus fieri per nos, quominus illis præſtantiores ſimus, non per obedientiam principum ſæcularium, ſubiectionemque rerum ſæcularium ſacerdotibus exhibendam.

Secundo reſpondemus, abſque dubio multi ſunt noſtris temporibus meliores aliquibus Chriſtianis antiquis. ſed aliquem fuiſſe è priſcis illis poſt Apoſtolorum deceſſum, qui ſublimiori ſit charitate quouis noſtrorum temporum, ſicut humilitas, & mo-

modeſtia perſuadet, & cogit nos fateri, ſic dicimus id eueniſſe, quia ſinguli Chriſtiani omnia ſæcularia ſubiiciebant Epiſcopis,& Sacerdotibus,ſiue illi Chriſtiani ſæculares eſſent homines priuati,ſiue quauis dignitate,ac poteſtate poſt Imperatorem præcellerent in Imperio Romano,veluti plurimi erant Senatores, Proconſules, Prætores, Præfecti, ac Tribuni, Militumque duces Chriſtiani.

Tertio reſpondemus ad iſtorum, quæ diximus, comprobationem, tum fuiſſe Chriſtianis rebus fæliciſsime per omnia, ſiue bona ſæcularia, ſiue ſpiritualia ſpectemus, cum Reges, ac Principes, ipſique Imperatores omnia ſæcularia deferebant ad iudicium Epiſcoporum, ac nihil Eccleſiaſticum tractabant, neque conabantur Epiſcopos partium ſuarum ſtudioſos creare, vel elargiri beneficia, vel procurare elargienda domeſticis ſuis, cum ſcirent hæc Epiſcopis relinquenda; in ſuis autem ſequebantur illorum leges. Tunc Eccleſia ſanctiſsimis viris florebat, tunc omni fælicitate humana; ac talia fuerunt tempora Conſtantini, & illis vicina Theodoſij Magni,& aliorum huiuſmodi. Tunc exorti ſunt trecenti illi Nicenæ fidei Patres ſanctiſsimi; tunc exorti Oſius, Hilarius, Martinus, Ambroſius, Hieronymus, quibus poſterior fuit Auguſtinus, tunc exorti Gregorij tres Thaumaturgus, Nazianzenus, Nyſſenus, tunc exorti Baſilius, Athanaſius, & monachorum pater Antonius, qui ſolitudines viris ſanctiſsimis repleuit. Tunc innumeræ gentes ad Chriſtum ſeſe contulerunt, vt aperuimus Signis de fidei propagatione, ac tribus eius temporibus tomo primo.

Tum Monachi magnam terrarum partem pijs vſibus, ac religioni donatam poſſedere, quod impius gentilium ſcriptor Zozimus deplorat, inquiens libro quinto, *Omnes ob id ab illis ad inopiam redactos.* Tum Romæ erat *Pompiliani ſecuritas temporis*, ac *calibes*, ideſt, Sacerdotes *miris obſequiis colebantur*, vt Ammianus, illorum temporum Scriptor, & rebus Chriſtianis infenſus tradit libro decimo quarto, qui licet Romanos ocioſitatem, mentiſque elationem vitio vertat, Romam tamen Imperij, virtutumque larem fuiſſe teſtatur, libro decimo ſexto. Ipſe autem Pontifex Romanus procederet *vehiculo inſidens, circumſpecte veſtitus*, vt idem refert libro vigeſimo ſeptimo, quamuis ipſi obiiciat diuitias, ex oblationibus matronarum congeſtas, conuiuia profuſa, &

regaliter

regaliter apparata. Ac ſicut Epiſcopis tunc ius erat omnes ad ſe cauſas aduocare, ſic Pontifici Romano quæcumque Romam totius Imperij caput deferrentur. Tum tantæ erant auctoritatis Monachi, vt ductos ad capitale ſupplicium poſſent liberare, vt apparet è l. addictos. C. de Epiſcop. audientia. ſed his de rebus poſtea fuſius. Indicaſſe nunc ſatis fuit, quo tempore Chriſtiani Imperatores, ac Reges, omnia ſua, ſæculariaque ipſa ſubiecerunt Eccleſiaſticæ poteſtati, tunc, & maxime ſanctitatis viros, & ſæcularibus temporalium bonorum dona ampliſsima cælitus data. Sic idem contigiſſe Carolo Magno imperante aperiemus.

Quarto. Ad eadem corroboranda dicimus, contra obtigiſſe, cum ſæcularis poteſtas Imperatorum iura Eccleſiaſticæ immunitatis, ac poteſtatis violauit, vt accidit regente Imperium Stilichone Honorij tutore, atque imperante Valentiniano tertio, vt oſtendimus libro de Ruinis gentium ſeptimo, ac multo magis Iuſtiniani ſuprema ætate, ac ſucceſſoribus eius. Similiter Berengariis Italiam, Comitibus Tuſculanis Romam opprimentibus, poſtremis annis Othonum, Henrici ſecundi, ac tertij Imperatorum. Quæ poſtea fuſius explicabuntur.

Quinto dicimus, idcirco fuiſſe priſcos, vti nos profiteri omnino decet, ſanctiores, quod Gentilium corruptiſsimi mores eſſent, inter quos innocentiam ſeruare erat admirandum. Dein vero Imperatores efferatiſsimi, ac ſæuiſsimi in Chriſtianos, præcipue vero in Sacerdotes, & Epiſcopos. Ac talia, ſcilicet tempora reducunt, qui paulatim diminuentes immunitatem, poteſtatemque Eccleſiaſticam, reuocant ab inferis Reges, & Imperatores larua pietatis indutos, ſed qui denique euadant monſtra rabidiſsima, & impuriſsima, de quibus eſt actum à nobis libro duodecimo, ac vigeſimo ſecundo, & vigeſimoquarto de Signis Eccleſiæ Dei, vt appareat, ſi euenta Eccleſiæ perpendamus, huiuſmodi opinione non bene animaduerſa portas aperiri Antichriſto, quod ſanctus Gregorius aiebat in Pſal. 4. Pænitentialem.

Tertium

Tertium argumentum deductum ex ijs verbis, ſiue Regi quaſi præcellenti.

OMnes homines debent eſſe ſubiecti humanæ creaturæ propter Deum, ſpeciatimque iure diuino Regi verè præcellenti: at Reges ſæculares ſunt homines: ergo debent ſubiecti eſſe ipſi Reges ſæculares Regi verè, ac iure diuino præcellenti, qui eſt Epiſcopus. Quod vero Epiſcopus in ipſis ſæcularibus præcellat ipſi Regi ſæculari, ſupra oſtẽdimus. Nam Sacerdos propter diuina non modo eſt in ſpiritualibus Sacerdos iure diuino, ſed etiam Rex in ſæcularibus eodem iure diuino, vt ſupra oſtendimus, ac magis eſt Rex in ſæcularibus, quia perducit hæc ad Deum, quo ad ſubditos ſibi homines, quam ſit Rex ipſe. Ac proinde quemadmodum Rex præcellit aliis non Regibus, aut Regibus etiam ſibi ſubiectis; ita Sacerdos præcellit in ipſis rebus ſæcularibus ipſis Regibus. Secundo propter ſpiritũ non modo Epiſcopus eſt Rex, ſed etiã Sacerdos, ipſaq; ſæcularis poteſtas in illo Rege non tollitur, quemadmodum neq; tolluntur corpus, & opera corporalia, ſed extolluntur, intenduntur, atq; amplificantur, etiam quo ad ſæcularia; ſicuti ſi ſpiritus adiungatur animæ, non aufertur anima; aut ſi adiungatur anima corpori humano, non tollitur corpus, ſed vis corporis intenditur, amplificatur, extollitur, vt poſsit ambulare, ac ſentire cum tamen hæc prius non poſſet. Eodem modo, cum poteſtas ſpiritualis, & ſæcularis coniunguntur in Epiſcopo, non tollitur, ſed augetur aliorũ Regia poteſtas, vt alias poteſtates ſæculares ſibi in ipſis ſęcularibus ſubordinatas in Deum ſubiiciat, ac Deo coniungat per ſubordinationem, non deſtruendo, ſed per eam confirmando, & corroborando diuino timore, amore, fauore, ſua ſæcularia Regna, ac ſæculares alios cum omni iure ſuo.

Quartum

Quartum argumentum deductum ex ijs verbis, propter Deum.

CVm dicat Sanctus Petrus nos debere eſſe ſubiectos in ſæcularibus Regi *propter Deum*, ſic concludi poteſt: Omnes ſunt iure diuino, vel præcepti, vel perfectionis obligati id agere, quod eſt maioris honoris in Deum: ſed maioris eſt honoris in Deum, cum Rex ſua ſæcularia Epiſcopis, quam cum Epiſcopi ſua ſubijciunt Regibus; quia magis illud eſt diuinæ voluntatis; & honor Dei eſt in diuinæ voluntatis executione. Idcirco dicimus in oratione Dominica: *Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua.* Et Chriſtus dixit: *Ego honorifico Patrem meum, & non veni voluntatem meam facere, ſed eius, qui miſit me.* Ergo Reges, ac priuati magis ſæcularia ſua ſubijcere debent iure diuino, vti diximus Epiſcopis, quam contra. Quod autem magis ſit diuinæ voluntatis, vt Rex ſua ſæcularia ſubijciat Epiſcopis, quam contra, aperuimus ſupra, cum diſſeruimus Epiſcopos eſſe etiam Reges, & adhuc proximo argumento infra dilucidius explicabitur à nobis.

Quintum argumentum deductum ex ijs verbis: ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.

PRrohibetur omnino, ac vituperatur appoſita pœna à Concilijs, & ab ipſa ratione, vt ſæcularia miniſteriis eccleſiaſticis, & ſpiritualibus quoquomodo attributa alienentur, ac tranſeant in poteſtatem ſæcularem, vel vſus ſæculares; contra autem laudatur, cum ſæcularia ſæcularibus miniſterijs ſeruientia tranſeunt in eccleſiaſticam, & ſpiritualē poteſtatē. Quocirca laudantur Conſtantinus, Theodoſius, & Carolus Imperatores cognomento magni; laudanturq; eodē modo multi Reges huiuſmodi, qui liberaliſsimi in Eccleſiam extiterunt, rerumq; ſæcularium iudicia voluerunt eſſe Epiſcoporum. Contra vitu-

perantur, velut ſacrilegi, qui ſecus atque iſti egerunt, accæliтus à Deo mirabilibus, ac pluribus modis puniti ſunt, vt late oſtendimus tomi ſecũdi libro vigeſimo tertio, Signo de pœnis in imminuentes iura eccleſiaſtica. Quamobrem cum S. Petrus iubet adductis epiſtolæ verbis, homines ſubiectos eſſe Regibus, ducibusq. tamquam miſsis ad vindictã malefactorum, & laudem bonorum, reputeturque in malefactis imminuere eccleſiaſtica iura, ac laudentur qui vel augent, vel tuentur illa; ſequitur neceſſario, Petrum non iubere, vt ijs hac parte ſubiecti ſimus. Nam ſic argumentamur.

Quicumque exercent poteſtatem in clericos, vel eorum res, neque vindicant mala, neq; laudant bonos: at nemo ex mandato Petri verbis illis contento, *ſubiecti eſtote*, eſt ſubiectus Regi, aut ducibus, niſi quatenus vindicat mala, aut laudat bonos: ergo nemo ex mandato Petri eſt ſubiectus Regibus, aut ducibus, quicumque exercent poteſtatem in clericos, vel eorum iura. quatenus ſcilicet hanc ita exercent.

Quod ſi quis obijciat, cum Principes ſæculares puniunt delinquentes, aut exigunt tributa impoſita propter bonum publicum, certe vindicant mala clericorum, ſimulque exactione illa promouent vtilitatem communem, quod eſt laudabile. Reſpondemus ſæculares exercentes hanc poteſtatem, vel caſtigandi clericos, vel exigendi tributa, male agere, quod ſua natura eſt bonum; perinde, ac ſi quis filius parentem percuteret ipſe ob admiſſum crimen; aut ſi quis non habens omnino poteſtatem, ſibi aſſumeret ius interficiendi reos mortis, vt homicidas, vel aliqua huiuſmodi. Quæ quamuis laudabilia ſint, non ſunt laudabilia in iſto, qui hæc agit, vt præfati ſumus.

Sextum argumentum deſumptum ex ijs verbis: vt obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Eorum, qui peccant duplex in propoſito noſtro eſt diſcrimen. Alij namque peccant ſcientes malum eſſe, quod admittunt, falſumue, quod affirmant, & credere aliquo modo volunt. Alij vero neſcientes peccant in ipſum bonum, cui malum, quod perpetraunt aduerſa-

tur,

tur; quippe, qui exiſtiment eſſe bonum, quod efficiant. His obſequendum, donec reſipiſcant, ac rectè edoceantur in omnibus, quæ ſunt indifferentia, poſſuntque aliquo modo variari, vt maius malũ vitetur, ac facilius edoceantur, libentius audiant, & imbibant, quod non aduertunt, atque ignorant. Et ad propoſitum noſtrum clericos eſſe laicis ſubiectos, neque exemptos ab imperio iſtorum, neſcit infidelis, cum neque clericos, ſiue ſacratos reputet, neque in eos inuehatur aduertens veræ religionis contemptum naſci è violata immunitate. Idcirco his obediendum à ſacratis viris ad animos illorum flectendos, emolliendosque in bonum maius, vel obediendum in ijs, quæ vel ſua natura ſunt bona, vel media, vel indifferentia, quamuis alicui, vel in aliquo ſint mala. Verbi gratia malum eſt, ſi quis princeps ſæcularis, ac fidelis exigat à clericis tributa, vel eos in ius trahat; principi infideli, neque edocto noſtram religionem, non eſt malum; flectendus eſt igitur huius animus conſtantia virtutis, ac ſplendore illius eſt illuminandus. Quid ſi obſtinatus fuerit, ac prudens reuera delinquat? Si poſſit obſiſti ac vinci, ac iudicet Eccleſia ſic faciendum, quod ſupra è Sancto Thoma afferebamus, vi compellendus eſt ad officium, cum ſcriptum ſit, *compelle intrare*, aut è templo eijciendus flagellis, veluti impius: ſin minus, id agendum, quod ſubijcit Sanctus Petrus. *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Hæc Apoſtolorum Princeps, monens, vt iniuſta patiamur, quoties eſt voluntas Dei alligantis alicui nos neceſsitati, quam nolit euitari; non vult autem euitari, vel cum naturalis facultas, & humana poteſtas non adeſt euitandi, aut apertiſsimum nobis facit, vti Chriſto apertiſsimum fecit, ne fugiamus; alioquin illud obſeruandum, *Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*, excutiendusque puluis eſſet è pedibus. Hæc omnia, quæ ex-

plicauimus vera eſſe conſtat.

Igitur ſi quidem velimus contineri clericos ijs Sancti Petri verbis, *ſubiecti eſtote*, ita argumentamur. Omnis clericus eſſe debet ſubiectus principi ſæculari, vt obmuteſcere faciat imprudentium hominum ignorantiam, cnm ſcilicet eſt princeps imprudens, & ignorans noſtra, veluti infidelis, quod inquit hic Sanctus Petrus: non ergo ex natura ſua, & intrinſeco debito debet eſſe ſubiectus. ſic in propoſito argumentatur Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione decima, articulo decimo, vt ſupra ipſius verba adduximus; ſed eſſe debet ſubiectus, vt edoceat ignorantes, & illuminet imprudentes, quibus edoctis, & illuminatis, non eſt amplius ſubiectus, niſi quis patiendo iniuſte iudicanti ſe tradat ex aperta Dei voluntate, aut neceſsitate ineuitabili exemplo Chriſti. *Qui peccata noſtra* (inquit hic Sanctus Petrus) *ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis*. Atque hæc certè dicenda, ne quis dicat principes ſæculares cum ſuis Phariſæis, ac ſi qui ſunt præuaricatores, & transfugæ ſacerdotum, iterum Chriſtum cruci hac parte affigere, dum timent, ne tollat regnum ipſorum, ſicut Iudæi timuerunt de Chriſto, & nolunt cruci ipſius inſcribi eſſe ipſum Regem, neque pati poſſunt ipſum, qui à ſacerdotibus præcipue repræſentatur eſſe inter ſua Regem. Quod nullo modo eſt dicendum de noſtris, neque vllo modo credendum.

Septimum argumentum deductum ex ijs Apoſtoli verbis: quaſi liberis.

SEptimo Apoſtolorum Princeps imperat Chriſtianis, vt ſubiecti ſint *tamquam liberi*, id eſt, expediti per virtutes ab omni vinculo, & laqueo vitiorum, & cuiuslibet deſiderij retardantis nos à bono communi, cui ſeruire debet Rex, Princeps ſæcularis, & quilibet priuatus, vt interpretatur Sanctus Auguſtinus libro de fide & operibus, & Auguſtinum ſecuti ſunt omnes. Neque hoc Philoſophi ignorarunt, qui ſolum ſapientem liberum dixerunt: & in hoc maxime Stoici ſe iactabant, ac Peripateticorum

rum princeps metaphyſici primi capite ſecundo.

Ac ſicuti quilibet priuatus ab omnibus eſt liber, ſeruit autem bono publico, ita huic omnium maxime ſeruire debet per nobiliores, & excellentiores virtutes Rex, niſi velit eſſe tyrannus. Ita Philoſophus decernit Ethici octaui capite decimo, Origenes, ac Sancti Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Thomas in catena, illos referens ad ea verba Chriſti: *Reges gentium dominantur*; Matthæi capite vigeſimo, Marci decimo, Lucæ vigeſimo ſecundo. Igitur ita concludimus.

Per quos tum Reges, & Principes, tum priuati quilibet potiſsimum liberi ſunt, ſiue à vitiis expediti ad publicum, priuatumue bonum in tractandis ſingulis rebus, ſiue ſpiritualibus ſiue ſæcularibus; illis debent iſti in primis iure diuino eſſe ſubiecti. Illi enim plus poteſtatis eſt in Republica tribuendum, qui plus confert ad eius felicitatem; nam ſic exigit iuſtitia diſtributiua, inquit Philoſophus Politici tertij capite nono: feliceſque ſunt hominum cœtus in omnibus bonis per virtutes, vt apertiſsime docet Philoſophus Politici ſeptimi initio, & ideo iubet Sanctus Petrus Chriſtianos ſubiici tamquam liberos à vitiis, virtutibusque præditos, quod nimirum felicitas omnium poſita ſit in virtute eorum, qui reguntur, ac regunt, in libertate ab omnium rerum creatarum deſideriis, niſi quatenus conferunt ad bonum commune.

At per ſacerdotes in primis cuncti ſunt huiuſmodi, quod hi ſcilicet animas regant, purgent à vitiis, liberas faciant, vere Chriſtianos docendo, hortando, ſacra miniſtrando, ſiue dum ſpiritualia, ſiue dum ſæcularia tractantur; & idcirco Ignatius dixit ſacerdotium eſſe ſummum omnium bonorum epiſtola ad Smyrnenſes.

Ergo Sacerdotibus in primis iure diuino debent eſſe ſubiecti tum Reges ſæculares, tum priuati, tam in ſpiritualibus, quàm in ſæcularibus tractandis, ne quid criminis admittant, vel animo tantum, vel animo & opere ſimul, niſi velint eſſe vitiorum ſerui, tyranni, & populorum publicæque tranquillitatis perturbatores, ac boni communis euerſores.

Argumentamur adhuc ſecundo loco. Per quos liberi à vitiis gradatim perducimur adminiſtrãdo tam ſæcularia, quàm ſpiritualia è virtute in virtutem, vſque ad contemplandum re-

ƈe Deum, his tum Rex, tum cæteri iure diuino debent eſſe ſubiecti in ſingulis quibusque tractandis, alioquin non perducerentur ad humanã felicitatem propoſitam, tum ſingulis hominibus, tum ſingulis hominum cœtibus, ſiue populis.

At huiuſmodi ſunt ſoli Sacerdotes, quod ſoli regant animas, ac ſoli ſciant optime omnium, quo in ſtatu libertatis, ac virtutis ſint homines, quanto interuallo diſtẽt à recta Dei contemplatione, ac beatitudinis eſſentia, quibus viis inſiſtendum ſit, ne aberremus à recto itinere in ſæcularium tractatione, & excidamus aut omnino, aut ex parte à libertatis, ac beatitudinis humanæ ſtatu.

Ergo Sacerdotibus, tum Rex, tum cæteri iure diuino debent eſſe ſubiecti in adminiſtratione ſæcularium, in legibus ferendis, quod aliis aliæ conueniant pro diuerſo mortalium ſtatu.

Ex his fit, ſi Regnum iuſte adminiſtretur, locusque fit iuſtitiæ diſtributiuæ pro ratione, ac modo libertatis, qua quiſque eſt liberatus à vitiis, eſſe & poteſtatem dandam qua poſſit aliis imperare, modo prudentia ſcilicet politica, & ciuilis adſit, ita, vt diximus, Philoſophus docet Politici tertij capite nono, & vndecimo.

Amplius autem quando plerumque Chriſtiani ſunt omniũ maxime à vitiis liberi, ac licet grauius peccent, quod contra maximum lumen, & vim diuinitus iis elargitam peccent, quoties in eandem ſpeciem peccati incidunt; non tamen in tot, neque in tanta genere ſuo peccata incurrunt, vt Signo de ſumma ſanctitate, & vltimis libris tomo primo, ac poſtremis ſecundi de Signis Eccleſiæ Dei latiſsime aperuimus, ſequitur etiam Regna inter Chriſtianos, vti inter liberos, ac liberæ Reipublicæ ciues eſſe adminiſtranda, ſi recte, iuſteque adminiſtrentur, quod ſcilicet, qui reguntur, ſæpe ſint virtutibus pares, aut etiam maiores ipſis Regibus, & Imperatoribus ſæcularibus, quibus ſanè Regibus vt pareant, qui Sanctiores ſunt, humilitas Chriſtiana imperat, & ipſa iuſtitia, quod obedientia in ipſis iuſtis ſit iuſtitiæ, virtutisque ſummæ, qua pollere debent, pars potiſsima, ac ſtet ſimul, vt Rex aliquis ſæcularis in actibus publicis non recedens vllo modo à ſanctionibus ſacris, & legibus eccleſiaſticis, ſit melior quoad publica tractanda, & in Deum per bonas leges referenda, quã ſint

ſan-

ſanctiſsimi viri. Ita docet *S.* Gregorius libri octaui epiſtola quinquageſima tertia ad Leontium exconſulem ſcribens, eumque reprehendens, quod in cauſa peculatus hominem liberum virgis cęcidiſſet. *Hoc enim*, inquit, *inter Reges gentium, & Imperatores Romanorum diſtat, quod Reges gentium Domini ſeruorum ſunt, Imperator Romanorum Dominus eſt liberorum. Vnde & vos quidem, quidquid agitis, prius quidem ſeruata Iuſtitia, deinde cuſtodita per omnia libertate debetis*, & duodecimi trigeſima ſexta ad Phocam Auguſtum, *quieſcat*, ait, *fælicisſimis temporibus veſtris vniuerſa Reſpublica prolata ſub cauſarum imagine præda pacis; ceſſent teſtamentorum inſidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus proprijs ſecura poſſeſsio, vt ſine timore habere ſe gaudeant, quæ non ſint eis fraudibus acquiſita. Reformetur iam ſingulis, ſub iugo Imperij pij libertas ſua. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores diſtat, quod Reges gentium Domini ſeruorum ſunt, Imperatores vero Reipublicæ Domini liberorum.*

Octauum argumentum deſumptum ex ijs verbis: ſicut ſerui Dei.

REpugnantia nullo modo loquitur Apoſtolorum Princeps, cum Chriſtianos omnes vult eſſe ſubiectos tamquam liberos, ac tamen vult eſſe ſicut ſeruos Dei. Nam ſi qui ſunt à vitiis liberi, ſunt ſerui Dei. Ac veluti Deus à ſemetipſo pendet; ita qui Deo ſeruit, vnus cum Deo factus, à ſemetipſo iam deificato, vt ita loquamur, à Deo ſcilicet ſolo pendet. ex ijs autem verbis ita argumentamur.

Omnis qui non regit iuxta formam, modumque virtutis, diuino iure non eſt Rex, ſed tyrannus: at nemo inobediens Sacerdotibus poteſt ſcire formam, modumque virtutis: ergo diuino iure nemo inobediens Sacerdotibus eſt Rex iuſtus, ac Regis iuſti habens poteſtatem, ſed tyrannus. Maior propoſito clara eſt, ac ſupra eam probauimus ex Euangelio, Sanctis interpretibus, atque ipſo Philoſopho. Minor propoſitio probatur ex ipſis Sancti Petri verbis, qui dicit, vt ſimus Regibus

gibus ſubiecti, *ſicut ſerui Dei*; quatenus autem ſeruiamus, aut non ſeruiamus Deo, vel quatenus illi ipſi Reges ſeruiant, aut non ſeruiant Deo, qui eſt finis actionum, formamque dat, ac modum virtutibus tamquam finis præſcribit, hoc & ſcire, & docere, & decernere pertinet ad eos, qui ex officio, ac natura ſua ſeruiunt Deo, ac diuinis, qui ſunt Sacerdotes.

Finis Libri Quarti.

DE IVRE NATVRALI ET DIVINO ECCLESIASTICAE LIBERTATIS ET POTESTATIS

LIBER QVINTVS.

Argumenta deducta ex illuſtriſſimis exemplis antiquorum Patrum, SS. Babylæ, Chryſoſtomi, Ambroſij, Syneſij, è quibus probatur eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas ſupra omnem imperatoriam poteſtatem, quoad perſonas, templa, ac res etiam ſæculares. Cap. I.

NEQVE vero admittendum nobis vllo modo eccleſiaſticam immunitatem fuiſſe vlla humana lege inductã, cum nulla poſsit humana lex afferri, quæ illam ſanxerit, cum cœpta eſt obſeruari aduerſus omnium potentiſsimos Imperatores, exemplis id illuſtriſsimis comprobemus. Babylas fuit Epiſcopus Antiochenus, imperantibus Gordianis, vt patet ex Euſebio libri ſeptimi cap. 22. & ſequentibus. Eo ſedente Imperator Romanus in illis regionibus degens, cum iuuenem regium contra omnem fidem, iuſtitiamque necaſſet, exercitu ſtipatus in tem-

plum volebat ingredi recens à ſcelere, ac cęde. Babylas id videns in conſpectu populi, atque exercitus totius, *manu in pectus Imperatoris impacta ingreſſu templi exegit, vel* (verba ſunt Sancti Ioannis Chryſoſtomi lib. aduerſus gentiles) *vti ſceleſtum, atque inquinatum illum à ſacroſancto grege repelleret, ſic eiecit, & à reliquo armento ſeparauit, nihil prorſus reſpiciens eorum omnium, quæ videbat, quæque terrifica illis videntur, quin potius illum viriliter, atque admodum generoſe expellendo diuinis legibus vim, ac tyrannidem patientibus opem tulit. Atqui quanta Babylas erga cæteros fiducia vſus ſit, hinc conſtare poteſt. Quē nam enim ex alijs metueret, qui aduerſus ipſumet Imperatorē tantā ſibi poteſtatē ſumpſit?* Et mox. *Omnia libere agere licebat* (Babylæ) *& Imperatorem conuicijs aſpergere, & diadema capite detrahere, & pugnis eū contūdere; nam & dexterā in pectus iam impegerat.* Rurſus. *Eorū certe ora obturauit, qui impudentia quadam abutentes affirmare audent, quam Chriſtiani libertatē Apoſtolis tribuimus* (audi Eccleſiaſticæ libertatis oppugnator) *eā, non niſi fictā quandam à nobis iactantiam eſſe.* Et paulo poſt. *Futurorum enim poſthac, & ſacerdotum, & Regum animos horum quidem demiſit, illorum autem extulit planam faciens terræ, & eorum, quæ in terra fiunt curam, & præfecturam verius reſidere penes ſacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus, ac purpura indutus eſt, necnon oportere de poteſtatis huius* (ſacerdotalis) *amplitudine ſacerdotem nihil detrahere, ſed hominem potius exuere, quam auctoritatem huic principatui ſupernè à Deo attributam deponere.* Hæc Sanctus. enarrans Babylam deinde in vincula coniectum, & necatum fuiſſe ab Imperatore illo, quamuis hac in ſe fuiſſet habitus, vt ouis quædam, diſcipulus, ægrotus, ac filius ab ipſo Babyla, vti paſtore, magiſtro, medico, ac parente. atque idcirco à templo expulſum, vt agnoſceret admiſſum ſcelus, ac reſipiſceret: ita namque vtrumque nominans, vt diximus, Sanctus Chryſoſtomus rem totam recenſet. E quibus colligimus, eccleſiaſticam libertatem, poteſtatemque quoad templa, & cuncta quæ in terris fiunt, iure diuino maiore eſſe, quam imperatorum, potiusque vitam ponendam, quàm ſinere, vt quidquam ex hac poteſtate detrahatur. Vt autem cognoſcamus hanc poteſtatem diuinitus commiſſam reſidere in ipſis ſacerdotibus, conſideremus illud, homicidas ad templum confugientes tutos eſſe, perinde ac ſi ad ipſum Deum confugiant: neque poſsint poſiti in Dei ſinu, patrocinioq. auelli, niſi Deus

reij-

reiiciat per ſacerdotes ipſius perſonam tenentes ; & tamen Sanctus Babylas arcuit ab ingreſſu templi homicidam Imperatorem, qui tamen nulla humana lege arcebatur, neque extabat vlla eccleſiaſtica, quę ſolum foret eccleſiaſtica, ac non diuina omnino ſimul, id vetans. Videtur autem fuiſſe Imperator hic Philippus, quem Chriſtianum quidem fuiſſe, ſed flagitioſum, ſcribit Euſebius his verbis cap. 27. lib. 2. *Fama eſt illũ* (Philippum) *Chriſtianus namque erat, cum precationum in die poſtremæ vigiliæ Paſchatis vna cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo, qui tunc Eccleſiæ præerat;* (is erat Fabianus Papa, vt Euſebius idem ſcribit) *permiſſum eſſe intrare, quem, ſi confeſſus fuiſſet, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pænitentiam agentibus praſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet, Epiſcopumque dixiſſe eum non alia conditione, niſi iſtud faceret propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo, & lubenti Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam, ac religioſam, piamque affectionem Dei timore incitatam re ipſa declaraſſe memorant.* Hæc Euſebius de Philippo, quem & Chriſtianum fuiſſe tradit Vincentius Lyrinenſis, aliique multi ſcriptores antiqui. Babylam porro præſidiſſe Antiochiæ ineunte Imperium Philippo narrat idem cap. 23. hiſtoriæ. Non potuit autem Numerianus eſſe, qui reiectus eſt per Babylam ab ingreſſu templi. Nam refert Euſebius lib. 6. cap. 32. imperante Decio Philippi ſucceſſore Babylæ defuncto ſubſtitutum Fabium. Numerianus autem poſt annos triginta, ac plures multis aliis Imperatoribus intercedentibus imperare cœpit: neque ſimiliter Decius fuit, qui per Babylam reiectus eſt ab ingreſſu templi, quia numquam legitur Decius, ex quo factus eſt Imperator, in Aſia fuiſſe, aut ex Europa diſceſsiſſe, vt apparet è Zozimi lib. primo, Eutropij nono, Aurelio Victore, & aliis, ac multo minus locum tenuit Decius ouis, diſcipuli, filij, ægrotiue ſanandi reſpectu Epiſcoporum Chriſtianorum, ſicuti Sanctus Ioannes Chryſoſtomus narrat tenuiſſe Imperatorem reſpectu Babylæ. ac veluti numquam legitur Decius fuiſſe in Oriente, & Aſia, ex quo factus eſt Imperator; ſic Philippus in ea fuit, Gordianumque adoleſcentulum Gordiani Imperatoris filium cōtra omne fas occidit; dederat namque huic ſe ille in fidem, &

in locum parentis Miſitheo ſocero defuncto, inquit Iulius Capitolinus, ſibi adſciuerat, neque voluit armis dimicare cum ipſo, qui iam dolo malo imperium ſibi arripuerat: quæ conſtant omnia è Iulio Capitolino, & conueniunt ijs, quæ refert de Imperatore eiecto Sanctus Ioannes Chryſoſtomus. Qui oſtendens ab Epiſcopis exercendam poteſtatem, licet id non ſit aliis profuturum, veluti neque Philippo Imperatori profuit, à Babyla exerceri illam; Babylasque ad eum curandum voluerit exercere. Subiicit, *namque oportet ſuo officio fungi, etiamſi inde nullum lucrum ad alios dimanet: neque enim ipſi Babylæ ad Imperatoris quidem emolumentum libertas profuit.* Et poſt. *Admirabili viro Babylæ diſcipuli ſalus deſideratior erat, quam expectata è carcere merces, qua quidem gratius certe accidere nihil potuiſſet, quam ſi per diſcipulum reſipiſcentem huiuſmodi laudibus priuari ipſum contigiſſet, ſeu, vt verius dicam, ſi diſcipulus prorſus in iſtam morum peruerſionem dilapſus non fuiſſet:* Hæc Sanctus Ioannes Chryſoſtomus de ſanctiſsimo Babyla, & iure diuino eccleſiaſticæ immunitatis tuendo, quamuis inde mors ſit conſecutura, quamuis aduerſus Imperatorem maximum pugna ſit nobis futura, nihil inde emolumenti contingat, alij ſint in maiora flagitia lapſuri, ſimus in principio iam tunc adoleſcentis Eccleſiæ. Vbi ſunt igitur, qui volunt eccleſiaſticam immunitatem, libertatem, poteſtatemque humano iure ſancitam? vbi qui eccleſiaſtico tantum non diuino, & eccleſiaſtico ſimul? An tanta agenda pro ijs iuribus, quæ variari poſſunt, ac debent, pro temporum, locorumque varietate, qualia ſunt, quæ eccleſiaſtica ſolum, non etiam diuina ſunt? An non Sanctus Chryſoſtomus ius poteſtatis hac in re diuinum contendit eſſe? & ſanctiſsimus martyr Babylas, vti diuiniſsimum propugnat aduerſus tot, ac tanta tempore alieniſsimo?

Vidimus quid egerit Patriarcha Antiochenus vir ſanctiſsimus, non alio iure, quam diuino innixus, in propugnanda, & in tuenda eccleſiaſtica immunitate templorum, ſuaque poteſtate exercenda aduerſus Imperatorem Chriſtianum, vel etiam ſemichriſtianum. Nam propter ingentia, multaque facinora Chriſtiani ſcriptores, non Philippum primum Chriſtianum Imperatorem, ſed Conſtantinum ſemper ſoliti ſunt proferre.

Videamus, quid Patriarcha Conſtantinopolitanus vir item ſan-

ſanctiſsimus, aduerſus Imperatricem moderandi imperij Romani conſortem ſit auſus, eccleſiaſticam libertatem non alio iure, quam diuino ſibi datam exercens.

Igitur Leo Imperator oratione de vita Sancti Ioãnis Chryſoſtomi narrat iniuſte condẽnatum fuiſſe Theognoſtum quendam, qui in exilium profectus eſt cum coniuge, ac liberis, fiſcoque addicta ſunt cuncta ipſius bona, & in his vinea: quam cum reuerſa vxor defuncto marito repeteret, Imperatrix ingreſſa forte illam in ſuburbanis ſitam, decerpto propriis manibus racemo, loci que amore capta emit prætextu cuiuſdam legis huiuſmodi emptioni ſuffragantis, pretium viduæ ſe exſoluturam profeſſa. Implorat auxilium Sancti vidua, propriam vineam repoſcens. Multis rogauit Auguſtam Sanctus, vt eam viduæ redderet. Illa iure id factum, legiſque permiſſu, ac priuilegio renuebat. Igitur die feſto cum plenum iam populo templum foret, & adeſſet in illo Imperator, ac tum cæteri omnes, tum qui Imperatricẽ præibant honoris cauſa, fuiſſent ab oſtiarijs admiſsi, Auguſtæ ſoli, ſimulatque attigit limen Eccleſiæ, protinus occluſæ ſunt fores: aditúque Imperatrix eſt excluſa: indignabunda mulier, quæ non in Sanctum conuicia iactauit? è ſtipatoribus quidam miles exerto enſe ianuam diffringere aggreſſus, exareſcentem continuo manum ſenſit. Attonitis prodigio cunctis, palatium timore perculſa, & obmuteſcẽs repetit Imperatrix; ſatelles pænitentia ductus omni cum reuerentia procidit ad Sancti pedes, ac ſanatus eſt.

Accidit & aliud admiratione plenum. Paulacius Ægypti Præſes, viduæ cuidam, quam ſcribit Alexandrinam nomine Callitropem fuiſſe Metaphraſtes, debebat aureos quingentos. eo nomine Auguſta Paulacium compellit ad perſoluendas auri libras centum; creditrici reſtituit aureos tantum triginta ſex. quæ cum nihil amplius extorquere poſſet, ad Sanctum confugit. Hic perſpiciens nullum ſupereſſe aliud remedium, retineri in carcere debitorem curauit. Is à ſe perſolutum æs alienum totum excipiebat, Imperatrixque ipſa id teſtificabatur; vrgebatque, vt liber dimitteretur: quod ne fieret, Sanctus prohibebat. Miſit idcirco illa duos Centuriones, qui vi abductum è carcere Paulacium dimitterent. Aggreſſos eam rem de iuſſu Auguſtæ deterruit Angelus horribili aſpectu, ſtrictoque enſe minitans. Quod vbi illa reſciuit, reliquum pecuniæ reſtituit.

Hæc S.Ioannes Chryſoſtomus aduerſus Auguſtam, Paulaciumque ab ipſa defenſum,quæ refert Imperator Leo. Quod ſi ille liber non erat ab omni ciuilium legum vinculo, & ab omni vel eminētiſsima poteſtate, quì potuiſſet hæc efficere? Agebatur,inquiet aliquis,de peccato. Atqui in omni noſtra actione, ſiue interna,ſiue externa,agitur de peccato. Non erit itaque locus vllus vlli exceptioni, vtſupra concludebamus.Nam quoties Epiſcopus contendet aliquid eſſe peccatum, liber eſt ab omni poteſtate, neque aduerſus ipſum poterit agi, vel excipi, quaſi ſit ipſe criminoſus, vel in aliquod magnum, vel paruum peccatum inciderit. Dicet enim, vel hoc ipſum, quod agitur aduerſus ipſum, vel excipitur, quodcumque ſit, eſſe peccatum.

Multa itaque ſunt adnotanda ex allata hiſtoria, præter id quod adduximus.

Primum. Verum eſt Epiſcopi eſſe iudicare, an lex iuſta,vel iniuſta ſit. Eudoxia namq; lege ſe defendebat,aſſerens,vineam lege id concedente à ſe emptam, quam *Sanctus* vir nullo loco duxit.

Secundum.Iudicia vel ab ipſis Imperatoribus, Imperatricibusve approbata, poſſe ita reſcindi ab Epiſcopo, vt ſit ipſi fas eos, easve excommunicare. Quod ſi iura ſæcularia ſequamur, Princeps eſt legibus ſolutus, & Auguſta eodem potitur priuilegio, vt Vlpianus, inquit l. Princeps. ff. de legibus. Non tamen aliquis horum ſolutus eſt, ac liber à nexu Epiſcopalis poteſtatis.

Tertium.Fas eſſe Epiſcopo,carcere debitores includere, ne dum facinoroſos, quin eos, quorum patrocinium ſuſcipiunt Principes ſupremi, & qui excuſandi videantur à peccato.Nam Paulacius, quod habebat,iam perſoluerat Auguſtæ, & aliqua excuſatione dignus apparebat.

Quartum ſumitur hinc argumentum, confirmari iudicio diuino, hæc omnia iuris diuini eſſe non modo, quia Sanctus hæc egit;non alia poteſtate id ſe agere profeſſus,quàm diuinitus accepta,ac diuina,& qualis eſt poteſtas, tale eſt etiam ius. ſed ob illud etiam, quia miraculis totam rem Deus conſignauit,palam faciens à ſe per ſuos miniſtros ea fieri aduerſus omnium ſummos Imperatores in terris. Ex his omnibus etiam clariſsimum fit. quid ſenſerit S.Ioannes Chryſoſtomus in expoſitione verborum Sancti Pauli Apoſtoli, capite 13. epiſtolæ

ad Rom. ita ſcribentis. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.* Patet enim ſenſiſſe Imperatores ipſos Epiſcopis eſſe ſubiectos, Epiſcopos vero ſublimioribus ſe Archiepiſcopis, Patriarchis, atque hos Pontifici Romano. Quocirca appetitus ipſe, & iniuſte condemnatus à quodam conciliabulo per Imperatorem, Imperatricemque coacto, ad S. Innocentium appellauit, vt in dialogo Palladius refert, & S. Innocentius tota de re factus certior, expulſo per vim de ſede Ioanne Chryſoſtomo, Imperatorem, Imperatricemque excommunicauit. quæ referunt Gennadius, Nicephorus lib. 13. cap. 34. Glicas annalium, par. 4. & nos ea retulimus lib. 5. ſigno duodecimo de Signis Eccleſiæ Dei. Et tamen agebatur ab initio de re ſæculari, & quidquid actum fuerat ab Eudoxia cum coniuge Theognoſti legis permiſſu aſſerebatur actum. Et quidquid aduerſus Ioannem Chryſoſtomum perpetratum fuerat, id auctoritate Epiſcoporum fuiſſet confectum, quamuis re ipſa per factionem nihil non fuerit tranſactum.

Videamus poſt hæc, quid Occidentis egerint Epiſcopi. Theſſalonicenſis populus ingenti flagitio Bothericam militum præfectum ſeditione concitata occidit: pœna grauis exigenda erat à fontibus, quod nulla cauſa tanti ſceleris admittendi adeſſet, niſi effrænis libido populi expoſcentis, vt Præfecti auriga ob ſuſpicionem commiſsi ſtupri cum coniuge Præfecti in carcerem miſſus educeretur ad ſpectatores oblectandos in circo curſus agitatione: Epiſcopi, & in his S. Ambroſius, egerunt cum Theodoſio Imperatore, vt reis pœnam condonaret, idque illis ita eſt pollicitus. Mox eius Conſiliarij perfecerunt, vt mentem verteret, neq; promiſsis ſtaret; nam quando expedit Reipub. ne delicta remaneant impunita, nimium videbatur indulſiſſe in tam graui flagitio facinoroſis hominibus Imperator. Quamobrem nimium latus aditus aperiebatur ſceleſtis, & audacibus ad crimina perpetranda, ſpe tam laxæ lenitatis in populo, atrociſsimoque facto, periculumque erat, ne hoc exemplo cæteris in ciuitatibus commouerentur ſeditiones, & magiſtratus paſsim contrucidarentur; neque promiſſa obſeruanda in publicum detrimentum; Principemque, & quemuis nil valere in deſtructionem communis boni, ſed ei poteſtatem ſolum datam in ædificationem; pactaque idcirco nulla eſſe, quæ publicum ſtatum conuellunt. Hinc oriri tyrannos, qualis paulo ante fuerat Maximus. hinc legi-

timos

timos Imperatores occidi à factioſis, quod haud ita pridem contigerat Gratiano, & Valentiniano. Aliud eſſe priuatum delictum priuato remitti: publicum vero in publicam perſonam, vix eſt vt remitti poſsit, cum, ſi quid priuato auferatur ex vna parte, poſsit ex alia facili refici, at ſi publicum concidat, quid contra poterit reponi? Hæc & his ſimilia poterant adduci aduerſus promiſsiones Theodoſij, quibus ille impulſus mandauit ſecreto certum numerum ſontium capi, atque occidi, vt Sozomenus libri ſeptimi, capite vigeſimo quarto refert. Milites, quod eorum Præfectus fuiſſet occiſus, ira inflammati, mandatique fines tranſgreſsi, ſic impetum fecerunt in populum concluſum in Theatro, vt innoxios multos interfecerint, & atrociſsimæ ſeuitiæ exempla ediderint. Nullus Epiſcoporum fuit, qui aduerſus Theodoſium quicquam diceret, faceretue, quippe inuito ipſo ſcelus fuerat admiſſum, fideſque Epiſcopis non fuerat ab ipſo ſeruata, non omnino temere. Cum tamen poſt aliquod tempus Mediolanum veniſſet Imperator, aliis temporibus Conſtantinopoli ſolitus commorari, ibique domicilium proprium habere, non Mediolani, vt ex hiſtoricis cunctis apparet, S. Ambroſius volenti ingredi templum fit obuiam, vetatque ingreſſum, quin ſcelus illi obiiciens iubet, inquit Theodoretus libri quinti capite decimo ſeptimo, vt vinculum capeſſat, & quemadmodum pænitentes ſolebant, ſeſe alliget, & in luctu maneat vſque ad præfinitum tempus. Imperata facit Imperator, & in lacrymis, ſordibuſque pænitentium iacuit octo menſes, & quamuis in Natali die Chriſti veniam per Ruffinum primæ poſt Imperatorem auctoritatis precatus eſſet, aditum tamen ad templum adeo non impetrauit, vt ſanctus Ruffinum vocarit impudentem canem, qui id petere auderet. Per ſe igitur adijt Epiſcopum ſtantem ante fores templi in ædicula, ad excipiendas ſalutationes, acceſsitque obſecrans, vt vincula ſoluat. At Ambroſius tyrannicum dixit eſſe eius aduentum, ipſumque inſanire contra Deum, & illius leges proterere. Tunc Imperator, *Non obſtinato*, ait, *animo leges ſancitas impugno, neque ſacra limina per nefas ingredi cupio, id oro, vt ſoluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui eſt Dominus omnium; & ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum ſuorum pæniteat, patefecit*. Cui Ambroſius, *Quam tu*, inquit, *pænitentiam poſt tam graue ſcelus admiſſum oſtendis? Qua medicamenta*

dicamenta ad vulnera tam difficilia curatu ſananda adhibuiſti? Tuum eſt, inquit Imperator, medicamenta oſtendere, eaque temperare; & vulnera, quæ ægrius curentur, obligare; meum autem, quæ ſunt adhibita, accipere. Tum Sanctus, quæ iudicauit expedientia iubens, ſolutis vinculis admiſit ad templum. ingreſſus ille pronum ſeſe humi abiecit, illud eloquens. *Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum*, manibusque capillos lacerans, frontem feriens, lachrymis ſolum rigabat, veniam ſupplex expoſcens. Vbi vero tempus offerendorum munerum aduenit, ſurgens cum lachrymis acceſſit ad altare, obtulit, & intra cancellos conſtitit. Id videns Sanctus, edixit illi per diaconum, loca illa deberi ſolis ſacerdotibus, ab aliis tangi nefas eſſe: proinde egrederetur. obedijt Imperator, excuſans nulla ſe id animi confidentia feciſſe; verum quod Conſtantinopoli ille ipſi fuiſſet aſsignatus locus. Hæc Ambroſius, è quibus plurima colligimus.

Primum quidem maximam fieri potuiſſe à prudentibus ſæculi in propoſito facto ambiguitatẽ, numquid expediret Reipub. ſeruari fidem datam Epiſcopis, ac numquid eam potuiſſet Princeps in damnum Reipub. obſtringere.

Secũdum, numquid S. Ambroſius potuiſſet excommunicare Theodoſium. Non enim videbatur hic eſſe ouis ipſius, neque ipſe illius paſtor, cum ſoleret eſſe Imperatori domicilium vel Romæ, vel Conſtantinopoli.

In reliquis videbatur omnino excuſandus Theodoſius; quod enim milites exceſſiſſent in cæde facienda modum, non erat ipſius culpa. factum porro pertinebat ad poteſtatem ſæcularum, iudicisque ſæcularis cognitionem. Nihilominus adeo liberi ſunt eccleſiaſtici ab omni principum ſæculariũ iudicio, vt neceſſe fuerit Imperatori maximo, cuius vmbram vix poſteri aſſeruant, vel ſubire Epiſcopi iudicium, pœnasque ab illo inflictas, vel appellare ad Pontificem Romanum. Nam ſpectabat ad Sanctum Ambroſium iudicare an Reip. conduceret, necne, fidem datam tueri, & an Theodoſius eſſet, quamdiu Mediolani morabatur, ouis ipſius, non ad Theodoſium. Maluitque religioſiſsimus Princeps obedire Antiſtitis ſeueriſsimæ, vt aliquis arbitraretur, ſententiæ, quam diſputare de poteſtate Epiſcopi, & libertate eccleſiaſtica, i nunc, & inter Chriſtianos Principes inuenias Theodoſium. Non eſt itaque mirandum, ſi fœliciſsimus in adminiſtratione imperij Theodoſius

Hhh fuit,

fuit, feliciſsima ipſius tempora fuerunt, liberiq. ipſius tantum paternæ felicitatis adepti ſunt, quantum pietatis ab illo traditæ retinuerunt. Vereque ab eodem dictum refert Theodoretus libri quinti cap. 14. *Aegre tandem didici, quod inter Imperatorem interſit & Epiſcopum. Aegre tandem reperi veritatis* (nota hæc verba) *magiſtrum. Nam ſolum Ambroſium noui Epiſcopum dignum eo nomine.* Hæc Theodoſius Theodoreto referente.

Ex iiſdem concludimus, diuini iuris eſſe eccleſiaſticam libertatem: humano enim iure, atque humana poteſtate nulla poterat hæc Sanctus Ambroſius. Humana ſiquidem maximè præſtabat Theodoſius. Neque in facto propoſito lex vlla adduci poterat eccleſiaſtica, quæ Sancto Ambroſio tantam tribueret poteſtatem, ſi bene ſingula, quæ afferuntur, examinentur. ac Theodoſius ex veritate factum, quidquid Sanctus Ambrobroſius fecit apertiſsime confitetur. Et nihil æque bono publico, & Imperatoriæ poteſtati, ac maieſtati conducere exiſtimauit, quam religionem, religionique addictos viros colere, uereri, & eorum præceptis obedire.

Haud forſan diſsimile dicet aliquis illud, quod contigit Theodoſio iuniori. Nam cum monachus, neſcio quid ab ipſo efflagitaret, neque illud modo vllo concedendum foret, Imperatorque id denegaret, excommunicationis ſententiam protulit in eum monachus. Quam ſane adeo non contempſit ille, vt noluerit accumbere ad menſam, niſi prius Conſtantinopolitanus Patriarcha excommunicationem nullam declaraſſet, & ipſum Monachus abſoluiſſet; & tamen doctiſsimus omnium teſtimonio ſcribitur fuiſſe Theodoſius iunior, idemque feliciſsimus, & maximus: quæ conſtāt omnia è Socrate libri 7. cap. 22. Sozomeno libro 1. & 9. cap. 1. Nicephoro vigeſimi quarti tertio.

Adduximus hucuſque antiquiſsima exempla ſanctiſsimorum Epiſcoporum, ex Oriente quidem Sancti Babylæ Antiocheni patriarchæ; è Septentrione Sancti Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani; ex Occidente Sancti Ambroſij. Verum num Meridies hac in re nobis erit obſcurus, ac meridiana lux in tantis ſplendoribus haud lucebit? Eia igitur è toto orbe audiantur præconia maxima eccleſiaſticæ poteſtatis ſupra maximam ſæcularem. Theodoſio iuniore imperante Pentapoli in Cyrene præerat Syneſius Ptolemaidis Ar-

chie-

chiepiſcopus, eidemque prouinciæ ſummo iure ab Imperatore conſtitutus eſt præfectus Andronicus Berenicenſis. Hic multa atrocia perpetrauit in aliquos è populo, ſibi, ſuæque poteſtati ſubiecto. Præterea vero pro foribus templi appendit libellum, quo nonnulla in Chriſtum contumelioſa continebantur. Id videns Syneſius anno Chriſti quadringenteſimo vndecimo, ſui vero epiſcopatus primo, quantum colligit eccleſiaſticæ hiſtoriæ reſtaurator Cardinalis Baronius tomo quinto, Epiſcoporum Concilium coegit, hominemque arrogantiſſimum ſimul, & efferatiſſimum excommunicauit, omnibus præcipiens, ne eum modo vllo reciperent. Quid Andronicus? licet elatiſſimæ, & obſtinatiſſimæ mentis foret, ſupplex tamen adiit epiſcopos, veniam petiit. recuſabat illi eam dare Syneſius, & abſoluere. Precibus tamen omnium victus dedit, atque abſoluit, hac tamen conditione, quæ prius omnino eſt expleta, vt omni poteſtate deiectus, atque exutus nihil amplius in Cyrene tractaret. Paruit ille, atque abſolutus eſt. Quid his in rebus modo dicemus? quid adnotabimus?

Primo fuiſſe hæc omnia tractata ab Epiſcopis inconſulto non modo Imperatore, ſed etiam Pontifice ſummo.

Secundo fuiſſe cuncta expedita à Syneſio intra breue tempus, ac primo ſuæ poteſtatis anno, vix vnica, vt apparet, citatione, ac nullo prope proceſſu, vt loquuntur.

Tertio depoſitum fuiſſe Andronicum per Syneſium ſolum à ſæculari præfectura. Quonam iure id egiſti quæſo Syneſi? Adeſto, vocant te in ius ante Chriſti, & hominum tribunal noſtræ ætatis ſcriptores. Eſto, fuerit tibi facultas excommunicandi; quanam poteſtate è præfectura nobilis prouinciæ es auſus depellere inconſulto Imperatore iſtiuſmodi virum? quid tibi hoc aſſumis primo epiſcopatus anno? Hæc Syneſius egit, actumque perſtitit, ac Deus comprobauit, licet homines huius ſæculi prudentes improbarent veluti omnino iniuſtum, & maxime iniurium; magiſtratuſque hac in re ſe læſos conquererentur. Sic enim Syneſius ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, commendans illi Andronicum à ſe deiectum ex præfectura, ac fugatum; ſed tamen pænitentem, & obedientem, Alexandriamque idcirco petiturum, ſcribit. *Perijt iuſtitia ex omnibus; Andronicus & prius iniuria affecit, & nunc iniuria afficitur* (hæc erant hominum verba aduerſus acta Syneſij) *Eccleſia vero mos eſt exaltare quidem humilem, humiliare*

vero ſublimem. Nunc itaque Andronicum odiſti quidem ob ea, quæ fecit, quare etiam progreſſus eſt, vt ad hæc deuenerit. miſerere autem nunc ob id, quod cum his, qui in execratione ſunt, conuerſatus eſt. Nam & eos, qui nunc in poteſtate ſunt, propter ipſum offendimus. at horrendum eſt, ſi numquam in felicitate conſiſtemus; ſed cum flentibus ſemper lachrymabimur. Nos igitur hic ipſum tribunali exemimus, & de cætero multo pauciores calamitates ipſi fecimus: etſi pietas tua ipſum cura dignum ducet, hoc ego maximum ſignum ſuſcipiam, quod non penitus homo ille ſit reprobatus à Deo. Hucuſque Syneſius Epiſcopus. non modo Philoſophus, ſed humanarum rerum, publicarumque ſimul adminiſtrandarum peritiſsimus, quod eius epiſtolæ ad Imperatores declarant.

Hæc igitur exempla ſit ſatis adduxiſſe antiquiſsima omniũ, vt ſciamus eccleſiaſticam libertatem, qua non modo liberi ſunt eccleſiaſtici ab omni vel omniũ ſęcularium ſuprema poteſtate, ſed huic præſunt, atq; imperant in eius actionibus, ſentẽtijs, ac iudiciis diiudicandis, poteſtateq; exuendis ipſis omniũ maximis præfectis, quamuis ad publicum ſtatum pertineat, & in dubium reuocari poſſet ex ipſis eccleſiaſticis legibus, quidquid eccleſiaſtici conabantur; innumera poſſent afferri in medium, quæ poſt hæc euenere, & nos alibi attigimus.

Argumenta deſumpta è conſtitutionibus Conciliorum, Epheſini, Romanorum, Lateranenſium, & Tridentini.

Cap. 11.

SEd enim videtur hoc definitum Conciliorũ, maxime vero vniuerſalium ſanctionibus, inter quæ primum nobis occurrit Concilium Epheſinum, cui ducenti Epiſcopi adfuerunt, tomo quinto editionis Peltanę cap. 21. in quo refertur, & approbatur à Concilio lex Theodoſij iunioris, teſtificans diuini iuris eſſe eccleſiaſticam libertatem, quoad omnia. ſed quando eam legem recitamus infra, cum de teſtimoniis Imperatorum tractamus; idcirco primum ſit nobis Romanum quartũ, quod Sym-

Symmachi Papæ temporibus eſt habitum dominante in Italia Gothorum Rege Theodorico, & à ducentis triginta Epiſcopis ex vniuerſo orbe Catholico conuocatis, vt apparet, eſt confirmatum. In illo igitur ſic tota Synodus reſpondit cap. 2. ad Interrogationem Maximi Epiſcopi, omnium Epiſcoporum nomine loquentis. *De me licuit laico legem dare? ſancta Synodus dixit: non licuit.* Et capite tertio ſic decreuit. *Sancta Synodus dixit: liquet ſecundum proſequutionem venerabilium fratrum noſtrorum Laurentij, Petri, Euſebij, Creſconij, Maximi, vel Stephani, nec apud nos irritum habetur, hanc ipſam ſcripturã, nullius eſſe momenti, quàm, etiamſi aliqua poſſet ſubſiſtere ratione, modis omnibus in ſynodali conuentu prouida beatitudinis veſtræ ſententia eneruari conueniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præſumẽdi quibuſlibet laicis quamuis religioſis, vel potentibus in quacumque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis ſacerdotibus diſponendi indiſcuſſe à Deo cura commiſſa docetur.* Hæc Synodus aduerſus edictum Regis Odoacris, iubentis, ne Romanus Pontifex eligeretur abſque ipſius conſultatione, ac ne quid eccleſiæ res alienaretur, manifeſte docens, curam eccleſiaſticarum facultatum à Deo ſolis ſacerdotibus indiſcuſſe commiſſam; laicis vero ita vetitam, vt neque in vtilitatem earum quicquam ſtatuere poſsint.

Notanda vero multa ſunt ex hoc decreto.

Primum verba illa, *Quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi cura commiſſa docetur,* proferri æque principaliter, atque alia, quibus irrita declaratur lex Odoacris. Idcirco vim legis habere imperantis, vt ita credatur, cum dici poſſet, non ita eſſe, ſi verba illa ad confirmandam dumtaxat declarationem pronunciarentur, rationem declarationis exponentia. Nam quandoq; Concilia rationes afferunt accommodatas rei præſenti, alioquin falſas, ſed ab aduerſariis cõceſſas, aut infirmas, & probabiles.

Secundo illud verbum, *docetur,* explicare vim magiſterij Eccleſiaſtici, & Synodalis, cui quilibet credere tenetur, veluti diſcipulus magiſtro docenti; dictumq́. eſt, *docetur,* quaſi Synodus loco Chriſti ſummi magiſtri id proferat, neque velit dicere docemus, ſed *docetur* ab eo, qui eſt ſummus Magiſter, Matthæi 23.

Tertio indiſcuſſe ſolis Sacerdotibus curam à Deo commiſ-

ſam facultatum Eccleſiaſticarum, quod non modo legem ſententiam, & adminiſtrationem, tributumve ijs imponere ſit vetitum laicis, ſed etiam curam, quamuis neque diſcutere aliquid, neque cogitare de illis velint.

Quarto, ſi per ipſum Deum Regi non licet tueri Eccleſiaſticas facultates abſque liberò Epiſcoporum, & Sacerdotum conſenſu, ac petitione, quanto minus licebit, eas tributis onerare, aut aliis adiudicare? Quanto præterea minus de perſonis aliquid conſtituere: idcirco enim ſupra dixit Synodus, laicis non licere de Eccleſiaſticis perſonis legem ferre.

Quinto, ſi culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, cap. culpa de reg. iur. in Sexto, quanto magis adeo vetitæ, vt etiam cogitatio prohibita videatur, quod non contigit niſi in ijs, quæ per ſe vetita ſunt, vel quæ Deus ipſe vetuit, ita vt alij, nihil contra ſtatuere poſsint.

Sexto, obſeruandum dici Eccleſiaſticarum facultatum curam ſolis Sacerdotibus commiſſam, non etiam profanarum, quod harum ſit cura tam laicis, quam ſacratis viris commiſſa, quatenus referuntur, aut non referuntur in Deum, quæ poſsidentur à laicis dominis.

Septimo, Si Epiſcopi non poſſunt Eccleſiaſticarum facultatum curam laicis ita committere, vt ijs ſit poteſtas in illas, quod ipſis ſolis commiſſa ſit, patet non ab vlla lege humana, ſed ab ipſa mere diuina lege, ac proxime, & omnino ab ipſo Deo commiſſam; alioquin poſſent ipſi diſſoluere hanc obligationem: vt habetur l. nihil tam naturale de reg. iur, falſumque eſſet ipſis ſolis hanc à Deo curam commiſſam.

Secundo igitur loco ſubiicimus illud, quamuis ad Pontificem Romanum pertineat declarare, quibus in cauſis ſit nec ne iuri diuino locus, cum tollere illud nullo modo poſsit; tamen anno milleſimo centeſimo vndecimo accidit, quod ſumus dicturi. Maxima fuit inter Gregorium ſeptimum, & Henricum tertium Imperatorem, Germaniæ vero Regem quartū, contentio de inueſtituris Epiſcoporum, Regaliumque iuribus, quod Imperator ius dandi hæc ad ſe pertinere affirmaret, & vellet; contra vero affirmaret Pontifex Romanus. Incredibile eſt quantum ſanguinis humani effuderint Imperatores, vt hæc ſibi arrogarent. Henricus quartus Imperator tertij filius, patre ex Imperij gubernaculis deiecto, ac miſerrime defuncto, & inſepulto, Paſchalem ſecundum decreuit aſtu circum-

cum-

cumuenire. Igitur promiſsis ampliſsimis allectum Romæ ipſum cepit, atque maxima ciuium Romanorum ſtrage facta abduxit vna cum multis Cardinalibus, & Præſulibus fædiſsime vinctis, & ad montem Soractis peruenit exercitu maximo cinctus; vrgebatque vt ſibi ius dandi inueſtituras, ac Regalia permitteret, & Imperij coronam, dignitatemque largiretur. Suadebant id Epiſcopi multi. Reſpondit Pontifex libera voce (verba ſunt hæc Abbatis Stadenſis, qui non longe abfuit ab hoc ſæculo, ſcriptor Pontificibus Romanis infenſus) *Non timeo,* inquit, *dominum veſtrum Regem; occidat corpus, ſi vult, amplius non habet, quod facit, multũ quidem proſperatus eſt, in cæde ciuium & cleri. Sed dico vobis in veritate, quia de cætero non aſſequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus ſuis, ſed nec filium generabit, qui ſedeat in throno eius. Cum hæc renunciata fuiſſent Regi, iratus eſt valde, iuſsitque omnes captiuos decollari in facie Papæ; ipſe vero inſtanter hortabatur eos pro iuſtitia mori, promittens eis vitæ æternæ præmia. At illi vnanimiter prouoluti pedibus eius orabant dilationem vitæ. Tunc Pontifex fuſis lacrymis conteſtatus eſt cordium conſpectorem, ſe malle mori, quã cedere, ſi non præpediret ouibus Chriſti iure impendenda compaſsio fecit igitur quod neceſsitas imperauit, promiſitque ſe Regem conſecraturum, vt captiuitas relaxaretur. Reuerſique in Vrbem Papa, & Cardinales, fecerunt Regi ſecundum voluntatem eius, dederuntque ei priuilegium ſuper omnibus, quæ deſiderauit.*

Anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo, poſtquam Imperator percepta benedictione Theutonicas reuiſit terras, collecta eſt in Vrbe Roma Synodus centum viginti Patrum, vbi Papa acrius incuſatus eſt pro eo, quod Regem ſacrilegum ad imperiale culmen prouexiſſet. Inſuper conſtitutiones Epiſcoporum, quas Patres ſui Eccleſiaſtico iure vſque ad mortem, & exitia defenſaſſent, huic omnium indigniſsimo etiam priuilegio ſtabiliſſet. Ille prætendere cœpit neceſsitatis articulum, ſe quidem peccaſſe, ſed impulſum; emendaturum ſe hanc noxam, ſecundum quod dictaret ſanctum Concilium. Accepta igitur ſatisfactione incuſantiũ, refriguit feruor, definitoq; Concilio priuilegiũ illud, non priuilegiũ, ſed prauilegium vocitandum, ideoq; anathemate reſcindẽdum ſanxerunt, ipſum præterea Imperatorem à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſequeſtrandum cenſuerunt. Hæc ipſa Stadenſis verba deſumpta ab Helmodo, qui vicinior fuit his temporibus, ſcripſit lib.

1.cap.40. aſſentitur iiſdẽ Otho Friſingenſis breuius omnia referẽs lib.7.cap.14. Crantius lib.5.Saxoniæ cap.83.omnes ſcriptores Germani, & Boreales. Eadem Leo Oſtienſis lib.4.cap. 42.hiſtoria Caſsinenſis.

Sed operæ pretium eſt, ac maxime pertinens ad rem propoſitam ſcire, quod actum fuerit in eo concilio. Sigonius non male explicat anno milleſimo centeſimo decimoquarto.lib. 10.de Regno Italiæ è decreto Iuonis. In illo enim *Bruno Signinus Epiſcopus gratias*, inquit, *agamus, quod Pontificẽ Paſchalem huic Concilio præſidentem proprio tandem ore ſcriptum illud audiuimus condemnantem, quod prauitatem, & hæreſim continebat. Qua re audita quidam ex adſtantibus Epiſcopis ſubdidit, ſi ſcriptum illud hæreſim continebat: ergo qui ſcripſit illud hæreticus fuit. Tum Ioannes Caietanus commotus, tu in Concilio*, inquit, *& nobis audientibus Romanum Pontificem appellare audes hæreticum? ſcriptum à Pontifice confectum, malum quidem fuit, ſed hæreſis non erat.* Hæc ille.

E quibus apparet adeo iuris diuini eſſe immunitatem, libertatemque Eccleſiaſticam, vt ob ineuitabilem neceſsitatem tolerare poſsint Eccleſiaſtici illam violari, ſed ius dare, vt violetur, vel vt in poteſtatem laicorũ redigatur, haud poſsint. Hoc eſt enim quod S.Ambroſius, vt ſupra dicebamus, aiebat, *non nego*, nunquam tamen dicebat, concedo.

Quocirca in illo Concilio, quod Paſchalis Romam conuocauit, ita Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus legatus ex Aquitania, totius Concilij conſenſu cunctis præſentibus pronunciauit, vt poſt Vpergenſem, & alios refert idem Sigonius, *Priuilegium pro liberatione captiuorum Eccleſiæ à Paſchali Pontifice per Henricum Regem extortum omnes in hoc ſancto Concilio congregati legitima cenſura, & auctoritate Eccleſiaſtica, iudicio ſancti Spiritus condemnamus, & irritum eſſe iudicamus eo nomine, quod in eo ſcriptum eſt iure lectum à nemine conſecrandum, niſi prius à Rege inſtituatur, quod eſt contra Spiritum Sanctum, & iuſtam inſtitutionem.* Hæc Gerardus, cui ſubſcripſerunt centum prope Epiſcopi.

E ſuperioribus itaque ſic argumentamur.

Primo, ſi libertas Eccleſiaſtica non eſſet iuris diuini proxime ab ipſo Deo ſanciti, potuiſſet Pontifex Romanus id concedere, quod conceſsit Henrico quarto. quod enim Pontificij iuris eſt, Pontifex aut abrogare, aut largiri poteſt, at irritum declara-

declaratur, quaſi nō potuerit. ergo iuris eſt diuini. Non potuit autem, quia erat contra Spiritum ſanctum, ſic enim dicitur eo decreto.

Secundo, idcirco irritum declaratur, non quod metu eſt extortum, vel alio nomine, cum multis nominibus irritum declarari poſſet, ſed quod eſt contra Spiritum ſanctum. Atqui hoc modo eſt maius, quam ſi diceretur contra ius diuinum, quod ſcilicet eccleſiaſticam libertatem minuere proximè lædat ipſum Deum, libertasque eccleſiaſtica ſit diuiniſsimi iuris: alioquin primo fruſtra omitterentur aliæ cauſæ, ob quas irritum poterat declarari decretum. Secundo fruſtra diceretur *contra Spiritum*, non contra Eccleſiam, & Pontificias ſanctiones. Tertio fruſtra etiam ſubijceretur, & *iuſtam inſtitutionem tum humanam, tum diuinam*. At in legibus ſacris nullū verbum eſt ocioſum, ac fruſtra poſitum, Matthæi cap. 5. & 12. & l. ſi quando, de leg. 1. & idcirco non bene aliquis exciperet omnia mala eſſe contra Spiritum ſanctum, ſiue ſint ex vi prohibitionis, ſiue natura ſua.

Quod ſi quis dicat hic agi tantum de inſtitutione, qua ius datur Epiſcopo in epiſcopatum, non de perſonis, aut fundis, bonisue immobilibus, & mobilibus. Reſpondemus tunc actum de poteſtate legitima, qua Epiſcopus vti poterat in quæuis temporalia, vt apparet è concertatione inter Pontifices illius temporis, & res, quam late hiſtorici narrant. Imperator enim nolebat Epiſcopum poſſe illa vti, niſi acciperetur ab ipſo, aut ipſi ſubiecta aſſereretur. Contra ſtatuitur adeo non eſſe hanc illi ſubiectam, vt neque ſubiici iure poſsit. & inſtitutio nihil eſt aliud, niſi ius, quod legitime tribuitur iuxta Canones in Eccleſia, vel eccleſiaſtico beneficio, vt habetur in cap. 1. de reg. iuris in 6. Nominatio namque, & præſentatio nullum ius in re, vel ad rem nominato, ac præſentato tribuunt, & has poſſunt laici habere. electio, quæ ſolis clericis conceditur, ius ad rem confert: inſtitutio, quæ fit à præſulibus, ius ad rem, & in re in eccleſiaſtico beneficio, & Eccleſia dat inſtitutis. Hoc ius non poteſt communicari laicis, quod res eccleſiaſticæ ſint exemptæ ab eorum poteſtate, neque ius ad eas, vel in eas conuenire ipſis poſſet. vt habetur Canone trigeſimo primo Apoſtolorum. Concilio Chalcedonenſi. cap. 23. Nicæno. 2. cap. 3. Hiſpalenſi cap. 9. ac late habetur 16. 9. 7. 1. ſi quis, & ſequentibus. Ius in re facit, vt inſtitutus Eccleſiā, beneficiūq; licite habeā, potiar, admini-

miniſtrē: ius ad rē facit, vt electus alijs pręferatur in aſſecutione eccleſię, vel beneficij, niſi quid aliud cōtingat. nominatio, pſentatioq́; non impediunt, quo minus vno nominato, ac præſentato non poſſint alij nominari, ac præſentari. Quamobrem cum ſcribitur aliquibus laicis ex priuilegio conceſſa electio, non intelligitur propria electio, quæ tribuit ius ad rem, ſed electio nominandi, aut præſentandi: cumque Carolo Magno, & Ludouico tributa aſſeratur ex priuilegio Pontificum Romanorum electio huiuſmodi, intelligitur nominatio, & præſentatio; hinc legimus lib. 1. capitularium cap. 84. ſtatutum his verbis à Carolo, & Ludouico Imperatoribus. *Sacrorum canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi per electionem cleri, & populi ſecūdum ſtatuta canonum de propria Eccleſia remota perſonarum, & rerum acceptatione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur.* Ad ſummum, temporalia cuncta quoties Deo conſecrātur, eiuſmodi ſunt, vt nihil licitæ poteſtatis ſit ſæcularibus in ea, niſi veluti exequutoribus clericorum, ſiuè eccleſiaſticorum: quod ſit iuris diuini eccleſiaſtica libertas, atque immunitas.

Tertio probatur ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro Primo capite vigeſimo nono, in quo ita legitur. *Graue nimis eſſe dignoſcitur, quod in diuerſis partibus mundi rectores, & conſules ciuitatum, necnon & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot Eccleſijs frequenter onera imponunt, & ita grauibus, crebriſque exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quam ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat; ille quidem omnibus alijs ſeruituti ſubiectis, Sacerdotes ſuos, & eorum poſſeſſiones in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit.* Hæc concilium, ad quorum declarationem dicimus.

A Pharaone Deum verum agnitum, ac ſtatutum, vt omnia diſponerentur in ſuo regno iuxta Dei ſpiritum, vt habetur capite 41. Geneſeos, & pſalmo centeſimo quarto, verſ. 21. Atque ita conſtituit immunes ſacerdotes iuxta ſpiritum Dei, Ioſepho ſic conſtituente ex ſpiritu diuino. Quomodo igitur, inquit Concilium, Pharaoni non fuiſſe notitiam diuinæ legis? Non aliter poteſt intelligi, niſi quia nondū ſcripta lex erat vniuerſalis, & publica ab ipſo Deo, quâ decerneretur, vt cuncti ipſius ſacerdotes eſſent cum ſuis rebus à tributis immunes,

ideoque Rex iſtius legis nondum ſcriptæ notitiam non habebat, neque habere poterat, cum nulla diuina conſtitutio ſcripta, ſcriptoque, vti nunc eſt, promulgata eſſet de immunitate Sacerdotum. alioquin veri Dei notitiam habebat, Ioſephumque *conſtituit dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret principes ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*, vt habetur pſal. 104. & ad ſuos dixit. *Et num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? dixit ergo ad Ioſeph. Quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire poterimus? Tu eris ſupra domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet.* Hæc ille. Quamobrem cum dicit, Pharao diuinæ legis notitiam non habebat, intelligit diuinam legem, quæ conſtituit, vt ſacerdotes ſint liberi ab omni cenſu; etiam ſi dentur eis, eorumque familiæ alimenta; eſt itaque lege diuina conſtitutum, vt liberi ſint ſacerdotes, & eorum bona.

Quarto loco definitum videtur hoc in Concilio Lateranenſi magno, quod eſt habitum ſedente Innocentio Tertio, cui ſcribuntur adfuiſſe Patriarchæ Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti, Præſules innumeri, ſic enim capite quadrageſimo tertio, quod eſt relatum in cap. nimis, de iur. iuran. *Nimis de iure diuino quidam laici vſurpare conantur, cum viros eccleſiaſticos nihil temporale detinentes, ab eis cogunt ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramentum: quia vero ſecundum Apoſtolum ſeruus domino ſuo ſtat, aut cadit, ſacri auctoritate Concilij prohibemus, ne tales clerici perſonis ſæcularibus præſtare cogantur huiuſmodi iuramentum.* Hæc Concilium, manifeſte volens clericos non eſſe obligatos obedire ſæcularibus, niſi poſsideant temporale, cuius ratione ſint obligati; vt contingit in feudis habitis à principe ſæculari, & ita conceſsis, vt præſtetur, quod ſolet ob illa, iuramentum fidelitatis. Affertur ex Apoſtolo ratio, quia eccleſiaſtici ſoli Deo, aut maxime, & in primis eius perſonam ſuſtinentibus tamquam Deo parere ſunt obligati, ſtant Deo obedientes, & qui ſecus exigunt aliquo modo nimis vſurpare nituntur de iure diuino.

Quidam reſpondent, hic iuris diuini nomine intelligi Pontificiū ius, quod aliquando vocatur diuinū, quod à Dei ſede procedat per viros Deo dicatos, eiúſq; poteſtatē maxime referētes.

Sed contra hanc expoſitionem faciunt multa, eamque falſam oſtendunt.

Ac primo, aperte eſt contra ipſa Concilij verba, è quibus habetur; ideo eccleſiaſticum cogi non poſſe ad huiuſmodi iuramentum præſtandum, quia Dei ſeruus eſt. Vt autem ſacerdos, & clericus, id eſt eccleſiaſticus ſit ſacerdos, & clericus, ac propterea Dei ſeruus, non eſt ex humano canonum iure, ſed ex Chriſti, Deique lege; qua per modos ab ipſo Deo, Chriſtoque inſtitutos, ac per ſacramenta certa fiunt aliqui clerici, & ſacerdotes, ac miniſterijs diuinis addicti. Sacramenta enim ſolus Chriſtus, Deuſque inſtituere poſſunt. Similiter, vt conſecrata Deo non ſeruiant alijs vſibus, neque ſubiiciantur aliis miniſteriis, eſt ab ipſo conſtitutum. Sic igitur, cum Concilium dicat non eſſe obligatos clericos parere ſæcularibus principibus, quia ſunt ſerui alterius domini, atque hoc ſit ex ipſa Dei inſtitutione, ac iure, non ex Pontificiis ſanctionibus, quæ ſacramenta inſtituere non poſſunt, & à quibus primum non conſtituūtur, vt quæ Dei ſunt, Deo reddantur, manifeſte cum dicat Concilium, iure diuino vetitum clericos præſtare iuramentum fidelitatis, intelligit de iure, quod omnium maxime eſt diuinum.

Secundo idem probatur, quia alioquin verba illa *domino ſuo ſtat, aut cadit*; inepte adducerentur. Poſſent enim dicere principes ſæculares; ego ſum dominus ſacerdotum, quamuis etiam Deus ſit Dominus, ſicut Deus eſt omnium Dominus, & quorumlibet mancipiorum, & tamen Deus idem nos loco ſuo conſtituit; atque idcirco licet aliquis ciuis habeat ſuos ſeruos; nihilominus tam ciuis ille, quam ſerui nobis obedire tamquam ſubiecti debent, quia & nos domini ſumus à Deo primo domino conſtituti. Eodem modo clerici, ſacerdotes, & cuncti præſules eccleſiaſtici nobis, ac per nos Deo ſunt ſubiecti, ac proinde obedire debent, & iuramentum fidelitatis præſtare, ſicut etiam debent illud præſtare laici; vbi exigimus, etiam ſi nihil temporale poſsideant. Idcirco ne inepte locutos Patres Concilij dicamus, aſſerendum nobis eſt, hic Deum ſic intelligi dominum eccleſiaſticorum, vt principes ſæculares non ſint interpoſiti, medijque inter ipſos, ac Deum; verum ſint omnino exempti, ac liberi ab eorum poteſtate, ac ſoli Deo proxime ſubiecti; non eccleſiaſtica lege: nam ſi eccleſiaſticus eſt ſubiectus non poterit legem condere aduerſus dominum

ſuum, cui ſubiectus eſt.

Tertio ſimiliter, niſi ita interpretemur, inepte loqueretur Concilium, cum dicit eccleſiaſticos non cogendos obedire, vt præſtent iuramentum fidelitatis, cum nihil temporale poſſideant, nam poſſunt ad idem compelli cæteri, licet nihil poſſideant. Ac propterea ſatis eſt, vt habitent eccleſiaſtici intra territorium, poſſideantq; eccleſiaſtica bona tuenda à principibus aduerſus prædones, & aliis potiantur, quibus cæteri ciues quiete, & commode viuentes; & quæ pertinent ad victum, ſint abunde ipſis parata. Quamobrem, cum percipiant hoc beneficium, merito dici poſſet, ipſos eſſe obligatos ad fidelitatem, iuramentumque fidelitatis; præterea vero ne proditiones moliantur, ne molientibus opem ferant, faueant, aſſentiantur, vt adiuuent communem ſtatum, bonumque publicum, vt cuncta pertinentia ad vtilitatem corporalem, & ſæcularem. Verum non eſſe obligatos, ait Concilium, quia Deo ſeruiunt, ſiue bene agant, hoc eſt ſtent, ſiue male agant, hoc eſt cadant, Deo ſoli, ac domino ſoli bene, & male agunt, ab illo ſolo puniri, & honorari debent. Ac veluti in ſæcularibus princeps ſæcularis leges fert; atque iuxta eccleſiaſticos canones iure in ijs imperat, & qui particeps eſt illorum ſæcularium, debet ijs obedire, vt habetur in cap. cum ad verum, diſt. *96*. Sic eccleſiaſtici poſſent ad obedientiam, fidelitatiſque iuramentum cogi, ex ipſis canonibus eccleſiaſticis, quæ volunt, vt ſæculari in ſæcularibus pareatur. Ne ſit itaque ius canonicum ſibi contrarium, neque Concilium loquatur abſurde, dicendum, prorſus in omnibus exemptos, ac liberos eccleſiaſticos viros iure maxime diuino, ſolumque Deum dominum ſuum agnoſcere, ac proinde verba illa iure diuino intelligenda de iure proprio, & maxime diuino.

Quarto, mendoſe etiam loqueretur Concilium, cum dicit laicos ſibi vſurpare nimium de iure diuino, vt appare, ſuum namque ius ſibi principes ſæculares aſſumerent, cum vellent eccleſiaſticos viros ſibi fideles eſſe in ijs, quæ proſunt eccleſiaſticis viris; hoc enim iubet ipſum ius diuinum, eccleſiaſticum, & laicale; ſed quando nulla eſt omnino poteſtas laicis in eccleſiaſticos iure ipſo diuino, propterea laici cogere nõ poſſunt clericos ad id, ad quod omni iure ſunt obligati; alioquin ius diuinum vel ſibi repugnaret, vel eccleſiaſticum contrariũ diuino foret, quo iubetur, vt eccleſiaſtici maxime omnium

pro-

procurent bonum cõmune, & omniũ fideliſsimi ſint in eo procurando: ſed ex ſua poteſtate, non aliena id ſtudere ſunt obligati, parare, & tueri.

Omittimus vulgaria nempe verba, ſimpliciter, proprie, & in potentiori ſignificatu accipienda.

Quinto, principaliter Eccleſiaſticam libertatem iuris eſſe diuini probatur ex Concilio Lateranenſi, quod eſt habitũ Leone Decimo, ſeſsione nona, in reformatione curiæ, & aliorum in quo ſic habetur: *Cum fructuum Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, monaſteriorumque, & aliorum quorumcumque beneficiorum plenaria diſpoſitio, & adminiſtratio ad nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, & illos etiam, qui huiuſmodi Eccleſias, Monaſteria, & beneficia iure, & canonice obtinent, ſolum pertineant, ſæculareſque Principes omni, etiam diuino iure id prohibente, dictis Eccleſijs, Monaſterijs, ac beneficijs intromittere ſe nullatenus debeant, ſtatuimus & ordinamus, &c.*

Et paulo poſt: *Cum à iure, tam diuino, quam humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes, & ſingulas conſtitutiones*, & quæ ſequuntur.

E quibus apparet apertiſsime, Eccleſiaſticam immunitatem iuris eſſe maxime & propriè diuini.

Primo, quia dicitur omni iure: ergo continetur etiam diuinũ, quod ab ipſomet Deo ſancitur, & veluti ab ipſo Deo ſancitum traditur, ac promulgatur, nullum namque excludit, & nihil non complectitur, qui dicit omne.

Secundo id clariſsimũ adhuc fit: nam dicitur omni etiam diuino. qui fieri poterit itaque vt excludatur vllum diuinum, cum dicat omni diuino?

Tertiò, cùm poteſtas omnis à Domino ſit, vt dicitur Rom. 13. aut poteſtas, qua laici volunt vti in Eccleſiaſticos, bonaq; Eccleſiaſtica, eſt à Deo, aut ab hominibus, ſiue per ſæculares, ſiue per Eccleſiaſticas leges, quas aliquando diuinas vocamus. Non eſt à Deo, quia neque per Eccleſiaſticos, neque per ſæculares abrogari poſſet. Non ab hominibus, quia tam Eccleſia, quam eccleſiaſtica iura immunitatem eccleſiaſticam firmant: ergo cum Concilium dicit, nullam laicis eſſe attributam poteſtatem iure diuino, dicendum nobis eſt neceſſario intelligi de diuino propriè & maxime diuino.

Sexto. Principaliter adducitur Concilium Tridentinum

feſs. 25. cap. 20. In quo ſic habetur. *Cupiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolum reſtitui, ſed etiam perpetuo ſartam tectam à quibuſcumque impedimentis conſeruari, præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos, vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitum erga Clerum, Parochos, & ſuperiores ordines reuerentiam reuocaturos; nec permiſſuros, vt officiales, aut inferiores magiſtratus Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent.* Hæc Concilium Tridentinum è cuius verbis ita argumentamur.

Omne quod ordinatione Dei, & Canonicis ſanctionibus eſt conſtitutum, eſt iuris diuini: immunitas Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum ordinatione Dei, & Canonicis ſanctionibus eſt conſtituta; ergo eſt iuris diuini. Minor eſt ipſius Concilij, & maior, quamuis clara, probatur, quia ius eſt ordinatio, conſtitutioque. Ideo Martianus Iuriſconſultus aiebat, ex Chryſippo legem eſſe κανόνα, ideſt regulam, & ordinationem, atque ex Demoſthene εὕρημα, conſtitutionem, vt refertur, leg. 2. ff. de leg. Quamobrem iura & leges vocantur Conſtitutiones, Regulæ, Ordinationes, l. leges. C. de legibus. §. his igitur. & §. inordinatum Authen. de hæred. & Falcid. S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. & 3. Hinc ius dicitur ars, ars vero eſt habitus recte ordinans facienda.

Quod ſi quis dicat, ordinationem diuinam ſolummodo ibi intelligi ius Canonicum, redarguetur, quia ſuperuacaneum fuiſſet adiectum Canonicis ſanctionibus, in legibus autem Conciliiſque nullum verbum eſt otioſum vt ſupra dicebamus, ac vocabula proprie ſimpliciter, atque iuxta nobiliorem, præcipuamque ſignificationem ſunt intelligenda, l. quibus. ff. de verb. ſignif.

Si quis item dicat, ibi agi de ſola immunitate perſonarum: refelletur eodem modo. Nam primo nulla vox apponitur reſtringens immunitatem ad ſolas Eccleſiaſticas perſonas: ſecundo aperte ibi decernitur de immunitate non modo Eccleſiaſticarum perſonarum, ſed Eccleſiæ totius: quamobrem continebitur quæuis immunitas reſpectu Eccleſiæ diuinitus inſti-

tuta

tura, comprehendetque quidquid eſt illius, alioquin de ſolis perſonis mentionem Concilium feciſſet. Tertio dicimus immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum pertinere ad omnia perſonas ipſas tangentia. Nam primo muneris appellatione ſignificatur onus. l. muneris. ff. de verb. ſignif. & immunitas, vt ibi dicitur, nihil aliud eſt, niſi eſſe ab oneribus, ſeu muneribus liberũ: & quidquid oneris imponitur, ſiue corpus hominis ipſius, ſiue res, familiamque ipſius reſpiciat, immunitas violatur. Secundo imponitur onus perſonæ, grauaturque neceſſario perſona illa grauatis eius rebus; ideoque vacatio munerum, ſiue immunitas alicui perſonæ generatim conceſſa extenditur ad quæuis onera, tam corpori, quam rebus ipſius imponenda, niſi prædia ſint ex antiquo tempore obligata, vt habetur l. in honoribus. §. qui muneris. ff. de vacatione, & excuſat. Tertio non obſtet ſi quis obiiciat aliam vocari immunitatem perſonarum, aliam rerum. Verum namque iſtud, cum nominatim diſtinguuntur à perſonis res, ac diuiditur immunitas in ſuas partes ipſam integrantes: alias namque diuidi non poteſt omnino à perſona, quin neque intelligi diuiſa, & hæc perſonalis appellatur. Alia diuidi poteſt, verum truncat immunitatem perſonæ, veluti ſi corpori alicui membrum, veluti brachium amputetur, corpus quidem remanet, ſed mutilum, & imperfectum. Sic quando res ipſæ perſonas ſequuntur, §. vltimo. Inſtit. de iure nat. gent. & ciuili. l. iuſtiſsime. ff. de ædilitio edicto. cum nominamus nominatim immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum, comprehendimus cum principali acceſſorium. Quarto comprobatur hoc ex alio; immunitas enim nudæ perſonæ neceſſario affixa ſolet appellari perſonalis, aut perſonæ, non perſonarum. Quod ſcilicet quidam ſint eccleſiaſtici, nihil omnino habentes, & hi ſola perſonæ, aut perſonali immunitate potiuntur; non perſonarum omnium, quarum multis ſunt aliæ res immunitatem participantes: ideo Concilium recte dixit non violandam immunitatem eccleſiaſticarum perſonarum, non dixit immunitatem perſonalem, vel perſonæ.

Atque hæc ſuperabundè adiiciuntur. Satis enim conſtat agi à Concilio de quauis immunitate, cum mentio fiat de immunitate eccleſiæ & perſonarum.

Argu-

Argumenta deſumpta è Pontificum Romanorum teſtificatione. Cap. III.

EXtat ſanctio Ioannis Papæ VIII. diſtinct. 96. cap. 11. in hæc verba. *Si Imperator Catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dixerimus) filius eſt, non Præſul Eccleſiæ. quod ad religionem competit, diſcere ei conuenit, non docere. habet priuilegia ſua poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis conſecutus eſt, vt eius beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cæleſtis ordinis nil vſurpet. Ad ſacerdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vindicet alienum ius, & miniſterium, quod alterī deputatum eſt, ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam conſecutus eſt poteſtatem. non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi; ſed à Pontificibus, & ſacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos, & ſacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, recipique de errore remeantes. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre.*

Ex his conſtat eccleſiaſticam libertatem iuris eſſe diuini. Primo quia ſcribit Pontifex, Imperatorem, cum vult de clericis iudicare, contra diſpoſitionem cæleſtis ordinis, quod eſt contra diuinum ius, aliquid vſurpare. Secundo, quia tradit Deum voluiſſe ad ſacerdotes pertinere, quæ diſponenda ſunt Eccleſiæ; Dei vero voluntas eſt ipſum diuinum ius, veluti quod principi placuit, legis habet vigorem. Tertio, quia teſtatur tendere, ac pugnare contra Deum quicumque Imperator vindicat ſibi alienum ius, ac miniſterium ſacerdotibus aſsignatum. Quarto clariſsime decernit omnipotentem Deum voluiſſe non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſæculi diſcuti, ac recipi clericos, ſed à Pontificibus, & Clericis. Deniq; Deum velle, ſæculi poteſtates ſacerdotibus eſſe ſubiectas, Imperatoreſque Chriſtianos ſubdere executiones ſuas eccleſiaſticis

præſulibus. quibus ſane, quid illuſtrius ad rem propoſitam fingi poteſt?

Tandem ſententiam tulit, ac retulit in iura Bonifacius VIII. cap. quamquam de cenſibus, in ſexto. *Quamquam* ſcribit ille, *pedagiorum exactiones, tam iure canonico, quam ciuili regulariter merito ſint damnatæ, tanto tamen diſtrictius, ne ab eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis talia exigantur, prohiberi oportet, quanto ſi id fiat, maioris inde transgreſſionis reatus incurritur, & offenſa euidentior comprobatur. Cum igitur Eccleſia, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum iure humano, quinimo & diuino à perſonarum ſecularium exactionibus ſint immunes, conſtitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri, (qui ſtatuit Eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel ſoluendum talia pro rebus ſuis proprijs, quas non cauſa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu tranſmittunt) volentes propter multorum inſolentiam, & abuſum pœnæ adminiculo adiuuare, adijcimus, & quæ ſequuntur.* E quibus concludimus immunitatem eccleſiaſticam, tam quoad res eccleſiaſticis ſeruientes, quam quod perſonas, iuris eſſe diuini.

Neque dici poteſt hic diuinum vocari ius canonicum. Primo, quia numquam canonicum vocatur diuinum, cum diſtinguitur ab humano, vt in hac Bonifacij conſtitutione diſtingui videmus. Prima enim diuiſio iuris eſt, aliud diuinum, aliud humanum; diuini aliud reuelatum poſitiuũ, aliud naturale. Naturalis aliud commune cunctis hominibus tantum, & vocatur ius gentium naturæ humanæ proprium, aliud & alijs etiam naturis, quod communi nomine naturale vocatur. Atque hæc diuiſio diuini iuris. Humanum deinde ita diuiditur, vt aliud ſit canonicum, aliud ciuile. Quamobrem cum Bonifacius dicat immmunitatem eccleſiaſticam, non modo humani iuris eſſe, ſed etiam diuini, conſtat eum de diuino, aut reuelato, aut naturali, aut vtroque ſimul verba feciſſe, quia diuino oppoſuit humanum; quod ſi ambo altrinſecus non in eodem ſermone, ac ſententia diſtinxiſſet, neque aliunde apparuiſſet eius mens, poterat admitti hæc reſponſio.

Secundo adhuc refellitur, quod afferunt aduerſarij diuinarum legum. Nam ſupra Bonifacius dixerat exactiones pedagiorum eſſe damnatas, tam canonico, quàm ciuili iure. Quod ſi idem continuo repetiſſet, inutiliter, & fruſtra repetiſſet.

Ter-

Tertio probatur idem ex conuenienti progreſſu orationis. Nam Pontifex ſolers, vt aperiat ſe iuſtis de cauſis excommunicare violatores immunitatis eccleſiaſticæ, primo aſſerit eis hoc prohiberi à iure canonico. Verum, quia dici poterat à ſæcularibus parum pijs, canonicum ius ſeruandum duntaxat ab eccleſiaſticis, non etiam ſæcularibus, addit, à ſecularibus etiam legibus vetari exactiones huiuſmodi pedagiorum. Poſtremo referens hæc repagula iuris humani confracta ab impijs, ſubijcit non modo humanum ius, quod retulit, ab illis violari, cum violant eccleſiaſticam immunitatem, ſed etiam ius diuinum.

Reſpondent igitur alij, Bonifacium loqui hoc loco ex opinione ſua, & aliorum quorundam credentium diuini iuris eſſe eccleſiaſticam immunitatem, non tamen id ſanciri. ſed multipliciter hoc cõfutatur, veluti euidentiſsime falſum. Bonifacius enim non modo recitat hanc ſententiam, nimirum iuris eſſe diuini immunitatem eccleſiaſticam; ſed etiam decernit eam maximis, quibus decerni poteſt, modis. Nam primo ponit veluti euidens exigere pedagia ab eccleſiaſticis eſſe maius crimen, ac maioris pœnæ obligationem ſubiri, quam ſi id prohiberetur generatim canonico, & ciuili iure; ac propterea diſtrictius eſſe, id prohibendum. *Quia maioris*, inquit, *tranſgreſſionis reatus incurritur, & offenſa euidentior comprobatur.* Vt autẽ quis maiori ſe ſcelere inquinet, maiori pœna ſeſe alliget, euidentiusque peccet, non oritur, aut oriri poteſt ex opinione Bonifacij; ſed vel ex ipſa re, ac natura flagitij, vel ex ipſius Bonifacij lege illam opinionem ſanciente: lex enim facit, vt peccatum ſit maius, vt tradit Apoſtolus epiſt. ad Rom. cap. 3. & 4. quod nimirum, qui peccat contra legem, ſit animo præfractiori. Secundo declarat Pontifex, eſſe maius crimen, euidentioremq; offenſam, quia peccatur contra ius canonicum, & ciuile, quæ ſunt humana, ac diuinum, ſiue reuelatum tantum, & poſitiuum, ſiue reuelatum, ac naturale ſimul, atque ita cum fiat contra omnes legum ſpecies, vt ſuo loco latius aperietur, eſt facinus ex omni parte maximum; eſt etiam offenſa euidentior, quia peccatur contra omne lumen, humanum, naturale, & diuinum.

Tertio, cum declaraſſet, violari eccleſiaſticam immunitatẽ eſſe contra ius diuinum, tradit conſuetudinem cõtrariam eſſe inſolentiam, abuſum, & corruptelam. ſic itaque non recitat ſolum opinionem ſuam, verum ſtatuit contrariam ſententiam

eſſe inſolentiam,abuſum,corruptelam.

Quarto multis modis prohibet contrariæ ſentẽtiæ exequutionem, Regesq́ue ipſos, & Imperatores generali edicto obligat:non itaque recitat ſolum opinionem ſuam,ſed eius veritatem ſancit.

Quinto apponit excommunicationis,& interdicti pœnam, ſi qui aduerſus hoc ius diuinum faciant.

Sexto,vt oſtendat maxime diuini iuris eſſe hoc,abſolui reos prohibet, niſi prius integre ſatisfecerint. Quis itaque dicat opinionem duntaxat ſuam,Canoniſtarumue à Bonifacio commemoratam, non etiam modis omnibus firmatam, & ſancitam,contrariam vero prorſus inferis addictam?

Septimo, etiam ſi Bonifacius ſuam tantum ſententiam declaraſſet, ex quo illam profert, non veluti probabilem, ſiue accommodatam, ſumptamq́ue è remotis; ſed veluti cauſam neceſſariam,& adæquatam conſtitutioni, ac pœnæ, quam ſtatuit in delinquentes,ob id dicimus ita illam proferre,ac ſi ſanciret, ad eamq́ue credendam cunctos obligaret: obligat namque ad tantum peccatum,pœnamq́ue tanti peccati ob illam tantum cauſam,quod immunitas eccleſiaſtica ſit iuris diuini.

Argumenta deſumpta è teſtimonij Imperatorum Conſtantini patris,& filij, Theodoſij iunioris,Iuſtiniani, & Caroli Magni, & omnium Iuriſconſultorum ſibi repugnantium, ſi velint aliquid contra eccleſiaſticam poteſtatem ſentire in rebus vllis, alioquin profanis, quæ ad clericos vllo modo ſpectent.

Cap. IV.

IMperator Conſtantinus in Synodo Nicæna, vt in Græco Codice Vaticanæ Bibliothecæ libro ſecundo legimus, adducitur verba faciens ad Epiſcopos. *Deus*,inquit ille,*vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis iudicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium*

& ve-

& veſtra iurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Hæc Imperator oblatis ſibi multis aduerſus Epiſcopos libellis, apertiſsime aſſerens ab ipſo Deo iudices omnium poſitos ſacerdotes; ipſos ab omnium poteſtate exemptos, ac ſoli Deo ſubiectos. Eadem dicta à Conſtantino narrat Ruffinus eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro primo capite tertio, Sanctus Gregorius libro quarto epiſtola ſeptuageſima quinta, ſimilia Theodoretus lib. 1. cap. 11.

Aliqui dicunt hic loqui Conſtantinum ex proprio inſtinctu pietatis. Verum quamuis hæc reſponſio non mereatur refelli, tamen replicatur. Primo inſtinctum pietatis non eſſe contra veritatem, ſcelusque eſt id aſſerere. Secundo, Conſtantinus ideo teſtatur hoc à ſe dici, quia Deus ita conſtituit.

Quantum vero ſpectat ad tributa. Sciendum nobis eſt, olim fuiſſe ſtante imperio Romano quædam tributa fundis impoſita, quæ præſtabantur à cunctis; præter hæc autem ſolita, & ordinaria imponebantur alia extraordinaria, tum rebus, tum perſonis, & quæ perſonis imponebantur, angariæ nomen habuere, quæ rebus tributa, vectigalia, cenſus; quæ vtriſque, perangariæ. Conſtantinus itaque reliquit à clericis præſtanda tributa antiqua fundis impoſita, perſonas eſſe immunes voluit; nouas collationes, quamcumque ob cauſam, & quaſcumque ob res vetuit, vt habetur C. de Epiſcopis, & Clericis. l. 1. & 2. his verbis:

Conſtantinus Aug. Clericis.

Iuxta ſanctionem, quam dudum meruiſtis, & vos, & mancipia veſtra nullus nouis collationibus obligabit; ſed vacatione gaudebitis; præterea neque hoſpites ſuſcipietis. Hæc Conſtantinus pater. At filius ita.

Imperator Conſtantinus Aug. Felici Epiſcopo.

Omnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas; nullaq. conuentio ſit contra eos munerum ſordidorum: & cum negotiatores ad aliquam præſtationem competentẽ vocãtur, ab his vniuerſis, iſtiusmodi ſtrepitus conquie-

ſcat

ſcat; ſi quid enim vel parſimonia, vel prouiſione, vel mercatura, honeſtati tamen conſcia congeſſerint, id in vſum pauperum, atque egentium miniſtrari oportet. At id quod ex eorundem ergaſterijs, vel tabernis conquiri potuerit, & colligi, collectum id Religionis exiſtiment lucrum. Verum etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimonijs habent, Diui Principis Genitoris mei ſtatuta multimoda obſeruatione cauerunt, vt ijdem Clerici priuilegijs plurimis redundarent. Itaque extraordinariorum munerum à prædictis neceſsitas, atque omnis moleſtia conquieſcat. Ad perangariarum quoque præſtationem non vocentur, nec eorundem facultates, & ſubſtantia. Omnibus Clericis huiuſmodi prærogatiua ſuccurrat, vt nec coniugia Clericorum, ac liberi, eorum quoque miniſteria, id eſt, mares pariter, ac fœminæ, eorumque etiam filij, & filiæ immunes ſemper ab huiuſmodi muneribus perſeuerent. Hæc Conſtantinus filius, conſona paternæ conſtitutioni, quæ in Codice Theodoſiano lib. 16. l. 14. attribuuntur etiam Conſtantio Auguſto hæretico, & Iuliano Cæſari, cum ſe Chriſtianũ ſimularet. è quibus multa colligimus.

Primum. Nihil a Clericis tributorum nomine exigi poſſe; quod ſi conueniantur illi, aut aliquid exigatur eſt indebitum, & contra ius omne; ergo etiam diuinum.

Secundum, neque ob negotiationem, vel ſuam, vel ſuorum miniſtrorum poſſe agi contra ipſos, quamuis alioquin ſit competens tributum.

Tertium. Neque ob extraordinariam neceſsitatem muneris alicuius obligari.

Quartum. Gaudere eadem prærogatiua immunitatis non modo ipſos, ſed etiam coniuges, ac liberos, ſeruos, ſeruorumque filios.

E quibus apparet, quam falsè & incaute locutus fuerit Couaruuias, qui dixit in primitiua Eccleſia Clericos non fuiſſe immunes. Apparet enim non modo ipſos, quoad beneficialia; ſed etiam patrimonialia, comparataque, & acquiſita è negotiationibus, ac ſeruos, & liberos ipſorum fuiſſe immunes.

Sed vnde habemus filium Conſtantinum, fateri hanc immunitatem diuini iuris eſſe? è multis; nam de Patre mox agemus. Ex eo, quia vocat indebitam conuentionem, & iniquam exactionem. Nam ſi Imperator ipſe, ad quem ſolum ſpectabat in orbe Romano tributa imponere, poterat imponere, ac præſumitur imponere ob publicum bonum, non erat indebita vel

conuen-

conuentio, vel exactio. Quocirca neceſſe eſt ſentiat Clericos iure diuino immunes eſſe, alioquin non eſſet indebita, iniqua, & improba, vel exactio, vel conuentio.

Secundo. Quia teſtatur hac in re ſequi ſe Conſtantini Patris ſtatuta. At ille aperte dixit, actiones ipſas Imperatorum, malæve, an bonæ forent, diiudicandas à Sacerdotibus, hancque illis poteſtatem iure diuino traditam; quocirca & hæc an bene maleve imponeretur tributum Clericis. ſpeciatim vero teſtificatus eſt ipſe Conſtantinus Pater, iure diuino eſſe ipſos immunes, vt aperietur.

Tertio, Quia tradit Conſtantinus filius, non obligari Clericos, etiam ſi tributum ſit competens, & neceſſarium. Atqui hoc non poteſt eſſe niſi iure diuino; alioquin omnium maxime Clerici, vt diximus, obligantur ad competentia, & neceſſaria. Verum non obligantur ex vi poteſtatis, & iudicij. Ad ipſos enim ſpectat ante omnes iudicare, an aliquid ſit competens, & neceſſarium, potiſsimumque in rebus qualitercumque diuino miniſterio ſeruientibus, idque iure diuino. Idem vero ſenſit Pater.

Primo. Quia dicit in adducta conſtitutione ipſius, hanc immunitatis legem fuiſſe à Clericis meritam. quod autem Clericis datur ob meritum, debetur iure diuino, atque eſt diuini iuris; vt habetur Marc. cap. 10. & 1. Timoth. 5. & 2. Corinth. 9. Et Princeps pro meritis vnicuique ius ſuum reddere eſt obligatus, quod in ſimili aiebant Honorius, ac Theodoſius Imperatores leg. 1. C. ſi nuptiæ ex reſcripto. omnium vero Clericorum nullum poterat eſſe in orbe toto Romano meritum, niſi religionis Chriſtianæ.

Secundo, quoniam idem Conſtantinus Pater Sacerdotibus veluti perpetuis aſſeſſoribus omniumque agendorum Conſiliariis adhibitis (vt Euſebius tradit libro de vita Conſtantini, primo cap. 27.) nihil non tranſigebat, eoſque in aula ſibi adeſſe ſemper, & cunctis non modo intereſſe, ſed etiam præeſſe voluit, ne quid mali perpetraret, quod tradit idem oratione de laudibus Conſtantini circa medium, & libri de vita Conſtantini, primi cap. 35. & ſecundi cap. 12. Id vero non ob aliam cauſam Conſtantinus egit, niſi quod volũtas diuina per illos hominibus pateſiat, cunctaque ad eos ſpectantia referantur, ac referenda ſint in Deum.

Propter hæc fuit ille omnium, qui ante ipſum fuerãt, Impe-

ratorum feliciſsimus, quod his verbis S. Auguſtinus teſtatur lib. de Ciuitate Dei, 5. cap. 25. *Bonus Deus ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has ſublimitates, & Regna terrena exiſtimarent poſſe neminem conſequi, niſi dæmonibus ſupplicaret, quod hi ſpiritus in talibus multum valerent, Conſtantinum Imperatorem non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus audeat. Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio ſociam velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo dæmonum templo, ſimulacroque conceſsit. diu imperauit, vniuerſum orbem Romanum vnus Auguſtus tenuit, & defendit. in adminiſtrandis, & gerendis bellis victorioſiſsimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia proſperatus eſt. Grandæuus ægritudine, & ſenectute defunctus, & filios imperantes reliquit.* Hæc Sanctus. quid vero Conſtantinus ipſe? Hæc ſane ipſius verba, oratione ad Sanctorum cœtum cap. 22. *Ego certe & proſperas meas fortunas, & meas res omnes pietati acceptas refero.*

Tertio, quod ob eaſdem cauſas omnium rerum ſæcularium, quæ in minimis quibuſque ordinantur, & ordinari debent in Deum, iudicia principaliter pertineãt iure diuino ad Epiſcopos; ad ſæculares vero, quod horum iudicia legibus concordent, quæ vel ab ipſis Epiſcopis latæ ſunt, vel approbatæ, ac permiſſæ, vt piæ, & bonæ. Idque etiam Conſtantinus hac lege ſanxit, quæ legitur adhuc in Codice Theodoſiano, titulo de Epiſcopali iudicio, libro decimo ſexto. quamuis vt ſupra oſtendimus, ex Deuteronomio, & Euangelio, Paulo, Patribuſque, & Doctoribus à Deo Chriſto data fuerit illis omnium iudiciorum poteſtas, eamque exercuerint illi ſemper. quam ob cauſam Conſtantinus hanc Sanctionem videtur promulgaſſe.

Imperator Cõſtãtinus Auguſtus Ablauio P.F.P.

Religionis eſt Clementiam noſtram ſciſcitari voluiſſe, quid de ſententijs Epiſcoporum, vel ante moderatio noſtra (nota hoc, non ait liberalitas) *cenſuerit, vel nunc ſeruari cupiamus Ablaui Parens cariſſime. Itaque quia à nobis inſtrui voluiſti, olim prærogatæ legis ordinem ſalubri, rurſus Imperio propagamus. Sanximus namque ſicut Edicti noſtri forma declarat, ſententias Epiſcoporum quolibet genere prolatas ſine aliqua ætatis diſcretione inuiolatas ſemper, incorruptaſque ſeruari, ſcilicet vt pro*

Sanctis ſemper, ac venerabilibus habeatur, quidquid Epiſcoporum fuerit ſententia terminatum. ſiue itaque inter minores, ſiue inter maiores ab Epiſcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum ſummam tenetis, & apud cæteros omnes iudices ad executionem, volumus peruenire. Quicumque itaque litem habens, ſiue poſſeſſor, ſiue petitor erit, inter initia litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cum negotium peroratur, ſiue cum iam cœperit promi ſententia, iudicium eligit ſacroſanctæ legis Antiſtitis, ſine aliqua dubitatione, etiam ſi aliqua pars refragatur, ad Epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur: multa enim, quæ in iudicio captioſa præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inueſtigat, & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. omnes itaque cauſæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ perpetuo ſtabilitatis iure firmentur: nec liceat vlterius retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit. teſtimonium etiam ab vno licet Epiſcopo perhibitum omnes iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum teſtimonium Epiſcopi à qualibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à ſacroſancto homine conſcientia mentis illibata protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes, vt miſeri homines longis, ac pœnæ perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine diſcedant. Quidquid itaque de ſententijs Epiſcoporum clementia noſtra cenſuerat, & iam hac lege complexi ſumus; grauitatem tuam, & cæteris pro vtilitate omnium latam in perpetuum obſeruare conueniet. Dat. III. Non. Maij. Conſtant.

Hæc Imperator Conſtantinus; è quibus ita poſſumus argumentari.

Quidquid tribuitur eccleſiaſticis veluti ob religionem debitum, eſt, ac magis fit illud iuris diuini, vt colligimus è cap. Leuitici 2. 6. 7. 10. & vltimo: vt poſſint Epiſcopi cauſas quaslibet ſæcularium quacumque in parte iudicij, altera id parte petente, aduocare ad ſe, ac definire; id Conſtantinus fatetur illis ſe tribuere tamquam debitum ob religionem: eſt igitur ac magis fit illud iuris diuini. Tres vero ob cauſas Conſtantinus aſſerit deberi Epiſcopis, vt id poſſint. Prima eſt, quia facilius inueſtigant veritatem, luceque religionis immiſſa expromunt è tenebris. Secunda eſt, quod citius, quid ſtatuendum ſit, decer-

nunt, & ſemina litium comprimuntur. Tertia quod incorruptius iudicant cum ſint homines ſacroſancti. Ex quo concludit, hac lege omnium contineri vtilitatem.

Vt vero magis appareat deberi hoc, & dari Deo, ac religioni, multa profert. Nam dicit religionis eſſe, quod quæſitũ fuit: ſe cenſuiſſe hoc faciendum ob moderationem ſuam, ſiue ad ſuã poteſtatem moderandam, quaſi vlterius, quam par erat, daretur ſæcularibus, ac poteſtati ſæculari; inuiolatum, incorruptum, ſanctum, venerabileque eſſe Epiſcoporum iudicium, perpetuo ſtabilitatis iure, ac veritatis auctoritate firmandum, non licere vlterius retractari. Quæ cuncta iuri diuino, & à iure diuino procedentibus conueniunt.

Hæc deinde Conſtantini lex imminuta à nouellis Valẽtiniani illius tertij, quem Maximus occidit; & quo imperante occidentale imperium ad Italiam ſolam redactum, paulo poſt omnino concidit; retenta tamen, & confirmata eſt in Hiſpanijs per Viſigothos, quamuis barbaros, & hæreticos, in Germania, Gallijſque per Francos.

Aduertendum vero eſt, ob iſtam legem Conſtantini monachos, & clericos olim tantũ ſibi poteſtatis arrogaſſe, vt ad mortem condemnatos, ac ductos liberarint, quod vetuere Arcadius, & Honorius l. addictos. C. de epiſcop. audientia, & iuſte. nam monachus, vt diximus libro ſecundo, eſt idem, qui clericus primæ tonſuræ, cui non adeſt poteſtas actiua: ſed etiamſi adſit illa oſtiariis, non adeſt tamen iuriſdictionis actus, ſiue executio; cæteriſque, non niſi pro rebus eorum iuriſdictioni commiſsis ita diſponente ſacerdotij fonte, & apice Pontifice ſummo.

Secundo loco poſt Conſtantini, ac filiorum leges merito à nobis proferetur teſtimonium Theodoſij iunioris, cuius extat lex, quæ videtur ab Epheſino Concilio vniuerſali approbata, tomo quinto editionis Peltanæ capite vigeſimo primo. Sic igitur Imperator ille de immunitate ſacerdotum, ſacrorumque in vniuerſum; deinde ſpeciatim de immunitate templorum ſancit.

Vetus iam inde à paganiſmi temporibus conſuetudo, naturaliſque legis ſanctio pietatis cauſa obtinuit, vt apud omnes quorumcumque rituum nationes publicæ adminiſtrationes, humanæque functiones à religione, ſacriſque ceremonijs ſemper ſecernerentur, nec id modo in rebus ſummis, ſed in quibuſuis promiſcue, vbi ſacris

eris, ac puris legibus locus eſt. Hinc & illud quoque accidit, vt omnium prope mentibus inſitum ſit, naturaliterque perſuaſum, quæ Deo ſemel dedicata ſunt, ea neque profanari, neque vlla hominum inſolentia, diuina vi obnitente, poſſe attingi. Quo enim pacto fieri queat, vt ea polluantur, quæ ſuapte natura ſemper ſunt munda, cæteraque emundant omnia? Et mox. Sanciens templum quibuslibet reis eſſe vtiliſsimũ perfugium, neq; templũ modo, ſed cohærentia quoque ædificia, quæ tẽpli miniſtris ſeruiãt, neque illos inde abſtrahi poſſe iubet, ne quis armatus ingrediatur tẽplum, & quilibet maxima cũ reuerentia ſit in illo. *Nam, & nos,* inquit, *qui legitimi imperij armis numquam non circundamur, quosque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conuenit, Dei templum ingreſſuri, foris arma relinquimus, & ipſum etiã diadema Regiæ maieſtatis inſigne humiliter deponimus, & ad ſacra altaria munerum tantum offerendorum cauſa accedimus. Quibus quoque oblatis, ad extremum, communeque atrium nos recipimus, de proximo, & quaſi intimo nihil quidquam præ cæteris peculiare nobis arrogantes.* Et poſt omnia ad finem de tota ſanctione ſubiicit. *Quidquid decretum eſt, id totum humanitati, atque diuinitati iuxta conſentaneum eſt.* Hæc Theodoſius. è quibus multa colligimus.

Primum, eccleſiaſticam libertatem ſemper fuiſſe iuris diuini, ac naturalis apud omnes gentes: idcirco ait fuiſſe veterem conſuetudinem, & ſanctionem. conſuetudinem dicit, quod conſuetudo ſit non ſcripta lex, ſanctionem, quod ſit ſcripta lex.

Secundum fuiſſe ait, vigente etiam paganiſmo, ac paſsim diffuſo apud omnes quorumcumque rituum nationes, cuiuſcũque ſcilicet falſæ, aut veræ religionis aſſertores; ideoque loquitur non de ſola Chriſtiana religione, ſed qualibet multis ſæculis ante Chriſtianam religionem exorta.

Tertium proponit, quæ nam ſit hæc lex, & conſuetudo, ac duo profert.

Primum, ne quis agat, aut adminiſtret aliquid, licet ille publicam perſonã referat, & publico nomine profiteatur ſe agere, aut adminiſtrare, pertinens ad religionem, & ſacras cæremonias.

Secundum, Deo dedicata nefas eſſe attingi ab vllo, præterquam ſacrato viro, vel ijs vti ad vſus alios, quam ſacros, ſiue profanari. Primum pertinet ad ea, quæ fiunt ab eccleſiaſticis;

ſecundum pertinet tum ad perſonas, ne attingantur ab vllo, vel imperentur, tum ad res, ne quis eas capiat, vel aliquid earum. Hoc ſecundum vult pendere à primo: idcirco ait, *hinc, & illud quoque* oſtendens; eo quod ſæculares ſua tractare, & adminiſtrare, & eccleſiaſtici, ſiue ſacerdotes item ſua debent, accidere multa; in his illud quoque, ne quis vſui ſacerdotum deſtinata adminiſtrare, attingere, in vſus profanos conuertere, vel profanare, aut ijs fungi poſsit, ſiue de ſummis, ſiue de minimis agatur.

Naturalis iuris eſſe aſſerit, cum dicit. *Naturalis legis ſanctio.* Et poſt, *omnium mentibus inſitum, naturaliterque perſuaſum.* Diuini, cum dicit. *Diuina vi obnitente.* Et mox cum tradit. *Decretum totum diuinitati, & humanitati conſentaneum*; ne quis ſcilicet dicat eſſe ex aliqua tantum parte diuinum.

Quartum, tradit ſe in his eodem loco eſſe, quo quilibet è ſæcularibus: ideo refert ſe in templi ingreſſu non modo arma deponere, ſed etiam diadema, & in eadem parte templi commorari, quo ſæculares alij.

Quintum cum dicat publicas functiones, & adminiſtrationes ſecerni à religione, non tamen dicit religionem ſecerni à publicis functionibus, & adminiſtrationibus. Verum teſtificatione illa externa armis, & diademate deponendis, & ſe in communia ſubſellia referendo, apertum facit eccleſiaſticis eſſe ius in ſæcularia; ſi quidem ſæculares velint religionem participare, ac Deum colere; non contra; nam religio dat modum ſæcularibus, veluti finis.

Hæc itaque Imperatores, quibus regnantibus imperiũ Romanum, non modo ſtetit, ſed omnium maxime floruit. Poſt hæc Imperatores cœperunt imminuere eccleſiaſtica iura, ſacrilegi eſſe, & contra diuinum ius, ſiue eccleſiaſticam libertatem plurima ſtatuere, atque vti hanc imminuebant; ſic ipſorum imperium imminuebatur, vt oſtendimus tomo ſecundo de Signis Eccleſiæ Dei ſigno de pœnis imminuentium ſacra iura, & latius libro 7. de Signis Eccleſiæ Dei.

Tertio tamen loco adducemus ipſius Iuſtiniani Imperatoris teſtimonium, quod eſt ab omnibus Iuriſconſultis receptũ. Sic igitur ille. §. nullius, inſt. de rerum diuiſione. *Nullius autem*, inquit, *ſunt res ſacræ, & religioſæ, & ſanctæ: quod enim diuini iuris eſt, id nullius in bonis eſt.* Hæc ille. enumerat deinde tria genera earum rerum, quæ ſunt diuini iuris. Primum eſt rerum ſa-

ſacrarum, quæ ſunt per Epiſcopos diuinis miniſteriis conſecratæ, vti ſunt perſonæ, ac vaſa, aliaque huiuſmodi; ſecundum religioſarum; tertium Sanctarum. Sic igitur hæc iure diuino non ſubiiciuntur poteſtati ſæculari; alioquin ea parte forent in bonis eius, ac ſpectarent ad ipſius ius. Sed Imperator ipſe aſſerit, ac decernit, illas eſſe iuris diuini: ergo neque humani, neque ſæcularis. Deinde aſſerit, ac decernit non eſſe in alicuius bonis: ergo non in bonis Imperatoris, aut Regis, ſed neque Epiſcoporum, vel ſacerdotum. Diximus enim ſupra, ſacerdotes, & Epiſcopos non eſſe dominos rerum ſacrarum, ſed adminiſtratores, ac diſpenſatores, ac dominos tantum tituli. Recte enim Sanctus Paulus 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpēſatores myſteriorū Dei.* Ex his colligitur ſibi ipſi repugnaſſe Imperatores, ac Reges, quoties in ſuos vſus, ac tranſtulerunt eccleſiaſticos fructus, aliquid aduerſus eccleſiaſticā libertatē ſanxerunt, vel eius aliquod ius vſurparūt. Nam, quod habetur in Iuſtiniani inſtitutionibus à Caio eſt deſumptū l. 1. ff. de rerum diuiſione. qui iuxta leges Romanas, ſeu potius omnium gentium ſcripſit illud, vt ſexto libro aperietur. Quamobrem, cum Chriſtiani Imperatores non eſſent Epiſcopi, aut ſacerdotes; in eorum bonis, ac poteſtate non erant ſacræ res; neque poterant illas adminiſtrare, aut aliquid de illis ſancire. Reliqua ad Iuſtinianum, legesque eius pertinentia dicentur infra ſuo loco.

Quarto loco, videamus quid ſenſerint Imperatores Occidentis poſt imperium à Leone Pontifice Romano reſtitutum anno octingenteſimo primo, collatumque Carolo Magno: igitur feliciſsimus hic, & omnium ſummus Imperator libro ſeptimo capitularium capite ducenteſimo octuageſimo primo, cum multa retuliſſet ſtatuta aduerſus clericos delinquentes, inquit. *Iſta vero omnia, quia vires noſtras excedant, in iudicium Epiſcoporum iuxta canonicam ſanctionem definienda relinquamus, vt hæc, quando orta fuerint, ita definire ſatagant, vt nec ſecundum ſæculum iuſtam reprehenſionem, nec penes Dominum (quod abſit) damnationem: ſed æternæ beatitudinis ipſo auxiliante, qui omnia infucata præſtat, præmia conſequantur.* Hæc ſummus omnium, qui in Occidente regnauerint, Imperator aperte aſſerens eſſe ſupra Imperatoriam maieſtatem humanamq; Regum, & Principum ſæcularium poteſtatem, ſuo modo imperatoriā participantium, ac proinde ſupra humanū

ius à ſæcularibus Principibus conſtitutum, quidquid ſtatuitur in clericos delinquẽtes. Porro in capitularibus refertur, quidquid eſt ab Epiſcopis conſtitutum, vel Concilijs ipſis, maxime vero pertinens ad clericos. Idcirco cap. 34. libri 4. cum narrat Imperator, quænam accuſatio ſit aduerſus clericum recipienda, & quæ reiicienda ab Epiſcopis. Similiter quomodo ſatisfacere debeat ſolo iuramento, cum quid aduerſus eum producitur, id totũ profitetur definitum auctoritate, & conſenſu Pontificis Leonis, Epiſcoporũ, & ſacerdotum. Sic igitur tam quodnam ſit clericorum delictum, & quomodo ſit aduerſus eum iudicialiter procedendum, tam quomodo, & à quo ferenda ſit in ipſum ſententia, id ad Epiſcopos pertinere tradit Imperator, libro 6. cap. 154. & libro 7. cap. 139. huiuſmodi conſtitutio refertur iiſdem verbis. *Nullus iudicum, neque presbyterum, neque diaconum, neque clericum vllum, aut iurisdictiones Eccleſiæ ſine licentia Pontificis per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia, cui iniuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum agnoſcat, & emendet.*

Quin idem nihil agebat graue in bello, aut pace, niſi aduocata Epiſcoporum Synodo: legimuſque in Chronico Reghinonis ab anno 770. vſque ad 813. quo Carolum ſcribit hic obijſſe, Synodos ab eo fore quotannis celebratas.

Amplius libro ſexto capite ducenteſimo octuageſimo primo renouat conſtitutionem Conſtantini, quam ſupra retulimus, & qua datur poteſtas Epiſcopis auocandi à quolibet iudice ſæculari ad ſe cauſas omnes in quacumque parte iudicij forent, atque ita definiendi illas, vt nulla ſit appellatio ab Epiſcoporum ſententijs, parteſque ſæcularis magiſtratus eæ tantum ſint, vt illas exequatur, quamuis eam legem Carolus dicat eſſe Theodoſij, quod ſcilicet habeatur in Codice Theodoſiano. Refertur quoque à Gratiano, quaſi ſit Caroli Magni, & Theodoſij 11. quæſt. 1. cap. volumus.

Argu-

Argumenta deſumpta ex confeſsione Imperatorum gentilium, & hæreticorum, cum ſanæ mentis fuerunt. Cap. V.

SEd enim gentiles ipſi Imperatores, & hæretici Reges cum ſanæ mentis fuerunt, iure diuino liberos eſſe Eccleſiaſticos viros vna cum rebus, ac templis confeſsi ſunt. Videamus an ita ſit. Alexander Imperator, *Cum Chriſtiani,* (inquit Lampridius in eius vita) *quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent: contra popinarij dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit melius eſſe, vt quomodocumque illic Deus colatur, quã popinarijs dedatur.* Hæc Lampridius. Atqui niſi Alexander Imperator iudicaſſet Eccleſiaſticos eſſe liberos, & exemptos à ſua poteſtate, condemnaſſet illos, veluti inuaſores, ac prædones rerum publicarum: quippe qui publicum locum per ſuos Sacerdotes templo ædificando occupaſſent. factum Chriſtianorum Sacerdotum ſic ille gentilis Imperator non improbauit, aut puniit, vt potius illos laudauerit, alioquin ſeuerißime caſtigandos, quod loca ſæcularia nihil ad ſe pertinentia, & quidem publica vſurpaſſent. Imperatoris maximi eſt, Sacerdotibus Deo ſæcularia qualitercumque dedicantibus, quamuis publico, & priuato iuri fiat iniuria, aſſiſtere, & opem ferre. Nam ſi ciuilia, & ſæcularia iura ſpectes, locus ille manifeſte erat publicus, & popinarij ius ſuum proferebant; neque ex alio capite adiudicatus eſt Chriſtianis, niſi quod agebatur de re Eccleſiaſtica, & ſacra dedicanda, quamuis nondum dedicata, remiſſumque eſt eis crimen alioquin publicum, & graue. Eant igitur Reges, & Imperatores noſtri, ac iactent ſe Chriſtianos, & Chriſti ſtudioſos cum ſua publicaque largiri nolunt, ſed contra prædari Eccleſiaſtica, & in ſe transferre contendunt.

Inſpiciamus aliud exemplum. Paulus Samoſatenus erat Antiochiæ Epiſcopus, incidit in hæreſim, condemnatus eſt à Concilio, ac dignitate ſpoliatus, & poteſtate Epiſcopali. Is tamen migrare è domo Epiſcopali nolebat. Appellauit ad Imperatorem Aurelianum. Quid Imperator gentilis? Num de re ſæcularibus vſibus, quamuis Eccleſiaſticorum deſtinata iudicare

care aliquid voluit, licet orbis Romani habenas moderaretur? *Sanctiſſime* (inquit Euſebius lib. 7. cap. 24.) *de ea re ſententiam rogatus decreuit, præcepitque, vt domus Eccleſiæ illis reſtitueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent.* Hæc Euſebius. Imperator itaque ſummus ad ſe huiuſmodi cauſam nil ſpectare cenſuit, quamuis rogaretur ab Epiſcopo celeberrimæ, ac nobiliſsimæ ciuitatis, rem totam dixit eſſe Pontificis Romani, & epiſcoporum, & Reges Chriſtiani audebunt ſeſe rebus eccleſiaſticorum diiudicandis admiſcere? parumque id eis videbitur, niſi & de perſonis ferre ſententiam quoquomodo velint? Nec pudebit eos hæc aggredi, & aliquo modo moliri, & cogitare? Hi ſane Imperatores nullo humano iure ſe obligatos certiſsimo ſciebant, & exiſtimabant. Solo diuino neceſſe eſt crediderint aliquo modo ſe impeditos, id ſolum qualitercumq; reueriti ſunt, ac reſpexere. & proculcabunt hoc, & negabunt, ſepelientque Chriſtiani Principes? & Chriſtiani iis Theologi ſuffragabuntur? Neque nos pudebit aliquando imprudentiæ (nullo modo dicam impudentiæ) noſtræ? En itaque eccleſiaſtica immunitas pertinens ad loca profana, aut etiam Deo dedicata, factis Imperatorum gentilium, qui fuerint omnium maximi, conſignata, ac ſtabilita, diuini ſine dubio iuris aliquo reſpectu & cultu.

Veniamus ad hæreticos. Alaricus Gothorum Rex barbarus Arianus Vrbem Romam prædatus eſt. Iuſsit illud tamen, vt omnibus, qui ad eccleſias confugiſſent, ſiue gentiles eſſent, ſiue Chriſtiani, iis parceretur, atque ita ſeruatum fuit. quod tradit S. Auguſt. lib. de ciuitate Dei 1. cap. 1. & 7. Sozomenus lib. 9. cap. 10. Cum vero milites vaſa pretioſiſsima aurea, argenteaque è templo ad illum detuliſſent, continuo referri iuſsit maxima cum reuerentia per mediam Vrbem triũphali pene pompa, quam late deſcribit Oroſius lib. 7. cap. 30. Caſsiodorus variarum lib. 12. epiſt. 20. Hæc itaque barbarus, atque hæreticus Rex: qui ſane nullo humano iure tenebatur, cum nulli eſſet ſubiectus, Conciliis vniuerſalibus, & Pontificũ ſanctionibus haud obediret. Noſtra hæreſibus exiſtimabat eſſe cõmaculata. Quonam iure igitur opinatus eſt ſe aſtringi ad immunitatem tẽplorum tuendam, cultumque rebus eccleſiaſticis, & vaſis, quæ putabat eſſe hæreticus inquinata, exhibendum? Non alio certe niſi diuino. & nos audebimus ex animis

mis hominum ſententiam tanti momenti euellere, aditumque aperiemus ad ſacra conculcanda, refringemus diuinitatis repagula, atque è piis impios mortales efficiemus?

Pepercisse & quidam volunt Genſericum Vandalorum Regem crudeliſsimum, & hæreticum theſauro ſacro trium Baſilicarum ſanctorum Petri, & Pauli, & Ioannis ad Lateranum, produntque in S. Leonis Papæ vita.

Videamus adhuc quales fuerint & alij quidam Reges hæretici, ac barbari. Theodoricus Oſtrogothorum Rex Romam, totamque Italiam tenuit Imperio ſuo, ac licet ſæpe Eccleſiaſtica immunitatis iura diminuerit, haud potuit tamen tantam vim veritati afferre, quin confiteretur ad eos pertinere, quidquid inter eccleſiaſticos ob profanas etiam res oborıretur. *Sic* enim lib. 3. epiſt. 37. ad Petrum epiſcopum ſcribit. *Si in alienis cauſis beatitudinem veſtram conuenit adhiberi, vt per vos iurgantium ſtrepitus conquieſcat, quanto magis ad vos remitti debet, quod vos ſpectat actoreſ?* et mox. *cauſarum veſtrarum qualitas vobis debet iudicibus terminari, à quibus magis eſt expectanda, quam imponenda iuſtitia.* Hæc Caſsiodorus lib. 3. epiſt. 37. At Rex nulla ratione poterat hæc dicere, niſi diuinam legem ſuffragari epiſcopis crediδiſſet: alia namque iura nullo apud illum loco erant, & illis ſe non obligatum profitebatur, quippe qui ſe hæreticum profiteretur, neque obnoxium legibus Catholicorum, Regemque nulli ſubiectum.

At vero Alaricus Rex, & ipſi Gothici ſanguinis Arianæq; perfidiæ, cum audiſſet miniſtros eccleſiæ Romanæ licet laicos non eſſe ad ſæcularium tribunalia trahendos ex longæ conſuedinis inſtituto, pœnam conſtituit in eos, qui aduerſus hanc conſuetudinem feciſſent. *Dignus eſt enim*, inquit, *duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & noſtra iuſſa temeraret.* Hæc ille, aperte aſſerens ideo ſe deferre conſuetudini illi, quod diuinitate nitatur, diuinæ reuerentiæ iuribus fulciatur, ita vt duplex pœna infligenda ſit iis, qui contra auſi fuerint, quod legem diuinam contempſerint (nam, niſi lex adfuiſſet, & conſuetudo illa diuina haud fuiſſet, quomodo pœnæ vllos alligaſſet?) & Regia iuſſa neglexerint. Certe Rex ille nullo iure, niſi diuino obſtringebatur ad huiuſmodi conſuetudinem tuẽdam, pœnaque muniendam; nam cætera iura nihili faciebat: diuinitatem tantum proſert.

Quod apertiſsime ex initio epiſtolæ ad Clerum Romanum

ſcriptæ patet, in qua ſic habetur. *Tanto diuinitati plurima debemus, quanto cæteris mortalibus maiora ſuſcipimus. Nam quid ſimilia rependat Deo, qui potitur imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè, ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur. Itaque flebili aditione cauſamini hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, vt ſi quis ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ ſeruiẽtẽ aliqua crederet actione pulſandũ, ad ſupradictæ ciuitatis Antiſtitem negotiũ ſuũ dicturus remitteretur.* Hæc ille, clariſsime aſſerẽs Reges debere hoc Deo, ac Deo dari, quod ſeruientibus eius datur. Vtrũque horum diuini iuris rem fecit: & aduerte. Nam Rex loquitur hic non de clericis, ſed ſeruis eccleſiarum. Et erunt Chriſtiani Principes, qui Eccleſiis ſeruientes laicos ad tribunalia ſæcularium iudicum trahi volent, & ſe Chriſtianos, aut Catholicos profitentur? Num dicemus barbaris, & hæreticis deteriores iſtos? Inducere animum numquam poterimus, vt ita cogitemus.

Argumenta deſumpta ex eo, quod aduerſarij dicunt non eſſe legem diuinam, quæ aſſerat hanc libertatem, & ex eo, quod Sancto Paulo contigit. *Cap. VI.*

ARgumentantur aduerſarij, & in his Couaruuias. non eſt in veteri teſtamento, aut nouo lex vlla, quæ iubeat clericos, & rebus diuinis deſtinatos eſſe immunes, & exemptos à Regum poteſtate, vel ſacra loca huiuſmodi, quæ regiæ legi, ac poteſtati non ſint obnoxia. Non eſt ergo, quod aliquis aſſerat huiuſmodi immunitatem, vel exemptionem iuris eſſe diuini, ſic iſti.

Primo loco ad hoc reſpondetur, plurima eſſe in veteri teſtamento, ac nouo præcepta ad hoc pertinentia, vt oſtendimus.

Secundo quamuis non eſſet vllum præceptum in ſcripturis; tamen ad hoc poſſet ſufficere totius Eccleſiæ conſenſus, teſtantis id eſſe diuinum præceptum, quod infra aperietur: plurimæ

nam-

namque ſunt, nullo modo ſpeciatim nobis imperata in ſacris libris, quæ tamen ex traditione ſcimus eſſe iuris diuini, vt plurium ſacramentorum formæ, & innumera, quæ ſola traditione tenentur. de quibus ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola capite ſecundo inquit Paulus. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermones, ſiue per epiſtolam noſtram.* Hæc vero exceptio, ne quid recipiatur, quaſi à Deo præceptum, niſi explicetur veteri, aut nouo teſtamento, eſt hæreticorum: quam cuncti patres execrantur, SS. Ignatius epiſtol. ad Heronem, Dionyſius Areopagita capite vltimo de eccleſiaſtica hierarchia, Irenæus lib. 3. cap. 2. Tertullianus de corona militis, Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. Baſilius libro de Spiritu ſancto cap. 29. Chryſoſtomus, & cuncti, qui commentarios ediderunt in adducta Apoſtoli verba.

Tertio reſpondetur, ratio naturalis comprobata omnium gentium bene inſtitutarum legibus, aut conſuetudine cogit nos, vt fateamur eſſe diuinæ voluntati contrarium profanis poſtponi, aut ſubijci ſacra, vt latius infra aperietur. quod enim iuris eſt naturalis, eſt etiam diuini; neque aliud eſt natura non corrupta, niſi quædam vox diuina nos inſtituens ad rectum ſequendum.

Non puduit adhuc quoſdam producere & illud. Paulus cum videret ſe inique tractari à iudicibus, appellauit ad Cæſarem, quod habetur actuum Apoſtolicorum cap. 25. Non igitur vllo iure eſt exemptus Epiſcopus, qualis erat Sanctus Paulus, à iudice ſæculari, qualis erat Cæſar. Hæc iſti. Atqui negatur conſequentia iſta: appellauit ad Cæſarem Paulus; ergo non erat Paulus exemptus. Primo enim loco, Cæſar non admittebat vllum ius Chriſti, aut Moyſis, quoad iudicia. & idcirco licet extitiſſet ius Dei noſtri, deriſiſſet illud allegantem Cæſar. Numquid vero iſti volunt apud ſuos principes ſæculares eodem loco eſſe legem Chriſti, ac Dei veri, quo erat apud impios, & infideles Imperatores? aut volunt è Chriſtianis, & pijs principibus efficere impios, & infideles?

Secundo. ideo ius propriæ exemptionis dicimus non eſſe à S. Paulo adductum, quia magis irritaſſet impios, & inimicos veritatis, atq; ex impijs magis impios effeciſſet, quod ſcilicet Cæſar non modo Imperatorem ſe vellet, ſed etiam Pontificem maximum, vt apparet ex inſcriptionibus: licebit itaque eodē modo cuilibet clerico appellare ad Pontificem ſuum maxi-

mum. niſi admirabiliter etiam velint iſti ſuos Principes ſæculares eſſe Pontifices maximos, nouamque Eccleſiæ Chriſtianæ formam adducere, ſiue omnia ſubuertere.

Tertio reſpondemus, Paulum non fuiſſe ſacerdotem modo vllo gentilibus illis, & Cæſari; ac proinde non fuiſſe illis immunem; alioquin gentilium ſacerdotes, & ipſi ſuis immunitatibus potiebantur, vt oſtendemus. Sic itaque iſti faciunt noſtros principes infidelibus deteriores, quin euertunt omnino ſacerdotium, rediguntque ad extremam ruinam principatus ſæculares: extremæ enim ruinæ eſt, cum cōtingit illud, quod veluti ſummæ miſeriæ deplorat Iſaias capite vigeſimo quarto. *Et erit populus, ſic ſacerdos, & ſicut ſeruus ſic Dominus eius*, cum ſcilicet prænunciat populum Iudæum diſpergendum.

Quarto reſpondemus, Paulum appellaſſe ad Cæſarem, non quod Cæſar haberet vllam legitimam in Paulum poteſtatem, ſed quod haberet illam, quam, & Pilatus in Chriſtum, qui dixit, vt habetur Ioan. 10. *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondens Ieſus, non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper; propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*. Hæc Chriſtus, qui dixit, aliquam Pilato eſſe poteſtatem. Quamnam? legitime iudicandi? Quis hoc, niſi hæreticus dicat? Nam pater omne iudicium filio dedit, omnia dederat illi in manu, omnia tradita fuerant ipſi à patre, ipſe erat hæres, habebat poteſtatem omnis carnis, & in propria venerat, poteſtatem habebat dimittendi animam, & iterum ſumendi eam: Pilato itaque in Chriſtum, & ſæcularibus in Paulum, reliquoſque Apoſtolos poteſtas erat facti, nō iuris, eadem, quæ belluis in obuios quoſque mortales, de qua loquens Chriſtus ad eos, qui ipſum capiebant, dixit Lucæ 22. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, quarum rectores ſunt dæmones; vt docet nos Paulus ad Epheſ. ſcribens cap. 6. Quamobrem dicet aliquis eos, qui conantur tollere immunitatem legitimam clericorum, & ſubijcere illos poteſtati ſæcularium, conari mortales adducere in tenebras, ac dæmonum poteſtatem, Regeſque ac Principes ſæculares immutare in ipſos dæmones, & cum dæmonibus inire ſocietatem.

At enim reſpondebunt, poteſtas qua ſunt vſi principes ſæculares in Chriſtum, dæmonum poteſtas erat nullo iure innixa. Non tamen qua ſunt vſi in S. Paulum. cui ſuccedunt Epiſcopi,

pi; quaſi vero Sanctus Paulus non fuerit membrum Chriſti, neque vero dixerit de ſe ad Galatas cap. 2. *Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*. Audiamus tamen quando vidimus poteſtatem Pilati in Chriſtum fuiſſe poteſtatem tenebrarum, cuius poteſtatem fuiſſe Paulus vocet, qua vſus eſt in eum Cæſar, in cognoſcenda ipſius innocentia, in ipſo abſoluendo, atque hac parte honorando. Sic igitur ille ad Timotheum 2. cap. 4. ſcribens. *In prima mea defenſione, nemo mihi adfuit, ſed omnes me derelinquerunt, non illis imputetur. Dominus mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, quia liberatus ſum de ore leonis*. Hæc Sanctus, Imperatorem, ad quem appellauit, vocans leonem, qui aperiat os ad hominem deuorandum, quin iam teneat ore. Quocirca poteſtas ſæcularis, ad quam neceſsitate adductus confugiet appellans clericus, vt ab illa iuſte tractetur, & abſoluatur, non eſt poteſtas diuina, non humani Regis, non hominis tyranni, non qualiſcumque beſtiæ, ſed famelici leonis. ac tales efficere contendent Reges noſtros, Theologi, Iuriſconſultique Chriſtiani? Nemo ſit, qui dicat, neque enim mens horum talis.

Argumenta deſumpta ab eo, quod aduerſarij dicunt in Eccleſia primitiua, non fuiſſe eccleſiaſticam libertatem, atque ex ijs, quæ Iuſtinianus decreuit.

Cap. VII.

VRgent adhuc tamen, & adducunt illud in medium, in primitiua, ſic iſti loquuntur, Eccleſia clerici non erant immunes, verum Reges, & Imperatores ſuis eos legibus obligabāt, ſuis tribunalibus ſubiiciebant, eorum rebus, ac moribus normam præſcribebant, vt apparet è Codice Iuſtiniani, titulo de Epiſcopis, & Clericis, de epiſcopali audientia, & ſacroſanctis eccleſijs: ergo non ſunt immunes. Elegantiſsimum ſane argumentum. Nam cum diſputemus, an iure potuerint, poſsintque Reges conſtituere aliquid pertinens aliquo modo ad clericos, doctiſsime concludetur, ſi quis dicat, iure hoc potuerunt, ac poſſunt, quia

fecerunt. Atqui hoc modo principium petitur, vt inquiunt, & aſſumitur tamquam conceſſum, confeſſumque, id de quo eſt tota cōtrouerſia: perinde ac ſi quis aſſerat aliquam rem ſuam, quia rapuit in medio poſitam, vel potius è manu Domini, ac poſſeſſoris extorſit. vt enim reſpondeamus argumētationi adductæ, cum immunitatem eccleſiaſticam iure diuino ſancitā reliquiſſet, declaraſſet, conſtituiſſetque Conſtantinus Imperator illibatam, & integram, Iulianus, & Conſtantinus hæretici, & impij cōcutere cœperunt; Valens inde Arianus, & Valentinianus imminuere; ſecuti ſunt hos aliqui Imperatores, & in his poſtremis ætatis ſuæ annis Iuſtinianus. Eſt igitur falſum in primitiua Eccleſia non fuiſſe immunes clericos, cum tempore Conſtantini, qui primus fuit Imperator Christianus, qui imperium Romanum Chriſto adiecit, erant maxime immunes: ſic etiam in quolibet regno primi quique optimi omnium, feliciſsimique Imperatores immunitatem eccleſiaſticam maxime tutati ſunt, ac promouerunt, vt aperuimus libro ſeptimo de Ruinis gentiū, quin & infra aperietur ab ortu mundi extitiſſe ſemper. Sed qui eccleſiaſticam libertatem, poteſtatemq. labefactarunt; oſtendimus ſigno nonageſimo quinto de pœnis in imminuentes iura ſacra, Imperatores iſtos diuinitus immiſsis cladibus accerrime caſtigatos, & imperia diminuta, ac mutila tranſmiſiſſe ad ſucceſſores, ita Reges quoque alios, qui ſunt eorum veſtigia nequiter impreſſa imitati, ſimiliter cælitus punitos oſtendimus libro ſeptimo de gentium Ruinis, & infra dicetur.

Quin tertio loco dicimus iſtos Reges Chriſtianos fuiſſe peiores in Eccleſiaſticæ libertatis tuitione Alexandro Seuero, ac Valeriano Imperatoribus infidelibus, & Gothis Arianis, cum ſane mentis fuerant, qui abſtinuerunt à ſacris Chriſtianorum rebus adiucandis, aut violandis, vt oſtendimus ſupra.

Quamquā quarto loco adiicimus hac parte omnino nequiores iſtos Reges fuiſſe infidelibus Regibus, & populis, qui ſuos Sacerdotes immunes eſſe voluerunt, ac primas eis in omnibus dedere, cum lumen rationis naturale viguit inter illos, & explicabitur ſuo loco.

Quocirca, vt quinto loco reſpondeamus, oportebat, qui hæc citant, imitari leges illas Iuſtiniani, quæ diuino ſpiritui conſonæ ſunt, in quibus eſt nouellā, vt differentes iudices, collatione

tione nona, titulo decimo, qua cauetur, vt Epiſcopi poſsint compellere iudices ad iuſtitiam faciendam aut per ſe, aut per litteras ad Imperatorem directas: quod ſi iudex ſit ſuſpectus, Epiſcopum poſſe ſeſe illi adiungere in examinanda, & iudicanda cauſa, ac ne quis adeat Principem, niſi prius adierit Iudicem, vel Epiſcopum. Statuitur præterea, ne monachus, Clericusve, aut Epiſcopus adeat principem ſine litteris ſui Patriarchæ.

Sexto, reſpondemus Iuſtinianum paſsim profiteri quæcumque ſancit pertinentia ad Clericos, à ſe ſanciri iuxta canones Eccleſiaſticos & collatione ſexta titulo vndecimo decernit Clericos non eſſe ſub poteſtate ſæcularium, niſi ab Epiſcopis ſpolientur, *Secundum ſacras,* inquit, *& diuinas regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur leges,* inquit coll. 1. titulo 5. de monachis, & tit. 6. quomodo oporteat. ſ. ſed etiam. & ſ. vltimo, & coll. 6. tit. 9. vt clerici apud proprios Epiſcopos, & collat. 9. de Eccleſiaſticis titulis, & tit. decimo, vt differentes iudices quarto tit. 6. collatione. qua iubet, vt quatuor Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis dogmata omnino veluti ſanctæ ſcripturæ accipiantur, & regulæ ſicuti leges obſeruentur. Hæc ille. Atqui in Concilio Chalcedonenſi interdicitur Clericis, ne ſæculares iudices adeant, & in Epheſino approbatur lex immunitatis à Theodoſio Iuniore lata, quod hæc ſit diuini iuris. Cum recipit itaque, & recipi mandat iſta concilia, vltimis ſuis conſtitutionibus Iuſtinianus, profecto priores abrogat, & ſancit Eccleſiaſticam immunitatem.

Septimo, Reſpondemus, Iuſtiniani leges contrarias canonibus non fuiſſe, neque receptas, quin delituiſſe earum libros vſque ad Imperatorem Lotharium, qui inuentas Melphi Pandectas protulit in lucem. Conſtatque è Codice iuris Orientalis eas in Oriente numquam fuiſſe in vſu. Non fuerunt autem receptę, quia correxit ipſemet quatenus afferebant detrimentum libertati, ac poteſtati Eccleſiaſticæ, vt ſuperiori reſponſione eſt dictum.

Poſtremo, dicimus ab ortu mundi, vſque ad ętatem noſtram ſemper vnicuique nationi fuiſſe liberos, atque immunes ſuos Clericos, & Sacerdotes. Atque hoc ius fuiſſe in Eccleſiam diuinitus translatum: quod infra aperietur.

Argu-

Argumenta deſumpta ab argumentis aduerſariorum, dicentium à ſanctis præſtita tributa ſæculari poteſtati, dictiſque Sanctorum Ambroſij, & Vrbani Papæ.

Cap. VIII.

ATqui inquiunt aduerſarij, non ne ſanctiſsimi viri ante Conſtantinum veluti honorificum de Chriſtianis omnibus prædicabant ab ipſis præſtari tributa? inter hos certe erant & Clerici. Nam Iuſtinus in Apologia ſecunda ad Antonium Imperatorem Irinæus lib. 5. cap. 24. Tertullianus libro de Idololatria, cap. 25. palam profitentur tamquam laudabile tributa ſolui ab omnibus Chriſtianis Imperatori. Quod ſi Clerici forent immunes, laudabile, id non eſſet, ſed vituperatione dignum.

Reſpondemus. Primo loco laudabile Chriſtianis Clericis eſſe, cum neceſsitate adacti ad vitandum maius damnum tributa pendunt, quamuis debita non ſint, vituperatione autem plenum eſt, ſi Principes Chriſtiani ſæculares exigant, neque vituperatione dumtaxat eſt plenum, ſed ſcelere, dignumque omni pœna: quod ſi Principes infideles exigant in bonum publicum, debentur: ſin minus haud debentur: cogi vero Clericos ab illis, & iudicari, poteſtas eſt tenebrarum. Quocirca idem factum quoad Clericos eſt laudabile, quoad ſæculares eſt flagitioſum. Sic Chriſto glorioſum fuit offerre ſe morti, ac ſinere ſe abduci ad Crucem: ſcelus autem maximũ fuit, & omni ſupplicio vindicandum Iudæis, & Pilato.

Secundo, Reſpondetur Clericos noſtros, & Sacerdotes non fuiſſe gentilibus Clericos, & Sacerdotes illos non fuiſſe edoctos Chriſtiana, aut Eccleſiæ ſe noſtræ adiunxiſſe, ac proinde Sacerdotes noſtros non fuiſſe ignorantibus noſtra gentilibus exemptos. Nam multa ſunt Chriſtianis peccata, quæ non ſunt infidelibus, qui noſtra non bene ſciunt, ac magis excuſantur, quoad reliqua, vt tradit S. Paulus capite ſecundo epiſtolæ ad Romanos: ſic filius magis peccat patrem percutiens, aut matrem, quam ſi extraneus, vel inimicus id agat. eodem modo

eiuis patriam prodens grauius delinquit, quam ſi peregrinus, vel hoſtis. quocirca gentiles non ita peccabant exigentes à Sacerdotibus Chriſtianis tributa, quod ignorarent: at Chriſtiani peccant, ac puniri ab Epiſcopis poſſunt, ac debent ſuo tempore, quãuis noſtri ſint etiam Sacerdotes veri infidelibus, non tamen quoad cognitionem.

Tertio, loquuntur iſti à Chriſtianis tributa exoluta, quemadmodum docet Chriſtus: at Chriſtus docuit deberi à Clericis ad ſcandalum tantum vitandum, vt habetur Matth. cap. 17. non tamen debentur ex ſua natura, aut ex poteſtate vlla iuſta, cui ſint ſacerdotes ipſi ſubiecti, niſi ſit, vt ex Chriſto, & Paulo dicebamus, dæmonum poteſtas, ac leonum, Regeſque in dæmones, ac leones hac parte immutentur. quod neque dicendum, neque cogitandum eſt de principibus noſtris omni virtute ornatis.

Adducunt, & Sancti Ambroſij dictum, qui ſic epiſt. 32. pugnans aduerſus Imperatorem Valentinianum tunc ſuaſu Iuſtinæ matris fauentem hæreticis Arianis, contendentemque, vt his Eccleſia traderetur, ac multa, niſi traderetur, minitantem. *Quid igitur*, inquit Sanctus, *non humiliter reſponſum à nobis eſt? ſi tributum petit non negamus. agri Eccleſiæ ſoluunt tributum; ſi agros deſiderat, Imperator poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrum interuenit. poteſt pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiam, tollant eos, ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego*. Hæc Sanctus. En igitut inquiunt aduerſarij, S. Ambroſius aſſerit tributum ex agris Eccleſiæ Imperatori eſſe ſoluendum.

Equidem non poſſum non maxime demirari, hæc ab iſtis proferri, cum maxime contra illos faciant.

Primo enim loco Sanctus Ambroſius teſtatur iſta à ſe dicta humiliter, non ex vlla debiti, iuſtitiæq; ratione: igitur tributum, non ex iuſtitia, ſed humilitate ſoluebatur, ſicut & Chriſtus ſoluit.

Secundo non ait ſe dare, ſed non negare, explicatque infra, quid ſit non negare, cum dicit: ſi Imperator velit auferre agros Eccleſiæ, quibus alebantur pauperes, ſe non negare, ſed neque donare, populumque collatione ſua opem daturum pauperibus. Quocirca ſicut iniuſtiſsime auferebantur agri, ita & tributa exigebantur.

Tertio ſcribit ab agris illud tributum ſolutum, non à clericis, vel vt oſtendat, neque ſe, neque clericos tributorum ſolu-

tioni aſſentiri, vel quod illud tributum eſſet ex antiquo tempore agris annexum, donatique fuerint agri cum huiuſmodi oblatione, tranſierintque in Eccleſiam cum ſuo onere, è quibus deberi antiquitus, ac prius impoſitum fundo tributum non negatur, ex Eccleſiæ iuſſu.

Quarto an non vident aduerſarij tunc actum cum Imperatore irato, & huiuſmodi multa militante, atque hæreticis fauente? Non volent (certo ſcio) Reges Chriſtianos, & Imperatores eſſe huiuſmodi. An igitur debitum vocant, quod exigit Rex iratus, indigna poſcens, indigna intentans? An debitum vocabitur, quod relinquitur, dimittitur, non negatur, ſicut Chriſtus ſemetipſum reliquit, dimiſit, non negauit crucifigentibus?

Citant & illud Vrbani Papæ, quod habetur 23. quæſt. 8. can. tributum, in quo ſic Vrbanus. *Tributum in ore piſcis, piſcante Petro, inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis (quae palam cunctis apparent) Eccleſia tributum reddit, non autem totum piſcem iuſſus eſt dare, ſed tantum ſtaterem, qui in ore eius inuentus eſt; quia non Eccleſia dari Imperatori, non pontificalis apex, qui in ore capitis Eccleſiae praeminet ſubijci poteſt Regibus; ſed ſane (vt diximus) quod in ore piſcis inuenitur, pro Petro, & Domino dari iubetur, quia de exterioribus Eccleſiae, quod conſtitutum antiquitus eſt pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſoluendum eſt.* Hæc Vrbanus Secundus. non vt aliqui exiſtimarunt, primus.

Reſpondemus aperte hic Vrbanum loqui de tributo, quod fundis erat impoſitum antiquitus, priuſquam fundi fierent Eccleſiæ, cum dicat: *quod conſtitutum antiquitus eſt*. quod quidem remanet, vt prius: atque ex illo tributum ſolui benignè iubet Eccleſia, niſi fuerit principum priuilegio ſublatum. Quod tradit Gloſſa. & ibi Doctores, Archidiaconus, Geminianus in cap. primo, verbo bonorum, de immunitate Eccleſiæ libro ſexto. & traditur cap. enim, §. ſicut, & §. prædium. decima, quæſtione ſecunda, Richardus quodlibeti ſecundi quæſt. 30.

Secundo reſpondetur Vrbanum cautiſſimè loqui. Nam verba facit de tributo, quod perſoluitur ad tuitionem, & defenſionem à bellis iniuſtis, ob quæ res Eccleſiaſticæ, vel religionis, & populorum periculum ſubeunt, quæ quatenus defenduntur militibus (cum non adeſt aliunde) ſoluere ſtipendium debent. quod ſi nullum ſit huiuſmodi diſcrimen, neque interſit Eccle-

ſiæ,

ſiæ & religionis, & populorum, à quodam Principe poſsideatur aliqua ditio, & an ſubijciatur hoc, vel illud territoriū Regi huic, illiue in ambigua belli cauſa, non eſt ſoluendum tributum; manifeſte enim dicitur pro pace, & quiete: ergo quatenus pax, & quies religioni, & bonæ cauſæ fauens defendenda eſt.

Quin vt apparet è teſtimonio Scripturæ ſanctæ, quod adducit, loquitur in ea ſpecie facti, quod obtigit Chriſto, qui vt palam fecimus, ideo ſoluendum dixit tributum, ne infideles ſcādalizarentur. ad probandum namque illud deberi, affert Chriſti factum, in quo ſtatuit ille non deberi ex iuſtitia tributum, ſed ne ignari ſcandalizarentur, & ideo non eſt ſolutum pro omnibus diſcipulis, nec niſi petitum, poſtquam non fuerat perſolutum, quo tempore fuerat exſoluendum, vt ſciremus in poteſtate clericorum eſſe illud non pendere.

Argumenta deſumpta ex eo, quod aduerſarij citant Sancti Thomæ, Gregorijque auctoritatem.

Cap. IX.

ADducunt præterea Sancti Thomæ auctoritatem, qui interpretans verba Sancti Pauli ad Romanos ſcribentis capite decimo tertio à nobis in primo argumēto adducta, ſic inquit. *Cum principes noſtri ſuo regimine Deo miniſtrent, à populo debent tributa ſuſcipere, quaſi ſtipendia ſui miniſterij, non autem ita, quod hoc debeant ſibi computari pro præmio. Proprium enim præmium Principis eſt laus, & honor, vt Philoſophus dicit quinto Ethicorum. & cum hoc non ſufficit tyrannus fit: ſed hoc non eſt intelligendum de laude humana ſolum, vel honore, quia tale præmium eſſet vanum, ſed de laude, & bonore diuino, qui principibus bene gubernantibus exhibetur Sap. 6. O Reges populi diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. huiuſmodi autem tributa recipiunt ad ſuſtentationem, laborant autem principes ad omnium pacem. Vnde dicitur 2. Timoth. 2. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*

conſtituti, vt quietam, & tranquillam vitam agamus Baruch. 1. Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, vt viuamus ſub vmbra eius. Ab hoc tamen debito liberi ſunt Clerici ex priuilegio principum; quod quidem æquitatem naturalem habet. Vnde etiam apud gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus diuinis: legitur enim Gen. 47. quod Ioſeph ſubiecit Pharaoni totam terram Aegypti præter terram ſacerdotũ, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta alimẽta ex horreis publicis præbebãtur, & infra dicitur, quod in vniuerſa terra Aegypti, quinta pars ſoluitur abſque terra ſacerdotali, quæ libera erat ab hac conditione. Hoc autem ideo æquum eſt, quia ſicut Reges ſollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita miniſtri Dei in ſpiritualibus, & ſic per hoc, quod Deo in ſpiritualibus miniſtrant, recompenſant Regi, qui pro eorum pace laborat. Hæc Sanctus. E cuius verbis ita argumentantur. Sanctus Thomas ait, clerici liberi ſunt à tributis ex priuilegio principum: ergo non iure diuino.

Atqui primo loco reſpondetur, non ſequi, liberi ſunt ex priuilegio principum: ergo non iure diuino. falſiſsima eſt hæc conſequentia; veluti ſi quis dicat, iure ciuili conſtituitur, vt à filijs alantur, & honorentur parentes: ergo non etiam iure diuino, naturali, ac gentium. Sanctus Thomas dicit eſſe priuilegio principum liberos à tributis clericos, non tamen dicit non eſſe iure diuino; non enim diuino eſt contrarium priuilegium, vt à ſenſu contrario poſsit aliquis excludere non eſſe clericos liberos iure diuino. Quod ſi quis dicat, Sanctus Thomas dixiſſet iure diuino, ſi iure diuino fuiſſent clerici liberi ex ipſius ſententia, negamus id opus fuiſſe, vt diceret eo loco Sanctus Thomas. non eſt illi viſum tum dicere, quamnam deinde ob cauſam, quid ad nos? ſatis eſt, ſi oſtendamus non ab illo aſſeri, clericos non eſſe immunes iure diuino, neque ſequi ex eius verbis, quod aduerſarij colligunt, ſicut non ſequitur datæ ſunt mihi multæ opes à multis hominibus: ergo non à Deo. ſiue igitur Sanctus Thomas tacuerit, quod tunc illi non venerit in mentem, ſiue quod tum clarius erat, vel ſibi, vel aliis eſſe liberos ex priuilegio principum, quam ex iure diuino, ſiue quod conuenientius erat id tunc edicere ob audientes, ſiue aliam quamlibet ob cauſam, nil refert. Ad ſummum male concluditur ex eius dictis, quod aduerſarij concludunt.

Secundo dicimus apertiſsime colligi à Sancti Thomæ verbis,

bis, ac mente, clericos eſſe exemptos iure diuino à tributis. Patet hoc: nam iure diuino Principes obligati ſunt dare debitam mercedem clericis ob ipſorum miniſterium, quod exhibent Principi, & populo ipſius in rebus ſpiritualibus, vt habetur Lucæ capite decimo, & primæ ad Corinthios epiſtolæ nono; & epiſtola ad Philemonem. At Sanctus Thomas ait, clericis dari hanc immunitatem ob miniſterium: ergo ex iure diuino.

Tertio reſpondemus, ex ijs Sancti Thomæ verbis adhuc colligi immunitatem clericorum iuris eſſe diuini: nam ſcribit à Pontificibus Chriſtianis conceſſum immunitatem noſtris clericis, ſicuti, & à gentilibus conceſſa erat ſuis; & exemplum Pharaonis adducit. Atqui iure diuino fuit illa immunitas conceſſa à Pharaone, vt vidimus ſupra.

Quarto, idem concluditur ex alio. Nam Sanctus Thomas aſſerit æquitatem naturalem habere hanc immunitatem. Iure autem diuino in conſcientia cuncti obligamur ad ea, quæ naturalem æquitatem ſecum habent, vt habetur epiſtolæ ad Romanos capite primo, & primæ ad Corinthios vndecimo: ergo diuino iure obligati ſunt principes Chriſtiani immunitatem clericis tueri. Quocirca & gentiles ipſi in vniuerſum ſeruari volebant, quæ naturali æquitate comprobabantur, vt tradit Vlpianus lege prima, ff. ſi is, qui teſtamento liber eſſe iuſſus fuerit, & Paulus l. in ſumma. §. fin. Item varus. ff. de aqua pluuia arcenda, & aduerte, quod maius eſt, habere æquitatem naturalem, quam conſequens eſſe æquitati naturali, aut conſonum. Illud eſt immunitatis eccleſiaſticæ, quod intime ipſi inſit naturale ius immunitatis, quaſi libertas ſit ipſi connaturalis.

Quinto loqui videtur Sanctus Thomas, vt apparet ex ipſius verbis, cum tributa debentur ob neceſsitatem publici, & communis omnium ſiue ſæcularium, ſiue clericorum boni, qua clericos obligari haud negatur; ad ipſos tamen, vel eorum præſulem ſpectat iudicare, an ſit huiuſmodi neceſsitas, neque obligantur ex vi poteſtatis ſæcularis, ſed ex vi publici boni, vt ſupra eſt concluſum.

Hanc vero eſſe mentem S. Thomæ apertiſsimam, conſtat ex ijs, quæ ſupra primo libro adduximus. Nam cum velit S. Thomas omnino ſæcularem poteſtatem ſubiectam eſſe, atque oriri ab Eccleſiaſtica, quomodo poteſt ſibi repugnare, & aſſerere ab

Eccleſiaſtica pendenda ſæculari tributa, ita vt libera ſit non ſuo iure, ſed ex Principum priuilegio? igitur ſi hoc loco mens ipſius eſt obſcura, non eſt ex obſcuris dictis ipſius clara facienda, ſed ex claris: alioquin magis eſt obſcurare illam.

Affertur denique S. Gregorij epiſtola quinquageſima quarta libri vndecimi, quam ſcribens ad Ioannem defenſorem Sanctus, non aliis argumentis Eccleſiaſticam immunitatem probat, quam conſtitutionibus Iuſtiniani, aliorumque Imperatorum, ergo non iure diuino Eccleſiaſtica immunitas ſancitur.

Reſpondetur ad hoc, & huiuſmodi multa, quæ proferri poſſunt, non ſequi ſcribit hic, aut ille ſcriptor, legibus humanis Eccleſiaſticam immunitatem ſtatui, ergo non iure diuino: innumera namque ſunt, quæ tam diuino, quam humano iure iubentur. Atqui ſi quis dicat hoc illa imperari, haud tamen illud tollit, neque enim contraria ſunt. Furtum, Adulterium, Homicidium, quamlibet iniuriam prohibent leges humanæ, & quoties de iſtis verba fiunt inter Doctores, citantur humanæ leges ea vetantes, ſubticentur diuinæ. Non igitur diuinis vetantur? Apage, quis iſtud inepte effutiat?

Secundo reſpondetur S. Gregorium loqui cum eo, qui de rebus iis acturus erat cum Iudicibus humanas leges profitentibus, ideoque ijs humanæ leges erant proponendæ; à nobis enim conuenientia, quibus cum loquimur, proponenda ſunt; neque omnibus eadem ſunt congruentia. Sic enim Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis ferre modo*, vt habetur Ioannis cap. 16. & Paulus ſcribens ad Hebræos capite quinto, *Imbecilles facti eſtis ad audiendum; etenim cum deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis, vt doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo: omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt, perfectorum autem eſt ſolidus cibus.*

Tertio reſpondetur S. Gregorium ſic loqui, vt oſtendat, Clericos eſſe immunes ſua natura, non ex Imperatorum legibus, atque has manifeſtum dumtaxat facere, eſſe exemptos, non aliquid eis tribuere; quod non antea deberetur. *De perſona*, inquit, *presbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed Epiſcopus eius adiri debuit, ſicut nouella conſtitutio manifeſtat.* Hæc Sanctus, clare oſtendens

ab Imperatorum legibus tantum manifeſtari, quod Clerico debeatur: ſimiliter cum poſtea ſcribit, non potuiſſe trahi ad iudicium, nec debuiſſe ab Epiſcopis loquitur, *continet*. Eodem modo cum dicit ſententiam latam contra Epiſcopum à iudice non ſuo, eſſe nullam, inquit. *Lectionis huius oſtendit tenor*, & cum refert non potuiſſe accuſari Epiſcopum à ſeruis ſuis, ait, *vt haec conſtitutio patefacit*, denique cum narrat teſtes vllos abſente Epiſcopo exhibitos nihil probare, ſcribit, *Nullius eſſe momenti lege noſcendum eſt*. Ad ſummam patet è verbis S. Gregorij, refugere ipſum dicere à legibus ſæcularibus formam præſcribi vlla in re Clericis, vel imperari eis aliquid, vel ſanciri, conſtituique de rebus ipſorum, ſolum refert hoc manifeſtari, contineri, oſtendi, dignoſci, legi ipſorum legibus. Tantum cum recitat pœnas poſitas aduerſus eos, qui delinquunt in Clericos, & res eorum, huiuſmodi vocabulis poteſtatem ſignificantibus vtitur, quod ſcilicet laici poſſint, quæ pertinent ad clericos tueri, imperare eis aliquid non poſſint. Sic itaque in aduerſarios retorquetur, quod ipſi citant.

Quarto. Videtur S. Gregorius eo capite colligere, quid ſibi leges ſæculares velint in rebus iudicialibus Clericorum, neque locus poſcebat, vt adijceret, iure diuino eſſe exemptos Clericos, cum non agere vellet hac de re, ſed tantum ſimul in vnum conferre, quidquid ſæcularibus legibus caueretur, veluti ſi quis colligat, quid Athenienſium, vel Spartaneorum ſanctionibus ſimili in re conſtitueretur, ſicut Ieremias capite ſecundo iubet inſpici, quid factum ſit ab inſulis Cethim in cultu falſorum deorum retinendo, & inde exemplum ſumit ad retinendum verum, non quod ius fuerit inſulis, ac gentilibus, vel agendi quod egerunt, vel imperandi aliquid fidelibus, ac vere pijs: ſed quod iuſtius eſſe apparet, quod exteri quoque agnouerunt, ac diuinum magis conſtat eſſe, quod non modo diuinis, ſed humanis etiam legibus cauetur.

Poſtremo S. Gregorij mens obſcura non obſcuris, ſed claris eius dictis clara facienda: ſed clare S. Gregorius Pſalm. 4. Pænitentiali, vult Clericos eſſe liberos, & alibi quoque ſic eſſe aſſerit: eſt igitur clarum, quæ ſit hoc loco mens ipſius.

Recenſentur Theologi, & Canoniſtæ, qui tradunt Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe in omnibus ſupra omnem poteſtatem ſæcularem, rerumque Eccleſiaſticarum libertatem eſſe is in tum quæſtiones quædã. Cap. X.

SEquuntur Doctores multi tũ iuris ciuilis, tum canonici. nos ab ijs vel colligendis, vel recenſendis abſtinebimus. tantum referemus eos, qui Canoniſtæ, ac Theologi ſimul ſunt, à quibus & alij multi citantur, eligemus vero Archiepiſcopum Sãctum ex ordine Prædicatorum, ſimiliter ex ordine eodem Sacri Palatij Magiſtrum, denique ex ordine S. Franciſci Beatis annumeratum. S. Antoninus. parte 3. ſummæ tit. 22. cap. 5. §. 1. *Quæritur verum Papa ſit maior Angelo in iuriſdictione, & videtur quod non, quia natura ſpiritualis habet iuriſdictionem ſuprà Papam, qui eſt naturæ corporalis. Sed in contrarium. eſt. quod dicitur Hebr. cap. 1. in perſona Chriſti, cuius Papa Vicarius exiſtit, non Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, ſed ei, de quo loquitur. Ad hoc reſpondet Auguſtinus de Anchona, vbi ſuprà, quod maior eſt iuriſdictio Papæ, quã cuiuſlibet Angeli. eſt enim triplex regimen ſecundum Philoſophũ. Primum eſt Ethicum, & morale. Secundum eſt familiæ, & paternale. Tertium eſt Politicum, & Regale. Primum reſpicit curam vniuſcuiuſque hominis in ſe per virtutum regulationem. Secundũ reſpicit regimen domus, & familiæ per paternalem monitionem. Tertium reſpicit regimen prouinciarum, & regnorum. per pœnarũ comminationem. Primum regimen commiſſum eſt Angelis, quia vnaquæque anima ab ortu ſuæ natiuitatis habet Angelum ad ſui cuſtodiam, & exercitium ſecundum Hieronymum. ſecundum commiſſum eſt Archangelis, quorum eſt familias, & ciuitates dirigere, & gubernare. Vnde requiſitus Raphael Archangelus à Thobia, an ſciret viam eundi ad ciuitatem Medorum, dixit, ſe itinera omnia illius frequenter ambulaſſe. Tertium conuenit principatibus, quorum eſt prouincias, & regna miro ordine diſponere. Vnde dixit Angelus, qui loquebatur Danieli. Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus. Nulli ergo Angelo commiſſa eſt iuriſdictio, & cura totius cæli. Sed Papæ totius mundi iuriſdictio, & cura commiſſa eſt, non ſolum vt nomine mundi importatur*

tatur terra, ſed etiam vt nomine mundi importatur cælum, quia ſuper cælum, & terram iuriſdictionem accepit. Vnde dicitur, quod cæleſtis, & terreni imperij Petro Chriſtus iura conceſſit diſt. 22. cap. Omnis. Ad quod facit, quod Chryſoſtomus ait in libro de laudibus Pauli, præfert enim Paulum cuilibet Angelo in iuriſdictione dicens quod Angelis diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus eorum ita creditum ſibi populũ gubernauit, vt Paulus vniuerſum orbem, nam Michaeli gens commiſſa eſt Iudæorum; Paulum vero terræ, & maris, atque vniuerſi orbis ordinat (Chriſtus) magiſtrum, & doctorem, cui poteſtatem dedit vniuerſorum. Rurſus in tertia parte ſuae ſummae titulo 22. cap. 5. §. 11. Qui autem dicunt Papam in ſolo orbe totum dominium habere ſuper ſpiritualia, non autem ſuper temporalia ſimiles ſunt conſiliarijs Regis Syriae, qui dixerunt. 3. Reg. cap. 20. Dij montium ſunt Dij eorũ, & ideo ſuperauerunt nos, ſed pugnemus contra eos in campeſtribus, & in vallibus, in quibus Dij eorum dominium non habent, & obtinebimus contrà eos; ad litteram; ſic hodie mali cõſiliarij adulatione peſtifera ſedueunt Reges, & Principes dicentes Dij montium puta ſpiritualium bonorum ſunt ſummi Pontifices. Sed non ſunt Dij vallium, quia temporalium bonorum nullum dominium habent. Ideo in campeſtribus, ideſt in potentia bonorum temporalium pugnemus contra eos, & obtinebimus, ſed quid dicat eis diuina ſententia audiamus, dixerunt, inquit, Syrij, Deus montium eſt Deus eorum, & non Deus vallium. dabo omnem hanc multitudinem in manu veſtra, & ſcietis, quia ego ſum Dominus, & hoc patet per multa exempla, non ſolum eorum Regum, & Imperatorũ infidelium, qui Eccleſiam perſequentes conati ſunt eam exterminare, & non potuerunt, ſed Dominus concidit ceruices eorum., & ad nihilum redegit, ſed etiam Chriſtianorum Principum, qui bellantes contra Eccleſiam, vel perſequentes ſummum Pontificem exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, vt patet in Iuliano apoſtata, de Mauritio Imperatore Gregorium perſequẽte, de Theodorico Rege Italiæ Ioannem Papam incarcerante, de Federico Imperatore contra Eccleſiam inſurgente, & multis alijs, qui male vitam finierunt, & miſerabiliter. Adhuc idem, tit. 3. de Dominio regnorum cap. 2. *Credimus, imo, ſcimus, quod Papa eſt generalis Vicarius Ieſu Chriſti, de tranſlat. Epiſc. cap. 1. & etiam ſuper omnes infideles. etenim Chriſtus plenariam recipit poteſtatem: vnde Pſal. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, & Matthæi vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.*

Ooo

ra. Nec videretur diligens, ſeu ſapiens paterfamilias, niſi, & Vicario ſuo, quem in terra dimiſit, plenam ſuper omnes dimiſiſſet poteſtatem, vt patet in eo, quod dicitur ſuper homicidio, cap. per humanam. lib. 6. Ideo & dicitur de Papa, qui non ſolum habet poteſtatem, ſed & plenitudinem poteſtatis, de vſu pallij. cap. ad honorem, quia Petro, & ſucceſſoribus claues dedit regni cælorum dicēs: Quodcumque ligaueris. & cap. Oues autem non ſolum ſunt fideles, ſed etiam infideles per creationem, licet non ſint de ouili. & ſequitur, quod Papa ſuper omnes habet iuriſdictionem de iure, licet non de facto & probatur hoc in eo. quod loquitur de electione, cap. ſignificaſti de maioritate, & obedientia. cap. ſolitæ. de iudicijs, cap. nouit. Igitur per hanc poteſtatem, quam habet Papa, dicendum eſt, quod gentiles, & ſi non habent legem, niſi naturae; ſi tamen contra legem iſtam naturae faciant, licite per Papam puniri poſſunt. Et mox. *De Chriſtianis non eſt dubium, quod Papa eos iudicare poteſt, ſi contra legem Euangelicam faciant, vel alias grauiter peccent, etiam temporaliter, vt patet. in eo, quod notatur cap. licet, de foro competenti, & de iudicijs. cap. nouit. §. 1. & quamuis omittat Papa aliquando paenas iuſtas & debitas omnibus praedictis inferendas, vel quia facultatem non habet coercendi, vel propter pericula, & ſcandala, quae incumbant, vel euenire timentur, vel quia multitudini parcit, de temporibus ordinandorum. cap. 2. & clem. de excommunic. cap. latores. eſt tamen poteſtas faciendi hoc apud Deum.* Hæc Sanctus.

Silueſter Prieras in ſumma, verbo, immunitas, initio capitis. *Immunitatem*, inquit, *Eccleſijs, earumque rebus iure prius diuino inſtitutam, tum canonico, & ciuili confirmatam, ſtabilitamque fuiſſe ego copioſe oſtendi in magiſtrali gloſſa mea affixa in practica Papienſi in forma libelli in actione reali, in verbo iure dominij. Idemque in verbo Papa, nu. 20. quaeſtione ſecunda.*

Decimo quaeritur, quid iuris de poteſtate Papae in Imperatorem? Et dico multa ex Archi. 3. par. tit. 23. poſt Auguſt. de Ancho. vbi ſupra. Primum licet dominium, ſeu imperium tyrannicum, tempore praeceſſit ſacerdotium: quia ſcilicet ſecundum Auguſtinum 15. de ciuitate Dei, primus Regum fuit poſt diluuium Nembrot; primus autem Sacerdos fuit Melchiſedech, qui ſecundum Hebraeos fuit Sem primogenitus Noe, in quo incepit ſacerdotium, poſt quem vſque ad legem Moſaicam deriuabatur ad primogenitos; naturale tamen, & iuſtum imperium non eſt notum

cœpiſſe

cœpiſſe ante Moyſem, qui à Deo inſtitutus fuit princeps populi ſui. Secundum Papa eſt Imperatore maior dignitate, pluſquam aurum plumbo. diſt. 96. cap. duo ſunt, & ſol luna, de maiorit. & obed. cap. ſolitæ. Vnde & Alexander Magnus doctus viſione Dei apparentis ſibi in forma ſummi ſacerdotis Iudæorum eundem ſacerdotem obuium adorauit, in eo Deum, inquiens, adoraui: & ſimiliter Octauianus ſuaſu Sibyllæ Tiburtinæ adorauit puerum, cuius Papa eſt Vicarius. Tertium Papa poteſt eligere Imperatorem per ſeipſum immediatè, quando ex iuſta, & rationabili cauſa expediret: quia principalis agentis habentis dirigere omnes fideles ad pacem, & finem ſpiritualem, eſt eligere miniſtros. Vnde Imperator eſt miniſter eo ipſo, quod eſt miniſter Dei. Rom. 13. cuius Vicarius eſt Papa; ex quo ſequitur, quod etiam poſſit eligere electores Imperatoris, & mutare ex cauſa: eius etiam eſt electum confirmare, de elect. cap. venerabilem: & confirmatum conſecrare, de ſacra vnct. cap. cum veniſſent, & confirmatum, & conſecratum coronare, diſt. cap. venerabilem, & in coronatione iuramentum fidelitatis excipere diſt. 63. cap. tibi domino; & dignum excommunicatione excommunicare. 96. diſt. cap. duo, & dignum depoſitione deponere ſicut Innocentius Tertius Ottonem, & Innocentius Quartus Federicum depoſuit, & dignum gladiaria perſecutione gladio perſequi, & bellum contra illum conuocare, & ab eius fidelitate vaſallos abſoluere. 15. quæſt. 6. cap. nos ſanctorum. Nec obſtat, quod Conſtantinus Imperator Sylueſtrum Papam coronauit: quia hoc non fecit quaſi auctoritatem, vel dominium præbens, ſed ſicut miniſter obſequens, cuius ſignum fuit, quod tenens equum eius exhibuit ſtratoris officium. Quod autem dicit Hug. diſt. 96. cap. cum ad verum, quod Imperator poteſtatem, & dignitatem non accipit ab Apoſtolico, ſed à principibus, & populo per electionem, planum hodie eſt eſſe falſum: quod etiam dicit, has poteſtates eſſe à Deo, & diſtinctas, verum eſt, eo modo, quo dictum eſt. §. 2. Quod etiam dicit Imperatorem eſſe maiorem Papa in temporalibus, eſt ſimpliciter falſum, quantum ad iuriſdictionem; ſed verum, quantum ad immediatum vſum, & executionem, quo modo etiam dici poteſt maior Chriſto. Et ſic intelligitur dictum cap. cum ad verum, diſtin. 96. quod Papa vſurpare ſibi non debet ea, quæ ſunt Imperatoris: quia ſcilicet non debet immediatè exequi temporalia. quod intellige, niſi ex cauſa, vbi ſibi videtur expedire.

Vndecimo quæritur, quid iuris de poteſtate Papæ in alios Reges, & principes Chriſtianos? & dico, ſecundum eoſdem, ſcilicet Arch.

& Auguſt.de Ancho.quod omnes ei tenentur obedire,ſicut & Chri‑ſto,cuius vices gerit,& in omnes habet vniuerſalem ſpiritualium, & temporalium iuriſdictionem,ſicut, & in toto orbe vice Dei viuentis,ſed temporalium adminiſtrationem non recipit, niſi in regionibus Occidentalis imperij per conceſsionem Conſtantini Imperatoris; nec vtitur hac adminiſtratione,niſi in aliquibus partibus mediante Imperatore quem eligit,non autem in alijs regnis Occidentalis imperij, non propter carentiam auctoritatis ;ſed propter nutriendum in filijs vinculum vnitatis, & pacis : quia propter tyrannicam vſurpationem imperij à diuerſis in diuerſis partibus ad vitandum ſcandalum, Iudæorum ſe tributarium fecit cum Petro, licet non obligetur,Matthæi 17.11. quæſt. 3. inter verba. & ideo poteſt Reges corrigere ,ſicut Nicolaus Lotharium de adulterio reprehendit.2.q.1.cap.ſcelus , & ex rationabili cauſa deponere,ſicut Zacharias depoſuit Reges Francorum,ſubſtituens Pipinum 15.q.6.cap.alius . Duodecimo quæritur,vtrū Papa habeat in Chriſtianos, vel alios poteſtatem veniendi contra ſuum contractum, quaſi ex eo non obligetur ? Et dico, quod non:quia ipſe non eſt dominus mundi quoad proprietatem ,ſed quoad iuriſdictionem ſolam & protectionem,ſecundum glo. & communiter doct. in proœmio digeſtorum,ſicut nec Imperator , qui rei meæ dominium mihi auferre non poteſt ſine cauſa , ſecundum Bart.ibi. quod etiam eſt verum quoad bona eccleſiaſtica , quorum non eſt vere dominus , ſed diſpenſator,ſicut de omni clerico dicit S.Thom.in 6.quolib.art. 12.non obſtan.gloſ.in cap.cum veniſſent, de iud. quæ dicit contrarium,quia eam damnant dicentes , quod eſt eorum ſolum adminiſtrator,& diſpenſator,vnde nec ea ſine cauſa alienare poteſt ; & ſi facit,peccat mortaliter,ſecundum Areb.12.q.2.cap.non licet. vnde de eo verum eſt, quod de principe dicit Bal.in libr. de vſib.feud. in rub.de natura feudi,ſcilicet quod ex ſuo contractu obligatur. Vnde ſi inueſtiuit aliquē de Baronia, vel Caſtro, non poteſt eum ſine culpa priuare; nec ſucceſſores in imperio,vel regno de iud. cap. nouit. Nec obſtat,quod habet plenitudinem poteſtatis,quia Deus ſubiecit ei leges,ſed non contractus, ex quibus obligatur . Decimotertio quæritur vtrum poſsit aliquem abſoluere ab obligatione, qua tenetur alteri homini. Et dico ſecundum Inno. quod hoc poteſt de plenitudine poteſtatis,art.8.q.3.cap. per principalem, C.de quæ præſer.l.bene à Zenone,C.de preci.imper. offer.l.quoties, & idem Ho. & Bernar. ſed hoc limita ex cauſa rationabili , & non aliter; quia vt dictum eſt. §. priore , non eſt dominus mundi, quoad pro‑

pri‑

prietatem, nec legem condendo poteſt auferre mihi rei meæ dominium ſine cauſa, ſicut nec Imperator. Et ſic intellige l. venditor. §. ſi conſtat. ff. comm. præd. qui. §. ſecundum Bart. in hac materia eſt ſingularis; & ſic etiam intellige Panor. *in cap. 2. de voto. quod* Papa *auferre poteſt obligationem laici non ſubditi ei temporaliter contractam ex fidei præſtatione, non autem aliunde quæſitam: cum ſit de iure gentium, in cle. paſtoralis, de re iud. ſcilicet ſine cauſa rationabili, ſine qua nec Imperator poſſet; & idem à fortiori intellige hoc non poſſe ciuitatem, aut vniuerſitatem, vel collegium: ex magna tamen cauſa poſſet* Papa *à ſecularibus exigere ſubſidium temporale, vt ſi Eccleſia inuaderetur, & aliter prouidere non poſſet. Decimo quarto quæritur vtrum poſſit tollere leges ciuiles? & dicit Ioan. And. quod vbi non habet iuriſdictionem temporalem, tollere non poteſt legem quoad forum ciuile, niſi in his, in quibus vertitur periculum animæ, cum poteſtates ſint diſtinctæ. 96. diſt. cap. cum ad verum. In illis autem, in quibus animæ periculum vertitur, tollit quoad vtrumque forum de iud. cap. nouit, de præſcrip. cap. fin. & de ſecun. nup. cap. pen. & vlt. de foro competen. lib. 6. & de iureiuran. cap. fin. lib. 6. & in cap. 2. de excep. lib. 6. & in cap. decernimus, de ſent. excommun. lib. 6. quia in his leges non dedignantur ſacros canones imitari de Iudæ. clerici, & in Authen. vt cleri. à prop. epi. coll. 6. & ita tenet. ſum. Roſ. & ſupplen. ſed iſta determinatio procedit ex errore, quod* Papa *non habeat temporalem iuriſdictionem in tota Eccleſia, quod improbatum est multipliciter in hoc titulo. Vnde dico, quod de plenitudine potestatis ex cauſa rationabili potest omnes leges ciuiles euertere, & alias condere niſi in quantum ſpectant ad ius naturale, aut diuinum, nec Imperator cum omnibus Regibus, & populis Chriſtianis poſſent contra eius voluntatem quicquam ſtatuere. Et hæc omnia patent ex dictis in hoc titulo, & ſupra legitimatio. §. 4. nec quæ allegant Canoniſtæ contra hoc, aliquid concludunt, niſi ceſſante cauſa, & ex poteſtate iuridica, quæ ſcilicet eſt ſecundum iura, quibus* Papa *ex neceſſitate non ſubditur.*

5. Beatus Ioannes à Capiſtrano tractatu de poteſtate Papæ parte ſecunda ſecundæ partis principalis ita ſcribit.

1. *Ad ſecundum cum quæritur, ſuper quos Papæ poteſtas extenditur, reſpondetur breuiter quod principaliter eius poteſtas ſuper omnes Chriſti fideles extenditur; ſecundario autem etiam ſuper infideles, quod ſatis patet ex verbis Chriſti dicentis Petro, Paſce, &c. vt ſupra Ioan. vlt. ſed dicet aliquis, per illa verba non*

videntur includi, niſi fideles in eo, quod dicit, Agnos meos, & oues meas. Huic obiectioni reſpondens dico, quod licet principaliter ſub metaphora ouium intelligantur fideles, attamen largo ſumpto vocabulo, omnes animæ rationales, quaſi oues Dei ſunt, iuxta illud Ezechiel 18. Ecce omnes animæ noſtræ ſunt. & Matth. 15. dixit Dominus diſcipulis ſuis intercedẽtibus pro Chananæa. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, ideſt niſi ad Iudæos. Vbi notandum, quod quamuis Dominus Ieſus corporali præſentia miſſus fuerit ad Iudæos, tamen tamquam fideli legato commiſſa eſt ſibi cura totius orbis, quem poſtea per Apoſtolos viſitauit, quibus poſt Reſurrectionem, dixit Matth. vlt. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, ſcilicet rationali. & Matth. vlt. Euntes ergo, docete omnes gentes. & Luc. vlt. Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pænitentiam, in remiſſionem peccatorum, in omnes gentes. Ex hoc etiam dicebat Ioannes 10. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, ſicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis, & alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor quæ verba plurimi, Doctores intelligunt pro conuerſione infidelium ſub vno paſtore Angelico ſummo vniuerſali Pontifice, vna cum cæteris fidelibus regendorum, ad quod ſatis accedit illud Eſaiæ 49. Vbi dicit Dominns, quaſi Pater ad filium, & filius ad ſuum Vicarium. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Sed dices, hæc ſententia videtur contra auctoritatem. Pauli 1. ad Corinth. 5. cum dicit. Quid enim mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Nonne de his, quis intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt, Dominus iudicabit. Reſpondeo, quod hoc dicit Apoſtolus, quantum ad correctionem morum, in qua non eſt nobis neceſſarium mentes occupare circa infideles. Non tamen ex hoc dicit Apoſtolus; quin infideles ſe corrigere debeant, & quin ſit eis prædicandum, vt ad fidei veritatem aſpirent, & conuertantur ad Chriſtum, vel quin ſit defendenda veritas fidei, & infidelibus impugnantibus reſiſtendum pro defenſione fidelium. Sic etiam intelligitur 45. diſtin. qui ſincera, &c. de Iudæis, &c. licet 11. q. 3. inter verba, & 2. q. 1. cap. multi, & extra de diuort. cap. gaudemus. Nam ſi infideles aliquid faciunt in contemptum fidei Chriſtianæ, vel in

per-

perniciem Chriſtianorum, tunc Eccleſia bene iudicat de eiſdem in cap. accuſatus. §. ſane. & in cap. officium. §. denique. de hæret. lib. 6. nam ratione delicti efficiuntur de foro Eccleſiae extra de iud. cap. nouit. pro quo extra de Iudæis. cap. & ſi Iudaeos. & tunc cum non poſſit Eccleſia paenitentias ſpirituales imponere infidelibus, opus habet imponere temporales.

Parte tertia, ſecundæ partis in principio.

Ad tertiam igitur accedens, vbi quaeritur ad quid protenditur auctoritas Papae. Reſpondeo breuiter, quod ad omne bonum, & ad nullum malum; eſt etenim quaſi Deus in terris maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens poteſtatis 2. q. 6. decreto noſtro, & cap. qui ſe ſcit, accedũt not. in cap. per venerabilem. §. reſponſionibus. & §. ſunt autem extra qui fil. ſunt legit. ſibi enim ab omnibus eſt obediendum extra de reſcript. cap. ſi quando. 9. q. 3. cuncta per mundum. Idem 21. diſt. cap. quamuis. ipſe enim totius orbis obtinet principatum, vt in cap. 1. de ſtatu regul. circa princ. lib. 6. ibi in quibusuis mundi partibus exiſtentes, & in proœm. 6. lib. in princ. ibi & totius orbis principalem obtinere voluit magiſtratum: ipſe eſt enim ſucceſſor Petri, cui beato aeternae vitae clauigero terreni ſimul, & caeleſtis Imperij iura commiſit Chriſtus Dominus 22. diſtin. capitulo primo. Ipſe eſt ſingulariſsimus Vicarius Ieſu Chriſti, vt in cap. quanto. & in capitulo inter corporalia. de tranſl. prael. & in cap. fundamenta. §. decet. & in cap. vbi periculum. §. veterum. de Cle. in ſexto.

Et hæc quidem Theologi, & Canoniſte ſimul tradiderunt. Innumeri ſunt præterea, qui idem ſcribunt, quos omittemus. Ob hæc igitur aiebat rectiſsimè Ioannes è Turrecremata 17. quæſt. 4. cap. ſacrilegium, non modo à iudice committi ſacrilegium, ſi ex Eccleſia extrahat per vim, qui ad eam confugit ſed obligatũ quoque ad reſtitutionem, ſi ipſum cõdemnat. Sic etiam Caiet. 2. 2. quæſt. 99. et in ſumma verbo ſacrilegium, et immunitas, Syluester, & alij volunt eſſe ſacrilegium furari aliquid, licet non datum fuerit in cuſtodiam è loco ſacro, ac mortale ſua natura eſſe exigere à Clericis tributum,

Argu-

Argumenta deſumpta, & collecta è multis, quibus ſeruor & patrimonialia Clericorum bona probantur eſſe immunia diuino, ac naturali iure. Cap. X I.

CVm ſupra viſum fuerit à nobis per Imperatorem Conſtantinum conſonam iuri diuino, ac naturali legem ſancitam fuiſſe, ne quid tributi vllo modo imponeretur patrimonialibus Clericorum rebus, colonis, ſeruis, vel filiis horum, & capite ſuperiori, quid Athalaricus Rex hæreticus teſtetur, ac ſtatuat perſpexerimus; bene eſt, vt in vnum locum, quæ dicta à nobis ſparſim fuere, colligantur. Et quidem vidimus primis libri quarti capitibus, id varias ob cauſas eſſe iuris naturalis, multaque ad hoc probandum deducta à nobis fuerunt, ac preſſius ſexti ſecundo, ac ſeq.

Secundo oſtendimus, hoc ita eſſe è facto Pharaonis, qui cum poſſet compellere Sacerdotes, vt ſiquidem cibos vellent, traditas ipſis terras, aut venderent, aut tributo ſubiicerent, non modo illos ad hanc neceſſitatem redigi, cum iure poſſet, noluit, ſed præterea dedit eis cibaria pro ſe, ac familia, quod tum iure naturali, tum diuino eſt ab ipſo factum. Naturali, quia nulla alia de cauſa placere hoc illi potuit; niſi quia lumen naturale hoc imperabat; diuino, quia Ioſephus, vt diximus, quidquid agebat, à ſpiritu diuino impulſus agebat; cætera dicta ſunt adducto loco.

Tertio, vidimus Leuitas fuiſſe immunes, immuniaque ipſorum bona, quæcumque haberent, iure diuino iiſque alebant coniuges, ſeruos, filios, ac nepotes: ergo Clerici Chriſtiani multo magis erunt immunes quoad hæc omnia, nam plura noſtris debentur, quam priſcis, vt oſtendimus libro tertio ad finem.

Quarto, Reges iure diuino debent Clericis primitias, decimaſque omnium rerum ſuarum, vt ſupra oſtendimus; Eccleſia tamen ex humanitate eis remittit; loco horum volens, ac decernens Clericos eſſe immunes in patrimonialibus, vt apparebit infra ex deciſionibus, ac legibus, ſupra vero aperuimus

è do-

è doctrina Sancti Thomæ, Caietani, exemplisque id explicauimus iuris eſſe prorſus, ac maxime diuini, non vllo modo humani, illa quæ iure diuino decernit Eccleſia iuris diuini eſſe, quoad illam quantitatem, quam præfigit; veluti cum conſecrat magnum locum, totus ille iure diuino ſacer eſt etiam quoad tantam quantitatē. Quocirca cum pro ijs, quæ Regibus remittit determinauerit Eccleſia ex poteſtate diuina, quam iure diuino habet, patrimonialia libera eſſe, quia ſunt clericorum diuinis vacantium, deorumque. (nam clericus ex participatione diuinæ potentiæ ſuo modo deus eſt;) idcirco quoad patrimonialia quoque immunitas iuris diuini erit.

Quinto oſtendimus clericos ex Euangelio liberos eſſe, quia filij Regum ſunt, id eſt, adminiſtrantes regnum ſpirituale, idque præter alios duobus modis, quoad propoſitum noſtrum. Primus eſt, quia vacant diuinis, ac militant aduerſus dæmonas vna coniuncti cum Angelis bonis. Secundus, quia à ſæcularibus quæſtibus ob id abſtinent, vt habetur titulo, ne clerici, vel monachi. quid ſit primum, late apparet primis libri tertij capitibus. Atqui ob ſecundum ſpeciatim, quoad patrimonialia liberi ſunt, ac filij Regum, cum non poſſint in illis exercere quæſtus, quod laicorum eſt lucrum vt regno adminiſtrando vacent, atque ob id ſunt filij Regis Regum, vt allato loco è S. Augustino dicebamus plurimorum ſanctorum expoſitione.

Sexto idem probauimus ex ijs, quæ contigere Abrahamo, Iſaac, & Iacob, & verſiculo centeſimi quarti pſalmi, & interpretatione SS. Hieronymi, & Gregorij.

Septimo oſtendetur iure, quod eſt homini maxime naturale, id eſt iure gentium, ſemper minores etiam ſacerdotes, quos hodie clericos vocamus, fuiſſe quoad omnia liberos, atque immunes. ex quo probatur multis modis iure diuino ſanciri, vt id multo magis ſit inter Chriſtianos: præceptum namque eſt nobis, vt ea, quæ conſona ſunt iuri naturali, multo magis quam à gentibus obſeruata fuerint, illa à nobis obſeruentur. Matthæi cap. 5. & alibi, vt ſequenti libro dicetur.

Octauo aperuimus ſingulis clericis imprimi ordinis characterem, qui ſecum defert diuino iure regiam poteſtatem in omnia, quæ clericorum ſunt, participatam à ſacerdotio Chriſti, cui indelebiliter eſt annexa regia poteſtas in omnia creata, & hæc probauimus ex auctoritate S. Dionyſij, & aliorum.

Nono oſtẽdimus nullã laicis eſſe in vlla ſæcularia poteſtatẽ, niſi ortam, pendẽtemq; ab eccleſiaſticis, & ob alia, & ob charactere diuinitus, tum clericis quibuſcumque, tum ſacerdotibus; latius vero Epiſcopis, ac latiſsime omnium Pontifici ſummo, Epiſcopo Epiſcoporum impreſſum. Quocirca cum vetant eccleſiaſtici, ne quid princeps ſæcularis audeat, agatque ſua poteſtate in vllam rem, nulla poteſtate legitima audere, aut agere id poteſt, ſed ſola tyrannica, & iniqua.

Decimo, diuino iure ſancitum cognoſcimus, vt terra, quæ corpori inanimo ad tempus ſeruiuit, quod quidem corpus ſimiliter ad tempus ſeruiuit Angelo, ſit libera, atque immunis ab omni contactu ſæculari, quin honoretur ab hominibus ſanctis, vt appareat ex eo, quod contigit Ioſue, qui iuſſus eſt pedibus nudis honorare eam terram, in qua conſtiterat corpus ab Angelo effictum, ac ſeruiens huiuſmodi corpori ad tempus, vt habetur Ioſue capite quinto: ergo multo magis ex iuſſu diuino erit honoranda tellus, aut quidquid eſt patrimoniale, aut clerico ſeruiens ſemper ipſi clerico, qui quidem clericus ſemper Angelorum Regi ſeruit.

Confirmatur hoc primo: nam corpus illud, quod Angelo ſeruierat, non participabat vllam regiam poteſtatem Angeli: at clericus participat, vt diximus ex Dionyſij capite duodecimo, de diuinis nominibus, & alijs, regiam poteſtatem Chriſti.

Secundo, terra illa ſeruierat corpori compoſito ad momentum, quod quidem corpus non ad hoc Angelo ſeruierat, vt Angelus ipſe daret omnia bona animi, corporis, atque externa hominibus cunctis; ſed patrimonialia, vel alia quæcumque ſeruiunt corpori ipſius clerici, qui ſeruit illi ipſi, qui per ſe dat omnia bona animi, corporis, atque externa hominibus cunctis.

Quamobrem ſi honoranda fuit, neque vllo ſæculari actu tangenda illa tellus iure diuino, multo magis quicquid clerico ſeruit.

Quod autem contigit Ioſue, contigit etiam Iacob Geneſ. capite vigeſimo octauo, & Dauid ſecundo Regum vigeſimo quarto.

Vndecimo, ſi deponatur in loco ſacro res profana, & ſæcularis, & vllus aliquid ex illa abſtulerit, iure diuino ſacrilegium com-

committit, vt conſtat è libro 2. Mac hab. cap. 3. & ſeq. libro dicetur: multo magis committet ſacrilegium, qui aliquid abſtulerit è re, quæ ſeruit perſonæ Deo, per indelebilem characterem, vel proximam diſpoſitionem ad hunc dedicatæ. Nam multo maior eſt ſanctitas perſonæ, quam loci, vt ſupra è Sancto Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione nonageſima nona articulo tertio à nobis declaratum fuit.

Confirmatur hoc, quia non modo res illa ſæcularis non ſeruit templi miniſteriis, vel miniſtris, ſed potius eos impedit, neque vllum præſtat iis vſum, ſed curam, & moleſtiam.

Duodecimo laicus iure diuino haud poteſt cognoſcere vlla de re ad clericum pertinente, neque etiam de crimine vllo per ipſum commiſſo, quod ſupra libro quarto è Sanctis Paulo, Ambroſio, Dionyſio, duobuſque Gregoriis, & aliorum teſtimonijs eſt probatum: multo ergo minus poterit illius vllam rem ſibi, ſuæque poteſtati ſubiicere, cum neque ſuæ cognitioni ſubiicere vel malas ipſius res poſsit.

Decimo tertio colligitur hoc aperte ex conſtitutione Bonifacij Octaui capite quamquam, de cenſibus in ſexto. quam ſupra adduximus capite tertio libri huius, ac late examinauimus, ac tradit gloſſ. in verbo, ipſarum. Sic enim Bonifacius. *Eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum iure humano, quinimo, & diuino à perſonarum ſæcularium exactionibus ſint immunes*. Hæc Pontifex. quod ſi quis dicat illa verba, res ipſarum, referri ad eccleſiſticas tantum. Reſpondetur primo verba in fine ſententiarum poſita referri ad omnia: cur enim magis ad vnam partem ſolummodo? Quocirca cum beneficia ſint eccleſiarum, diſtinguuntur Eccleſiæ res, à rebus perſonarum. Secundo reſpondemus; ſiquidem Bonifacius intellexiſſet de rebus Eccleſiæ tantum, ſic locutus, vt debebat, omnino fuiſſet. Eccleſiæ, reſque ipſarum, & eccleſiaſticæ perſonæ. Tertio declaratur hoc è ſubiectis verbis, cum dicit perſonas eccleſiaſticas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri; nec ad exhibendum, vel ſoluendum talia pro rebus ſuis propriis, quas non cauſa negotiandi deferunt. Hæc ille ſicut primo loco, ſic & ſecundo loquens de patrimonialibus. Neque vlla poteſt afferri cauſa cur potius clericorum mobilia, quam ſtabilia ſint immunia. Re-

ctæ igitur definiuit in hæc verba Guido Papæ in deciſione Gratianopolitana 381.

De clericis autem clericaliter viuentibus, ſicut ſunt presbyteri, & alij eccleſiaſtici, dixi alias ſupra quæſtione ſeptuageſima nona, quod ipſi debent contribuere in dictis ſubſidijs in locis, in quibus conſueuerunt eſſe regiſtra, pro rebus regiſtratis, quas ipſi acquirunt, quoquo titulo ſequendo opin. Bartol. in reſcript. §. finali, ff. de muneribus, & honoribus. ſed poſtea hic aliter ponderando hanc materiam, credo contrarium, quod imo ipſi non debent contribuere. Primo, per textum, qui hoc dicit ad literam in cap. clericis, de immunitate eccleſiarum libro ſexto, vbi Papa auctoritate Apoſtolica prohibet collectas, ſiue tallias ſub adiutorij, mutui, ſubuentionis, ſubſidij, vel domini nomine, ſeu quouis alio titulo, vel quæſito colore clericis, & eccleſiaſticis perſonis, & eorum bonis imponi per principes, vel poteſtates, & quod contrarium facientes, & factores eorum ſententiam excommunicationis incurrunt &c. Quod etiam comprobatur iure ciuili, in l. ſecunda, & in authent. item nulla communitas, C. de Epiſcopis, & Clericis, & quod non obſtante regiſtro eccleſiaſtici in tallijs, ſiue collectis laicorum contribuere non debeant, etiam pro rebus regiſtratis tenet expreſſe Bald. in l. placet, C. de ſacroſanctis eccleſ. qui ibi in hoc reprobat. Bart. & credo, quod bene, quia talia ſtatuta, & conſuetudines contra libertates Eccleſiæ caſſæ, & irritæ eſſe debent, in authent. caſſa, C. eodem titulo, facit l. priuilegia, in §. primo. eodem titulo, & iſtud etiam eſt de mente trium ſtatuum præſentis patriæ, dum in donis, quæ faciunt, excipiunt à contributione eorundem clericos clericaliter viuentes, & ita ſecundum hanc opinionem fuit deciſum, & determinatum per dominos meos parlamenti die vigeſima octaua menſis Ianuarij anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo, dum in dicta reuiſione generali fiebat viſio focorum patriæ Briaſonij, in qua patria eſſe conſueuerunt regiſtra, & ſuper hoc vide plenius per Bal. in lectura quam fecit ſuper de pace conſ. quæ incipit, imperialis clementiæ ſuper l. ver. nos Romanorum, ibi quid de collectis, &c. Qui dicant regiſtrum, & an ſcriptura regiſtri faciant fidem. vide Inn. in cap. 1. de procu.

Item deciſione 382.

Supra dixi de bonis, quæ relinquuntur clericis à plebeijs, ſed quæro, filius eccleſiaſticus ſuccedit Patri, agnatis, vel cognatis, ple-

beijs ex teſtamento, vel ab inteſtato: an debeat contribuere in dictis ſubſidijs pro bonis eis ſic obuentis? Dico quod non: quia ex mutatione perſonæ mutatur conditio rei, vt dicit Bart. in l. Paulus reſpondit per procuratorem, ff. de acquirenda hæreditate, in fine ſui commenti, & cum dominium talium rerum ſit translatum in perſonam eccleſiaſticam, ex tali ſucceſſione non debent tales perſonæ in talibus ſubſidijs collectari, pro dictis eorum bonis iuxta expoſitionem dicto cap. clericis, & authent. item nulla communitas, & ſuper hoc vide l. fiſcus, in principio, ff. de iure fiſci, & Spec. in titulo de clericis coniugatis, circa medium, ibi ad euidentiam, &c. Et ita fuit deciſum in dicta reuiſione focorum. Et pro his faciunt, quæ dixi ſupra quæſtione ducenteſima ſexageſima prima. An priuilegiatus ſuccedens non priuilegiato, gaudere debeat ſuo priuilegio? ſi debeat, an vt iure priuati, vide plene Bart. in l. cum filius familias, in §. in ſtipulatione, ff. de verborum obligat. & in l. fiſcus, ff. de iure fiſci, & Henric. Bobic. in cap. dilectus, de præbendis. An presbyter liberetur à patria poteſtate? Bart. dicit, quod ſic, in l. patre furioſo, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris.

Item deciſione 383.

Sed quid de clericis primæ tonſuræ non coniugatis; exiſtentibus in ſcholis, vel ſtudijs? An debent contribuere in dictis ſubſidijs? credo quod non. per l. 2. C. de Epiſcopis, & Clericis, & ita alias fuit deciſum in hac curia, vt ſcripſi ſcilicet quæſtione octuageſima quarta. Si autem eſſent coniugati deberent contribuere per cap. primum de clericis coniugatis libro ſexto, per textum ibi. in cæteris, &c. iuncta gloſ. Et per hoc dico, quod filius Ioannis Paciotti quondam, qui eſt coniugatus, debet contribuere in dictis ſubſidijs Delphinalibus, licet ſit in ſcholis, & clericus primæ tonſuræ.

Atque hæc quidem Guido Papæ. Verum quando conuenit inter omnes Iuriſconſultos, non obligari Clericos ad noua tributa rebus eorum patrimonialibus impoſita; neque imponi poſſe: diſceptatur tamen, an quæ ad eos titulo ſucceſſionis, & donationis lucratiuo, vt aiunt, vel emptionis oneroſo perueniunt, gaudeant huiuſmodi priuilegio, videndus eſt Petrus Ancharanus, conſilio centeſimo vigeſimo nono, incipit ſuper primo Cardinalis, & Præpoſitus, cap. ſi ſtatutum. vndecima quæſtione prima. Lucas de Penna. L. ſi diuina. C. de exa-

ctionibus tributorum .libro decimo. Cynus auten. item nulla. C. de ſacroſancta Eccleſ. Bartolus, & Salycetus. l. placet. C. eod. Nobis in vniuerſum ſit ſatis hæc dixiſſe. In dubiis quidem quæſtionibus recte Papinianus, reſpondit ſummam religionis eſſe cauſam. l. ſunt perſonæ. ff. de religio. & ſumpt. funerum. Sed iſta mittamus. Ex vi namque poteſtatis, haud poſſe vllo modo Clericos compelli à laicis, vel quaſcumque ob res affici vlla obligatione ob memorata ſatis ſuperque eſt nobis exploratum.

Ex his vero omnibus illud etiam conficitur, ob gradus rerum ſacrarum ſupra à nobis ex auctoritate ſancti Thomæ, ac ratione ipſa diſtinctos multo magis eſſe liberas perſonas, ex quo probauimus patrimonialia libera iure diuino, ac naturali cenſenda.

Sed & aliqua ad argumentum capitis huius pertinentia afferentur adhuc libro ſequenti, cum de vniuerſali omnium gentium iure, quod eſt reuera humano generi naturale, maximeque attendendum, nos agemus.

Argumenta aduerſus eos, qui tollunt Eccleſiaſticam libertatem, quod aſſerant iudices Eccleſiaſticos eſſe ſuſpectos in cauſis proprijs, ac poſſe compelli, vt à laicis Iudicibus permittant Iudicia propria cognoſci. Cap. XII.

QVod vero nonnulli contendunt Eccleſiaſticos Iudices interdum labi, & quamuis à minoribus eorum Præſulibus ad maiores detur appellatio, tamen & maiores eſſe ſuſpectos, quod Eccleſiaſtici ſua, ſuorumque Iudicia tuentur aduerſus æquitatem, laicorumque iura: & ideo ius eſſe his compellendi Eccleſiaſticos ad acta edenda, ac tranſmittenda omnium iudiciorum, retractarique poſſe ſententias Eccleſiaſticorum, quamuis in re à laicis, vbi ad ipſos, vel Clerici, vel laici confugere

gere voluerint, id totum temere, falſo, impie, ac pernicioſiſsime contra omne ius eſt dictum.

Temere quidem, quia licet aliquis Eccleſiaſticus peccet; tamen vniuerſitatem totam Eccleſiaſticorum magis peccare in iudicando, quam laicorum, temere id omnino eſt dictum, idemque eſt aſſerendum, ſi pars ſimilis Eccleſiaſticorum ſimili laicorum comparetur. Nam quoties agitur diſputaturque, an aliquid laicorum, vel Eccleſiaſticorum ſit, & vtrinque eſt ſuſpitio. Maior tamen eſt ex parte laicorum, quia magis laici faciunt res ſuas, quam Eccleſiaſtici. Horum namque res omnibus patent, & quodammodo communes ſunt, quod communis ſit adminiſtratio illarum. Quocirca ſi quis in cauſa propria ſuſpectus eſt, laicus eſt magis ſuſpectus, quia magis facit res proprias, quam Eccleſiaſticus.

Secundo. Cum vero ſolus Deus ſit ſupra vtrumque ordinem, Eccleſiaſticum, ſæcularem, ſi laicus ſolus ipſe vult cognoſcere quis iniquior ſit in iudicando, iactatque ſe id melius cognoſcere, quaſi dæmonum princeps, Dei partes ſuperbiſſime ſibi aſſumit.

Tertio. Quia peruerſam præpoſteramque Dei gubernationem conſtituit, à quo vidimus ſancitum, vt Eccleſiaſtici iudicent de omnibus. quod ſi iniquius iudicarent, Deus in Eccleſia ſua magis adſiſteret iniquioribus, quam iuſtioribus.

Quarto. Peccat ſimiliter, qui hæc dicit in ſpiritum Sanctum: Epiſcopi namque à ſpiritu Sancto ponuntur, vt Eccleſiam Dei regant, vt habetur in Actis Apoſtolorum cap. 20. ponet igitur ſpiritus Eccleſiam regens Eccleſiæ proprios Præſides iniquiores quam qui non ſunt Eccleſiæ propriæ? Eccleſia namque ſine Regibus, Imperatoribus, ac Principibus ſæcularibus eſſe poteſt, ſine Epiſcopo, ac Sacerdote eſſe non poteſt. Ideoque Epiſcopi, ac Sacerdotes ſunt Eccleſiæ ſanctæ proprij Præſides à ſpiritu Sancto verius poſiti, ac propinquius, quam Reges, aut alij ſæculares. Quis autem contendat ſpiritum Sanctum magis curare aliena, quam ſua? vel magis fauere iis, quæ minus ſunt ſua, quam ijs, quæ magis ſunt ſua?

Quinto. Rurſus, & alio modo peccat, qui hæc aſſerit contra ſpiritum Sanctum: nam quæ à Conciliis ſtatuuntur à ſpiritu Sancto maxime omnium conſtitui dicuntur, vt legimus

Actuum capite decimoquinto. Atqui à Conciliis conſtitutum legimus, vt Clericus nullo modo poſsit ad laicorum, Principumque & Imperatorum tribunalia confugere, & recurrere, curiasve ob eam cauſam adire. Quicumque ergo hæc aſſerit, vniuerſalia Concilia, prouincialiaque maxima euertit, ac Spiritum ſanctum damnat. Nam ſic in Concilio Chalcedonenſi ſexcentorum triginta Epiſcoporum capite nono. *Si Clericus aduerſus Clericum habeat negotium, non relinquat ſuum Epiſcopum, & ad ſæcularia Iudicia non concurrat. Sed prius agitetur negotium apud proprium Epiſcopum, vel certe (ſi fuerit iudicium ipſius Epiſcopi) apud arbitros ex vtraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra hac fecerit Canonum ſubiaciat correptioni*, & in Cõcilio Carthaginẽſi tertio, *quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipſe ſe indignum paterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia male ſentiendo, de iudicio ſæculari poſcit auxilium, cum priuatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Hæc Concilium, cui ſanctus Auguſtinus interfuit, aliique epiſcopi quadraginta quatuor. in Concilio præterea Mileuitano cap. 19. *Statuitur, vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur.* Hæc Concilij verba. Mileuitanum porro eſt ab Innocentio Primo approbatum, plurimique in eo adfuere epiſcopi, in quibus, & ſanctus Auguſtinus. Ex ijs autem Conciliis multa habemus, ac Primum tantum ſcelus exiſtimari à Sanctis, inter quos ſanctus Auguſtinus, ab vllo trahi Clericos, ad ſæcularia iudicia, vt minoris ſint, ac iudicetur ex ipſorum ſententia amitti quidquid debetur: & dignus aſſeratur, qui hoc ſcelus admittit, à Concilio Chalcedonenſi, vt ab Eccleſia conſortio ſeparetur; à Carthaginenſi, vt ſi Clericus ſit amittat locum ſuum, non alia de cauſa, niſi quod male iudicat de eccleſiaſticis iudicibus, & eos quaſi ſuſpectos declinat, & indignus ſit eſſe in eccleſia, qui de eccleſiaſticis iudicibus tam male ſentit.

Iuſtiſsime ſine dubio. Nam qui ex ordine eccleſiaſtico credit eundem ordinem eccleſiaſticum eſſe iniuſtiorem ordine laicali, par eſt ex ipſius ſententia, vt ab ordine iniuſtiori tranſeat ad iuſtiorem, neque amplius fungatur officio clerici. Similiter ſi laicus eſt, ac tam male opinatur de eccleſiaſticis, decet omnino ab iis ſe abiungat, & omnino ſeſe aſſociet ſæcularibus, neque emolumenti quidquam percipiat ab eccleſiaſticis. Nam ſi reputat eccleſiaſticos abuti in ſæcularibus ſua poteſtate, multò magis reputare debet abuti in eccleſiaſticis; & idcirco Sanctus Cyprianus epiſtola ſexageſima nona ad Pupianum, bene aſſerebat laicum, qui cognoſcit aliquid aduerſus eccleſiaſticos, diuellere, ac ſeparare ſe ab Eccleſia Dei.

Secundum colligimus ex iis Conciliis, etiam ſi clericus cauſam bonam foueat, & probabiliter ſuſpectum reputet eccleſiaſticum iudicem, cum tamen poſsit adire alium ſimiliter eccleſiaſticum iudicem, ſi tranſeat ad ſæcularem, meritò punitur, vt excidat à cauſa, cum nefas ſit Clerico in cauſa etiam iuſta adire iudices ſæculares. Nam cum pertineat illa cognitio ad eccleſiaſticos, & Clericus auferat ordini eccleſiaſtico cognitionem rei ſuæ, tenetur illi tantum reddere, quanti eſt illa cognitio, quam male abſtulit.

Tertium cognoſcimus ex iiſdem Conciliis eſſe Apoſtoli Pauli præceptum, vt priuatorum Chriſtianorum cauſæ deferantur ad eccleſiaſticos iudices. Atqui Apoſtolus capite ſexto epiſtolæ ad Corinthios tradit, hoc præceptum iuris diuini eſſe, ſicuti & in lege veteri erat, vt conſtat è Deuteronomii capite decimo tertio. Nam cum præcipiat Apoſtolus deferri priuatorum cauſas ad Eccleſiam, quia Apoſtoli Principes Eccleſiæ conſtituti ſunt à Deo iudices Angelorum, ac multo magis ſæcularium; ſcribatque eſſe audax facinus aliter agere, ac multo maius, quam ſi quis rapiat, quidquid petitur, iubet enim magis pati fraudem, damnumque petitæ rei, quam deferre ad tribunalia laicorum cauſas vllas, niſi laici iudicent de cōnſenſu Eccleſiæ, vel Epiſcoporum; manifeſte hinc patet iuris eſſe diuini, ſiue diuini præcepti, ſicuti illa Concilia decernũt, vt ſæcularia iudicia deferantur ad Epiſcopos, vel illos, quos vniuerſitas Epiſcoporum comprobarit, ſiue laici ſint, ſiue eccleſiaſtici, dummodo Chriſtiani. Et ſane cum Chriſtus præci-

piat, vt, ſi quis opinatur ſe lædi ab alio poſt admonitionem primo ſecreto adhibitam, deinde duobus, aut tribus præſentibus ad Eccleſiam res deferatur, & Eccleſia regatur, ac repræſentetur per Epiſcopos veluti corpus regitur, ac repræſentatur per ipſum caput, neque fieri poſsit, vt aliquid ab vllo membro fiat, niſi ex poteſtate infuſa à capite; neceſſario iuris eſt diuini, vt lites quoque ſæculares in Eccleſia Dei ad Epiſcopos, vel eos, quos ipſi quomodocumque approbarint, deferantur, vt è ſuperioribus apparet.

Nunc autem ſit ſatis oſtendiſſe eum, qui ob aliquas ſuſpiciones Clericos trahit ad tribunalia laicorum, quod hos iuſtiores exiſtimet, quam illos, facere contra Spiritum ſanctum, quia facit contra Concilia, per quæ loquitur Spiritus Sanctus, vt eſt in actis Apoſtolorum, id poteſtate diuina, ac veluti ius diuinum decernentia. Idem porro conſtituitur in Concilij Matiſconenſis primi capite octauo, & Agathenſis capite trigeſimo ſecundo.

Sed eſſe falſiſsimum ſæculares maiori ſanctitate, ac iuſtitia pollere, quam eccleſiaſticos, conſtat ex ijs, quæ primo libro attulimus.

Quod ſi quis dicat, eccleſiaſticos in vniuerſum vitæ iuſtioris eſſe, non iura, ac leges, quæ normam rebus ſæcularibus præſcribunt, atque ex quibus iudicia inſtituuntur, ac ſententiæ pronunciantur, & hoc etiam falſiſsimum eſt; atque etiam ſi veriſsimum foret, non tamen ſequitur, quod affertur. Nam primo ſi libri inſpiciantur, qui pertinent ad caſus, vt vocant conſcientiæ, in quibus agitur, quid iuſtum ſua natura ſit, quidue iniuſtum non reperies vllum compoſitum à ſæcularibus, omnes à Clericis. Idémque dicendum fere de iure canonico, quod proprius attingit caſus conſcientiæ. Quod ſi de ciuili iure agamus, nihil eſt in iure ciuili Imperatorum pertinens ad conſcientiam, quod non tractetur ac purgetur in canonico, ac Theologia, vt ſcientibus apparet.

Verum, ſecundo non concluditur adhuc, quod aduerſarij volunt. Innocentia namque vitæ haud poſita eſt in peritia, & doctrina; ſed in eius vſu bono, ac recto: Ac Sancti, Deumque amantes, & timentes, vbi tranſigendum eſt aliquid, quod non omnino callent, adhibent in conſilio peritos, eorumque ſana doctrina vtuntur, ne quid offendant, ac ne ex imperitia labantur,

tur, & aliis forte officere poſsint. Quocirca licet ſæculares norint melius ſæcularia; ſæpe tamen abutuntur huiuſmodi cognitione ad malum, niſi ſubijciant ſua decreta Epiſcoporum decretis, & imperio. Quamobrem cum quis à ſacerdotali iudicio, & iuriſdictione transfugit ad iudicium ſæculare, & iuriſdictionem ſæcularem; transfugit ad eum, qui magis ab eo, qui minus abuti ſolet; transfugit ab eo, cuius errata emendaturum, atque in meliora conuerſurum ſtatim ſeſe Deus offert. Recte igitur Iuſtinianus rettulit in leges non licere laicis in re laicali confugere ad tribunalia laicorum, quamuis omnium maxima, ſed eſſe omnino executioni mandandas ſententias Epiſcoporum iuxta legem Arcadij, Honorij, & Theodoſij ad Præfectum Prætorio, quæ eſt l. Epiſcopale. C. de Epiſcopali audientia, his verbis *Epiſcopale iudicium ratum ſit omnibus, qui ſe audiri à Sacerdotibus elegerint eamque illorum iudicationi adhibendam eſſe reuerentiam iubemus, quam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, à quibus non licet prouocare. Per iudicum quoque officia, ne ſit caſſa Epiſcopalis cognitio, diffinitioni executio tribuatur*: Hæc illi. & ibi Baldus, Caſtrenſis & alij. obſeruandumque in ea lege, non aliam adduci cauſam, niſi quòd non licet ob reuerentiam debitam Eccleſiaſticis, actiones eorum laicis cognoſcere, vt ſuperiori libro dicebamus.

Argumenta, quibus oſtenditur peius agi cum laicis, quoad ipſa ſæcularia, cum ſubijciuntur ſæcularibus, quo ad ipſa ſæcularia, quã cum ſubijciuntur eccleſiaſticæ poteſtati.

Cap. XIII.

Multis porrò experimentis, vſuque frequenti eſt comprobatum, regna, ac nationes in deteriora præcipitari, quoties laici ab imperio ſacerdotali, aut omni, aut aliqua ex parte transfugiunt, & ſacra iura perfringuntur. Quamobrem Sanctus Cyprianus ideo dicit cadere aliquos in poteſtatem tyrannorum, quod Epiſcopis, ac Sacerdotibus nolint obedire. Nam ſic ille

epiſtola ſexageſima quinta, ſiue nona libri tertij ad Rogatianum. *Cum ſummus*, inquit, *Sacerdos à Iudæorum populo ob ſenectutem, ſicut tu modo, contemneretur, exclamauit Iratus Dominus, & dixit: non te ſpreuerunt ſed me ſpreuerunt, & vt hoc vlciſceretur, excitauit eis Saul Regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas ſuperbum populum calcaret, & premeret, vt contemptus Sacerdos de ſuperbo populo vltione diuina vindicaretur.* Hæc ille.

Similia Sanctus Auguſtinus in libro quinquaginta homiliarum homilia quadrageſima octaua; quem refert etiam Proſper ſententia decima quinta, aſſerentes tolli à fiſco totum, cuius debita pars non redditur Chriſto, & ſacerdotibus. ita vt factus ſit prouerbio locus. *Quod non accipit Chriſtus, rapit fiſcus*. Innumeris vero exemplis ex omni hiſtoria petitis clariſsimum fieri poteſt, cunctos Principes, qui eccleſiaſtica iura imminuerunt, auctoritatem ſacerdotum refugerunt, ipſorum obedientiam abijcientes, cum ſacrilegij, participes fuerint, à Deo mulctatos pro grauitate ſacrilegij ac peius populis fuiſſe, quoties & ipſi ab imperio Epiſcoporum declinantes ad ſæculare ſe conuerterunt, aut alioquin ſacrilegio fauere. Sed quando Hebræis omnia contingebant in figura, inquit Apoſtolus primæ ad Corinthios ſeptimo; ac ſemel loquitur Deus, ait Dauid pſalmo ſexageſimo primo, & quod in eadem re dicit, omnibus, vt habetur Marci duodecimo, dicit. oſtendamus non licere, ac facere iſtos contra ius diuinum, & in peiora damna, miſeriasque maiores incurrere. An non hoc verum? Samuel præerat Iudæis. *Sed cum ſenuiſſet*, inquit diuina Scriptura, *poſuit filios ſuos iudices Iſrael, & non ambulauerunt filij illius in vijs eius, ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium: ergo vniuerſi maiores natu Iſrael venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei. Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos ſicut & vniuerſa habent nationes*. Et mox inducens Deum loquentem ad Samuelem, ait. *Non te abijcierunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, iuxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vſque ad diem hanc, ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis; ſic faciunt etiam tibi: nunc ergo voces eorum audi, verumtamen conteſtare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos*. Et poſt de ijs, quæ facturus erat Rex, ſubiicit. *Agros quoque*

que veſtros,& vineas,& oliueta optima tollet,& dabit ſeruis ſuis, ſed & ſegetes veſtras,& vinearum redditus addecimabit, vt det Eunuchis,& famulis ſuis: ſeruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos,& aſinos auferet,& ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui: & clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem eligitis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis Regem. Hæc Deus. At capite duodecimo ſic idem Samuel ad populum. *Nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro; numquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces,& pluuias;& ſcietis,& videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu domini, petentes ſuper vos Regem, & clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces,& pluuias in illa die; & timuit omnis populus nimis Dominum,& Samuelem. & dixit vniuerſus populus ad Samuelem. Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur; addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis Regem.* E quibus multa colligimus.

Primum, non licere laicis, ne dum Clericis à iudicio ſacerdotum confugere ad ſæculare, quamuis ſacerdos iudicium peruertat; ſed ad alios ſacerdotes maiores eſt appellandum, vt ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum: quin ſi neque adſit maior, ad ipſum Deum precibus eſt confugiendum; ipſe enim commodius, citius, & efficacius conſulet indemnitati laicorum, quam ſæcularis. patet hoc ex adducta hiſtoria. Nam Samuel iam ſenex erat, neque poterat ſupereſſe tot negotiis audiendis,& ipſius filij peruerſe iudicabant;& tamen Deus eſt indignatus ad poſtulationem populi, quamuis videretur iuſta poſtulare; ſed tamen iniuſta erat poſtulatio; petendum namque fuerat à Samuele, vt ipſe, quid facto opus eſſet, definiret, atque exequeretur, vel amotis filiis, vel alio modo.

Secundum colligimus Deo diſplicere, vt à ſacerdotum iudicio ſæculares recurrant ad ſæculares, etiam ſi ſacerdotes ipſi adſentiantur: quin adſentiatur Deus: ac denique ſacerdos, ac Deus ipſe conſtituat iudicem ſæcularem. Nam Samuel aſſenſus eſt petitioni, Deus ipſe adſenſus eſt; demum Samuel, ac Deus Regem conſtituerunt, ac dederunt, & nihilominus indigne poſtulata Deus tulit, & populum puniuit, atque in miſeri-

ſerrimam ſeruitutem dedit regno in acerbiſsimam tyrannidem conuerſo.

Tertium colligimus Deum citius, & efficacius eripere ſæculares ab iniuſtitia ſacerdotum, vel calamitatibus, in quas incidunt illi imperante ſacerdotum cœtu, quam ab iniuſtitia, & oppreſsione ſæcularium, vel calamitatibus, in quas incidunt imperante ordine laicali. Patet hoc manifeſtiſsimis exemplis antiqui, & noui teſtamenti.

Nam primo, cum à Moyſe vſque ad Saulem ſæpius ob peccata populus in alienigenarum poteſtatem deueniſſet, ſemper tamen exclamans ad Deum, reſipiſcensque eſt liberatus, vt habetur Pſalm. 106. & late in Iudicum libris. Sed cum Regibus Samariæ tyrannide duriſsima opprimentibus populos, ſeruirent decem tribus, inciderunt in poteſtatem Aſſyriorum, numquam liberatæ ſunt, ſed omnia bona amiſſa, & in externas terras abductæ illæ ſunt.

Secundo conſtat hoc è ſeruitute etiam duarum tribuum: abreptæ namque & illæ in alienas regiones tardius ex ijs aliquæ familiæ reuerſæ ſunt, neque tamen omnino ab alienigenarum Imperio, ac tributorum præſtatione liberatæ ſunt: Sacerdotibus tamen exceptis, vti apparebit, donec aſſertæ fuerunt in libertatem à Machabæis è tribu Sacerdotali; quæ per Herodem, ſectatoresque eius deiecta in extremas omnium calamitates Hebræorum populus eſt præcipitatus. Hanc vero fuiſſe vti nos dicimus extremam populi Hebraici ruinam tradit apertiſsime Oſeas cap. penult. his verbis: *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Vbi eſt Rex tuus? maxime nunc ſaluet te in omnibus Vrbibus tuis; & iudices tui, de quibus dixiſti, da mihi Reges, & Principes? dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Hæc Propheta, apertè oſtendens Hebræorum ruinam non aliunde obortam, quàm ex eo, quod Regem petierint abiecto Imperio Samuelis Sacerdotis, ſicuti explicant etiã *S.* Hieronymus, Theodoretus, & alij.

Tertio conſtat hoc in teſtamento Nouo, totius Africæ, Aegypti, Orientis, Græciæque luctuoſiſsimis euentis, quæ prouinciæ diſcedentes ab obedientia Pontificis Romani traditæ ſunt in atrociſsimam ſeruitutem, iacentque obrutæ, neque

que ſpes vlla videtur affulgere melioris ſtatus. Eodem prope modo cum Vitiza, & Roderico regnantibus in Hiſpania Pontifici Romano obedientia denegaretur, Arabes ſic nobiliſſimas regiones per annos ſeptingentos, ac plures detinuerũt, vt vaſtationibus nullus prope finis appareret.

Verum contigiſſe idem cuilibet Regno ſæpius, late nos explicauimus libro ſeptimo de ruinis Gentium & Regnorum, ad quæ lectorem ne fruſtra idem repetamus, ſatis erit reieciſſe, & latiſſime innumeris euentis libro ſequenti à nobis eadem veritas illuſtrabitur.

Apparet itaque exemplo populi Hebræi, cuius euentum ſimile ſortiuntur, qui volunt idem factum imitari, non licere à Sacerdotum iudicio laicis quoque ipſis recurrere ad ſæculares, eo prætextu, quod iniuſti ſint Sacerdotes, etiam ſi re vera tales ſint aliqui ex illis: idque Deo diſplicere, & illos grauiſsime mulctari.

Cum laici manus iniiciunt in ſacra, vt ex his aliquod crimen aboleant, tunc incurritur in crimina maiora Deo ſic permittente, quòd ordo ab ipſo poſitus fuerit euerſus, atque illinc etiam gentium ruinæ regnorumque oboriuntur.

Cap. XIIII.

SEd enim dicunt aliqui, male Eccleſiaſtici Eccleſiaſtica adminiſtrant, non bonas leges ferunt ad Eccleſiaſtica pertinentes. Quamobrem probemus illud eſſe veriſsimum, cum laici manus iniiciunt ad aliqua adminiſtranda, quæ pertinent ad Sacerdotes, eo prætextu, quod Sacerdotes non bene ijs vtantur, neque recto ſe gerant, aut leges in eam rem pertinentes ferant; tunc peius eſſe actum laicis adminiſtrantibus, ac leges ferentibus, quam cum clerici adminiſtrarunt; quod ſanè patet quoque è ſuperioribus. Vidimus enim peius actum cum ſæcularibus, inſelicioraq; iis accidiſſe cum

ſe cum ſæculares ipſi ſummo Imperio ſæcularia gubernarunt: multo igitur magis cum gubernabunt Eccleſiaſtica, quod tum ratione, tum certo euentu, & vſu comprobatur. Ratione quidem, nam cum nemo non ſit obnoxius erroribus, ſine dubio minus errat aliqua in re tractanda, qui illius tractandæ artem callet, illique dat operam, ſicut etiam qui in ſanctitate acquirenda totus eſt, magis eam conſequitur, quam qui non omne ſtudium, vel non tantum collocat in illius adeptione. Neque audiendus, qui diceret artem lignariam magis teneri ab agricola, quam à fabro lignario, aut lignariam magis ab agricola, quam à lignario. Sic quomodo ſanctitas acquiratur, & ſacra quævis gubernentur, peritius ſcit Sacerdos, quam ſæcularis; quin ipſa ſæcularia, vti ab initio dicebamus, magis ſciet dirigere in Deum, qui diuina tractat, quam, qui ipſa ſæcularia: è qua directione fit, vt Deus illa ſæcularia tutetur, ac fæliciter amplificet, veluti nauta tutius abſque dubio perducet ad portum; qui traijcere maria cum ſuis rebus volunt, licet hi ſeque, ac ſua magis norint, quam qui nauticæ arti nullam dedit operam, aut omni, aut aliqua ex parte.

Experimentis autem plurimis idem comprobatur, è quibus aliqua illuſtriſsima proferemus ex omni prope natione, quæ conata ſit, Apoſtolicam Sedem redigere in ſeruitutem, vt ex illis alia minora, & obſcuriora colligi, ac dignoſci poſsint. Primumque illud ſit. Imperator Iuſtinianus impellente, coniuge Theodora Syluerium Pontificem Roma expulit, ac Vigilium contra omne fas ſubſtituendum curauit inſimulans falſiſsime ſanctiſsimum Præſulem, quod Gothis Vrbem prodere moliretur. eiectus eſt autem re vera, quod ſanctiſsimus ille vir nollet Anthimum hæreticum reſtituere in ſedem Conſtantinopolitanam è qua fuerat ob hæreſim deiectus, cuius reſtitutionem pollicitus fuerat Vigilius. Præterea vero, vt Apoſtolicum thronum redigeret in ſuam poteſtatem, ſuique ſtudioſos haberet, & fidem conciliaret impiis actionibus, edixit, ne Pontifex Romanus poſthac electus ipſo inconſulto conſacraretur. Hæc liberatus late in Breuiario, Anaſtaſius in vita Syluerij, Procopius libro belli Gothici. Videamus, omnia ſecuſque atque voluit Iuſtinianus eueniſſe.

Ac

Ac primum quidem Gothi poſt hæc ſcelera patrata a Iuſtiniano Romam cœperunt, ac magna ex parte demoliti ſunt, & innumeras Italiæ vaſtitates attulerunt, quas late Procopius deſcribit; neque tamen ijs Vrbem prodidit Pontifex Romanus, neque prodere poterat, cum fuiſſet Vrbe abductus.

Secundum, noluit vnquam Vigilius aſſentiri, vt Anthimus reſtitueretur, quamuis omnia tentarentur ob eam cauſam, fueritque ille variis modis exagitatus, vt memorati ſcriptores narrant; ſic itaque Theodoræ ſecus accidit, quam putarat expulſo Pontifice Romano, & reducta in ſeruitutem Apoſtolica ſede.

Tertium veluti nihil aduerſus Imperatorem fuerant Romani Pontifices antea machinati in Italia, ac reliquis imperij locis: poſtquam tamen hoc prætextu falſo auſus eſt Iuſtinianus, cuius impium edictum ſecuti ſunt multi ex Imperatoribus ſequentibus, adducere in ſeruitutem quandam Sedis Apoſtolicæ maieſtatem, non modo Longobardi maximam, pulcherrimamque Italiæ partem cœperunt euocati, vel permiſsi irrumpere in Italiam à Narſete, ſed etiam Perſæ in confinibus multa inuaſerunt, Slauiniquе, atque aliæ Borealium nationes Danubio tranſmiſſo loca imperij plurima multis modis infeſta habuerunt. quæ refert non modo idem Procopius libris de bello Perſico; ſed Agathias etiam temporis illius ſcriptor, & Euagrius libro quarto capite decimo quarto. Ipſe autem Iuſtinianus in hæreſim lapſus, & extremis vitæ diebus in amentiam verſus, innumeris obrutus calamitatibus deceſsit tyrannidis rapaciſsimæ, & efferatiſsimæ ab Euagrio libro quarto capite vigeſimo nono, Suida, & aliis notatus. Quin Heraclio ſedente Mahometes, & Saraceni, qui merebantur eius ſtipendia, deſciuerunt ab obedientia, ſectamque impiam conflantes Orientem totum, Africamque occuparunt. ac plerumque nihil eſt actum, quin aliquis Imperij dux fidem proderet, & arma aduerſus Imperatorem ferret. quod cognoſci poteſt è Paulo Diacono à libro decimo octauo vſque ad finem, Zonara, Cedrenoque annalium tertio tomo. Atque ita apparuit non ſacerdotes, & Pontifices eſſe proditores, ſed ipſos duces ſæculares.

Sic igitur Iuſtinianus cum ſuis contraria prorſus eſt ſortitus eorum, quæ cogitauit, expellens Siluerium, thronumque

Apoſtolicum redigens in quandam ſeruitutem potentiæ ſæcularis. Durauit impium Iuſtiniani decretum, quo Romani Pontificis conſecrationem impediebat, vſque ad Conſtantinum Pogonatum, qui liberam ſtatuit eſſe Pontificis conſecrationem. Per eum ſummoti vltra Armeniam, Cappadociam, Ciliciam, Libanumque Arabes, ac tributum dare coacti. At eius filius Iuſtinianus quandiu perſtitit in fide, Mediam, Albaniam, Hircaniam, reliquaſque Armeniæ regiones recuperauit, vt libro decimo nono Paulus Diaconus refert: quin ſi Bedæ, qui ſub hæc tempora vixit, credimus, & Africa eſt recepta.

Secundum ſit exemplum Othonis Primi. hic enim depulſo per factionem Ioanne Duodecimo ſtatuit, ne Pontifex eſſet, niſi quem ipſe delegiſſet eo prætextu, quaſi Ioannes ſeditiones in ipſum commoueret, ac rebelles foueret, reuera tamen, vt eccleſiaſticam poteſtatem prorſus ſibi ſubiiceret, ea de cauſa aſſerens id à ſe conſtitutum, ne quid diſsidij in electione naſceretur, & ſchiſmatis: atque ex eo tempore diſceſſere ab ipſius, filiorumque imperio Dani, Bohemi, Poloni, Baioarij, Belgæ, vt oſtendimus libro ſeptimo de Ruinis gentium.

Gulielmus præterea filius Othonis Primi Archiepiſcopus Moguntinus Patrem excommunicauit, quod haberet in matrimonio Adheleida commatrem, ab eodemque illi eſt prædictum fore, vt die Pentecoſtes de improuiſo moreretur, & ante Chriſti tribunal de ſuis actionibus rationem redditurus ſtaret, quæ Petrus Damiani narrat.

Et quando hac mente aſſeruit, ad ſe tranſtuliſſe contra omne ius electionem Pontificis Romani, ne ſchiſma oriretur, ex eo tempore, quandiu electio libera non fuit, plura ſunt oborta in eligendo Pontifice ſchiſmata, quam vel prius, vel poſtea, vt notauimus ſigno octuageſimo primo de cura Papæ in Catholicis tuendis capite quarto ad finem.

Tertium ſit experimentum, cum Henricus Tertius Germaniæ Rex, Imperator autem Secundus Gregorium Sextum ſede expulit per vim, quod diceret eum per ſimoniam creatum, rurſuſque ad ſe, ac ſuos ſucceſſores electionem Romani Pontificis auertere eſt conatus, & ad abuſus, vt ipſe iactabat, ſimoniaſque tollendas auſus eſt vſurpare contra omne ius poteſtatem inſtituendi clericos in beneficijs, Abbatiis, & Epiſcopatibus, cum nullo id modo fieri poſſet, neque clericis vllum

ius

ius foret, niſi quantum ſacerdotes, alijque ad quos ea res pertineret iure diuino, factum Imperatoris approbarent.

Verum tantum abfuit, vt abuſus, ac ſimoniæ tollerentur, vt nullo vnquā tempore magis ſimoniæ locus fuerit inter Chriſtianos, ac paſsim ſacerdotes intruſi in beneficia, concubinas haberent, quaſi iuſtas vxores in matrimonio. quæ teſtantur omnia Germani ſcriptores Lambertus Schafnaburgenſis, & Marianus Scotus, qui temporibus his vixere ab anno milleſimo quadrageſimo ſeptimo, vſque ad milleſimum ſeptuageſimum ſeptimum, Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 32. quos Crantzius, & alij ſequuntur.

Ex his patet, quod diximus, malos illos mores, quos vt tollerent ſæculares principes, auocarunt ad ſe adminiſtrationem rerum ſacrarum, & eccleſiaſticis abſtulerunt, magis excreuiſſe in ipſorum Principum maximam perniciem: ex quo conficitur, flagitioſe fieri, quoties ab eccleſiaſticorum iudicio recurritur ad ſæculares, quaſi hi ſint ſanctiores, & prudentius occurrere poſsint, remediumque afferre perditis rebus.

Perannicioſiſsime tandem dicitur præſtare, vt recurratur ad ſæculares in rebus eccleſiaſticis, iudiciiſque, & rebus quoquomodo ad ipſos pertinentibus. Omnium namque gentium, & regnorum calamitoſiſsimę ruinæ hinc oriuntur, vt oſtendimus libro de Ruinis gentium; quod profana ſacris præponuntur, & ſæculares ad illa adminiſtranda manus iniiciunt, & infandiſſimo ſacrilegio Principes laici iura eccleſiaſtica minuere, atque in ſuam poteſtatem redigere audent, & conantur.

Nam quid eſt aliud niſi terram cœlo miſcere? aut quid propius eſt dictum ſacris miſcere profana? Quod eſt in prouerbiis tritiſsimis antiquarum gentium.

Argumenta deducta ex epiſtola Sancti Gregorij, quæ ab aduerſarijs citatur, & qua Sanctus Imperatores eccleſiaſticæ libertatis oppugnatores, hæreticos, ſchiſmaticos, Eccleſiæ perſecutores, ſimiles Neroni, & Diocletiano, portas inferi, deſtructores imperij, multisque huiuſmodi vocabulis appellat.

Cap. V X.

HIs tamen omnibus videtur obſtare epiſtola ſexageſima prima, quæ eſt libri ſecũdi capite centeſimo Sancti Gregorij Papæ, quam ſcribit ad Imperatorem Mauritium, qui iuſſerat ipſi, vt tranſmitteret ad omnes Epiſcopos edictum, ne milites fierent monachi. At Sanctus multis oſtendens id male factum, & legem non eſſe promulgandam; tamen ad extremum ſic ait. *Ego quidem iuſsioni ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci: & quia lex omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſsimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo, quæ debui exſolui, & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi minime tacui.* Et paulo ſupra, inducens Deum, qui alloquatur Mauritium, ſic ſcribit. *Sacerdotes meos tuæ manui commiſi.* Rurſus epiſtola ſexageſima quarta eiuſdem libri ad Theodorum ſcribens ait. *(Deus) ei (*Mauritio*) omnia tribuit, & dominari eum non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotibus conceſsit.* Hæc Sanctus. quibus quid apertius, inquiet aliquis? quis ad hæc audeat reſpondere? & Sanctus iſta dicit, & Pontifex maximus iſta tradit. Verum reſpondeat Sanctus ipſe, & quid ſibi velit apertiſsimũ faciat, clariſsimumque, & teſtatiſsimum ſingulis, vel hebetiſſimi ingenii faciat, cum Sancti aiunt, Clericos eſſe laicis ſubiectos, eſſe ſub ipſorum poteſtate, ac dominio, intelligere de poteſtate inferorum, de ſubiectione, quam Nero, & Diocletianus exer-

exercuerunt in Sanctos, de dominio prædonum, & luporum, quo non Eccleſiam modo, & eccleſiaſtica iura, ſed ipſa ſua imperia deſtruunt; ac totam ſtirpem ſuam. Veniat itaque Gregorius ipſe Sanctus in medium, veniat Pontifex maximus, ipſe ſuam ſententiam promat, ac declaret; in primis enim, proteſtatur ipſe initio epiſtolæ illius, ſe non vt Epiſcopum loqui, neque vt ciuem, ſeruum Reip. & ait. *Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus in hac ſuggeſtione, neque vt Epiſcopus, neque vt ſeruus iure Reip. ſed iure priuato loquor.* Rurſus idem ſic de Mauritio Imperatore iſthæc faciente, ac leges huiuſmodi promulgante, & Imperatoribus, qui Iuſtiniano ſucceſſerunt, & Orientale imperium ſubuertere, in expoſitione quarti pſalmi pænitentialis, illo verſiculo. *Tota die exprobabant mihi inimici mei, & qui laudabant me aduerſum me iurabant. Hi ſunt,* inquit, *qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et mox. *Hæc eſt inquam hæreſis, quæ ipſa naſcentis Eccleſiæ rudimēta tentauit, & ante alias hæreſes prima apparuit; cuius erroris veſania licet ex tunc damnata fuerit; poſtea tamen in Eccleſia germine peſtifero pullulauit, noſtris vero maxime temporibus malitiæ ſuæ virus exercuit, totius Eccleſiæ pacem ſchiſmatica infeſtatione turbauit. Concitauit aduerſus Eccleſiam Dei non ſolum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam regiam, ſi fas eſt dicere, poteſtatem: nulla enim ratio ſinit, vt inter Reges habeatur, qui deſtruit potius, quam regit imperium, & quotcumque habere poteſt peruerſitatis ſuæ ſocios, eos à conſortio Chriſti efficit alienos, qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus, ſponſam Chriſti captiuam cupit abducere, & paſſionis Dominicæ ſacramentum auſu temerario contendit euacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis precio redemptam Saluator noſter voluit eſſe liberam; hanc iſte poteſtatis Regiæ iura tranſcendens facere conatur ancillam. quanto melius foret ſibi dominam ſuam eſſe agnoſcere? eique religioſorum principum exemplo deuotionis exequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuæ dominium accepit poteſtatis: ipſe enim eſt, qui ait: per me Reges regnant. Sed & immenſe cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt apparet, ingratus beneficio, & contra Deum faſtuoſus, terminos quos poſuerunt patres Noſtri contempto, diuino timore tranſgreditur, & contra Catholicam veritatem ſuæ furore tyrannidis efferatur. In tan-*

tum autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in dominam gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet, quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit dicens: tibi dabo Eccleſiam meam. Et poſt explicans verſiculum, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, ſunt,* inquit, *etiam portæ inferi, quædam poteſtates huius mundi, quid enim Nero? quid Diocletianus? quid denique iſte, qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur? Nunquid non omnes portæ inferorum?* Hæc ſanctus, apertiſsime vocans poteſtatem regiam; qua Mauritius cum reliquis illius ætatis Imperatoribus exigebat tributa ab Eccleſiaſticis, & leges ferebat Eccleſiaſticæ libertati inimicas, neque ſinebant Pontificem Romanum conſecrari, niſi perſoluta pecuniæ ſumma, ipſisque ſcientibus non Regiam ſed tyrannicam, efferatam, peruerſam, furioſam, hæreticam, portas inferi, & quam cum Neronis, & Diocletiani crudeliſsimis perſecutionibus conferat, quæ imperia deſtruat, non regat. Hæc itaque ſanctus, quo quis melius animi proprij ſenſa poterit explicare? An non ipſe aſſerit Eccleſiam Dei liberam? An non ancillam fieri dicit, quam Chriſtus dominam gentium conſtituit ob Romani Pontificis altiſsimam poteſtatem? cui quidam noui Theologi volunt non eſſe vllum ius in gentes, & infideles: illa igitur huic aduerſaria poteſtas eſt ferarum, quæ aggrediuntur, occidunt, perſequuntur obuios quoſque, eſt furioſi, eſt diaboli, ac tenebrarum, qua Chriſtus eſt cruci affixus, & Martyres interfecti.

Quantum porro ad legem pertinet, quam ſanctus aſſerit à ſe in varias partes tranſmiſſam; verum id quidem, ſed illam tranſmiſit à ſe ipſo emendatam, quod conſtat è libri ſeptimi epiſtola vndecima, quam dedit ad multos Metropolitanos, ita ſcribens, *Legem, quam pijſsimus Imperator dedit, ne fortaſſe hi, qui militiæ, vel rationibus ſunt publicis obligati, dum cauſarum periculum fugiunt, ad Eccleſiaſticum habitum veniant, vel in Monaſterijs conuertantur, veſtræ ſtudui fraternitati tranſmittere, hoc maxime exhortans, quod hi, qui ſæculi actionibus implicati ſunt, in Clero Eccleſiæ præpropere ſuſcipiendi non ſunt; quia dum in Eccleſiaſtico habitu non diſsimiliter, quam vixerant viuunt, nequaquam ſtudent ſæculum fugere, ſed mutare: quod ſi etiam tales quoque Monaſterium petunt, ſuſcipiendi nullo modo*

ſunt

ſunt, niſi prius actionibus publicis abſoluti fuerint. ſi qui vero ex militaribus viris in monaſterijs conuerti feſtinant, non ſunt temere ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita; & iuxta normam regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt probati atque ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam de perpetratis culpis agere ſtudent, pro eorum vita & lucro cæleſti non eſt eorum conuerſio renuenda. Hucuſque Sanctus, qui vt apparet emendauit Imperatoris edictum, militiæ namque obligatos recipi voluit contra Imperatoris legem, ſed triennio probari. At ære alieno rationibus publicis reddendis obligatos, ſimul atque fuerunt abſoluti: conuenienter id quidem, ne quis nimirum idcirco ingrederetur monaſterium cum damno aliorum, vitans æris alieni ſolutionem: ſic itaque in aduerſarios retorquetur, quod ipſi adduxerunt, ac patet Pontificis Romani eſſe corrigere leges Imperatorum, & hos eſſe, cum quid contra Eccleſiaſticam libertatem moliuntur, tyrannos efferatos, peruerſos, hæreticos, portas inferi, ſimiles modo ſuo Neroni, & Diocletiano. Sciendum porro eſt illa verba ſancti Pauli 2. Theſſalonicen. 2. myſterium operatur iniquitatis, referri à ſancto Ambroſio, Chryſoſtomoque ibi, & Hieronymo epiſtola ad Algaſiam, ad Neronem, qui nondum ſane extremam ſuam perſecutionem commouerat in Chriſtianos: neque enim ſancti Petrus, & Paulus occiſi fuerant, aut capti, ſed multi Chriſtianorum capti fuerant, adductique ad ipſius tribunal. quocirca idem ſanctus Paulus, vt ſupra oſtendimus vocat hoc tribunal, leonis efferati tribunal, id eſt, diaboli, qui *tamquam leo rugiens circuit, quem deuoret*. Sed Theodoretus, & Sedulius, & ſanctus Auguſtinus de ciuitate Dei libro vigeſimo cap. 10. myſterium iniquitatis volunt eſſe Simonem hæreticum cum ſuis. Recte omnes hi, ex inobedientia namque oritur ſchiſma, è ſchiſmate hæreſis, ex hæreſi atheiſmus. Inobedientia vero à paruis incipit, quod accidit in ſingulis, vt extremæ ruinæ à minimis progrediantur. Sic itaque S. Gregorius optime coniunxit hæc omnia, libertatisque Eccleſiaſticæ violatores vocauit hæreticos, ac Nerones, id eſt, iniquitatis myſterium.

Si cui vero negotium faceſsit, quod qui tantæ ſunt impie-

tatis, tamen vocentur, optimi, piiſsimi, religioſiſsimi, ſciat vocari ex officio, quod debeant eſſe, ac talis ſit ſua natura ipſorum poteſtas, & officium: quod ſi illis abutuntur, ex abuſu peſsimi, ex poteſtate optimi ſunt appellandi. ſic ſanctus Paulus Actorum capite vigeſimoquarto, & vigeſimoſexto, vocat optimum feſtum, cum tamen impius, ac gentilis eſſet.

Finis Libri Quinti.

DE IVRE NATVRALI ET DIVINO ECCLESIASTICAE LIBERTATIS ET POTESTATIS.

LIBER SEXTVS.

Ius naturale eſt triplex, commune cum naturis omnibus, commune cum animantibus, cõmune cum omnibus gentibus; Ab hoc vltimo perficitur humana natura. Duplex eſt perfectio naturalis, & ſupernaturalis. cum ratio humana non poſſit cõprehendere ſingularia contingentia, diuinitus homini datur donũ ſcientiæ, conſiliјque, & ad alios regendos ſapientiæ gratis datum. principium practicum primum actionum humanarum per ſe notum eſt illud, Deus eſt colendus præ cunctis: hinc ſacerdotum, qui pertinentia ad hoc principium ſciunt, poteſtas ſumma, ac libertas perſonarum ſacrarum, locorum, rerumq. ijs ſeruientium ſancita iure gentium coæuo hominibus, quod eſt ipſis propriè, maximeq. naturale. Cap. I.

IVs naturale eſt triplex, quod optime Sanctus Thomas docuit 1.2. quæſt. 94. art. 2. ita ſcribens. *Bonum eſt quod omnia appetunt: hoc eſt ergo primum præceptum legis, quod bonum eſt faciendum, & proſequendum, & malum vitandum: & ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ: vt ſcilicet illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica*

naturaliter apprehendit eſſe bona humana: quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarij, inde eſt quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit, vt bona, & per conſequens, vt opere proſequenda; & contraria eorum, vt mala, & vitanda. Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium eſt ordo præceptorum legis naturæ.

Ineſt enim primo inclinatio hominis ad bonum ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantijs; ſcilicet qualibet ſubſtantia appetit conſeruationem ſui eſſe ſecundum ſuam naturam: & ſecundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturaliter ea, per quæ vita hominis conſeruatur, & contrarium impeditur.

Secundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & ſecundum hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, vt eſt commixtio maris, & fœminæ, & educatio liberorum, & ſimilia.

Tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria, ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de Deo; & ad hoc quod in ſocietate viuat, & ſecundum hoc ad legem naturalem pertinent, quæ ad huiuſmodi inclinationem ſpectant; vtpote, quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conuerſari; & cætera huiuſmodi, quæ ad hoc ſpectant.

Hæc Sanctus. conſentiunt his per omnia Iuriſconſulti. Nam quantum ad primum dixerunt nihil tam naturale eſſe, quam eo genere quodque diſſoluere, quam quo colligatum eſt. ſic Vlpianus l. nihil tam naturale de reg. iur. & Paulus eodem titulo tradidit. *Secundum naturam eſt commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda*. quæ ſane omnia nituntur illa ratione, qua paria paribus, ſimilia ſimilibus aſsignantur.

Quantum ad ſecundum ſtatuerunt ijdem ius naturale illud eſſe, quod natura docuit quoduis animal. Id vero ſtatuerunt, quia magis homines pudet, ni obſeruent, quod ab animalibus obſeruari vident, & quia quod ab animalibus obſeruatur, ac nobis eſt conforme, idem magis eſt notum nobis, quam quod plantis contingit: idcirco cum leges populis ſcribantur pro populi captu, ſic illi difiniuerunt.

Quantum ad tertium, ita Caius Iuriſconſultus l. omnes populi.

puli.ff.de iuſtitia, & iure. *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur*. Hæc ille. Similiter multis in locis Iuriſconſulti tradunt, quod eſt iuris gentium, iuris eſſe naturalis. l.1.ff. de pactis, l. atqui natura, de negotiis geſt. l. nam natura, de condict. indebit. l. ſi non ſortem, §. ſi libertus. ff. eo.

Aliqua porro ſunt nobis obſeruanda, quoad iusgentium. Primumque eſt illud, ab hoc non tolli, ſed perfici ius illud naturale commune, niſi gentes fuerint deprauatæ naturæ. Quocirca in multis eſt coæuum, vt videbimus ipſi naturæ intellectuali integræ, & ornatæ lumine ſupernaturali, quam Deus ab initio creauit. Hinc Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 95. art. 4. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod ſicut ratio in homine dominatur, & imperat alijs potentijs; ita oportet, quod omnes inclinationes naturales ad alias potentias pertinentes ordinentur ſecundum rationē. Vnde eſt hoc apud omnes communiter rectum, vt ſecundum rationem dirigantur omnes hominum inclinationes*. Hæc ille, volens rectè, prima iura naturalia dirigi, ac perfici à tertio gentium iure recto, neceſſarioque hoc ſequendum, rationique rectè dirigenti obediendum.

Secundo nobis eſt aduertendum, duplicem dari perfectionem naturalem, ac ſupernaturalem; ſic enim Sanctus idem 2.2. quæſt. 2. artic. 3. *In omnibus*, ait, *naturis ordinatis inuenitur, quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt: vnum quidem, quod eſt ſecundum proprium motum; aliud autem eſt ſecundum motum ſuperioris naturæ: ſicut aqua ſecundum motum proprium mouetur ad centrum; ſecundum autem motum Lunæ mouetur circa centrum ſecundum fluxum, & refluxum: ſimiliter etiam orbes planetarum mouentur proprijs motibus ab Occidente in Orientem; motu autem primi orbis ab Oriente in Occidentem. ſola autem natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deum; quia cæteræ creaturæ non attingunt ad aliquid vniuerſale; ſed ſolum ad aliquid particulare participantes diuinā bonitatem, vel in eſſendo tantum, ſicut inanimata; vel etiam in viuendo, vel agnoſcendo ſingularia, ſicut plantæ, & animalia. Natura autem rationalis in quantum cognoſcit vniuerſalem boni, & entis rationem, habet immediatum ordinem ad vniuerſale eſſendi principium. Perfectio ergo naturalis creaturæ non ſolum conſiſtit in eo, quod ei competit ſecundum ſuam naturam; ſed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadam ſupernaturali perfectione*

diuinæ bonitatis. vnde & ſupra dictum eſt, quod vltima beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali Dei viſione: ad quã quidem viſionem homo pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis à Deo doctore ſecundum illud Ioannis 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Huius autem diſciplinæ fit homo particeps non ſtatim, ſed ſucceſſiue ſecundum modum ſuæ naturæ. omnis autem talis addiſcens oportet, quod credat ad hoc, quod ad perfectam ſcientiam perueniat, ſicut etiam Philoſophus dicit; quod oportet addiſcentem credere. Hactenus Sanctus.

Tertio nobis eſt aduertendum, quod idem Sanctus tradit 2. 2. quæſt. 52. artic. 1. ad primum his verbis. *Quia humana ratio non poteſt comprehendere ſingularia, & contingentia, quæ occurrere poſſent, fit, quod cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, vt dicitur Sapientiæ capite nono. Ideo indiget homo in inquiſitione conſilij dirigi à Deo, qui omnia comprehendit, quod fit per donum conſilij, per quod homo dirigitur, quaſi conſilio à Deo accepto.* & quæſt. 8. art. 3. *Donum intellectus non ſolum ſe habet ad ea, quæ primo, & principaliter cadunt ſub fide; ſed etiam ad omnia, quæ ad fidem ordinantur: operationes autem bonæ quendam ordinem ad fidem habent. Nam fides per dilectionem operatur, vt Apoſtolus dicit ad Galatas capite quinto: & ideo donum intellectus etiam ad quædam operabilia ſe extendit; non quidem, vt circa ea principaliter verſetur, ſed in quantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conſpiciendis, & conſulendis ſecundum Auguſtinum 12. de Trinitate, inhæret ſuperior ratio, quæ dono intellectus perficitur.* Et ad tertium. *Regula*, ait, *humanorum actuum eſt ratio humana, & lex æterna, vt ſupra dictum eſt: lex autem æterna excedit naturalem rationem; & ideo cognitio humanorum actuum, ſecundum quod regulatur à lege æterna, excedit naturalem rationem, & indiget ſupernaturali lumine doni Spiritus ſancti.* Et quæſt. 9. art. 3. & quæſt. 45. art. 5. *Quidam autem altiori gradu perficiuntur per ſapientiæ donum, & quantum ad contemplationem diuinorum in quantum ſcilicet altiora quædam myſteria, & cognoſcunt, & manifeſtare alijs poſſunt, & etiam quantum ad directionem humanorum ſecundum regulas diuinas, in quantum poſſunt ſecundum eas non ſolum ſeipſos, ſed etiam alios ordinare: & iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientẽ; ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus ſanctus diſtribuit prout vult, ſecundum illud 1. ad Corinth. 12. alij datur*

per

per ſpiritum ſermo ſapientiæ. Hucuſque Sanctus. E quibus poſſet aliquis diuidere ius gentium in naturale, ac ſupernaturale, id eſt, inter magis perfectum, & minus perfectum.

His poſitis, ſic inter alia ſtatuimus. Primum principium practicum per ſe notum actionum intellectualium, vel humanarum, vt humanæ ſunt, & in vltimum finem referuntur, eſſe illud; Deus eſt colendus, ſiue Deus eſt præ cunctis amandus, ſiue in ſingulis quibusque rebus eſt illius voluntati obediendum; amicorum namque eſt eadem voluntas. vt Ethico octauo habetur: finiſque vltimus eſt primum principium, quod mouet agentem: ſiquidem mouemur omnes, vt aſſequamur cognitũ, deſideratumque finem. Sed hominis vltimus finis, vt homo eſt mente præditus, eſt Deus, & coniunctio cum Deo, qui licet in ſpeculatione non ſit, quoad nos per ſe notus, & indigeamus doctrina, effectuumque conſideratione, vt illum cognoſcamus: tamen intellectus practicus ſequitur ſpeculatiuum (cum nihil velimus, vti homines ſumus, niſi cognitum) nouitque hoc ſpeculatiuus doctrina, & ratiocinatione veluti vltimum finẽ, præfertq. illum practico & voluntati; neque ante hanc cognitionem eſt vlla cognitio intellectualis practica. Quæ neceſſario ſupponit vltimum finem. Deus vero eſt vltimus finis hominis, vt hominis. Quocirca illud principium, bonum eſt proſequendum, eſt remotius, & cõmune homini cum belluis, & plantis; neque eſt homini naturale, vt homo eſt, quod multis modis probatur.

Primo enim Sanctus Thomas, vt ſupra diximus, ait hanc eſſe inclinationem hominis, quatenus homo eſt, vt veritatem cognoſcat de Deo, & hoc illi eſſe propriè ius naturale.

Secundo Philoſophus initio metaphyſicorum, cum præmiſiſſet illud, omnes homines natura ſua deſiderant, concludit maxime omnium naturale eſſe illi, vt Deum cognoſcat, atque in eum tendat. quod late explicat ad finem 12. metaph.

Tertio cum ſimiliter initio Ethicorum præmiſiſſet, ab omni agente appeti bonum, mox cum videret bonum eſſe æquiuocum, paulatim procedens oſtendit, hominis, vt hominis, bonũ non eſſe voluptatem cum beſtiis communem; non eſſe diuitias, quæ pertinent ad corpus, non eſſe honores; tandem concludit eſſe Deum cognitum, nobiſque diu, iugiterque, quantum fieri poteſt, coniunctum, quod late explicat ad finem libri decimi.

Quar-

Quarto hoc etiam nouere Iuriſconſulti. Nam Pomponius l.veluti.ff.de iuſt. & iure. poſuit primum iurisgentium præceptum eſſe religionem in Deum,quod ſcilicet finis ordinet omnia,quæ ſunt ad finem,Deique cultus ſit primum principium, quod ordinet, ac moderetur leges. ſimiliter Vlpianus l.1.ff.de eodem, *Eleganter*,inquit,*Celſus definit, ius eſt ars boni,& æqui, cuius merito quis nos Sacerdotes appellet.* Hæc ille,oſtendens bonum, de quo in definitione loquitur eſſe hominis, vt hominis mente præditi, ac mente vtentis eſſentiale, ac primum bonũ, qui eſt Deus, Deiq́ue cultus, cuius cognitio & ordinatio pertinet ad Sacerdotes. eodem modo Papinianus l.ſunt perſonæ, de religioſis & ſumpt.tradit ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit, quod ſcilicet, prima ſiue ſumma, & ſuprema ratio, ſiue cauſa & finis actionum, legum,ſententiarumq́ue ſit religio.Rurſus Vlpianus idem l.iuſtitia.de iuſt. & iure. ſcripſit *Iuriſprudentia eſt diuinarum, & humanarum rerum notitia.* Hæc ille eſſentiam potiſsimam iuris ponens in diuinitate;notitia namque ſequitur eſſentiam rerum.

Quinto, illa duo præcepta, quæ Chriſtus tradidit Matthæi cap.22. & habetur Deuter. cap.6. *Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,ex tota anima tua, & ex tota mente tua hoc,& proximum tuum ſicut te ipſum,* ſunt prima principia, à quibus deriuantur veluti concluſiones à notioribus decem præcepta decalogi; quod inter alios tradit S. Thomas 1. 2. quæſt.100.art.1.& 4.& 2.2.quæſt.44.art.4.ob id Chriſtus adiecit,*in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ,* quæ verba referuntur non modo ad legem ſcriptam, ſed etiam naturalem, bene enim Sanctus Paulus dixit ad Galathas,cap.5. *Omnis lex in vno ſermone impletur,diliges proximum tuum ſicut te ipſum,*cum dicit omnis comprehendit etiam naturalem.

Quamobrem licet gentes aberrarent in duobus, vti ſæpius repetemus, vel in eo,quod attribuerent diuinitati,quæ attribuenda nullo modo eſſe apparebat bene moratis, vel in eo, quod attribuerent diuinitatem rebus, quibus attribuenda nõ erat.tamen pro aris,& focis, ſiue pro Deo, ſuiſque omnia ponenda ſtatuebant; in hoc conuenientes eſſe diuinitatem quandam,quæ regeret vniuerſa.

Sexto. Sunt hæc adeo vera, vt maximi viri prodiderint,eſſe per ſe notum lumine naturali quoad nos, Deum eſſe, ita vt abſque vlla ratiocinatione hoc cognoſcamus, ſimulatque nobis

bis declaratum fuerit, quid ſit Deus, & quid ſit eſſe. ita vult Cicero libro primo de natura Deorum, & de legibus, volens hãc eſſe omnium gentium ſententiam. Damaſcenus lib. 1. orthodoxæ fidei cap. 1. & 3. & ſanctus Hieronymus in cap. 36. Iob Pſalm. 95. ad Galathas cap. 1. & Ioannis cap. 1. in illa verba, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum.* ſanctus Anſelmus libro contra inſipientem, Abulenſis in Exodi cap. 5. quæſt. 2. & Lyranus in idem, quin Aegidius in hac ſententia videtur inclinare.

Verum nobis eſt illud ponendum, naturaliter per ſe cognoſci Deum eſſe quantum eſt ex parte Dei, ſed quantum eſt ex parte noſtra non ſciri à nobis perfecte, Deum eſſe niſi ratiocinatione deducta ex effectibus conſideratis. Credi vero, ac fide cognoſci, & ad hanc cognitionem, credulitatem, fidemq; naturaliter, & maxime inclinari, cum bene vocabula illa fuerint explicata, ac propterea iure naturali, & maximo obligari ad credendum licet imperfecte, ac ruditer argumenta explicentur, neque ratiocinationis progreſſus percipiatur, quod non niſi peritis contingit, quorum ſolertiam non aſſequuntur indocti, & rudes. Ob id ſancti Patres vnanimi ore clamant, inſitam naturaliter hominibus notitiam cultumq; Dei. Ita ſanctus Iuſtinus in Apologia, Cyprianus de vanitate idolorum, ſanctus Auguſtinus tractatu 106. in Ioannem, Clemẽs Alexandrinus adhortatoria ad gentes, Tertullianus in Apologetico cap. 17. Arnobius libro 1. contra gẽtes. Quocirca idem Clemens ita libro Stromatum 5. *Nullum autem vſquam genus neque eorum, qui verſantur in ciuitatibus poteſt viuere niſi eius, quod præſtantius, ac melius fide præoccupatum, præuentumque fuerit. Quamobrem vniuerſa quidem gens Orientalium, & vniuerſa, quæ pertinet ad Occidentem, Septentrionem, & Auſtrum vnam habent, & eandem anticipatam notionem de principatu eius, quod conſtituunt, ſiquidem quæ ſunt vniuerſa & maximè generales eius operationes, omnes ex æquo perſuaſerunt.* Hæc ille.

His poſitis veluti hæc duo præcepta, Deus præcunctis eſt omnino amandus, ac proximus inſtar ſuijpſius, ſunt prima principia, è quibus oriuntur decem præcepta, atque à primo illo eſt ſecundum, ſic etiam ſacra poteſtas eſt cauſa omnium poteſtatum humanarum quod Philoſophus in fine Ethici ſexti oſtendit, & Iuriſconſulti, cum dixere ſtatum Reipub. conſiſtere

primo

primo in ſacris, & Sacerdotibus, deinde in magiſtratibus. E dicto etiam præcepto primo ſequitur, iuris maxime omnium naturalis eſſe hominibus cunctis, vt Deum quam maxime amēt, idque eſſe illis, vt homines ſunt, magis naturale quàm quoduis aliud. Amplius quando amicorum, ſiue maxime amantiū voluntas eſt eadem, neque Dei voluntas cognoſci in ſingulis quibuſque poteſt, niſi auxilio ſupernaturali, & gratia conſilij, & quoad alios dirigendos ſapientiæ ſupernaturalis, hinc ſequitur neceſſario in ſingulis quibusque obediendum ijs, qui diuinæ voluntati agnoſcendæ dant operam, dedicatique ſunt vti aperietur ex inſtituto diuino. eodem modo hinc ſequitur, vt loca ac res, omniaque ijs ſeruientia non traducantur ad alios vſus: vſus namque hic omnibus præſtat, atque in hoc omnes populi conuenere iure primæuo, ac naturali, vt eſt in Concilio Epheſino receptum, recepta Theodoſij Iunioris lege, quam ſupra adduximus, oſtendemusq́; omnium maxime primo. Similiter hoc eſt ius hominis, vt hominis, quam maxime naturale.

Primo enim. Quodcumque ius procedit ab intima, & propria natura alicuius, eſt illi proprium, intimumq́ue ius naturale: atqui vt homo agnoſcat, ametq́ue Deum præcunctis, velit ad illum per Sacerdotes dirigi, liberaque eſſe ijs ſeruientia (quod omnes gentes egerunt, vt oſtendemus) procedit ab intima, propriaque ipſius natura, nimirum ratione: eſt igitur illi hoc proprium intimumque ius naturale.

Secundo. Quodcunque ius eſt a forma alicuius, illi eſt maxime naturale: nam forma eſt magis natura, quam materia, vt Philoſophus ſecundo Phyſico tradit. At à forma hominis, quæ eſt anima rationalis, eſt id, quod omnes gentes egere, vt omnia ſua ſubijcerent poteſtati Sacerdotali dirigenda ad explendam Dei voluntatem, & reliqua quæ diximus ſancienda: eſt igitur illi hoc maxime naturale. ob id ſanctus Thomas 1.2. quæſt.95. art.4. *Ad tertium,* inquit, *dicendum, quod ſicut ratio in homine dominatur, & imperat alijs potentijs; ita oportet, quod omnes inclinationes naturales ad alias potentias ordinentur ſecundum rationem; vnde apud omnes eſt hoc communiter rectū, vt ſecundum rationem dirigātur omnes hominum inclinationes.* Hucuſque ſanctus.

Tertio hinc ſequitur aliud: nam ius illud, quo appetit homo maxime ſuam perfectionem eſt, illi maxime naturale: Ius gentium primæuū, de quo agemus, & quo cunctæ gentes omnia

ſubiecerunt

ſubiecerunt Sacerdotum poteſtati, & cætera, quæ aperiemus, egere, eſt tale. ergo hoc eſt hominum maxime ius naturale.

Quarto ius, quod maximè promouet humanæ naturæ perfectionem maxime eſt illi ius naturale: ius gētium, quo cunctæ egerunt ea, eſt tale: ergo eſt maximè naturale.

Quinto ſi hominibus eſſet naturale, & obſeruādum magis ius, quod commune eſt ipſis cum belluis tantum, ſequeretur magis eſſe imitandam belluinam naturam, quam humanam.

Ad horum confirmationem ſubiicimus, quod S. Tho. 1. 2. quæſt. 95. artic. 4. in concluſione ita dixit. *Lex naturæ quantum ad prima principia communia, eſt eadem apud omnes, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam; ſed quantum ad quadā propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum omnium, eſt eadem apud omnes, etiam vt in pluribus, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam; ſed vt in paucioribus poteſt deficere, & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta, ſicut etiam naturæ generabiles, & corruptibiles deficiūt, vt in paucioribus; & etiam ad notitiam, & hoc propter hoc, quod aliqui habent deprauatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſiue ex mala habitudine naturæ, ſicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum rapere ſit expreſſe contra legem naturæ, vt refert Iulius Cæſar in libro de bello Gallico.*

Sextò, duplex eſt ius gentium, primæuum, quod una cum genere humano eſt ortum; ſecundarium quod longè poſt, à quo, bella orta, ſeruitutes, rerum diuiſiones, contractus aliqui, huiuſmodiq; alia. Primæuum maximè eſt naturale, ſecūdum non ita; ſed ex ſuppoſitione ob naturam ſcilicet corruptā, quæ bella induxit ad malos coercendos, ſeruitutes ad puniendos, diuiſiones ad diſcordias deſidiamque uitandas. De primæuo ita Caius l. 1. de acq. rerum dominio. *Quarumdam rerum dominium nanciſcimur iure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque ſeruatur, quarumdam iure ciuili, id eſt, iure proprio ciuitatis noſtræ: & quia antiquum ius gentium cum ipſo genere humano proditum eſt, opus eſt, vt de hoc prius referendum ſit.* Hæc ille. quocirca ſic argumentamur. illa ſunt maximè iuris naturalis quoad homines, quæ ſunt non ex ſuppoſitione, ſed ſecundum naturam perfectam, ſiue iuris gentium primæui; ſed poteſtas Sacerdotū in oīa, libertasque quoad loca, ac res quaſlibet ipſis ſeruientes, eſt ſecundū naturam perfectā, iuriſq; gentium primæui; neq; poſt hoīes, ſed una cū Adamo, ut oſtendimus lib. 1. ergo ſunt maximè iuris naturalis.

Septimo omne, quod cōe eſt alicui cum rebus oībus, quæcumq;

vſquam ſunt,eſt maximè oīum iuris naturalis: atqui eſt cōe cum rebus oībus quæcūq; ſunt, vt agāt ſecundum propriam formam. Sic itaq; homo actiones animæ proprias non communes cum beſtiis,aut ex his naſcentia iura in primis ſequetur.

Octauo, omne quod commune eſt alicui cum rebus omnibus quæcumque vſquam ſunt,eſt maximè omnium iuris naturalis. At qui commune eſt homini cum rebus omnibus, vt agat ſecundum propriam formam motam à Deo. eſt enim primus omnium rerū motor:aget itaque homo,quatenus voluntas,& ratio ipſius à Deo mouebitur,inhærens Deo cognito,& amato.

Nono,quod commune eſt alicui cum rebus omnibus,quæcumque vſquam ſunt, eſt maximè omnium iuris naturalis. Commune eſt homini cum rebus omnibus, non modo vt moueatur motu proprio ſuæ naturæ,ac formæ,vel rationis, & intellectus; ſed etiā vt non repugnet ſuperiori naturæ: amplius vero, vt tendat ad illum terminum, in quo ſupernaturaliter moueatur, vt ignis ad locum Lunæ proximum, vt ſupra oſtendimus è Sancto Thoma, igitur iſtud eſt maximè homini ius naturale.

Decimo,quod cōe eſt alicui cum omni natura, eſt oīum maximè iuris naturalis;ſubiicere ſe illi,cui forma,potentia, & actus eſt efficax ad humanam naturam conſeruandā & perficiēdam in omni bono,eſt cōe homini cum natura omni:ergo ſubiicere ſe illi, cui forma potentia & actus eſt efficax ad maximè perficiendā formā, eſt omnium maximè iuris naturalis. Sic igitur in humana natura ſubiiciet ſe homo illis hoībus,quibus eſt conſilij,ſapientiæq; donū ſupernaturale ad alios infallibiliter ad oēs virtutes, tam naturales,quā ſupernaturales perducēdos.eſſe aūt ſolis Eccleſiaſticis primo,ac ſecundo libro eſt dictum.Neq; obeſt, quod naturali demonſtratione ſupernaturalia cognoſci haud queant. innumeris enim cogimur aſſentiri, quæ non demonſtrantur, atq; ipſum naturale lumen imperat ea credenda ſubiiciens ſe lumini ſupernaturali,vt è Philoſopho lib.1.cap.1.& è S.Auguſtino libro de vtilitate credēdi,cap.8.eſt dictum,nam,niſi ita dicamus,deſtruetur,vt verè idem Sanctus tradit,humana natura. Quocirca,vt oſtendemus,cunctæ gentes, à quibus ius dignoſci inter alia poteſt, ad hanc ſupernaturalem poteſtatem confugiebant, aberrantes ab ijs, qui reuerà præditi illa erant;ſicuti ad diuinitatem rectè confugiebant.Primo loco aberrātes praue ab eo,cui reuera inerat diuinitas, quam miſeri attribuebant idolis,quaſi his infixa & alligata eſſet. Secundo prauè attribuentes diuinitati,quæ non erāt attribuenda. Atq; in his duobus inter ſe maximè diſſentiebant. Quod ſi dicamus iuris

fuiſſe

naturalis,vt ab hominibus efficerentur Sacerdotes,ac Reges ante Chriſtum,vel in ſtatu naturæ,ac proinde ijs erat iure naturali obediendum,non ſupernaturalibus viris. Ridendi nimium ſumus hæc dicentes. Nam primo nullus tenetur prauam naturã,vel eius placita ſequi II. natura humana libera non eſt in appetendo vltimo fine,ac proinde non poteſt eximere ſe ab obedientia debita omni in re,& omni momento poteſtati perducenti ad hunc finem,quod ſupra eſt lib. 1. & 2. latè concluſum. III. non poteſt vti rebus vllis, vel ſemetipſa niſi ad hunc finem,nam magis ex intima natura ſua factum eſt quodlibet adhunc finem, quam propter ſeipſum, vel quodcũq; aliud fingi poteſt,vt ſupra lib. 1. toties eſt dictum.

Poteſtas ſumma, & libertas ſacrarum perſonarũ,tam quoad ipſas,quàm quoad loca, res, aliaque perſonis ſacris ſeruientia, eſt iuris naturalis ex ipſa rerum natura naſcentis, ac vel imperitiſsimæ hominibus, quibus ſit recta natura, noti. mira gentibus de Chriſto venturo tradita oracula, & figuræ. caſtitas, & manſuetudo maximè exigitur à ſacris viris: & mira in hanc rem de elephante. Cap. II.

CVm factæ ſint cunctæ res,atq; hoĩes ex inſeparabili naturæ iure, vt magis ſeruiant poteſtati ſupernaturali,ſiue illi,quæ ad finem naturalẽ ſola perducere poteſt, q̃ ſibimetipſis, aut aliis,ſi qui hoĩes,res,loca potiſſimũ vel ſemper,vel ad tempus vſibus eius deſtinantur,aut dedicãtur, erũt ab aliorum poteſtate libera,neq; ſæculari ſubijcientur,niſi quatenus eſt ſupernaturali concors,quod ſi quis cõtra illam pugnet,cõtra naturã inſeparabilẽ rerum pugnabit, vti libri primi capite tertio latè eſt explicatum. accedit huc II. quod ponimus aliqua,aut ad tẽpus deſtinari ad hoc, vt ſerui, ac patrimonialia,vel in perpetuũ dedicari,vt beneficialia. Quamobrem voluntas humana cõformat ſe inſeparabili naturaliq; eſſentiæ rerũ, firmans illas,vt ſcilicet res,perſonæ ve ſubiiciantur, ac ſeruiant ſupernaturali poteſtati,ad quod ex ordine ineuitabili tendunt, ſicut in ſimili aiunt Iuriſconſulti ordinata ad vnũ finẽ transferri ad aliũ non debẽt. l. aut damnum. §. hoſtes. & §. ſolent. l. quod lateo. de

compenſat. Idque eo magis, III. quod propinquius, atque in gradu qui ſit vicinior Deo ſupernaturaliter colendo, & habendo ſubiiciuntur, atque ita abducere eas illinc, eſt vniuerſi ordinem peruertere, naturalem rerum curſum, diuinitatis iura perfringere: ex quo fit. IV. magis illa participare diuinitatem & reuerenciã, ac proinde libertatem, & poteſtatem, quod in propoſito lib. 4. cap. 1. è SS. Thoma, ac Damaſceno dicebamus. Quin V. ex primæua, ac recta natura in ipſo mundi ortu ſoli poteſtati ſupernaturali oĩa tẽporalia ſeruiebant, diſtinctio ſacri à profano facta eſt ex corruptione naturæ ob diſſidia, ſceleraq; hinc Cicero libro de ſomnio Scipionis totum mundum Dei tẽplum vocat, ac ſæcularium poteſtas ad ſubleuandos Eccleſiaſticos eſt inducta, vt illi ſeruiant his tamquã famuli & miniſtri dominis ſuis, ait Henricus Gãdauenſis, & habẽtur Exod. cap. 8. Nũquid itaq; miniſtri contra Dominos, & ordinẽ totius vniuerſitatis pugnabunt, & oĩa ſubruẽnt. iuxta illud Oſeæ cap. 4. *Populus enim meus, ſicut hi qui contradicunt Sacerdoti?* Per accidens itaque eſt VI. vt aliquid, aliqua in re, & aliquo tempore proximè non ſubiiciatur ſupernaturali poteſtati, ac perducenti ad vtrumque finem tam naturalem, quàm ſupernaturalem reſque amant redire ad propriam naturam, quod aiunt iuriſconſulti. l. ſiquis. §. quoad inſpecie. de pact. Quocirca VII. quoties aliquid ſeruit, vel aliquid datur Eccleſiaſticæ poteſtati, datur, vt propinquius poteſtati, ac fini tam naturali quàm ſupernaturali ſeruiat, ac ſubiiciatur, atque ideo nõ poteſt inde auocari, ſiue vt deordinans à Deo reordinetur, vllumve onus illi imponatur. Ab illa enim poteſtate reordinari puniri que & onerari debet, quæ infallibiliter, & certius ex natura ſua diuinã voluntatẽ tenet; quod primo libro eſt dictũ. confirmantur hæc VIII. quia Chriſtus venit, vt in primæuum naturæ ſtatum, qualis erat à Patre inſtitutus, res reuocaret vt poſt multos Patres ſuperiori libro adductos tradit etiam S. Thom. 2. 2. quæſt. 14. art. 3. Conſtat igitur ex primo, ac ſecundo capite, quod libro primo conſideramus, naturalis eſſe iuris, æterni atque immutabilis ex intima rerum natura fluentis Eccleſiaſticam libertatem quoad omnia Eccleſiaſticis ſeruientia, colonos eorum, patrimonialiaque ipſa.

Iure quidẽ rectæ naturæ, quæ ſola ſpectatur in ſtatuẽdo iure (à deprauata enim nullũ ius oritur, vt rectè Ariſtoteles aiebat politici primi initio) eſt notiſſimum vel imperitiſſimis hæc libertas, ac poteſtas. Recta enim natura haud poteſt à ſupernaturali, ad quam naturæ impetu fertur, diſſentire, vbi fuerit illius notitiam conſecuta, quod proximo capite, ac libro primo eſt concluſum.

De-

Deprauatio tota eſt ex abiunctione à ſupernaturali ductu. Et tamen adeo potens eſt naturæ inſtinctus ad Deum tendentis, ac ſe ſe poteſtati Sacerdotali quaſi ſupra naturam poſitæ ſubiicientis. vt notiſſimæ iuris naturalis concluſiones, aut principia potius corrumpantur, quam corrumpatur hoc principium: Sacerdotali poteſtati eſt obediendum. Nam quid notius, quam filios alendos, eorumque vitam à parentibus tuendam? & tamen Chartaginenſes in hoc parebant poteſtati Sacerdotali, atq; illos, vt Diodorus ſiculus lib. 15. & 20. & Iuſtinus lib. 18. & 19. tradunt, immolabant, quod & plurimæ gentes faciebant, ſed iſti pollere iudicio credebantur, ita vt Ariſtoteles eorum Remp. magni facere videatur, maximumque aliquando imperium ſit nacta. Quid magis notũ iure naturali, quam vitam ſuam tueri? & tamen Occidentalis Indi ſemetipſos offerunt ſacrificandos id ſuadentibus eorũ Sacerdotibus, adeo naturæ humanæ eſt notũ, Sacerdotibus eſſe obediẽdũ. Sed hac de re ſuo loco infra loquemur id alio modo colligentes.

Benigniſſimus quidem Deus, vt Chriſtum cœlo mittendũ, Virgineque oriturum, qui Sacerdos, Hoſtia, Deuſque eſſet, cui tamquam ſupernaturalium Principi cuncta ſeruirent, & à quo ſupernaturales deriuarentur per Sacerdotes omnia bona, cunctis gentibus teſtificaretur, ab ipſo mundi exordio non aliud, quam cælitus demiſſo igne ænovnũ Chriſtum cælitus mittendũ ſignante ſacrificia irã Dei placantia, bonũmq; ob impetrãtia voluit abſumi; atq; hic vnus ad ſacra per virgines aſſeruabatur ab omnibus propè myſterium retinentibus, ſed veritatis tantæ oblitis: De Romanis teſtatur Plutarchus in Numa, et quæſtionibus Romanis, Gellius lib. 1. Dionyſius 2. Tullius 2. de natura Deorum. Virg. 2.

Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

De Athenienſibus Herodotus lib. 2. qui in Prytaneo cuſtoditũ vult à virginibus, Plutarchus à mulieribus ætate ſua, Strabo lib. 9. idem factum ſcribit in Polyadis Mineruæ templo, Virginibus cum conſeruãtibus. De Perſis Procopius lib. 2. De Cappadocibus Strabo lib. 15. De Magis in vniuerſum ſic Ammianus lib. 23. his verbis, *Feruntq; etiam, ſi iuſtum eſt credi, ignem cœlitus lapſum apud ſe ſempiternis ſæculis cuſtodiri, cuius portionem exiguã, vt fauſtam, præeſſe Aſiaticis Regibus dicunt.* Hinc ſi extinguebatur cladis erat porteutum, moxq; accẽdebatur idẽ ab vnius Solis radiis obiecti fomitis materia, vel lignis paris confricatis virginẽ notãtibus cõceptus; quod habet Plutarchus in Numa: Hebræi porrò ad illum vnũ reſpicientes orabant, vt diſcimus à S. Hieronymo in Ezechielis cap. 8. et 3. Reg. 8. Danielis cap. 6. Aliæ gentes vt

Deum

Deum colebant. Perſæ Mithram, et mediatorem vocabant. hic ſolus Chriſtus, qui *Deus ignis conſumens eſt*. Et ait, *ignem veni mittere in terram*, ob id SS. Ephrem,& Chryſoſtomus Euchariſtiam vocant ignem, idque in Lythurgia Iacobi habetur, quod per os Sacerdotis panis vinique quaſi igne abſumpta forma,et materia in Chriſti corpus conuertatur. eſt in ore namque horũ carbo altaris,de quo Iſaias c.6.ideſt Chriſtus,vt volunt SS. Baſilius,Cyrillus,Chryſoſtomus,Theodoretus. Hic eſt,quo reſpexit Deus ad Abeli ſacrificia, cœlitus nempe miſſo igne illa inflammans, vt Theodotio vertit, et S.Hieronymus,aliique Geneſeos cap.4.Hic eſt,quo odoratus ſacrificium Noe promiſit ſe non amplius homines deleturum,quod in hoc igne ſit *Omnis plenitudo diuinitatis*,de qua, *Nos omnes accepimus*. Sic igitur Deus ab ipſo per vnum ignem cuncta expeti, atq; expectari volebat,in illũ cõiunctis animis Hebræos,ac gentes vniuerſas, ſi in veritate conſtitiſſent, reſpicere, quod inde per Sacerdotes, qui et Reges erant, temporalia bona,et æterna eſſent. Hinc Iuſtinus in Tryphone, *Omnes quotquot cenſemur,Ieſu Chriſti nomine quaſi vnus homo in Deo conditore huius vniuerſitatis per nomen illius primogeniti filij,ſordidis veſtibus,hoc eſt peccatis exuti, ignitique, per verbi vocationis eius verè Pontifices Dei reddimur;ſicut ipſe Deus teſtatur dicens,quòd vbiq; gentiũ offerrentur ei puræ,grataq; victimæ.* Verũ Dæmõ,quod lib.1.diximus è S.Iuſtino,vt Chriſtũ,myſteriaq; eius obſcuraret,filios à Ioue ortos multos induxit igni ipſi diuinitaté tribuit.Nihilominus Sybillæ Erithreæ, & aliarũ carmina paſſim legebantur,atq; ex iis celebres nationes, vt lib.2.oſtendimus, eum venturum iactabant,cui cuncta ſubiicerentur. Vixiſſe tradũt Erythream ſupra annos ſeptingẽtos à Diluuio vſq; ad Moyſem natũ. Colligiturq; è lib.1.3.ac 7.Carminũ,quæ nomine ipſius circũferuntur,ac multa illorum citant SS. Iuſtinus,Theophilus Antiochenus, Auguſtinus, Lactantius, Clemens Alexãdrinus. De ætate illius ſcri-bit Ariſtoteles libro de admirandis auditionibus, et Ouidius rem transferens ad fabulas Metamorphoſeos lib.14.

Quamobrem poſt Cyrum Perſæ, Græci poſt Alexandri Imperiũ,Romanique ipſi appropinquante Chriſti ortu,vt dicetur,cum aberraſſent ab vno vero igne, mox Deo procurante,et illos ad eũ reuocante pro fœlicitate Imperij ac Regnorum, quæ adminiſtrabant, Hieroſolymis ſacrificari ſumptum ſubminiſtrãtes volebãt, Adeo Deus per Chriſtum Sacerdotesq; ipſius cũcta à Deo bona haberi voluit toti Orbi eſſe apertum,confeſſionem tantæ veritatis à neſcientibus,ſcientibus,tacitè expreſsè quoquo modo edu-

cens

cens teſtimonio omnium gentium celeberrimarum continuato & erunt, qui noſtra ætate id negabunt?

Quid ante Cyrũ,& iſtos oẽs; Nabuchodonoſorus apud Danielẽ cap. 3. fatetur filiũ Dei hoĩem Regem ſempiternũ tãtæ poteſtatis; vt nemo à malis ita poſſit liberare, edicto p oĩa regna diuulgato eum coli iubens,tres pueros regno toti adminiſtrando præponẽs. Atq; ita filium Dei hoĩem vult oĩum bonorum vel datorem, vel defenſorẽ.filiũ verò Dei ab illo agnitum volunt SS. Iuſtinus in Tryphone, Auguſtinus ad Cathecumenos,& aduerſus Paganos,Hæreticos,Iudæos,Hippolytus libello de cõſummatione ſæculi, Hieronymus in illũ locũ.Sed audiamus,quid ante Nabuchodonoſorũ.

Balaam fuit è Meſopotamiâ, ſic vero ille prædixit de Chriſto, eiusq; prædictiones poſteri ſeruarunt, Numer. cap. 24. vt verterũt ſeptuaginta. *Exibit homo è ſemine eius (Iſrael) & dominabitur* (κυριεύσει) *gentibus multis.* Et mox. *Captiuos ducet*, Latinus vertit, *Vaſtabit omnes filios Seth*,& Chaldæa paraphraſis, *Vngetur Chriſtus de domo Iſrael,& occidet principes Moab,& dominabitur omnium filiorum hominum*, Dominari autem non niſi per Sacerdotes poteſt. A Balaam genus duxiſſe volunt Magos Ioannes Chryſoſtomus,ac multi,qui eum ſequuntur. Perſas volunt Cyrillus lib. 4. in Iſaiam, Iuuencus, Theophylactus: ex Arabia faciunt, Iuſtinus in Tryphone,Tertullianus in Iudæos,& lib. 3. in Marcionem S.Cyprianus ſerm. de ſtella,& Magis, Epiphanius in Epiſt. fidei Catholicæ. Vndecumque,& qualeſcumque fuerint cultum ab eis Chriſtum nomine omnium gentium quaſi rerum temporaliũ Regem ſupra ex oĩum Patrũ teſtimonio ſtabiliuimus: fuiſſe,cũ plures fuerint,ex oĩbus iſtis gentibus, quãdo finitimæ erãt,nil obeſt; ſicuti neq; Reges fuiſſe. Nam & tota antiquitas Græci, Latinique omnes Vlyſſem Regẽ vocarunt,cui nihil aliud erat,niſi Itacha nidus,ait Cicero, ſcopulo affixus. Vtcũque res ſit ab ipſa Moyſis ætate vſq; ad ortum Chriſti inter nobiles Orientales conſeruata eſt altiſsime hæc fides Chriſtum fore tẽporalium, rerumq; oĩum Regem, quem & cunctæ gentes adorarent, quaſi omnium bonorum non modo vti Deum, ſed vti hominem ſimul largitorem.

Quin ad ſummã Chriſtus ex oĩum gentiũ (q̃uis tantũ myſteriũ non ita,vt nos,perciperent) perpetua quadam conteſtatione Rex oĩum rerum creatarũ declaratur,qui gratiã diuinam largiens hominibus per eos,quos potentiæ,virtutiq; paternæ cõfiguratos, Eccleſiaſticos vocamus,mundũ regat,quod ſpiritu impellẽte neſciẽs ruſticus ille inter ſyluas quaſi vel imperitiſsimis notum canebat. *Ille Deûm vitam accipiet.* At Deûm vita, eſt gratia Dei, vita æterna,

na, viſio Dei, *Diuosque videbit permixtos Heroas*, hoĩes diuinæ poteſtatis, ac virtutis cum ſuperis mẽte intima verſantes. *Pacatũq; reget patriis virtutibus Orbem.* Sic itaq; Chriſtus Orbẽ regit, *Virtutibus patrijs*, ideſt Patris poteſtate. Nam Sacerdotes Eccleſiaſticiq; per characterẽ ſummæ ac paternæ potentiæ configurantur, Orbẽ regũt, ab illis eſt ille ignis in terra, in quem cuncti reſpiciãt, quo purgentur, qui conciliet ipſis iratum Deũ, quo nutans mũdus per Chriſtum ſtabiliatur, quaſi omnium creaturarũ ſit ab illo incolumitas, ſit ab Eccleſia Sancta, quod aiebat Iuſtinus, *Incolumitas naturæ.* Hinc idem.

Aſpice nutantem conuexo pondere mundum
Aſpice venturo lætentur, vt omnia ſæclo,

An non igitur cæteris indignantibus lapides ipſi Chriſtũ cum ſuis oĩum bonorũ Regem clamant? Sed quando ſupra vidimus oĩum Sanctorum, Theologorumq; eminentiũ, tum doctrinam, tũ facta tantã veritatẽ cõprobantia Sacerdotibus in oĩa ſummã poteſtatẽ deberi, videamus Orbem totũ conſpiraſſe ad idẽ cõprobandum, gentes oẽs in eandem ſententiã conueniſſe, dum putant ſe vero Deo, qui filius Dei ſimulq; hoĩ, atque igni cælitus delapſo ſeruire, ſiue aliqui earum verum ſentiret, ſiue illæ deciperentur, ſed illud interim breuiſſime repetemus. Cainũ fuiſſe ob occiſum fratrẽ Sacerdotij iure, licet primogenitus eſſet, excluſum. Quocirca c. 6. Geneſeos, vbi legimus, *Videntes filij Dei, filias hominum*, Filij Dei fuit prognati è Seth, atq; Enos, vt tradũt SS. Chryſoſtomus hom. 21 in Geneſim, Auguſtinus lib. 15. cap. 23. de ciuit. Dei. Theodoretus q. 47. Caſſianus. coll. 8, cap. 21. Thomas 1. q. 21. art. vlt. ijdem verò prognati è Seth, qui vocantur *filij Dei*, Hebraicè Elohim, ſignificantur eodem vocabulo Principes, Iudices, Potentes, quod cõſtat ex interpretatione Chaldæa, & Hebræa. Tales verò conſtat fuiſſe filios Seth non modo ex ipſo nomine Elohim, conſentiẽtiq; expoſitione noſtrorũ, ſed ex eo, quod ait diuina Scriptura licuiſſe illis ob potentiam deligere, quas uxores uellent; contra autem poſteros Cain Fabros fuiſſe, in tentoriis habitantes, Muſicæ, ac ſaltationi addictos, illi dicuntur *potentes, gigantes, à ſæculo famoſi.* Sic igitur Caino cum poſteris reiecto, quamuis primogenito ab oĩ Sacerdotij, Regaliſq; Dominij ſimul poteſtate, cuncta adminiſtrarunt liberi Seth, qui tertiogenitus erat, uſque ad Noe, qui abſorptis Diluuio cunctis mortalibus, Orbis Imperium cum ſummo Sacerdotio retinuit. Hinc diximus Eccleſiaſticam libertatẽ, poteſtatemque in omnia continuatam uſque ad Moyſem, diuiſumque

ſumque fuiſſe orbem terrarum à ſummo omnium ſacerdote Noe inter liberos, atque ex priori tempore iam fuiſſe in vſu poſitum, vt Deo, ſacerdotibusque eius loco offerrentur primitiæ decimæ, adde optima quæque. De primitiis & optimis quibusque apparet ex oblatione Abelis. Nam ſic habetur Gen. cap. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* apparet ex illo etiam, quod primogeniti erant primi ſacerdotes, quaſi dicas Pontifices ſummos reſpectu fratrum minorum. qua in re fiebat oblatio ipſorum Deo. Nam licet acciperent ſummam poteſtatem; tamen obligati erant tum à multis, vel ſemper, vel certo tempore abſtinere; nimirum à cæde, & concubitu, vt infra oſtendemus. præterea vero neceſſe erat, vt ſe expiarent, quod habetur Geneſis capite 35. Nam cum Iacob ſacrificaturus eſſet vna cum familia ſua, ſic edixit. *Abijcite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Ob eam cauſam præter alias videntur inſtituti minores ſacerdotes, quamuis regia poteſtas ſuprema ſacerdotium ſequeretur, vt aperiemus; quia cum Reges bellica ſæpius tractarent, neceſſe erat, vt in Numa Plutarchus refert, adeſſent minores ſacerdotes, qui abſtinentes à cæde, & concubitu ſacrificia celebrare poſſent. ſimiliter optima quæque deberi, & offerenda Deo eſſe conſtat ex illo, quod veluti prius vſitatum Noe fecit. Obtulit namque animalia munda, quæ meliora eſſe nemo ambigere poteſt. Sic quoque idem Noe regiones optimas omnium dedit Semo primogenito, ac Pontifici omnium primo, quandiu vixit inter gentes. Verum de his rebus agetur late infra ſuo loco.

Nunc quando explicauimus, vſque ad gentium diſperſionē temporalia, naturaliaque cuncta à ſacerdotio pendere, illique eſſe ſubiecta, & ab omni poteſtate ſæculari fuiſſe exempta omnino loca, & res diuinis cultibus, aut perſonis Deo conſecratis ſeruientia, reſtat vt oſtendamus inter omnes gentes id ſemper immobile omnino ius permanſiſſe, iuſque hoc maxime omnium naturale fuiſſe, ex quo immobile perſtitit, ac perſeuerauit: incipiamus vero à poteſtate, & immunitate perſonarum. Sed illud primum ſtabiliamus è primæuo tempore ad ſacerdotes illud pertinuiſſe, vt à cæde abſtinerent, & caſti eſſent. Et quidem, ſi de Angelis agamus, non male Scotus in 2. ſententiarum diſtin. 6. quæſt. 2. art. 2. ait fuiſſe in angelis apoſtatis per ſimilitudinem luxuriæ peccatum: cuius opinionem ſecutus eſt

Gabriel quæſt. vnica, quia ſcilicet *fornicati ſunt à Deo ſalutari ſuo*, vt habetur pſal.72. & 105. Similiter homicidæ ab initio, vt habetur Ioannis cap. 16. dicuntur fuiſſe, quia receſſerunt à vitalibus Dei ſummi impulſibus. Quod ſi cupimus propiora. Adamus in paradiſo, antequam totius vniuerſitatis humano dominio ſubiectæ poteſtatem reipſa, & actu à Deo conſequeretur, virgo erat, cum nondum creata fuiſſet Eua, & quamdiu permanſit eo loco, permanſit in caſtitate, tertiumque filium Seth genuit annorum iam centum triginta; ac primi illi Patres iam grandæui filios ſuſcipiebant. Poſteritas autem Sethi quandiu permanſit in caſtimonia, tandiu dominium, ſacerdotiumque conſeruauit, vt ſupra dicebamus. Noe porro tum ſuſcipiendis liberis operam dedit, cum iam cognouiſſet ex Deo, diluuio perdendum humanum genus, quingentorumque eſſet annorum. Tum Sem, Cham, & Iaphet filios genuit, quod habemus Geneſeos capite 5. Poſt hæc rebus vxoriis amplius operam non dedit, caſtitatemque puriſsime coluiſſe videtur. Diuiſis deinde gentibus, vti Noe parens earum ſummus iuſſerat, hunc morem coluere, vt ſacerdotes præ cunctis eſſent ex officio ſuo caſti, & a bellicis, quam maxime fieri poſſet abſtinerent. ob id Virgilius lib.6. inter primos, qui campos Elyſios incolant, numerat caſtos ſacerdotes.

Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Sic Helenus dum religionis quoſdam ritus tradit Æneæ, addit.

Hac caſti maneant in religione nepotes.

At Cicero libro de legibus eam proponit in primis, *ad diuos caſte adeunto*; & de natura Deorum 1. *Pure, & caſte deos venerari.* Ob id Sybillæ gentilium virginitatem coluerunt, ac tam Athenis, quam Romæ virgines ignem æternum cuſtodiebant. De Romanis eſt notiſsimum, traditque in Numa Plutarchus. Liuius primo, Dionyſius ſecundo de Athenienſibus, Strabo libro nono.

Quantum porro ad cædes, adduximus ſupra Virgilij verſus, quibus & addimus è libro 2. illos à Sinone aduerſus Tydidem, & Vlyſſem dictos.

Corripuere ſacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas auſi Diuæ contingere vittas.

Ac ne quis adhuc putet iſta recentiora, priſcisque affiсta; audiamus Homerum, qui ſic Iliados ſexto inducit Hectorem loquentem.

χερσὶ

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἐςὶ κελαινεφέϊ κρονίωνι.
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Id eſt.

Manibus vero illotis Ioui libare ardens vinum
Vereor, neque vllo modo fas eſt nubes atras cogenti Saturnio
Sanguine, & puluere pollutum vota facere.

Iam cum ſit illud Sancti Dionyſij veriſsimum, à ſupremo inferioris naturæ attingi infimum ſuperioris, & elephas ſit animantium brutorum perfectiſsimus, ita vt neſcio quid religionis habere videatur præter alia miranda, ad hominis naturam prope accedentia, caſtitatis hic & manſuetudinis eſt quoque admirabilis imitator; ſic enim Plutarchus libelli de ſolertia animalium. *Scribit* (Iuba) *etiam elephantos dijs vota facere cum ſe nemine docente mari luſtrent Solemque Orientem adorent, proboſcide manus loco ſurſum erecta. Itaque etiam hoc animal dijs eſſe cariſsimum, vt Ptolomæus Philopater teſtatum fecit.* Et Plinius libri octaui cap. 1. *Authores ſunt in Mauritaniæ ſaltubus ad quendam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendere: ibique ſe purificantes ſolemniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſidere in ſiluas reuerti, vitulorum fatigatos præſeferentes. Alienæ quoque religionis intellectu creduntur maria tranſituri, non ante naues conſcendere quam inuitati rectoris iureiurando de reditu. Viſique ſunt feſſi ægritudine (quando & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in cælum iacientes, veluti tellure precibus allegata.*

Et capite quinto de pudicitia ipſorum. *Pudore numquam niſi in abdito coeunt; mas quinquennis, fœmina decennis. Initur autem biennio, quinis, vt ferunt, cuiuſque anni diebus, neque amplius: ſexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen: nec adulteria nouere; nullaue propter fœminas inter ſe prelia, cæteris animalibus pernicialia.*

Et capite ſeptimo de clementia multis ad hanc rem narratis euentis ipſius animalis, ait. *Tanta narratur clementia contra minus valida, vt in grege pecudum occurrentia manu dimoueat, ne quod obterat imprudens, nec niſi laceſſiti noceant: ideoque gregatim ſemper ambulent, minime ex omnibus ſoli vagi.*

Hæc ille. è quibus conſtat, quot modis voluerit benigniſsimus omnium parens nos docere, quanta animi, corporiſque

puritate, quanta clementia religioſos eſſe oporteat, quibus ipſe omnium mortalium ſummam poteſtatem ab ipſius mundi ortu commiſit, ita vt nulla vmquam fuerit gens, niſi ſi qua tranſijt in belluinam naturam, quæ non tantam poteſtatem in ſacra, & profana quælibet ſacerdotibus tam maioribus, quam minoribus attribuerit, liberoſque illos, quoad perſonas ſuas, loca, & res quaſuis ipſis ſeruientes eſſe & voluerit, & contenderit omnibus modis. Videamus igitur, an ita ſit, ac primum de perſonarum poteſtate, & libertate agamus.

Recenſentur ſingulæ totius orbis gentes, palamque fit è primæuo tempore penes earum ſacerdotes fuiſſe omnium ſummam, regiamque in omnia tam ſæcularia, quàm ſacra poteſtatem. è quibus fit iure gentium primæuo, quod eſt homini proprie, & maxime naturale, ſacerdoti eſſe in omnia ſummam, regiamque poteſtatem. Cap. III.

VEtuſtiſsimus omnium ſcriptor ex ijs quos habeamus, eſt Homerus. illo antiquiores alij ſunt, ſed eorum, veluti Sybillarum, non habemus integra ſcripta. Huius eſt opus nobiliſſimum Ilias, quo deſcribit mala, quę contigere Græcis ob Achillis iram. Verum contigiſſe omnia ob immunitatem minorum ſacerdotum violatam clariſsime idem canit. Referamus hiſtoriam. Cum Græci ex Aulide ſoluiſſent Troiam petentes, inſulam Chryſam venere, filiamque ſacerdoti abſtulerunt. ea dono data eſt Achilli in partitione prædæ. Pater ſacerdos in caſtra Græcorum venit, eam repetit. Non eſt auditus, ſed verbis contumelioſis eſt dimiſſus; ab illo Apollo exoratus, peſte Græcos afflixit. Ad eam depellendam Chalcas augur, ac minor ſacerdos conſultus edixit eueniſſe ob Chryſam ſacerdotem male habitum. Quocirca decretum fuit, vt ei puella reſtitueretur honorifice dimiſſa. Neque æquale illi eſt Achilli ab Agamenone ſupremo Græcorum Rege redditum. Non potuit hoc Achilles pati: iratus abſtinuit à pugna, ex quo mul-

tæ

tæ Græcorum cædes factæ ſunt à Troianis, donec is ob occiſum Patroclum rediit ad prœlia, & Hectorem necauit. Hæc totius hiſtoriæ ſumma, à qua diſcimus ob immunitatem ſacerdotis violatam, contumelioſeque habitum Chryſam tot mala Græcis eueniſſe, ac totius Iliados hoc eſſe argumentum. Verum plurima ſunt in his obſeruanda.

Primum vero eſt, Reges eo tempore ſacerdotes etiam fuiſſe, patet hoc, animalia, namque ſacrificanda mactabant ipſimet, ad altare offerebant, altari imponebant; quod eſt primum ſacerdotis officium. Conſtat hoc ex ipſa Iliade, & hiſtoriis cunctis. Miniſterio tamen vtebantur ad minora minorum ſacerdotum, veluti nos modo clericorum. ſic etiam minorum deûm minores erant ſacerdotes.

Secundũ Chryſam veniſſe habitu ſacerdotali in caſtra Græcorum geſtans Apollinis coronam; ſic enim poſt primos operis verſus, ait Vates expoſcens aperiri ſibi cauſam, cur tot, ac tanta Græcis mala de Chryſa.

Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Id eſt.

Coronam habens in manibus longe iaculantis Apollinis
Aureo cum ſceptro.

Hæc ille, oſtendens eum, veluti minorem regem in rebus ſuis habuiſſe, & coronam, & ſceptrum, ob quæ foret immunis. ob id illi iratus Agamemnon dixit.

Μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.

Haud ſane tibi proderit ſceptrum, & corona Dei.

Tertium ſit illud cum peſtis ingraueſceret cõſultus eſt Calchas augur. idque toto Iliados opere poſſumus videre ſolitos Reges confugere ad ſacerdotes, vt ſcirent, quomodo res eſſent tranſigendæ; edixitque ille ob offenſum ſacerdotem, tot mala contigiſſe.

Ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα
ἢ καὶ ὀνειροπόλον.

Verum age aliquem vatem interrogemus, vel ſacerdotem,
vel ſomniorum interpretem.

Adiicit deinde idẽ Calchanta fuiſſe Græcis nauigãtibus ducẽ.

Hæc

Hæc itaque Homerus, vt ex antiquiſsimo omnium ſcriptore diſcamus apud gentes ſacroſanctam fuiſſe immunitatem minorum Sacerdotum, hisque & ſuam coronam, & ſuum ſceptrum fuiſſe. Atque in hac ſententia perſtitiſſe antiquos à violata illorum libertate, quæ non modo ipſe, ſed etiam liberi ipſorum potiebantur, Iliada malorum populis, ac regibus euenire.

Age vero, quando incepimus à Græcia, videamus, num mos hic præcipuis Græciæ populis fuerit, quando à naturali iure eſt profectus. Narrat Herodotus lib. 6. & Xenophon lib. de Repub. Lacedæmoniorum, Regum Spartanorum duo fuiſſe propria Sacerdotia Iouis Lacedæmonij, & Iouis cæleſtis, qui ſingulis Neomeniis, & ſeptimo quoque menſis die ſacrificabant more ab Hebræis ducto. quod oſtendetur Chriſto adiuuante in vniuerſali hiſtoria Antiquitatum: ijdem præterea Reges ſoli pro ſalute Reip. ſacrificia offerebant. iusque creandi duo Sacerdotum genera habebant. Hi vero erant Proxeni, & Pythij.

Sed quoniam proximi Regiæ poteſtati erant Ephori, idcirco, & hi Sacerdotes erant Palladis, quod Polybius libro ſexto teſtatur. hiſque mandata erat cura exquirendi Deorum voluntatem per ſomnia. quod libro 1. de diuinatione Cicero ſcribit, quin è cælo ſigna nonnulla ijdem captabant ad deijciendos è ſolio Reges. auctor eſt in vita Agidis Plutarchus. Quocirca horum tanta erat poteſtas, vt tyrannica viſa fuerit, teſtis eſt Plato lib. 6. de legibus.

Pythij porro ad explorãda oracula mittebantur Delphos, Dodonam, & Ammona.

Ex his patet Sacerdotibus annexam fuiſſe Regiam, ſummamque in Repub. Spartanorum poteſtatem. Videamus, quæ fuerint hac parte inſtituta Athenarum. Sic vero Demoſthenes actione contra Neæram, *Quondam, inquit, erat Dynaſtia in ciuitate & regnum erat eorum, qui in omni ætate excellerent, quia indigenæ eſſent. Sacrificia vero omnia Rex faciebat, & quæ arcana erant, vxor eius curabat, cum eſſet Regina. poſteaquam vero Theſeus eos in vnum compulit, Regem nihilominus populus creabat, vxorem autem eius ciuem lege ſtatuit eſſe, & quæ nulli antea viro nupſiſſet, vt arcana ſacra pro ciuitate more patrio faceret.* Hæc Demoſthenes, volens & ante Theſeum, & poſtea, cum Rex à populo creabatur, Sacerdotio regiam fuiſſe annexam poteſtatem, non diſsimilia Pollux. Nam cum ſtabilita Repub.

pub. conſtitutus eſſet ſummus Areopagitarum ſenatus, Princeps eius erat, qui Regium nomen, ac dignitatem retinebat. Nam ſic ille apud Regem, *Lites intendebantur impietatis, Sacerdotij, controuerſi, & gentibus, ac Sacerdotibus omnibus ipſe ius dicit, & cauſas de cæde in Areopagum introducit, & depoſita corona cum ijs iudicat, quinetiam lites de rebus inanimatis cognoſcit.* Hucusque ille. eadem Arpocratio, quæ de ſummis, nobilioribusque Græciæ populis dicta ſunt; eadem de reliquis apertiſſimum facere poſſemus; & cuiuis coniicere licet.

Verum quando à nobis eſt dictum de Græcis, quibus eſt ab Apoſtolo attributa inquiſitio ſapientiæ & antiquiſsimi ſcriptoris mentio ſic tulit. Ne confuſe nimium procedatur, ab Indis extremis ad ortum ſolis reſpectu noſtri ſitis exordiamur: ij ſunt Iaponij, & Sinæ. De quibus ita Coſmus Turnianus illuſtriſsimæ ſocietatis Ieſu ſacerdos litteris Bungo ſcriptis anno 1591. ſeptimo idus Octobris, *Publica*, inquit, *adminiſtratio eſt triplex. Principem omnium tenet locum ſupremus religionum Antiſtes, cuius decretis, ac ſcitis, omnia publica, priuataque ſacra ſubiecta ſunt. Naſcentes præterea Bonziorum ſectæ nullam exiſtimationem, vel auctoritatem obtinent, niſi eas idem ſuo diplomate, ac teſtimonio comprobauerit. Tundos etiam (qui veluti Epiſcopi ſunt) tametſi eorum nominatio, quæ dicitur quibuſdam in locis penes regulos ſit, confirmat tamen, & creat ipſe; qui deinde magno apud ſummos, infimosque in honore ſunt, & Sacerdotia conferunt. Iam vero priuilegia quoque, & immunitates à profanis muneribus ab illo petuntur. Nam quæ leuiora ſunt, vt carnis guſtatus religioſis diebus, cum ad idolorum delubra vulgo peregrinantur, aliaque ſimilia, eorum poteſtas penes Tundos eſt. Porro Sacerdos hic maximus tametſi apud Sinas ab eruditione, ac ſapientia, apud Iaponios tamen vel à ſtirpe, vel à nobilitate, & pecunia legitur, latè admodum imperat, magnisq; vectigalibus fruitur, & cum profanis Regibus ſæpe certat.* Hæc ille. E quibus cognoſcimus, & primas dari Sacerdotibus, & ſacrorum Præfectis inter Iaponios, & Sinas, eosque eſſe immunes, licet inter Sinas ipſe Rex ſit etiam ſacrornm Præfectus, vti nunc quidem res eorum ſeſe habent. olim quidem Brachmanas, ac Germanas cultui diuinorum deditos plurimum potuiſſe inter Indos, atque iis omnia delata conſtat è Strabonis lib. 15. Quinti Curtij octauo. De quibus ſic ille è Megaſthene. *Dicunt totam Indorum multitudinem in ſeptem genera diuidi, quorum Philoſophi honore*

re antecedunt, numero vero pauciſsimi ſunt. vtuntur eorum vno quoque priuatim, qui mactant, & ſacrificant, publice vero Reges in eo conuentu, qui maximus apud eos ſit, cum nouo anno incipiente Philoſophi omnes ad Regis fores conueniunt, & quid quid quiſque compoſuerit, vel obſeruauerit eo anno de fructibus, de animalibus, de Repub. in medium proferat. Vbi quis falſus fuiſſe ter deprahenditur, ei per totam vitam ſilentium indicitur, qui vera dixerit immunis, & omni tributo exemptus habetur. Hæc ille affirmans, è Philoſophis eos ad ſacra delectos. Atque iis præfuiſſe, qui verax fuerat inuentus eundemque immune.

Rurſus idem. *Septimi ſunt conſiliarij, & aſſeſſores Regis, à quibus & magiſtratus, & iudicia, & rerum omnium adminiſtratio geritur, non licet ex alio genere in aliud matrimonio contrahendo tranſire, aut ab vnius generis inſtitutis ad alia deſcendere, neque ſimul pluribus ſe dare tractandis, niſi Philoſophus quis ſit, huic enim ob virtutem conceditur.* Hucuſque Strabo Philoſophis approbatis, qui & Sacerdotes erant apud Indos omnium tractandorum poteſtatem factam ſcribens, & mox. *De Philoſophis quoque aliam diuiſionem inſtituit* (Megaſthenes) *duo genera eorum faciens, quorum vnum Brachmanes, alterum Germanes dicatur: præſtare autem Brachmanes alteris, quod eorum decreta magis ſint conſentanea*, Et rurſus. *Quidam tradunt eum* (Calanum, qui ſecutus eſt Alexandrum Regem) *tanquam Regis prædicatorem ſecutum fuiſſe cum vltra Indiæ fines, præter communem aliorum Philoſophorum conſuetudinem, qui Indiæ Regibus adſiſtunt* (en Brachmanes Regi adſiſtunt, cuncta, vtſupra dixerat adminiſtrantes) *Ea præcipientes, quæ ad deorum cultum pertinent, quomodo Magi Perſarum Regibus ſolent.* Hæc ille aperte aſſerens à Brachmanis Sacerdotibus exemptis cuncta adminiſtrata, quæ ad gubernationem Regni ſpectant, quod exemplo Magorum planius facit, de quibus idem ita Strabo libro primo. *Danaus, quod Argis aquatica inſtrumenta demonſtraſſet, & Atreus, quod ſolis curſum cæli conuerſioni renitentis docuiſſet vatesque, & ſacrorum inſpectores Reges ſunt creati, vt apud omnes maiores noſtros, Sacerdotibus Aegyptiorum, Chaldæis, Magisque alios ſuperantibus honores, & imperia ſunt delata.* Hactenus Strabo volens Atreo, Danaoque delata imperia, quod tum vates, ſacrorumque inſpectores eſſent, & inuenta quædam nobilia proficuaque alios docuiſſent. Præterea vero apud maiores ipſius

 (in

(in Cappadocia videlicet) apud Ægyptios, Chaldæosque Magis ſcientioribus imperia fuiſſe delata. quod ita eſſe è ſacra Scriptura oſtendemus: nam Magi genere Medi erant; alij deinde eorum doctrina excellentes iis aſcribebantur, magiq; ſunt appellati, atque inter Perſas plurimum valuere, quæ conſtant ex Herodoti lib. 1. monumentisque aliis. de quibus alias loco ſuo. Plato in Alcibiade primo cum dixiſſet, primogenitum Regis Perſarum, qui patri ſucceſſurus erat, diligentiſsime educari ſic ait. *Anno vero quartodecimo puerum ſuſcipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. ſunt ij profecti ex omnibus Perſis ea ætate electi præcipui quatuor, ſapientiſsimus, iuſtiſsimus, temperatiſsimus, atque fortiſsimus aliquis vir. Quorum primus magicam Zoroaſtri Oromanſy filij docet: eſt autem illa deorum cultus; atque idem tradit inſtituta regia. Secundus admonet, vt in omni vita ſit verax. Tertius, ne vlla cupiditate ſuperetur.* Et mox. *Quartus impauidum illum, & intrepidum reddit.* Hæc Plato ſcribens Regibus dari leges à magis ſacerdotibus, qui Regibus ipſis imperent, ac præſcribant, quibus legibus imperium regatur, quibus vti Reges imperet, atque hoc præter ſcientiã diuinorum. Propterea Philo ita memoriæ prodidit. *Maximi etiam Regum Reges præcipue Perſæ tam ſunt harum artium ſtudioſi, vt regnare nemo poſsit niſi inter magos ſit iudicatus.* Hæc Philo. Herodotus autem libro primo hæc ait. *Citra magum nullum illis* (Perſis) *ſit legitimum ſacrificium.* Rurſus tum idem libro adducto, tum Strabo quinto decimo narrant à Magis tiaram geſtatam. Ita vero hic. *Principes* (Perſarum) *tiaras Magorum infulis ſimiles habent.* Hæc Strabo, oſtendens magos Regibus ſimiles habitos: nam tiara inſigne erat regium, quod ſcilicet Magis nemo imperaret è profanis, ac regiæ poteſtatis participes forent. Hinc Virgilius lib. 7.

Hoc Priami geſtamen erat, cum iura vocatis
More dabat populis, ſceptrumque, ſacerque tiara,
Iliadumque labor veſtis.

Quod vero ſupra dicebamus à Strabone dictum delata fuiſſe ab antiquis imperia magis, id eſſe verum, conſtat è geſtis Pharaonum, qui Ioſepho, Moyſique vti vere diuinorum ſcientiæ peritis, quales exiſtimabant eſſe magos, plurimum detulere, ſicuti & magis ſuis. Similiter ex ijs, quæ contigere Danieli cum Nabuchodonoſoro, Dario Medo, & Balthaſare Chaldæorum, Perſarumque Regibus, qui ſemper in dubiis magos accerſebant,

ſebant, vbi de rebus grauiſsimis agebatur, Danielemque imperio regendo præfecerunt, quod peritia rerum diuinarũ plurimum valere ipſum putarent, atque experti eſſent. Satis itaque iam dictum de Perſis. his finitimi ſunt Chaldæi, de quibus ita Diodorus. *Chaldæi Babyloniorum antiquiſsimi eum locum in ſua Rep. quem in Aegypto ſacerdotes obtinuerunt: ad cultum enim deorum deputati per omnem vitam philoſophantur.* Hæc Diodorus. Atqui Aegyptiorum ſacerdotes ex antiquiſsimo tempore, quod è Geneſi ſupra eſt explicatum, liberi, atque immunes erant, Regi leges, & publicis quibusque moderandis præſcribebant, vti oſtendetur. Aſſyrios, ſiue Chaldæos attingunt Cappadoces, ac plurimæ his propinquæ nationes, de quibus ita Strabo libro duodecimo: *Super Phanaræam ſunt Comana Ponti eiuſdem nominis cum his, quæ in magna ſunt Cappadocia, eidemq́; deæ conſecrata, atque adeo inde imitata; ſed & iiſdem fere vtuntur ritibus ſacrorum diuinorum inſtinctuũ, & honoribus ſacerdotiũ, quod maxime factũ eſt ſub prioribus Regibus, cum bis quotannis in exitu, quem vocabant deæ, diadema Pontifex geſtaret, & honore ſecundus à Rege eſſet.* Hucuſq; Strabo primas Regi, quaſi primo Pontifici totius regni, ſecundas ſacerdoti illius tẽpli ſpeciali datas narrans. Eadem de ſacerdotibus aliis regionum propinquarũ tradit, quos regia ſtirpe ortos refert.

Arabum fuit ex antiquiſsimo tempore eadem conſuetudo, quod è libro Iob apparet, in quo habemus, & ab ipſo Iob, & ab amicis eius orientalium clariſsimis regulis oblata ſacrificia; ſic etiam poſtea ſcimus Iethro ſocerum Moyſis Madianitarum, qui ſunt Arabes, & principem, & ſacerdotem fuiſſe. Cumque Saraceni ſint Arabes, ab iiſdem ſcimus per impium Mahometem fuiſſe illud ſancitum, vt idem foret inter omnes ſuæ ſectæ addictos, & Pontifex, & Rex ſummus.

Tyriis, qui late aliquando imperarunt, fuiſſe eandem legem cognoſcimus è Ioſephi libro primo aduerſus Apionem, quo recenſens Tyri Reges, & Aſtarthæ deæ ſacerdotes, ab ipſa pleroſque Reges vti Sacerdotes denominatos refert.

Getis, qui Scythæ ſunt, immunes eſſe ſacerdotes, qui Chriſtæ appellantur, è Poſidonio tradit Strabo libro quinto: adiiciens hunc morem fuiſſe adhuc ætate ſua ſeruatum, vt Regi ſemper adeſſet ſacerdos, qui Deus haberetur, & de cuius conſilio cuncta dicerentur, adminiſtrari, vt hac via Rex fidem ſibi conciliaret, recti inſtituti ſpeciem retinens; illud autem de Germanis

nis

nis illuſtriſsimum Tacitus refert in hæc verba. *Cæterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec ducis iuſſu, ſed veluti Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt, effigieſque, & ſigna quædam detracta lucis in prœlium ferunt.* Et mox. *Auſpicia, ſorteſque, vt qui maxime obſeruant, ſortium conſuetudo ſimplex, virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretis ſuper candidam veſtem temere, ac fortuitu ſpargunt, mox ſi publice conſulatur ſacerdos, ſin priuatim ipſe paterfamilias precatus deos, cælumque ſuſpiciens ter ſingulos tollit:* & dein *proprium gentis, equorum quoque præſagia, ac monitus experiri: publicè aluntur iiſdem nemoribus, ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos, ac Rex, vel princeps ciuitatis comitantur: hinnituſque, ac fremitus obſeruant.* Denique de ipſorum publicis conuentis. *Conſidunt,* ait, *armati, ſilentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur.* Hucuſque Tacitus. de Gallis ita Cæſar libro ſexto. *In omni Gallia, eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo; nam plebs pæne ſeruorum habetur loco;* Et dein *de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum equitum. illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, ac priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore. nam ferè de omnibus controuerſiis publicis, priuatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, præmia, pœnaſque conſtituunt; ſi quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos eſt grauiſſima; quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum, ac ſceleratorum habentur. ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. his autem omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. hoc mortuo, ſi quis è reliquis excellit dignitate, ſuccedit, ac ſi plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. nonnumquam etiam de principatu armis contendunt. ii certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato. huc omnes vndique, qui controuerſias habẽt conueniunt, eorumque iudiciis, & decretis parent. Diſciplina in Britannis re-*

perta, atque inde in Galliam tranſlata exiſtimatur, & nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumq; illo diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vlla cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Hæc Cæſar de Gallis, & Britannis.

Hiſpanos vetuſtiores eiſdem moribus dicemus ante tot, ac tam varias exterarum gentium irruptiones extitiſſe, quibus aſſeuerat Ariſtoteles politico quarto, fuiſſe antiquos omnes, nempe vt ijdem ſacerdotes forent ac Reges. Deinde commigrantibus ad illos tam diuerſis nationibus, neceſſe eſt receperint eaſdem leges, atque ita Celtiberi, Celtarum, qui & Galli ſunt, vt initio ſuorum commentariorum Cæſar ſcribit, ſeu Druidum ritus imitarentur; aliosque alij de quibus eſt dictum.

Eadem & de Carthaginenſibus, qui Hiſpaniam diu tenuerunt, dicenda. teſtis namque eſt tota antiquitas, hos à Tyriis prognatos; ac proinde nemo non dicet, ijſdem fuiſſe, quo maiores ipſorum publicis inſtitutis. Mandata quidem fuiſſe inter eos ſacerdotia non ignobilibus, aut potentiæ nullius; ſed primoribus quibuſque in Rep. ita vt ſacerdotium ſæcularis nobilitas, ac potentia ſequeretur, teſtis eſt Diodorus libro quarto ita ſcribens. *Cum ante neque Proſerpinæ, neque Cereri ſacra facerent (* Carthaginenſes *) inſigniores quoſdam ciues ſacrificijs horum præfecere.* Rurſus teſtis eſt Ariſtoteles cap. 11. Politici ſecundi, Carthaginenſium, Spartanorumq; Reſp. ſimiles fuiſſe, ac formæ eiuſdem, at Spartanis præerant ſacerdotes.

Veniamus itaque ad finitimos Libycis Aegyptios, de quibus ita Diodorus libro primo antiquitatum rerum capite tertio. *Aegypti Reges vitam, non aliorum regnantium, quibus voluntas pro lege eſt, traducebant, licentia; ſed legum inſtituta in cogendis pecunijs, quotidianoque victu ſequebantur. eorum cultui obſequioque nullus deputatus erat, neque domi genitus ſeruus, ſed nobilium ſacerdotium filij tum vltra viginti annos nati, tum doctrina præ cæteris eruditi.* Et mox. *Mane ſurgentem Regem primum epiſtolas omnes miſſas capere oportebat, vt cognito ijs, quæ ſibi agenda eſſent, reſponſo dato ſingula in tempore, atque ordine recte agerentur. His actis, eum in virorum excellentium cœtu lauiſſet corpus, veſtem præclaram indutus ſacra dijs faciebat. Mos erat ſacerdotum principi iuxta aram hoſtijs deductis,*

aſtan-

aſtante Rege magna voce audiente populo valetudinem proſperam, omniaque bona precari Regi iuſtitiam in ſubditos colenti: narrare inſuper particulatim Regis virtutes, in deos pietatem, & religionem. Et dein. *His actis ſacerdos, & Regem ad felicem, dijsque gratam vitam hortabatur, & ſimul ad bonos mores agendumque, non quæ ſuaderent mali; ſed quæ ad laudem, virtutemque pertinerent. Demum cum Rex ex tauro dijs ſacra feciſſet, ſacerdos quædam è ſacris libris clariſsimorum virorum conſilia, actaque proferebat, quibus Rex monitus imperio pie, ac iuſte illorum exemplo vteretur.* Hæc Diodorus, & Regem ſacerdotem faciens, & ſacerdotum legibus parentem, ſemperque ipſorum corona, conſpectuque ſtipatum.

Aethiopibus eandem fuiſſe ex antiquiſsimo tempore conſuetudinem, ſic idem lib. 3. cap. 1. *Aethiopum leges quædam non parum ab reliquarum gentium legibus, maxime vero circa Regum electionem differunt. Nam ſacerdotes optimos ex ſeipſis eligunt. quem vero ex eis Deus more quodam bacchantium circum delectus cœpit, hunc* Regem *populus creat; ſtatimque flexis genibus, quoniam ſit diuina prouidentia datus, vt Deum honorant. aſſumptus in* Regem *vitam ducit ſtatutam legibus.* Et mox. *Qui in Meroe ſunt circa deorum ſacra, cultumque deditis ſacerdotes (& hi quidem maxima pollent auctoritate) cum eis viſum fuerit,* Regi *nunciant, vt mortem appetat. Ita enim deorum iubere reſponſa; neq; fas eſſe mortalium voluntatem à mortali hone contemni.* Hæc ille. eadem Strabo libro 17. *Antiquitus,* inquit, *ſumma poteſtas fuit penes ſacerdotes, tantaque auctoritas, vt nonnumquam miſſo nuncio mortem* Regi *imperarent, & ei alium ſufficerent.*

Perambulauimus terras prope omnes. Videamus tandem, quæ fuerit ipſis Romanis in his rebus cõſuetudo. Romulus vna cum fratre ædificata Vrbe, quamuis eo tempore exigua, noluit tamen eſſe Rex niſi religionis interuentu, ac veluti ſacerdos; ſic enim Dionyſius libro ſecundo. *His auditis* Romulus *delectari ſe quidem,* ait, *hominum iudicio, quo dignus regno ſit habitus, non tamen aſſumpturum eum honorem ante, quam Deus auſpicio certo comprobauerit. Quod quoniam & illis placuit, præſtituta die, qua de regno alites conſuleret, vbi ea illuxit, ſub dium progreſſus eſt, ibi ſtans in loco puro, & rite mactatis victimis, vota fecit Ioui* Regi, *& dijs alijs, quos coloniæ duces fecerat, vt ſi ipſorum voluntate* Rex *Vrbis futurus*

voluntatem in ſingulis quibuſque agendis per ſuos Sacerdotes,id olim fiebat per auium volatus, & omnia contingentia veluti in pullariis, per exta ſacrave inſpecta, per ſomnia, per oracula. Illud vero auſpicium ratum, firmumque erat, quod ab ore Sacerdotum proceſsiſſet. Harum rerum pleni ſunt libri teſtimonia paſsim ſeſe offerunt legentibus Homerum,Virgilium, priſcorumque hiſtorias, Herodoti,Thucydidis,atque aliorum. ſunt in hanc rem libri Ciceronis de diuinatione. Conſuetudoque adhuc hodie viget inter quaslibet gentes à Chriſti religione alienas. Nam Chriſtus multo præſtantiora instituit,vt dicemus: de Indis occidentalibus habetur in hiſtoria generali Indiarũ lib.5. cap.1. de Orientalibus teſtatur Petrus Maffæius lib.6. Sic de aliis alij, quod paulopoſt dicemus, adeo dæmon bonos mores peruertit,ac deprauat.

Ex his igitur omnibus illuſtriſsime conſtat, eſſe iuris gentium primæui,coæuique mortalibus, vt penes Sacerdotem ſit omnium rerum,tam ſæcularium, quam ſacrarum ſumma, ac Regia poteſtas, idque ius eſſe homini maxime naturale, ac proprie naturale,ni velit eſſe bellua,vel dæmon.

Neque vero dici poteſt aduerſus ſuperiora poteſtatẽ Sacerdotalem naſci à ſæculari, quaſi Regnum conſequatur. & idcirco,olim reges,ideo fuiſſe Sacerdotes, quia Reges erãt. id enim refellitur multis modis.

Primo enim vidimus Adamum prius fuiſſe Sacerdotem, quam Regem;idemque apparet de Seth primogenitis,& aliis, quibusque.

Secundo.ob cultum diuinum recte ordinatum datam fuiſſe Angelis in omnia Regiam poteſtatem.

Tertio, diminutam fuiſſe Regiam poteſtatem Adamo, ob cultum diuinum diminutum.

Quarto, traditam Noe propter eundem, ſacrificiumque oblatum.

Quinto, à gentibus regiæ poteſtatis iura pro ratione Sacerdotij in alios minores Sacerdotes diſtributa.

Sexto, ab ipſis ſcriptoribus ſubnecti Sacerdotio regiam poteſtatem non contra.

Septimo, conſtat è fine vtriuſque poteſtatis.nam Sacerdotij finis ex natura Sacerdotij Deus eſt, ita vt quælibet poteſtas ad hunc finem perducatur à Sacerdote, hic ex natura ſua perducit ad hunc finem,qui cuncta moderatur,ac poteſt.

Octa-

Octauo, perſpicitur hoc ex eo, quia poteſtas ſacra deriuatur in loca, & res, ita vt nemo in illa poſsit, ex ipſo gentium primæuo, ac naturali iure, niſi ſacerdos; quod ſequenti capite à nobis eſt explicandum.

Recenſentur omnium gentium toto orbe terrarum iura, è quibus oſtenditur fuiſſe illis immutabili lege templa libera, tutaque ad illa confugientium, vel in ijs depoſitorũ perfugia. ac de aris, lucis, mõtibus ſacris, & aſylis. è quibus colligitur hæc eſſe iuris maximè naturalis gentium primæui, & diuini. Cap. IIII.

Vidimus ſupra ab ortu mundi, vſque ad Noe, genteſque diſperſas hoc ius fuiſſe, vt ſæcularis nihil poſsit in loca, & res ſacras, & his ſeruientia. Videamus an gentes retinuerint hanc legem. Duo ſolebant gentes diuino cultui conſecrare, aras, & lucos; nam loca ſacra parietibus, ac tectis includere, non ſinguli cętus mortalium continuo ceperunt. Vel quod non ita commodum foret, vel quod ab initio palantes, & per agros diſperſi vitam traducerent, ac ſatis haberent in vnum conuenire ad ſacrificia in aliquo loco; plerumque autem diligebant altiſsimos omnium montes, in quibus ſacrificaretur ob eas, quas adducemus cauſas.

Quantum ad aras, ex omni tempore fuiſſe aris hanc immunitatẽ, vt ſi quis ad eas confugiſſet eas tenens, inde auelli haud poſſet, niſi Deo per auguria, vel alios modos à ſacerdotibus cõſtitutos conſulto, quod ſacrata loca eſſent, conſtat, ex eo locus prouerbio factus eſt, *confugere ad aras*. Sic enim Tullius pro Roſcio. *Quod item nuper in Erote Comœdo vſu venit, qui poſteaquam è ſcæna non modo ſibilis, ſed etiam conuicio explodebatur, ſicut ad aram confugit in huius domum*. Et tertio de natura deorum: *Quod vos cum facere non poteſtis tamquam ad aram confugitis ad Deum.* Et actione quarta in Verrem. *Magiſtratuum autem noſtrorum iniurias ita multorum tulerunt, vt numquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum publico*

Gabriel quæſt. vnica, quia ſcilicet *fornicati ſunt à Deo ſalutari ſuo*, vt habetur pſal. 72. & 105. Similiter homicidæ ab initio, vt habetur Ioannis cap. 16. dicuntur fuiſſe, quia receſſerunt à vitalibus Dei ſummi impulſibus. Quod ſi cupimus propiora. Adamus in paradiſo, antequam totius vniuerſitatis humano dominio ſubiectæ poteſtatem reipſa, & actu à Deo conſequeretur, virgo erat, cum nondum creata fuiſſet Eua, & quamdiu permanſit eo loco, permanſit in caſtitate, tertiumque filium Seth genuit annorum iam centum triginta; ac primi illi Patres iam grandæui filios ſuſcipiebant. Poſteritas autem Sethi quandiu permanſit in caſtimonia, tandiu dominium, ſacerdotiumque conſeruauit, vt ſupra dicebamus. Noe porro tum ſuſcipiendis liberis operam dedit, cum iam cognouiſſet ex Deo, diluuio perdendum humanum genus, quingentorumque eſſet annorum. Tum Sem, Cham, & Iaphet filios genuit, quod habemus Geneſeos capite 5. Poſt hæc rebus vxoriis amplius operam non dedit, caſtitatemque puriſsime coluiſſe videtur. Diuiſis deinde gentibus, vti Noe parens earum ſummus iuſſerat, hunc morem coluere, vt ſacerdotes præ cunctis eſſent ex officio ſuo caſti, & a bellicis, quam maxime fieri poſſet abſtinerent. ob id Virgilius lib. 6. inter primos, qui campos Elyſios incolant, numerat caſtos ſacerdotes.

Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Sic Helenus dum religionis quoſdam ritus tradit Æneæ, addit.

Hac caſti maneant in religione nepotes.

At Cicero libro de legibus eam proponit in primis, *ad diuos caſte adeunto*; & de natura Deorum 1. *Pure, & caſte deos venerari.* Ob id Sybillæ gentilium virginitatem coluerunt, ac tam Athenis, quam Romæ virgines ignem æternum cuſtodiebant. De Romanis eſt notiſsimum, traditque in Numa Plutarchus. Liuius primo, Dionyſius ſecundo de Athenienſibus, Strabo libro nono.

Quantum porro ad cædes, adduximus ſupra Virgilij verſus, quibus & addimus è libro 2. illos à Sinone aduerſus Tydidem, & Vlyſſem dictos.

Corripuere ſacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas auſi Diuæ contingere vittas.

Ac ne quis adhuc putet iſta recentiora, priſcisque afficta; audiamus Homerum, qui ſic Iliados ſexto inducit Hectorem loquentem.

χερσὶ

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πη ἐστὶ κελαινεφέϊ Κρονίωνι.
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Id eſt.

Manibus vero illotis Ioui libare ardens vinum
Vereor, neque vllo modo fas eſt nubes atras cogenti Saturnio
Sanguine, & puluere pollutum vota facere.

Iam cum ſit illud Sancti Dionyſij veriſsimum, à ſupremo inferioris naturæ attingi infimum ſuperioris, & elephas ſit animantium brutorum perfectiſsimus, ita vt neſcio quid religionis habere videatur præter alia mirãda, ad hominis naturam prope accedentia, caſtitatis hic & manſuetudinis eſt quoque admirabilis imitator; ſic enim Plutarchus libelli de ſolertia animalium. *Scribit (*Iuba*) etiam elephantos dijs vota facere cum ſe nemine docente mari luſtrent Solemque Orientem adorent, proboſcide manus loco ſurſum erecta. Itaque etiam hoc animal dijs eſſe cariſsimum, vt Ptolomæus Philopater teſtatum fecit.* Et Plinius libri octaui cap. 1. *Authores ſunt in Mauritaniæ ſaltubus ad quendam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendere: ibique ſe purificantes ſolemniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſidere in ſiluas reuerti, vitulorum fatigatos præſeferentes. Alienæ quoque religionis intellectu creduntur maria tranſituri, non ante naues conſcendere quam inuitati rectoris iureiurando de reditu. Viſique ſunt feſſi ægritudine (quando & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in cælum iacientes, veluti tellure precibus allegata.*

Et capite quinto de pudicitia ipſorum. *Pudore numquam niſi in abdito coeunt; mas quinquennis, fœmina decennis. Initur autem biennio, quinis, vt ferunt, cuiuſque anni diebus, neque amplius: ſexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen: nec adulteria nouere; nullaue propter fœminas inter ſe prelia, cæteris animalibus pernicialia.*

Et capite ſeptimo de clementia multis ad hanc rem narratis euentis ipſius animalis, ait. *Tanta narratur clementia contra minus valida, vt in grege pecudum occurrentia manu dimoueat, ne quod obterat imprudens, nec niſi laceſsiti noceant: ideoque gregatim ſemper ambulent, minime ex omnibus ſoli vagi.*

Hæc ille. è quibus conſtat, quot modis voluerit benigniſsimus omnium parens nos docere, quanta animi, corporiſque

puritate,quanta clementia religioſos eſſe oporteat, quibus ipſe omnium mortalium ſummam poteſtatem ab ipſius mundi ortu commiſit, ita vt nulla vmquam fuerit gens, niſi ſi qua tranſijt in belluinam naturam,quæ non tantam poteſtatem in ſacra, & profana quælibet ſacerdotibus tam maioribus,quam minoribus attribuerit, liberosq́ue illos, quoad perſonas ſuas, loca,& res quaſuis ipſis ſeruientes eſſe & voluerit, & contenderit omnibus modis. Videamus igitur,an ita ſit,ac primum de perſonarum poteſtate,& libertate agamus.

Recenſentur ſingulæ totius orbis gentes, palamq́ue fit è primæuo tempore penes earum ſacerdotes fuiſſe omnium ſummam, regiamq́ue in omnia tam ſæcularia, quàm ſacra poteſtatem. è quibus fit iure gentium primæuo, quod eſt homini proprie, & maxime naturale, ſacerdoti eſſe in omnia ſummam, regiamq́ue poteſtatem. Cap. III.

VEtuſtiſsimus omnium ſcriptor ex ijs quos habeamus, eſt Homerus. illo antiquiores alij ſunt,ſed eorum,veluti Sybillarum,non habemus integra ſcripta. Huius eſt opus nobiliſſimum Ilias,quo deſcribit mala,quę contigere Græcis ob Achillis iram. Verum contigiſſe omnia ob immunitatem minorum ſacerdotum violatam clariſsime idem canit. Referamus hiſtoriam.Cum Græci ex Aulide ſoluiſſent Troiam petentes,inſulam Chryſam venere, filiamq́ue ſacerdoti abſtulerunt. ea dono data eſt Achilli in partitione prædæ. Pater ſacerdos in caſtra Græcorum venit, eam repetit. Non eſt auditus,ſed verbis contumelioſis eſt dimiſſus; ab illo Apollo exoratus, peſte Græcos afflixit. Ad eam depellendam Chalcas augur, ac minor ſacerdos conſultus edixit eueniſſe ob Chryſam ſacerdotem male habitum. Quocirca decretum fuit, vt ei puella reſtitueretur honorifice dimiſſa. Neque æquale illi eſt Achilli ab Agamenone ſupremo Græcorum Rege redditum. Non potuit hoc Achilles pati: iratus abſtinuit à pugna, ex quo mul-

tæ Græcorum cædes factæ ſunt à Troianis, donec is ob occiſum Patroclum rediit ad prœlia, & Hectorem necauit. Hæc totius hiſtoriæ ſumma, à qua diſcimus ob immunitatem ſacerdotis violatam, contumelioſeque habitum Chryſam tot mala Græcis eueniſſe, ac totius Iliados hoc eſſe argumentum. Verum plurima ſunt in his obſeruanda.

Primum vero eſt, Reges eo tempore ſacerdotes etiam fuiſſe. patet hoc, animalia, namque ſacrificanda mactabant ipſimet, ad altare offerebant, altari imponebant; quod eſt primum ſacerdotis officium. Conſtat hoc ex ipſa Iliade, & hiſtoriis cunctis. Miniſterio tamen vtebantur ad minora minorum ſacerdotum, veluti nos modo clericorum. ſic etiam minorum deûm minores erant ſacerdotes.

Secundû Chryſam veniſſe habitu ſacerdotali in caſtra Græcorum geſtans Apollinis coronam; ſic enim poſt primos operis verſus, ait Vates expoſcens aperiri ſibi cauſam, cur tot, ac tanta Græcis mala de Chryſa.

Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Id eſt.

Coronam habens in manibus longe iaculantis Apollinis
Aureo cum ſceptro.

Hæc ille, oſtendens eum, veluti minorem regem in rebus ſuis habuiſſe, & coronam, & ſceptrum, ob quæ foret immunis. ob id illi iratus Agamemnon dixit.

Μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.

Haud ſane tibi proderit ſceptrum, & corona Dei.

Tertium ſit illud cum peſtis ingraueſceret cõſultus eſt Calchas augur. idque toto Iliados opere poſſumus videre ſolitos Reges confugere ad ſacerdotes, vt ſcirent, quomodo res eſſent tranſigendæ; edixitque ille ob offenſum ſacerdotem, tot mala contigiſſe.

Ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα
ἢ καὶ ὀνειροπόλον.

Verum age aliquem vatem interrogemus, vel ſacerdotem,
vel ſomniorum interpretem.

Adiicit deinde idẽ Calchanta fuiſſe Græcis nauigãtibus ducẽ.

Hæc

Hæc itaque Homerus, vt ex antiquiſsimo omnium ſcriptore diſcamus apud gentes ſacroſanctam fuiſſe immunitatem minorum Sacerdotum, hisque & ſuam coronam, & ſuum ſceptrum fuiſſe. Atque in hac ſententia perſtitiſſe antiquos à violata illorum libertate, quæ non modo ipſe, ſed etiam liberi ipſorum potiebantur, Iliada malorum populis, ac regibus euenire.

Age vero, quando incepimus à Græcia, videamus, num mos hic præcipuis Græciæ populis fuerit, quando à naturali iure eſt profectus. Narrat Herodotus lib.6. & Xenophon lib. de Repub. Lacedæmoniorum, Regum Spartanorum duo fuiſſe propria Sacerdotia Iouis Lacedæmonij, & Iouis cæleſtis, qui ſingulis Neomeniis, & ſeptimo quoque menſis die ſacrificabant more ab Hebræis ducto, quod oſtendetur Chriſto adiuuante in vniuerſali hiſtoria Antiquitatum: ijdem præterea Reges ſoli pro ſalute Reip. ſacrificia offerebant. iusque creandi duo Sacerdotum genera habebant. Hi vero erant Proxeni, & Pythij.

Sed quoniam proximi Regiæ poteſtati erant Ephori, idcirco, & hi Sacerdotes erant Palladis, quod Polybius libro ſexto teſtatur, hiſque mandata erat cura exquirendi Deorum voluntatem per ſomnia, quod libro 1. de diuinatione Cicero ſcribit, quin è cælo ſigna nonnulla ijdem captabant ad deijciendos è ſolio Reges. auctor eſt in vita Agidis Plutarchus. Quocirca horum tanta erat poteſtas, vt tyrannica viſa fuerit, teſtis eſt Plato lib.6. de legibus.

Pythij porro ad exploranda oracula mittebantur Delphos, Dodonam, & Ammona.

Ex his patet Sacerdotibus annexam fuiſſe Regiam, ſummamque in Repub. Spartanorum poteſtatem. Videamus, quæ fuerint hac parte inſtituta Athenarum. Sic vero Demoſthenes actione contra Neæram, *Quondam, inquit, erat Dynaſtia in ciuitate & regnum erat eorum, qui in omni ætate excellerent, quia indigenæ eſſent. Sacrificia vero omnia Rex faciebat, & quæ arcana erant, vxor eius curabat, cum eſſet Regina. poſteaquam vero Theſeus eos in vnum compulit, Regem nihilominus populus creabat, vxorem autem eius ciuem lege ſtatuit eſſe, & quæ nulli antea viro nupſiſſet, vt arcana ſacra pro ciuitate more patrio faceret.* Hæc Demoſthenes, volens & ante Theſeum, & poſtea, cum Rex à populo creabatur, Sacerdotio regiam fuiſſe annexam poteſtatem, non diſsimilia Pollux. Nam cum ſtabilita Repub.

pub. conſtitutus eſſet ſummus Areopagitarum ſenatus, Princeps eius erat, qui Regium nomen, ac dignitatem retinebat. Nam ſic ille apud Regem, *Lites intendebantur impietatis, Sacerdotij, controuerſi, & gentibus, ac Sacerdotibus omnibus ipſe ius dicit, & cauſas de cæde in Areopagum introducit, & depoſita corona cum ijs iudicat, quinetiam lites de rebus inanimatis cognoſcit.* Hucusque ille. eadem Arpocratio, quæ de ſummis, nobilioribusque Græciæ populis dicta ſunt; eadem de reliquis apertiſſimum facere poſſemus; & cuiuis coniicere licet.

Verum quando à nobis eſt dictum de Græcis, quibus eſt ab Apoſtolo attributa inquiſitio ſapientiæ & antiquiſsimi ſcriptoris mentio ſic tulit. Ne confuſe nimium procedatur, ab Indis extremis ad ortum ſolis reſpectu noſtri ſitis exordiamur: ij ſunt Iaponij, & Sinæ. De quibus ita Coſmus Turnianus illuſtriſsimæ ſocietatis Ieſu ſacerdos litteris Bungo ſcriptis anno 1591. ſeptimo idus Octobris, *Publica*, inquit, *adminiſtratio eſt triplex. Principem omnium tenet locum ſupremus religionum Antiſtes, cuius decretis, ac ſcitis, omnia publica, priuataque ſacra ſubiecta ſunt. Naſcentes præterea Bonziorum ſectæ nullam exiſtimationem, vel auctoritatem obtinent, niſi eas idem ſuo diplomate, ac teſtimonio comprobauerit. Tundos etiam (qui veluti Epiſcopi ſunt) tametſi eorum nominatio, quæ dicitur quibuſdam in locis penes regulos ſit, confirmat tamen, & creat ipſe; qui deinde magno apud ſummos, infimosque in bonore ſunt, & Sacerdotia conferunt. Iam vero priuilegia quoque, & immunitates à profanis muneribus ab illo petuntur. Nam quæ leuiora ſunt, vt carnis guſtatus religioſis diebus, cum ad idolorum delubra vulgo peregrinantur, aliaque ſimilia, eorum poteſtas penes Tundos eſt. Porro Sacerdos hic maximus tametſi apud Sinas ab eruditione, ac ſapientia, apud Iaponios tamen vel à ſtirpe, vel à nobilitate, & pecunia legitur, latè admodum imperat, magniſq; vectigalibus fruitur, & cum profanis Regibus ſæpe certat.* Hæc ille. E quibus cognoſcimus, & primas dari Sacerdotibus, & ſacrorum Præfectis inter Iaponios, & Sinas, eosque eſſe immunes, licet inter Sinas ipſe Rex ſit etiam ſacrornm Præfectus, vti nunc quidem res eo rum ſeſe habent. olim quidem Brachmanas, ac Germanas cultui diuinorum deditos plurimum potuiſſe inter Indos, atque iis omnia delata conſtat è Strabonis lib. 15. Quinti Curtij octauo. De quibus ſic ille è Megaſthene. *Dicunt totam Indorum multitudinem in ſeptem genera diuidi, quorum Philoſophi bonore*

re

re antecedunt, numero vero paucisſimi ſunt. vtuntur eorum vno quoque priuatim, qui mactant, & ſacrificant, publice vero Reges in eo conuentu, qui maximus apud eos fit, cum nouo anno incipiente Philoſophi omnes ad Regis fores conueniunt, & quid quid quiſque compoſuerit, vel obſeruauerit eo anno de fructibus, de animalibus, de Repub. in medium proferat. Vbi quis falſus fuiſſe ter deprehenditur, ei per totam vitam ſilentium indicitur, qui vera dixerit immunis, & omni tributo exemptus habetur. Hæc ille affirmans, è Philoſophis eos ad ſacra delectos. Atque iis præfuiſſe, qui verax fuerat inuentus eundemque immunē.

Rurſus idem. *Septimi ſunt conſiliarij, & aſſeſſores Regis, à quibus & magiſtratus, & iudicia, & rerum omnium adminiſtratio geritur, non licet ex alio genere in aliud matrimonio contrahendo tranſire, aut ab vnius generis inſtitutis ad alia deſcendere, neque ſimul pluribus ſe dare tractandis, niſi Philoſophus quis ſit, huic enim ob virtutem conceditur.* Hucuſque Strabo Philoſophis approbatis, qui & Sacerdotes erant apud Indos omnium tractandorum poteſtatem factam ſcribens, & mox. *De Philoſophis quoque aliam diuiſionem inſtituit* (Megaſthenes) *duo genera eorum faciens, quorum vnum Brachmanes, alterum Germanes dicatur: præſtare autem Brachmanes alteris, quod eorum decreta magis ſint conſentanea*, Et rurſus. *Quidam tradunt eum* (Calanum, qui ſecutus eſt Alexandrum Regem) *tanquam Regis prædicatorem ſecutum fuiſſe cum vltra Indiæ fines, præter communem aliorum Philoſophorum conſuetudinem, qui Indiæ Regibus adſiſtunt* (en Brachmanes Regi adſiſtunt, cuncta, vt ſupra dixerat adminiſtrantes) *Ea præcipientes, quæ ad deorum cultum pertinent, quomodo Magi Perſarum Regibus ſolent.* Hæc ille aperte aſſerens à Brachmanis Sacerdotibus exemptis cuncta adminiſtrata, quæ ad gubernationem Regni ſpectant, quod exemplo Magorum planius facit, de quibus idem ita Strabo libro primo. *Danaus, quod Argis aquatica inſtrumenta demonſtraſſet, & Atreus, quod ſolis curſum cœli conuerſioni renitentis docuiſſet vateſque, & ſacrorum inſpectores Reges ſunt creati, vt apud omnes maiores noſtros, Sacerdotibus Aegyptiorum, Chaldæis, Magiſque alios ſuperantibus honores, & imperia ſunt delata.* Hactenus Strabo volens Atreo, Danaoque delata imperia, quod tum vates, ſacrorumque inſpectores eſſent, & inuenta quædam nobilia proficuaque alios docuiſſent. Præterea vero apud maiores ipſius

(in

(in Cappadocia videlicet) apud Ægyptios, Chaldæosque Magis ſcientioribus imperia fuiſſe delata. quod ita eſſe è ſacra Scriptura oſtendemus: nam Magi genere Medi erant; alij deinde eorum doctrina excellentes iis aſcribebantur, magiq; ſunt appellati, atque inter Perſas plurimum valuere, quæ conſtant ex Herodoti lib. 1. monumentiſque aliis. de quibus aliás loco ſuo. Plato in Alcibiade primo cum dixiſſet, primogenitum Regis Perſarum, qui patri ſucceſſurus erat, diligentiſsime educari ſic ait. *Anno vero quartodecimo puerum ſuſcipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. ſunt ij profecti ex omnibus Perſis ea ætate electi precipui quatuor, ſapientiſſimus, iuſtiſſimus, temperatiſſimus, atque fortiſſimus aliquis vir. Quorum primus magicam Zoroaſtri Oromanſij filij docet: eſt autem illa deorum cultus; atque idem tradit inſtituta regia. Secundus admonet, vt in omni vita ſit verax. Tertius, ne vlla cupiditate ſuperetur.* Et mox. *Quartus impauidum illum, & intrepidum reddit.* Hæc Plato ſcribens Regibus dari leges à magis ſacerdotibus, qui Regibus ipſis imperent, ac præſcribant, quibus legibus imperium regatur, quibus vti Reges imperet, atque hoc præter ſcientiã diuinorum. Propterea Philo ita memoriæ prodidit. *Maximi etiam Regum Reges præcipue Perſæ tam ſunt harum artium ſtudioſi, vt regnare nemo poſſit niſi inter magos ſit iudicatus.* Hæc Philo. Herodotus autem libro primo hæc ait. *Citra magum nullum illis* (Perſis) *ſit legitimum ſacrificium.* Ruſus tum idem libro adducto, tum Strabo quinto decimo narrant à Magis tiaram geſtatam. Ita vero hic. *Principes* (Perſarum) *tiaras Magorum infulis ſimiles habent.* Hæc Strabo, oſtendens magos Regibus ſimiles habitos: nam tiara inſigne erat regium, quod ſcilicet Magis nemo imperaret è profanis, ac regiæ poteſtatis participes forent. Hinc Virgilius lib. 7.

Hoc Priami geſtamen erat, cum iura vocatis
More dabat populis, ſceptrumque, ſacerque tiara,
Iliadumque labor veſtis.

Quod vero ſupra dicebamus à Strabone dictum delata fuiſſe ab antiquis imperia magis, id eſſe verum, conſtat è geſtis Pharaonum, qui Ioſepho, Moyſique vti vere diuinorum ſcientiæ peritis, quales exiſtimabant eſſe magos, plurimum detulere, ſicuti & magis ſuis. Similiter ex ijs, quæ contigere Danieli cum Nabuchodonoſoro, Dario Medo, & Balthaſare Chaldæorum, Perſarumque Regibus, qui ſemper in dubiis magos accerſebant,

ſcebant, vbi de rebus grauiſsimis agebatur, Danielemque imperio regendo præfecerunt, quod peritia rerum diuinarũ plurimum valere ipſum putarent, atque experti eſſent. Satis itaque iam dictum de Perſis. his finitimi ſunt Chaldæi, de quibus ita Diodorus. *Chaldæi Babyloniorum antiquiſsimi eum locum in ſua Rep. quem in Aegypto ſacerdotes obtinuerunt: ad cultum enim deorum deputati per omnem vitam philoſophantur*. Hæc Diodorus. Atqui Aegyptiorum ſacerdotes ex antiquiſsimo tempore, quod è Geneſi ſupra eſt explicatum, liberi, atque immunes erant, Regi leges, & publicis quibusque moderandis præſcribebant, vti oſtendetur. Aſſyrios, ſiue Chaldæos attingunt Cappadoces, ac plurimæ his propinquæ nationes, de quibus ita Strabo libro duodecimo: *Super Phanaræam ſunt Comana Ponti eiuſdem nominis cum his, quæ in magna ſunt Cappadocia, eidemq; deæ conſecrata, atque adeo inde imitata; ſed & ijſdem fere vtuntur ritibus ſacrorum diuinorum inſtinctuũ, & honoribus ſacerdotũ, quod maxime factũ eſt ſub prioribus Regibus, cum bis quotannis in exitu, quem vocabant deæ, diadema Pontifex geſtaret, & honore ſecundus à Rege eſſet.* Hucuſq; Strabo primas Regi, quaſi primo Pontifici totius regni, ſecundas ſacerdoti illius tẽpli ſpeciali datas narrans. Eadem de ſacerdotibus aliis regionum propinquarũ tradit, quos regia ſtirpe ortos refert.

Arabum fuit ex antiquiſsimo tempore eadem conſuetudo, quod è libro Iob apparet, in quo habemus, & ab ipſo Iob, & ab amicis eius orientalium clariſsimis regulis oblata ſacrificia; ſic etiam poſtea ſcimus Iethro ſocerum Moyſis Madianitarum, qui ſunt Arabes, & principem, & ſacerdotem fuiſſe. Cumque Saraceni ſint Arabes, ab ijſdem ſcimus per impium Mahometem fuiſſe illud ſancitum, vt idem foret inter omnes ſuæ ſectæ addictos, & Pontifex, & Rex ſummus.

Tyriis, qui late aliquando imperarunt, fuiſſe eandem legem cognoſcimus è Ioſephi libro primo aduerſus Apionem, quo recenſens Tyri Reges, & Aſtarthæ deæ ſacerdotes, ab ipſa pleroſque Reges vti Sacerdotes denominatos refert.

Getis, qui Scythæ ſunt, immunes eſſe ſacerdotes, qui Chriſtæ appellantur, è Poſidonio tradit Strabo libro quinto: adiiciens hunc morem fuiſſe adhuc ætate ſua ſeruatum, vt Regi ſemper adeſſet ſacerdos, qui Deus haberetur, & de cuius conſilio cuncta dicerentur, adminiſtrari, vt hac via Rex fidem ſibi conciliaret, recti inſtituti ſpeciem retinens; illud autem de Germa-

nis

nis illuſtriſsimum Tacitus refert in hæc verba. *Cæterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec ducis iuſſu, ſed veluti Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt, effigiesque, & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferunt.* Et mox. *Auſpicia, ſorteſque, vt qui maxime obſeruant, ſortium conſuetudo ſimplex, virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretis ſuper candidam veſtem temere, ac fortuitu ſpargunt, mox ſi publice conſulatur ſacerdos, ſin priuatim ipſe paterfamilias precatus deos, cælumque ſuſpiciens ter ſingulos tollit:* & dein *proprium gentis, equorum quoque præſagia, ac monitus experiri: publicè aluntur iiſdem nemoribus, ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos, ac Rex, vel princeps ciuitatis comitantur: hinnituſque, ac fremitus obſeruant.* Denique de ipſorum publicis conuentis. *Conſidunt,* ait, *armati, ſilentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur.* Hucuſque Tacitus. de Gallis ita Cæſar libro ſexto. *In omni Gallia, eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo; nam plebs pæne ſeruorum habetur loco;* Et dein *de his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum equitum. illi rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, ac priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ij ſunt apud eos honore. nam ferè de omnibus controuerſiis publicis, priuatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controuerſia eſt, iidem diſcernunt, præmia, pœnaſque conſtituunt, ſi quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos eſt grauiſſima; quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum, ac ſceleratorum habentur. ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. his autem omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. hoc mortuo, ſi quis è reliquis excellit dignitate, ſuccedit, ac ſi plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. nonnumquam etiam de principatu armis contendunt. ij certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato. huc omnes vndique, qui controuerſias habēt conueniunt, eorumque iudiciis, & decretis parent. Diſciplina in Britannis re-*

perta, atque inde in Galliam tranſlata exiſtimatur, & nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumq; illo diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druides à bello abeſſe conſueuerunt, neque tributa vlla cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Hæc Cæſar de Gallis, & Britannis.

Hiſpanos vetuſtiores eiſdem moribus dicemus ante tot, ac tam varias exterarum gentium irruptiones extitiſſe, quibus aſſeuerat Ariſtoteles politico quarto, fuiſſe antiquos omnes, nempe vt ijdem ſacerdotes forent ac Reges. Deinde commigrantibus ad illos tam diuerſis nationibus, neceſſe eſt receperint eaſdem leges, atque ita Celtiberi, Celtarum, qui & Galli ſunt, vt initio ſuorum commentariorum Cæſar ſcribit, ſeu Druidum ritus imitarentur; aliosque alij de quibus eſt dictum.

Eadem & de Carthaginenſibus, qui Hiſpaniam diu tenuerunt, dicenda. teſtis namque eſt tota antiquitas, hos à Tyrijs prognatos; ac proinde nemo non dicet, iiſdem fuiſſe, quo maiores ipſorum publicis inſtitutis. Mandata quidem fuiſſe inter eos ſacerdotia non ignobilibus, aut potentiæ nullius; ſed primoribus quibuſque in Rep. ita vt ſacerdotium ſæcularis nobilitas, ac potentia ſequeretur, teſtis eſt Diodorus libro quarto ita ſcribens. *Cum ante neque Proſerpinæ, neque Cereri ſacra facerent (* Carthaginenſes *) inſigniores quoſdam ciues ſacrificijs horum præfecere.* Rurſus teſtis eſt Ariſtoteles cap. 11. Politici ſecundi, Carthaginenſium, Spartanorumq; Reſp. ſimiles fuiſſe, ac formæ eiuſdem, at Spartanis præerant ſacerdotes.

Veniamus itaque ad finitimos Libycis Aegyptios, de quibus ita Diodorus libro primo antiquitatum rerum capite tertio. *Aegypti Reges vitam, non aliorum regnantium, quibus voluntas pro lege eſt, traducebant, licentia; ſed legum inſtituta in cogendis pecunijs, quotidianoque victu ſequebantur. eorum cultui obſequioque nullus deputatus erat, neque domi genitus ſeruus, ſed nobilium ſacerdotium filij tum vltra viginti annos nati, tum doctrina præ cæteris eruditi.* Et mox. *Mane ſurgentem Regem primum epiſtolas omnes miſſas capere oportebat, vt cognito ijs, quæ ſibi agenda eſſent, reſponſo dato ſingula in tempore, atque ordine recte agerentur. His actis, cum in virorum excellentium cætu lauiſſet corpus, veſtem præclaram indutus ſacra dijs faciebat. Mo. erat ſacerdotum principi iuxta aram hoſtijs deductis,*

aſtan-

aſtante Rege magna voce audiente populo valetudinem proſperam, omniaque bona precari Regi iuſtitiam in ſubditos colenti: narrare inſuper particulatim Regis virtutes, in deos pietatem, & religionem. Et dein: *His actis ſacerdos, & Regem ad felicem, dijsque gratam vitam hortabatur, & ſimul ad bonos mores, agendumque, non quæ ſuaderent mali; ſed quæ ad laudem, virtutemque pertinerent. Demum cum Rex tauro dijs ſacra feciſſet, ſacerdos quædam è ſacris libris clariſsimorum virorum conſilia, actaque proferebat, quibus Rex monitus imperio pie, ac iuſte illorum exemplo vteretur.* Hæc Diodorus, & Regem ſacerdotem faciens, & ſacerdotum legibus parentem, ſemperque ipſorum corona, conſpectuque ſtipatum.

Aethiopibus eandem fuiſſe ex antiquiſsimo tempore conſuetudinem, ſic idem lib. 3. cap. 1. *Aethiopum leges quædam non parum ab reliquarum gentium legibus, maxime vero circa Regum electionem differunt. Nam ſacerdotes optimos ex ſeipſis eligunt. quem vero ex eis Deus more quodam bacchantium circum delectus cœpit, hunc Regem populus creat; ſtatimque flexis genibus, quoniam ſit diuina prouidentia datus, vt Deum honorant. aſſumptus in Regem vitam ducit ſtatutam legibus.* Et mox. *Qui in Meroe ſunt circa deorum ſacra, cultumque dediti ſacerdotes (& hi quidem maxima pollent auctoritate) cum eis viſum fuerit, Regi nunciant, vt mortem appetat. Ita enim deorum iubere reſponſa; neq; fas eſſe mortalium voluntatem à mortali bone contemni.* Hæc ille. eadem Strabo libro 17. *Antiquitus,* inquit, *ſumma poteſtas fuit penes ſacerdotes, tantaque auctoritas, vt nonnumquam miſſo nuncio mortem Regi imperarent, & ei alium ſufficerent.*

Perambulauimus terras prope omnes. Videamus tandem, quæ fuerit ipſis Romanis in his rebus cõſuetudo. Romulus vna cum fratre ædificata Vrbe, quamuis eo tempore exigua, noluit tamen eſſe rex niſi religionis interuentu, ac veluti ſacerdos; ſic enim Dionyſius libro ſecundo. *His auditis Romulus delectari ſe quidem,* ait, *hominum iudicio, quo dignus regno ſit habitus, non tamen aſſumpturum eum honorem ante, quam Deus auſpicio certo comprobauerit. Quod quoniam & illis placuit, præſtituta die, qua de regno alites conſuleret, vbi ea illuxit, ſub dium progreſſus eſt, ibi ſtans in loco puro, & rite mactatis victimis, vota fecit Ioui Regi, & dijs alijs, quos coloniæ duces fecerat, vt ſi ipſorum voluntate Rex Vrbis futurus*

turus ſit ſignum de cælo felix oſtenderent. Hæc ille. è quibus non modo cognoſcimus Romulum Regem, ſed priuſquam foret Rex, cognoſcimus eum Sacerdotem. Idque adeo, vt iure Sacerdotij ſibi deſumere regnum voluerit. At Numa Pompilius, multo amplius cuncta publica voluit à ſacerdotio pendere; neque inire vllo modo regnum conſtituit, niſi de manu Sacerdotis habitum; ſic enim Liuius, lib. 1. *Accitus,* (Numa) *ſicut Romulus augurato in Vrbe condenda regnum adeptus eſt, de ſe quoque Deos conſuli iuſſit. inde ab augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque Sacerdotium fuit, deductus in arcem, in lapidem verſus, conſedit augur ad læuam eius, capite velato, ſedem cœpit, dextra manu baculum ſine nodo adiunctum tenens, quem lituum appellauerunt. Inde vbi proſpectu in Vrbem agrumque capto Deos precatus regionem ab Oriente, ad Occaſum determinauit, dextras ad Meridiem partes, læuasque ad Septentrionem eſſe dixit; ſignum contra, quod longiſſime conſpectum oculi ferebant, animo finiuit: tum lituo in læuam manum translato dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt ita. Iuppiter, Pater, ſi eſt fas, hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, vt tua ſigna nobis certa, ac clara ſint inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auſpicia, quæ mitti vellet, quibus miſſis declaratus Rex Numa de templo deſcendit.* Hæc Liuius, & mox. Oſtendens Regem ſimul eſſe etiam Sacerdotem, quin prius Sacerdotem, quam Regem, ſubiicit, *Sacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maxime, quæ nunc ad dialem, ideſt Iouis, flaminem pertinent; ſed quia in ciuitate bellicoſa plures Romuli, quam Numæ ſimiles Reges putabat fore, ituroſque ipſos ad bella, ne ſacra Regiæ vicis deſererentur flaminem, Ioui aſſiduum Sacerdotem creauit: inſignique eum veſte, & Regia ſella Curuli adornauit, huic duos flamines adiecit.* Hucuſque Liuius aperte faciens Regem ſummum Pontificem, qui abſenti datus ſit Vicarius Pontifex, participans & ipſe Regiam poteſtatem.

Rurſus idem. *Pontificem, deinde Numam Marcium Marci filium ex patribus legit, eique ſacra omnia ſcripta exſignataque attribuit. Bellica porro omnia pendere voluit à Sacerdotibus, quos faciales vocauit, atque inſtituit.* De iis ita Plutarchus in Numa, *faciales quidam pacis cuſtodes, & (vt mea fert opinio) ab re ipſa nomen capientes, controuerſias verbo ſedabant, cum non permitterent prius militare, quam omnis iudicij ſpes abſciſſa eſſet*

etenim

etenim pacem Græci vocant, quando verbo, non vi inter ſe vtentes, controuerſias ſoluunt. At Romanorum feciales ſæpe ad eos ibant, qui iniuriam inferrēt, illisque ſuadebant, vt ſe benouole, & amice gererent. Iis autem inimice ſeſe, & pro voluntate gerentibus, Deos teſtati, & multa grauia in eos, eorumque patriam imprecati, niſi iuſte rem aggrediantur, ſic eis bellum indicebant: fecialibus vero prohibentibus, aut minus comprobantibus, neque militi fas erat, neque Regi (audi hoc) *Romanorum arma mouere, ſed ab his neceſſe erat initium belli pro iure Princeps acciperet, & tum demum communi commodo proſpiceret. fertur etiam, Celticā illam calamitatem Vrbi contigiſſe, ob hæc ſacra violata.* Hucuſque Plutarchus. iam cum varia forent munia Sacerdotum, quos Numa in primis inſtituit, neque Senatus haberi, neque populi comitia cogi poterant, iniri magiſtratus, bellum committi niſi Sacerdos auſpiciis captatis, id per Deos licere renuntiaſſet. Quod ſi quid aliter actum fuiſſet, Sacerdotesque obnunciaſſent, id omnino reſcindebatur. Pontifex porrò maximus Regibus exactis, cum populo agendi, tributa, & centuriata conuocandi ius habebat, quoties religio poſtulaſſet: amplius autem poterat ob eandem cauſam punire quoslibet magiſtratus, ſicut etiam loco, & gradu mouere. ob id ſic Cicero oratione pro domo ſua alloquens Pontifices, inquit, *Cum multa diuinitus Pontifices à maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eoſdem, & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ Reipub. præeſſe voluerunt, vt ampliſſimi, & clariſſimi ciues* Rempub. *bene gerendo, Pontifices religiones ſanctiſſime interpretando* Rempub. *conſeruarent.* Hæc Cicero, qui oratione de Aruſpicum reſponſis multà in hanc rem tradit multa etiam Iulius Obſequens libello de prodigiis. Amplius interpretandarum legum poteſtas olim penes Pontifices erat: ſic enim Pomponius lib. 2. de origine iuris, *Omnium tamen harum, & interpretandi ſcientia, & actiones apud Collegium Pontificum erat.* Hæc ille. Recte igitur Feſtus verbo ordo dixit, *Ordo Sacerdotum æſtimatur ordo Deorum. & Maximus videtur Rex.* Rex *quia potentiſſimus, Dialis quia vniuerſi mundi Sacerdos, qui appellatur Dium. & Pontifex maximus, quod iudex atque arbiter habetur rerum diuinarum, humanarumque.* Hæc Feſtus.

In vniuerſum porro quod aperietur, id moris erat apud omnis gentes, atque eſt adhuc, vt explorent ſemper diuinam

voluntatem in ſingulis quibuſque agendis per ſuos Sacerdotes, id olim fiebat per auium volatus, & omnia contingentia veluti in pullariis, per exta ſacra ve inſpecta, per ſomnia, per oracula. Illud vero auſpicium ratum, firmumque erat, quod ab ore Sacerdotum proceſſiſſet. Harum rerum pleni ſunt libri teſtimonia paſſim ſeſe offerunt legentibus Homerum, Virgilium, priſcorumque hiſtorias, Herodoti, Thucydidis, atque aliorum. ſunt in hanc rem libri Ciceronis de diuinatione. Conſuetudoque adhuc hodie viget inter quaslibet gentes à Chriſti religione alienas. Nam Chriſtus multo præſtantiora inſtituit, vt dicemus. de Indis occidentalibus habetur in hiſtoria generali Indiarũ lib. 5. cap. 1. de Orientalibus teſtatur Petrus Maffæius lib. 6. Sic de aliis alij, quod paulopoſt dicemus, adeo dæmon bonos mores peruertit, ac deprauat.

Ex his igitur omnibus illuſtriſsime conſtat, eſſe iuris gentium primæui, coæuique mortalibus, vt penes Sacerdotem ſit omnium rerum, tam ſæcularium, quam ſacrarum ſumma, ac Regia poteſtas, idque ius eſſe homini maxime naturale, ac proprie naturale, ni velit eſſe bellua, vel dæmon.

Neque vero dici poteſt aduerſus ſuperiora poteſtatē Sacerdotalem naſci à ſæculari, quaſi Regnum conſequatur. & idcirco, olim reges, ideo fuiſſe Sacerdotes, quia Reges erāt. id enim refellitur multis modis.

Primo enim vidimus Adamum prius fuiſſe Sacerdotem, quam Regem; idemque apparet de Seth primogenitis, & aliis, quibusque.

Secundo. ob cultum diuinum recte ordinatum datam fuiſſe Angelis in omnia Regiam poteſtatem.

Tertio, diminutam fuiſſe Regiam poteſtatem Adamo, ob cultum diuinum diminutum.

Quarto, traditam Noe propter eundem, ſacrificiumque oblatum.

Quinto, à gentibus regiæ poteſtatis iura pro ratione Sacerdotij in alios minores Sacerdotes diſtributa.

Sexto, ab ipſis ſcriptoribus ſubnecti Sacerdotio regiam poteſtatem non contra.

Septimo, conſtat è fine vtriuſque poteſtatis. nam Sacerdotij finis ex natura Sacerdotij Deus eſt, ita vt quælibet poteſtas ad hunc finem perducatur à Sacerdote, hic ex natura ſua perducit ad hunc finem, qui cuncta moderatur, ac poteſt.

Octauo, perſpicitur hoc ex eo, quia poteſtas ſacra deriuatur in loca, & res, ita vt nemo in illa poſsit, ex ipſo gentium primæuo, ac naturali iure, niſi ſacerdos; quod ſequenti capite à nobis eſt explicandum.

Recenſentur omnium gentium toto orbe terrarum iura, è quibus oſtenditur fuiſſe illis immutabili lege templa libera, tutaque ad illa confugientium, vel in ijs depoſitorũ perſugia. ac de aris, lucis, mõtibus ſacris, & aſylis. è quibus colligitur hæc eſſe iuris maxime naturalis gentium primæui, & diuini. Cap. IIII.

Vidimus ſupra ab ortu mundi, vſque ad Noe, genteſque diſperſas hoc ius fuiſſe, vt ſæcularis nihil poſsit in loca, & res ſacras, & his ſeruientia. Videamus an gentes retinuerint hanc legem. Duo ſolebant gentes diuino cultui conſecrare, aras, & lucos; nam loca ſacra parietibus, ac tectis includere, non ſinguli cętus mortalium continuo ceperunt. Vel quod non ita commodum foret, vel quod ab initio palantes, & per agros diſperſi vitam traducerent, ac ſatis haberent in vnum conuenire ad ſacrificia in aliquo loco; plerumque autem diligebant altiſsimos omnium montes, in quibus ſacrificaretur ob eas, quas adducemus cauſas.

Quantum ad aras, ex omni tempore fuiſſe aris hanc immunitatẽ, vt ſi quis ad eas confugiſſet eas tenens, inde auelli haud poſſet, niſi Deo per auguria, vel alios modos à ſacerdotibus cõſtitutos conſulto, quod ſacrata loca eſſent, conſtat, ex eo locus prouerbio factus eſt, *confugere ad aras*. Sic enim Tullius pro Roſcio. *Quod item nuper in Erote Comœdo vſu venit, qui poſteaquam è ſcæna non modo ſibilis, ſed etiam conuicio explodebatur, ſicut ad aram confugit in huius domum*. Et tertio de natura deorum. *Quod vos cum facere non poteſtis tamquam ad aram confugitis ad Deum.* Et actione quarta in Verrem. *Magiſtratuum autem noſtrorum iniurias ita multorum tulerunt, vt numquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum publico*

conſilio confugeret. Et Sulmonenſis epiſt. lib. 4.

Vnica fortunis ara reperta meis.

Plautus in Moſtellaria Actu 5. Scæna 2. teſtatur hanc Athenis morem fuiſſe ibi namque moſtellaria eſt acta.

– Ego iterum hanc aram occupabo.

Th. Quid ita? Tr. nullam rem ſapis.

Ne enim illi huc confugere poſsint, quæſtioni quos dabit

Hic ego tibi præſidebo, ne vlla interbitet quæſtio.

Th. Surge? Tr. Minime. Th. Ne occupaſsis obſecro aram –

Tr. Cur? Th. Scies.

Eadem prope in Rudente habentur Actu 3. Scæn. 3. & 4.

Mihi non liceat ancillas meas Veneris de ara abducere?

Dem. *Lex eſt apud nos.*

Hæc Plautus Cyrenis in Africa hanc fuiſſe legem teſtatus. Acta enim rudentis Cyrenis finguntur, vt è prologo apparet.

Habemus è Virgilio temporibus Troianis in Aſia, Troiaque ipſa hanc aris immunitatem fuiſſe, quocirca veluti infandum refert illud lib. 2.

– primuſque Corebus

Penelei dextra diuæ Armipotentis ad aram –

Procumbit.

Et ſexto oſtendens iram diuinam in Græcorum nepotes, ac reges Argiuos, illud canit:

Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.

Et ſecundo Troiæ aſylum Iunonis fuiſſe tradit.

Et iam porticibus vacuis Iunonis aſylo

Prædam aſſeruabant. Et mox.

– pueri, & pauidæ longo ordine matres

Stant circum –.

Quocirca Pauſanias in Achaicis, Atticis, Corinthiacis, Laconicis refert, hunc gentium vetuſtiſsimum morem fuiſſe in Græcia, vt qui ad aras confugerent, vi non poſſent inde abſtrahi.

Cum vero poſtea condi templa ſunt cœpta, paſsim ſunt aſyla conſtituta, in quæ confugientes non modo tuti forent; ſed etiam ſi deinde egrederentur, ſecuri in Vrbe commorarentur. Nam tale fuit à Romulo aſylum Romæ excitatum, quo nouis incolis eam repleret; vt lib. 1. Liuius, Dionyſius ſecundo, Plutarchus in eius vita narrant. Id ſæculis antiquis à Cadmo, qui circiter tempora Gedeonis vixit, Thebis vſurpatum tradunt, cumque hic Thæbanus eſſet, atque Aegyptius, licet Arabici

gene-

generis, inde aduectum morem conſtat, de templo antiquiſſimo Aegyptiaci Herculis, qui Iouis ætate, Iacobique ſæculo vixit, ita Herodotus libro ſecundo. *Erat in eo littore (* caropi*) Herculis templum, quod nunc quoque eſt ad quod ſi quis cuiuſcumque hominis ſeruus confugiens capiat ſacras notas, ſeſe Deo tradens, eum nefas eſt tangere, quæ ſanctio ad meam vſque ætatem prorſus immutata perſeuerauit. eam templi legem mancipia Alexandri cum audiſſent, ab eo profugerunt; aſsidentesque Deo ſupplices Alexandrum inſimulabant, eum deſtructum volentes, remque omnem exponebant, vt circa Helenam geſta erat, & illatam Menelao iniuriam: inſimulabant autem de his apud ſacerdotes, & apud huius hoſtij Nili præfectum.* Hæc ille. volens hunc morem fuiſſe apud Aegyptios tempore Paridis, ſiue Alexandri Troiani, vt confugientes ad templa ſacri eſſent, vbi ſacra quædam tetigiſſent. Alexander ab Alexandro libri tertij cap. 20. multa in hanc rem profert antiquitatis exempla his verbis. *In Rœtheo littore fuit Aiacis aſylum, & in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus, & alij aſylum aperuere; quo accedentes impunitate donabantur. Apud Moloſſos, Samothraces, Crotoniatas, & Meſſenios, at pleroſque ad deorum aras confugiſſe, pro aſylo habitum eſt, veluti Ithacenſibus Iouis ſeruatoris ara: delictis enim non voluntarijs refugiũ eſſe aras putauere. Athenienſibus Theſei ſepulchrum id iuris habuit, vt ſerui ad illud confugientes nexu ſoluerentur: & Spartæ Chalcideum templum Mineruæ, ad quod Pauſanias fugiens obſtructo aditu morte mulctatus eſt. & aliud Chalcide, ad quod Agis confugit, & in Tænaro Neptuni fanum ad quod Cleombrotus: & in Calauria inſula, in Aegeo etiã Neptuni templum, ad quod Demoſthenes cum aufugiſſet, ab omni violenta incurſione Archiæ manſit illæſus. atque in Thracia Dianæ templum inter Clytoriam, & Cynetham; & in Aſpendo Pamphiliæ.* & mox plurimis enumeratis, addit *apud Scythas, qui ad Riphæos confugiſſent tamquam ſacroſanctos, ſui iuris, & arbitrij erant, ſicut in Aegypto, in Oſyridis templo iuxta Saim. & in Canopo Herculis templũ, ad quod ſerui confugientes, ſi initiati forent, opprimi, aut vi cogi non poterant. traditumque eſt memoriæ in Libya oppidum fuiſſe, ad quod ſi quis ſeruus lapidem importaſſet liber, & ſui potens erat. & Dulopolis in eadem id iuris habuiſſe, vt qui ſeruus ad eam aufugiſſet, omni nexu ſolueretur.* Hæc ille è quibus colligere illud poſſumus à coloniis, quæ à tot Europæ, Aſiæ, Africæque nobiliſsimis populis deductæ fuerunt eaſdem

leges, ac iura eodem modo fuiſſe, cum reliquorum mores memoriæ proditi non fuerint à ſcriptoribus antiquis. Quod autem refert montes Riphæos fuiſſe olim Scythis ſacroſanctos, inde eſt ortum, quod in montibus ſacrificaretur, & plerumque aræ conſtituerentur. Hinc legimus in diuinis libris Abrahamo à Deo dictum fuiſſe Gen. cap. 8. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum, ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Et Iſaias cap. 2. de Eccleſia ſancta loquens, quod eſt templum Dei viuum. *Erit*, inquit, *in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.* Et Dauid ad ſecuritatem è templis partam reſpiciens pſal. 10. *In domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Ob id etiam priſci Hebræi in excelſis thura adolebãt, & ſacra faciebãt. vt legimus 1. Reg. 9. 10. & 3. Reg. 3. 12. 13. 15. 22. & 4. Reg. 12. 13. 16. 17. 18. Hic vero mos inde eſt deductus, quod templũ ſit inſtar cæli ſublimis, ac paradiſi in excelſo poſiti, ac primus parens Noe primum ſacrificauerit in monte, & in eo conſtituerit altare.

Iam vero Germani lucos quoſdam pro templis venerabantur, in quibus tanta erat ſecuritas, vt nemo niſi vinctus accederet. Ita enim Tacitus. *Vetuſtiſſimos ſe, nobiliſſimoſque Sueuorum Semnones memorant. fides antiquitatis religione firmatur ſtato tempore in ſyluam,*

Augurijs patrum, & priſca formidine ſacram,

Omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt; cæſoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reuerentia, nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & poteſtatem numinis præſeferens. ſi forte prolapſus eſt, attolli, & inſurgere haud licitum per humum euoluuntur; eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tamquam ibi initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cætera ſubiecta, atque parentia. adijcit auctoritatẽ fortuna Semnonum centum pagis habitatur, magnoque corpore efficitur, vt ſe Sueuorum caput credant. Hæc Tacitus. Ad quorum clariorem explicationem ſciendum nobis eſt aſyla olim non fuiſſe, niſi ſacros lucos publica auctoritate dedicatos; nam priuata auctoritate conſecrati non erant aſyla. De publicis ita Virgilius libro octauo.

Hic lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Rettulit Et Ouidius 3. faſtorum.

Romulus, vt ſaxo lucum circundedit alto:
Quilibet huc inquit, confuge, tutus eris.

De omnibus vero ſic Plinius lib. 12. cap. 1. & 2. *Sequi par eſt ordinem vitæ, & arbores ante alia dicere, ac moribus primordia ingerere. Hæc fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant, nec magis auro fulgentia, atque ebore ſimulacra, quam lucos, & in ijs ſilentia ipſa adoramus.* Hæc ille. Quin luci apud Latinos non ſunt, niſi nemora ſacra, de quibus ita Cicero libro de legibus. *Lucos in agris habento, & larium ſedem.* Quocirca paſsim legimus in diuina ſcriptura, ex antiquiſsimo ſiluas aliquot impiis diis conſecratas, qui luci nominantur, quos Deus in Exodo excindi iubet cap. 34. & Deut. 7. 12. 16. Iud. 6. paſsimque de illis 3. reg. 14. 15. 16. 18. & 4. reg. 13. 17. 18. 21. 23. aduerſus quos Iſaias exclamat cap. 17. 27. & Ieremias 17. propterea Deus ad euitandas ſuperſtitiones ita Deut. cap. 16. *Non plantabis lucos, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Apud Strabonem lib. 5. legimus in Italia apud Venetos Iunoni Argiuæ, & Dianę Ætoliçæ publicos lucos fuiſſe, in quibus tantam volebant incolę locorum diuinitus ineſſe ſecuritatem, vt etiā feræ eo confugientes à canibus tutæ eſſent. De Druidis canit Lucanus, quod nemora, & lucos huiuſmodi publicæ ſupplicum ſecuritati plerumque conſecratos incolerent libro primo.

Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis
Solis noſſe deos, & cæli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum, nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Quantum vero in templis ipſis repoſita Galli, inter quos Druidæ primas tenebant, ſecuritatis voluerint habere paulo poſt dicemus. Vt autem nihil omittamus, orbemque totum complectamur, è primo volumine Indicarum relationum ad finem ſcimus, in inſula Iaponis hunc etiam morem gentis illius eſſe, ne quis ad templa confugiens vi extrahatur: tutumque ſit in ijs perfugium, veruntamen reis pecuniæ debendæ ſolummodo exceptis.

Ex his vero omnibus, quæ huc vſque diximus, conſtat immunitatem templorum apud omnes gentes, maximeque eas, quæ melius inſtitutæ forent, ſemper illibatam perſtitiſſe.

Eadem porro immunitas conſeruata eſt quoad depoſita. vt ſcilicet quæcumque in templis cuſtodiæ cauſa reponerentur illa nemo attingeret, quaſi in cælitum manibus collocarētur.

Sic enim Valerius Maximus lib. 1. ad finem de Perſis: *Perſæ mille nauium numero Delum compulſi templo Apollinis religioſas potius manus, quàm rapaces adhibuerūnt.* Atque hæc in Oriente.

Item capite ſequenti referens externa, ait, *Maßiniſſa Rex Numidarum cum præfectus claßis Melitam appuliſſet, eque fano Iunonis dentes eburneos eximiæ magnitudinis ſublatos ad eum pro dono attuliſſet, vt comperit vnde aduecti eſſent, quinqueremi reportandos Melitam, inque templo Iunonis collocandos curauit, inſculptos gentis ſuæ litteris, ſignificantibus Regem ignorantem eos accepiſſe libenter Deæ reddidiſſe. factum Maſſiniſſæ animo, quàm Punico ſanguini conuenientius. quamquam quid attinet mores natione pendi? in media barbaria ortus ſacrilegium reſcidit alienum.* Hæc igitur ad Auſtrum.

Idem refert mira ob ſacrilegia quædam cōmiſſa à nōnullis Græcis, Romanis & Gallis ob res è templis ablatas, quæ dæmones, quorum ſerui erant illi, egere Deo permittente, vt quando gentes aliquam diuinitatem reſpiciebant, licet illā falſis Diis attribuerent, eam tamen agnoſcerent vbique dominari. Nota eſt hiſtoria auri Tholoſani, prouerbiumque illius. de quo Gellius lib. 3. cap. 9. Cicer. lib. 3. de natur. Deo. Strabo libro 4. Iuſt. 22. Hæc itaque in Occidente.

De Celtis, qui in Gallia Iberia, Germaniæque partibus aliquot ſedes habebant ita Diodorus libro quinto Antiquarum rerum, *Celtæ in deorum templis obſeruant, vt in ſacris, templisq; plurimum auri dijs oblatam ſpargāt, neque illud incolarum quiſquam, quamuis gens auri ſit auida, propter religionem audet contigere.* Hæc de Celtis Diodorus, in Occidente & Septētrione.

Ex his igitur omnibus apparet ab ortu mundi, vſque ad gentes diſperſas habitum locis ſacris omnem cultum: fuiſſeque illis illæſam ſemper diuinitus immunitatem, retentamque hanc poſt gentium diſperſionem quoad tutum perfugium depoſitaque ſeruanda, ab omni, vel barbara, & efferata gente quodam immutabili, ac maxime naturali iure.

Late

Late aperitur, ac ſingillatim probatur ex inſtitutis omnium gentium, primitias, decimas, & optima quæque omnium rerum, præterea vero primos honores deberi Sacerdotibus ex omnium gentium primæuo, ac maxime naturali iure. neque quidquam tranſigi olim conſueſſe, niſi de voluntate Sacerdotum; quæ lex maxime à Chriſtianis obſeruãda probatur. obſeruatio, quid egerit dæmon Chriſto concepto inter gentes. Cap. V.

PRimitias porro omnium rerum ſolitas offerri Deo, Sacerdotioque dedicari oſtendimus ſupra ex eo, quod Angeli boni Adamus, & Eua, primos actuum ſuorum Deo conſecrarunt cum rebus omnibus ad ipſos pertinentibus. Sic Abel primogenita omnium, quin optima quæque ſuorum Deo largitus eſt. Ac parentes ſuorum filiorum primogenitos cultui diuino deuouebant, & in vniuerſum Deo munda animalia ſacrificabantur, vt apparet in ſacrificio Noe, quod hæc optima animalium forent. Reſtat vt inſpiciamus, an hic mos fuerit immobiliter à gentibus retentus, ex quo diſperſæ fuerunt: retentum fuiſſe conſtat ex antiquiſsimo vate Homero, qui ſic Iliados nono.

Καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος ἄρτεμις ὦρσε
Χωσαμένη, ὅ οἱ οὔ τι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξε.

Ideſt,

Etenim bis malum aureithroni Diana immiſit
Irata, quod ipſi neutiquam primitias ex vbere ſolo
Oeneus ſacrificarat.

Ouidius lib. 10. Metamorphoſeon narrans Arabum mores, primitias ab eis Deo conſecrari tradit.

Feſta pia Cereris celebrabant annua matres
Illa quibus niuea velata corpora veſte,

Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Ab Aſiaticis eodem ſolitas dari primitias Deo, conſtat ex Herodoti libro primo.

Romanos eodem modo diis obtuliſſe primitias auctor eſt Plinius lib. 18. cap. 2. ita ſcribens, *Ac ne deguſtabant quidem nouas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libaſſent.*

Eodem vero fuiſſe conſuetudinem Græcis, & Troianis auxiliariisque eorum, docet nos Homerus libro ſeptimo.

οὐδέ τις ἔτλη
Πρὶν πιεῖν πρὶν λεῖψαι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.

Ideſt,

——*neque aliquis paſſus eſt*
Antea bibere, quam libaſſet præpotenti Saturnio.

Omnibus vero gentibus id fuiſſe in more poſitum teſtatur Iulianus Imperator, qui ſic apud Sozomenum ſcribit ad Arſacium Galatiæ Pontificem: *Docete*, ait, *gentes in eiuſmodi miniſteria pecuniam conferre, & pagos gentilium ex fructibus dijs offerre primitias; & eiuſmodi beneficentiæ officijs aſſuefacito, planumque illis facito hoc noſtrum olim munus fuiſſe.*

Quocirca abiit in prouerbium *Ab ipſo lare*, quod hinc ductum eſt, quod antiqui laribus primitias immolabant, quod interpres Ariſtophanis in Veſpis narrat in ijs verſibus.

——οὐχ ἀλλ᾽ ἵνα
Ἀφ᾽ ἑστίας ἀρχόμενος ἐπιτρίψω τινά.
——*non, ſed vt*
A lare incipiens obteram aliquem.

Et Cicero veluti cuiuſuis Reip. recta ratione ritibusque bene moratis inſtitutæ tradit illam legem, *Certasque fruges, certasque baccas Sacerdotes publice libanto.*

Idcirco Hyperboreos Scythas ex antiquiſsimo tempore ſolitos Delum mittere frugum primitias, auctor eſt Plinius libri quarti capite decimo ſeptimo.

Quin in vniuerſum prima quæque omnium temporis, loci, operis, actionis Deo gentes conſecrabant, & ab ipſo Deo ſolebant exordium. Hinc noua Luna ſuperos precabuntur. Horatius in Odis.

Cælo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente Luna ruſtica Phidile.

De

De Neomeniis Spartanorum dictum eſt ſupra à nobis. expreſſit hunc morem Homerus pulcherrime initio libri duodecimi Iliados, cum narrat ideo diſiectum fuiſſe murum, quo naues Græci munierant, ne Troiani inuadere illas poſſent, quia non ſacrificauerant ſuperis centum boues.

—— οὐδὲ θεοῖσι δ' ὅταν κλειτὰς ἑκατόμβας
Ὄφρὰ σφιν νῆασι θοὰς, καὶ λεΐδα πολλὴν
Ἔντος ἔχον ῥύοιτο, θεῶν δ' ἀεκήτι τετύκτο
Ἀθανατῶν. τὸ καὶ ἔπι πολὺν χρόνον ἔμπεδον ἦεν.

Id eſt,

—neque dijs dederant inclitas hecatombas.
Vt ipſos, nauesque veloces, & prædam multam
Intus continens cuſtodiret. dijs autem inuitis extractus erat
Immortalibus, quocirca & non ad multum tempus integer fuit murus.

Expreſſit hoc in vniuerſum Theocritus Idyllio 17. quem Vates Latinus eſt imitatus Ecloga 3. canens.

Ab Ioue principium muſæ, Iouis omnia plena,
Ille colit terras: illi mea carmina curæ.

Decimas porro ſolitas ex omnibus dari ſacerdotibus conſtat ex eo, quod Abrahamus illas exſoluit è præda capta, & Iacob eas vouit ſe daturum, quod ſupra libro primo diximus, atque è Geneſi conſtat. Hanc vero fuiſſe cunctis gentibus conſuetudinem cognoſcimus ex Herodoti libro primo. Nam cum plurimæ gentes militarent in exercitu Cyri Regis, cum Crœſum cœpit, & in his maxime omnium Perſæ, Crœſus Cyro conſilium dedit, ne ſineret Perſis, ac victoribus tantum diuitiarum è præda eſſe. *Sed ſiſte*, inquit, *ad ſingulas portas aliquot è tuis ſatellitibus cuſtodes, qui vetent exportari opes, vt earum decimæ Ioui neceſſario reddantur. Ita neque tu odium illorum contrahes vi opes eripiendo, & ipſi agnoſcentes ſe iuſta agere, non inuiti facient.* Hæc ille. Longiores eſſemus, ſi ſingulas gentes, aut quādo id fieri nō poteſt, pcipuas recēſeremus, quibus id erat in more poſitum, vt decimas Deo largirentur. de Græcis teſtatur Xenophon oratione de laudibus Ageſilai ſic ſcribens de illo. *Hoſtium vero ita potitus agro eſt, vt duobus annis centum talenta, & amplius Deo apud Delphos decimam dedicarit.* Idem refert lib. 4. à Samiis quęſtuū decimas perſolutas Iunoniq; dedicatas, cum ditati maxime forent Tarteſſum profecti.

Romanos Herculi conſueuiſſe bonorum ſuorum dare decimam, teſtatur Varro libro de lingua Latina quinto, inquiens. *Herculi decima data eſt ab eo, quod ſacrificio quodam ſanatur, id eſt, vt ſari lege ſit, id dicitur.* Hæc ille. ſed & plerique diuitum decimam ſuorũ bonorum Herculi conſecrabant; ſic enim Plutarchus in quæſtionibus Romanis. *Cur multi diuitum Herculi decimam ſuorum bonorum conſecrant? An quod is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem depoſuit? Aut quod effecit, ne Romani porro decimas Hetruſcis penderent?* Hæc ille. diſcimus è Tertulliani Apologetico, tot, tantasq́ olim Salyis decimas, quæ dabãtur, fuiſſe, vt eas principibus publicanorum maximo pretio locarent. *Salijs*, ait ille, *cœnaturis creditor erit neceſſarius Herculanarum decimarum.*

De Arabibus ita Plinius libri duodecimi capite decimo quarto. *Alexandro, ait, magno in pueritia ſine parſimonia thura ingerenti aris pædagogus Leonidas dixerat, vt illo modo, cum deuiciſſet thuriferas gentes, ſupplicaret. At ille Arabia potitus thure onuſtam nauim miſit ei, exhortans, vt large deos adoraret. thus collectum Sabotham camelis conuehitur, porta ad id vna patente digredi via capitale leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, menſura non pondere ſacerdotes capiunt, nec ante mercari licet.* Et mox. *ſunt, & quæ ſacerdotibus dantur portiones.* Et capite decimo nono loquens de cinnamomo. *Sarmenta haſta diuidit ſacerdos, Deoq́ue partem ponit, reliquam mercator in partem ponit.*

Sed quando aliqua horum videntur à volentibus, ac ſponte vouentibus inter aliquas gentes oblata, neque exigi ſolita apud omnes, illud certum, ſacerdotibus publicis minoribus è publico conſtitutum fuiſſe vnde ſe alerent, aut certos ijs reditus fuiſſe aſsignatos. quod inter Aegyptios ita ſolitum fuiſſe liquet è Gen. cap. 47. & inter Arabas, ex eo, quod ſupra adduximus. Inter Romanos è Liuij libro primo, Tacito annalium quarto. Inter Græcos, ex ijs, quæ Xenophon, & alij tradiderunt de Repub. Athenienſium, & Lacedæmoniorum. & de Romanis Dionyſius lib. 2.

E ſacrificiis certe, quæ plurima antiquis erant, cum tota animalia ab eorum pleriſque haud cremarentur, ſacerdotes abunde habebant, atque è libis, vnde alerentur. Ad quæ omnia cõprobanda cum poſſet innumera proferri, ex Homero & aliis, pauca ſatis erat adduxiſſe è Dionyſio Halicarnaſſeo, qui ſic libro

bro 2. cum narraſſet à Ro nulo conſtitutum fuiſſe, vt è ſingulis curiis ſacerdotes eligerentur, qui virtute, ac genere præcellerent, iiſque immunes, atque exempti eſſent, addit hæc verba. *Præterea vatem vnum ex quaque tribu ſacris intereſſe ſtatuit, quem nos ἱεροσκόπον, ipſi minimum quiddam ex appellatione priſca ſeruantes nominant aruſpicem. de ſacerdotibus autem, eorumque miniſtris legem tulit, eligi eos à ſuis curijs, quam electionem ita demum ratam haberi, ſi comprobata fuiſſet ab auguribus. deorum cultu ſic conſtituto rurſus ſacra, vt iam dixi, ſua cuique curiæ partitus eſt, aſſignatis in ſingulas dijs, & dæmonibus, quos perpetuo colerent: ſumptusque in hoc attribuit ex ærario publico.* (en quod aſſerimus,) *quæ quoties celebrarentur, aderant curiæ ſuis vicibus. epulumque diebus feſtis præbebatur curialibus in aula cuique, curiæque propria; & præter has ſacratum eſt commune quoddam omnibus curijs cœnaculum, qualia Græcis Prytanea ſunt; aulæ quoque ipſæ nominabantur curiæ, quod nomen etiam hodie retinent. Hoc inſtitutum videtur mihi deſumpſiſſe à Lacedæmonijs phiditia ſua tum ex more frequentantibus, quem Lycurgas à Cretenſibus mutuatus videtur magno ſuæ ciuitatis commodo. nam hoc pacto ciues pacis tempore ad frugalem vitam, & moderatum victum inſtituit: ita militia vero pudorem eis ingeſſit, ne quis manipularem ſuum deſereret ſacrorum, ac libaminum participem. neque in his ſolum rebus laudanda eſt Romuli ſapientia; verum etiam, quod lege ſanxit, ſacrificia deorum debere eſſe frugalia: quorum pleraque ad noſtram ætatem permanent, tametſi non omnia priſcum ritum obtinent. ipſe certe ſpectaui in ſacris ædibus cœnas dijs appoſitas in menſis ligneis antiqui operis, pultemque in caniſtris, & quadrulis fictilibus; far item, & liba, fructuumque quorumdam primitias, & huiuſmodi cætera exilia, paratuque facilia omni moroſa curioſitate carentia: item libari vidi non argenteis, aureiſue poculis, ſed culignis, & ampullis teſtaceis, multum delectatus hominum in ritu patrio conſtantia nihil ex antiquis ſacris in hunc luxum noſtrum demutantium.* Hæc ille. è quibus agnoſcimus, alimenta abunde ſacerdotibus fuiſſe olim è ſacrificijs, oblationibus, primitiis, ac libis. Conuiuia porro hæc emanarunt ab ipſis primis parentibus, qui vna cum ſuis liberis ad eandem menſam comedebant. Retenta ſunt à pleriſque gentibus, vt de Aegyptiis teſtatur Herodotus libro ſecundo, de Spartanis, & Cretenſibus hoc loco Dionyſius, & notauit Philoſophus politici ſeptimi capite decimo, & Valerius

maximus libri ſecundi cap. de modo comedendi. *Erant autem,* inquit, *adeo continentia attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus, quam panis eſſet. ideoque in ſacrificijs mola, qua vocabatur, ex farre, & ſale conſtat. exta farre ſparguntur, & pullis, quibus auſpicia petuntur, puls obijcitur: primitus enim ex libamentis victus ſui deo eo efficacius, quo ſimplicius, placabant.* Illud porro in vniuerſum liquet è ſuperioribus, fuiſſe abunde olim ſacerdotibus, vnde è publicis, priuatiſque ſingulorum rebus oblatis alerentur, ſuumque ſtatum poſſent decentiſsime tueri, quin rem declinaſſe in luxum vituperandum. hinc Horatius in odis.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc ſaliaribus
Ornare puluinar deorum
Tempus erit dapibus ſodales

Hinc aliud prouerbium, cœnæ pontificales, Horatius in odis.

Pontificum potiore cœnis.

Macrobius libro Saturnalium tertio. deſcribit huiuſmodi quandam cœnam. Plautus in Menæchmis de cerealibus minorum ſacerdotum cœnis.

Cerealibus cœnas dat, ita menſam extruxit.
Tantas patinarias ſtrues concinnat.

Et Ariſtippus reprehenſus, quod nimium ſumptuoſe viueret, reſpondit. *Si hoc eſſet crimen, dij non paterentur in ſuis ſacris.* Hæc ille, ſiue Græcus, ſiue Cyrenaicus.

Aegyptij ſic olim regios reditus diuidebant, vt prima pars eſſet ſacerdotum, ſecunda regis, tertia militum. quod ſupra adducto loco tradit Diodorus. addit ſtromatum quinto S. Clemens Alexandrinus præfuiſſe vectigalibus ſacerdotem, primoſque ijs honores fuiſſe.

Quantus porro honos, ac poteſtas in ſingulis quibuſque rerum ſuarum tranſigendis dederint minoribus ſacerdotibus cunctæ gentes, non meis verbis edocebo. Sic igitur Arnobius libro quarto aduerſus gentes. *Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium, magiſtratuumque collegia, Pontifices maximi, & maximi Curiones: ſedent quindecim viri laureati, & Diales cum apicibus flamines: ſedent augures interpretes diuinæ mentis, & voluntatis, necnon & caſtæ virgines perpetui nutrices & conſeruatrices ignis.* Et Plutarchus libello, philoſophandum eſſe cum principibus. *Sacerdotibus,* inquit, *ciuitates honores habent,*

eosque

eosque venerantur, quod bona à dijs non ſibi tantum, ſuiſque amicis, & familiaribus, ſed in commune omnibus ciuibus precantur. & vero ij deos non faciunt bonorum largitores; ſed cum tales ſint ſuapte natura eos obſecrant. Hucuſque Plutarchus de ſingulis quibusque omnium gentium ſacerdotibus loquens. Sed videamus apud omnes gentes id fuiſſe in more poſitum, vt nihil omnino vllus ageret vlla in re, niſi de conſilio ſacerdotis enunciantis diuinam voluntatem, cui ſciebant, credebantque omnes eſſe obediendum, propter illud primum iuris naturalis principium practicum, Deus eſt præ cunctis amandus. Amor vero eſt in hoc, vt amantis, amatique ſit eadem voluntas; idem velit vterque, neque alter ſine alterius voluntate quidquam moliatur. Et quoniam diuina voluntas pendet à Dei libertate ſupernaturali, neque eſt, qui poſſit aſſequi illam, niſi quantum Deus eam cælitibus aperit, prout ipſi placuerit: hinc variis illam modis antiqui exquirebant. Nos exquirimus per Chriſtum, cui Deus omnia creata aperuit; eſt namque agnus ab origine mundi occiſus aperiens omnia ſignacula potentię, ſcientiæ, bonitatiſque æternæ, vt recte inquiramus, impreſſum eſt ſignaculum participans nobis intime potentiam, ſciẽtiam, voluntatemque cæleſtem, ſi puri fuerimus, Chriſtusque nobis elargiri dignetur tum ſcientiam, tum ſapientiam ſupernaturalem, de qua ſupra è Sanctis Paulo, & Thoma dicebamus. Verum propoſitum confirmemus, ac ſimus contenti, vnum, qui cuncta adhoc pertinentia collegit, teſtem citaſſe; ſic igitur libro de diuinatione primo Tullius. *Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant: vt enim ſapere, ſic diuinare regale ducebant; vt teſtis eſt noſtra ciuitas, in qua & Reges augures, & poſtea priuati eodem ſacerdotio prædicti Rempub. religionum auctoritate rexerunt, eaque diuinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta eſt; ſiquidem & in Gallia Druides ſunt, è quibus ipſe Diuitiacum Heduum hoſpitem tuum, laudatoremque cognoui, qui & naturæ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim augurijs, partim coniectura, quæ eſſent futura, dicebat. & in Perſis augurantur, & diuinant magi, qui congregantur in fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi, quod etiam idem vos quoddam facere Nonis ſolebatis, nec quiſquam Rex Perſarum poteſt eſſe, qui non ante Magorum diſciplinam, ſcientiamque perceperit. licet autem videre, &*

genera

genera quædam,& nationes huic ſcientiæ deditas.Teleſinus in Caria eſt, quæ in Vrbe excellit haruſpicum diſciplina. Item Elis in Peloponneſo familias duas certas habet Iamidarum vnam, alteram Glutidarum, haruſpicinæ nobilitate præſtantes. in Syria Chaldæi cognitione aſtrorum ſolertiaq; ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cælo tacta ſcientiſſime animaduertit: eademque interpretatur, quid quibus oſtendatur monſtris & portentis. Quocirca bene apud maiores noſtros ſenatus tunc, cum florebat imperium, decreuit, vt de Principum filÿs ſex ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderētur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate adduceretur ad mercedem, atque quæſtum, Phryges autem, & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio auium ſignificationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Vmbria accepimus. Et mox. *Athenienſes omnibus ſemper publicis conſilÿs diuinos quoſdam Sacerdotes, quos Mantes vocabant, adhibuerunt; & Lacedæmonÿ Regibus ſuis augurem aſſeſſorem dederunt: itemque ſenibus (ſic enim conſilium publicum appellant) augurem intereſſe voluerunt; idemque de rebus maioribus ſemper, aut Delphis oraculum, aut ab Ammone, aut à Dodona petebat.* Hæc Cicero. è quibus liquet à ſingulis quibuſque gentibus exploratam ſemper in ſingulis, quibusque agendis voluntatem diuinam per Sacerdotes. Sed veluti in hoc vltimo conueniebant; ſic diſſentiebant in modo, vt ſciamus primum iuris eſſe naturalis, atque immobilis, ſecundum non ita. Poſſumus huc innumera ad idem confirmandum producere ex Homero, Herodoto, Strabone, Thucydide, Liuio, & aliis Valerius Maximus, quantum ſpectat ad Romanos, poſt Tullium libro ſecundo de diuinatione exempla multa narrat libro primo, quibus oſtendit à Sacerdotibus multos magiſtratu priuatos, atque Imperio, quod rite haud factos aſſerebant.

Quamobrem ſic ille capite primo, cum Bibaculi, & Aluiani exempla commemorat. *Omnia namque,* ait, *poſt religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit, etiam in quibus ſummæ maieſtatis conſpici decus voluit: quapropter non dubitauerunt ſacris imperia ſeruire, ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene vtque conſtanter fuiſſent famulata.* Hæc ille. Amplius autem cunctæ gentes conuenere in hanc ſententiam, eſſe vnum Deum Regem deorum, atque hominum, qui ſolus omnia poſſet, ac moderetur, & quem paſſim

ſim vocabant omnipotentem. quin ſapientiſsimi illarum per manus à maioribus illud quaſi acceptum poſteris tradiderunt eſſe Trinitatem: præterea vero fore, vt Deus fieret homo, & cuncta moderaretur, quæ reſeruamus latius explicanda in hiſtoria vniuerſali antiquitatum.

His explicatis apparent multa ad propoſitum noſtrum probata.

Primumque eſt abortu mundi ſemper apud omnes gentes eiſdem fuiſſe primum quidem Sacerdotes, dein vero omnium Reges, Regiamque poteſtatem fuiſſe effectum, & germen Sacerdotalis poteſtatis.

Secundum. Sacerdotes minores fuiſſe liberos, atque exemptos à publicis oneribus, ac tributis, vt ſcilicet vacarent cæleſtibus, ac diuinis publicæ vtilitatis cauſa.

Tertium. Loca, & res quaslibet Sacerdotum diuino cultui dedicatorum fuiſſe, & ipſas liberas, atque exemptas ab omni ſæcularium poteſtate, ac Sacerdotibus prima quæque, & optima in rebus, & honoribus data.

Quartum, nihil olim tranſigi conſueſſe apud gentes niſi explorata, & annunciata per Sacerdotes diuina voluntate.

E quibus conficitur Eccleſiaſticam, ſiue Sacerdotalem poteſtatem, libertatemq; quoad perſonas, loca, resque perſonis illis ſeruientes iure naturali gentiumque primæuo eſſe in omnibus, tam ſacris, quam profanis ſupra omnem mortalium poteſtatem, iuſque hoc ab omnibus maxime cuſtodiẽdum, quod per illud ſtent omnia bona externa, corporis, atque animi prouenientia ad nos à libera voluntate, ac poteſtate ſupernaturali ipſius Dei propter eſſentialem ſubordinationem inferioris ad ſuperius inter illa quatuor, Deum, animam, corpus, ſenſibilia externa, quod operis proœmio, & capite primo dicebamus.

Primo namque illa ſunt iuris naturalis, ac primæui gentium, quæ proceſſerunt vna cum genere humano, vt aiebat Caius l. 1. ff. de acquir. rerum dominio. §. ſingulorum. Inſt. de rerum diuiſione, ſed vt Sacerdotes, ſiue Deo conſecrati, cunctis tam ſacris, quam ſæcularibus rebus imperent, omnia loca, resque diuino cultui deſtinata, vel his ſeruientes ſint exẽptæ à quauis alia poteſtate proceſſerunt vna cum genere humano: ergo ſunt iuris naturalis, ac primæui gentium.

Secundo. Quæcumque apud omnes gentes peræque cuſtodita

dita ſunt ab ortu ipſarum, ſunt iuris naturalis gentium primæui.l.ex hoc de iur.natur.gentium.§.quod vero.Inſtit. de rerum diuiſione.Talia ſunt, vti vidimus, ſuperiora: ſunt igitur iuris naturalis gentium primæui.

Tertio, quæcumque immobilia ſunt apud omnes gentes, & immobiliter obſeruata, ſunt iuris maxime hominibus naturalis. huiuſmodi ſunt quæ commemorauimus, vti eſt abunde probatum: ſunt ergo iuris maxime hominibus naturalis. Maior probatur ex Philoſopho Ethici quinti cap.7. *Quidnam autem ſit quod natura eſt, ex ijs, quæ poſſunt aliter ſeſe habere, & quid non natura; ſed lege, & inſtitutione, ſiquidem vtraque mobilia ſimili modo ſunt, perſpicuum eſt: & in alijs quoque eadem determinatio accommodabitur. natura enim dextra manus potior eſt, licet fieri poſſit, vt omnes ambidextri ſint: iura vero ex inſtitutione, & vtilitate ſimilia menſuris ſunt; non enim vbique ſunt vinariæ, & frumentariæ menſuræ; ſed maiores ſunt, vbi emunt: vbi vendunt, minores. ſimili modo non naturalia, ſed humana iura non eadem vbique ſunt, nam neque reſp. apud omnes eſt eadem ſed vna tantum vbique ea eſt ſecundum naturam, quæ optima eſt. vnumquodque autem ius, & legitimum, vt vniuerſale ſe habet ad particularia: nam quæ aguntur multa ſunt, illorumque vnumquodque eſt vnum: vniuerſale enim eſt apud omnes gentes vnum, quod optimum quoque eſt, & omnibus vniuerſale.* Hæc ille. cum vero gentes diſſenſerint in duobus. Primumque eſt quod diuinitatem multi attribuerent ijs, quibus non erat attribuenda. Secundum quod multa non attribuenda attribuerent diuinitati: in his tamen omnes conueniebant, de voluntate Dei per Sacerdotes annunciata quiduis tranſigendũ. Sacerdotibus Regiam, ſupremamque in omnia poteſtatem deberi. In templis eſſe cuilibet tutum perfugium, tutamq; rebus cuſtodiam. Viros Deo dedicatos reſque illis ſeruientes eſſe immunes, atque exemptas.

Quarto illud eſt iuris maxime omnium naturalis, quod eſt iuxta omnium gentium maxime vero ſapientiorum leges, ac primæua ab ortu mundi inſtituta. Atqui, vti oſtendimus, huiuſmodi ſunt, quæ aſſeruimus. ſunt itaque maxime omnium iuris naturalis. adde notata pag. fin. inter errata ib; 550. 31. ad verbum

Ex his vero fit, hæc omnium maxime obſeruanda. Nam qui iſta non obſeruat, vel neceſſe eſt, ſit omnium gentium, ſapientiorumque ſapientiſsimus; vel omnino contra. primum

non

non poteſt eſſe: omnes enim ſapientiſsimi iſta obſeruarunt, ac plerumque omnium feliciſsimi fuerunt, quod ſcientibus eſt notum, ſummatimque infra oſtendetur. Eſt igitur inſipientiſsimus omnium, quicumque iſta haud obſeruat.

Secundo. Neceſſe eſt, quicumque iſta infringit, ſit omnium ſuperbiſsimus, quippe qui ſe exiſtimet plus videre, quam cunctæ gentes, omniumque gentium ſapientiſsimi, ac ſapientiæ primi omnium magiſtri, & aſſertores.

Tertio dicet aliquis, neceſſe eſt iſte dæmonibus ſit addictus. Vt enim cognouimus ab initio Deus hæc ſanxit, ſæpius renouauit in lege naturæ, in lege ſcripta, & in lege gratiæ. & omnes gentes hoc teſtificantur, & conueniunt ad hoc teſtificandum.

Quarto. Chriſtus ideo venit, non vt leges iuris naturalis, vel conſonas iuri naturali tolleret, vel infirmaret; ſed vt perficeret, ac maximè præceptis ſuis corroboraret, quod habetur Matthæi cap. 5. & 12. Lucæ 12. ad Romanos capite 2. ac Theologi omnes concludunt. Gratia namque non tollit, ſed perficit naturam. Igitur has leges maxime perfecit, ſuiſque legibus corroborauit. #

Quinto. Leges, vel iuris naturalis primæui, vel illi conſonas adeo Chriſtus confirmauit, vt multo maiora à nobis requirat. Nam ſic Matthæi cap. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnũ cælorum.* Et mox. *Si enim diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem, accipitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?*

Sexto. cum gentes olim iura naturalia ſeruantes adiuuante gratia ſaluari, atque æternam beatitudinem conſequi poſſent, quamuis Iudæorum ritus non ſequerentur, horumque ſacerdotibus, aut Pontifici ſummo ſubiecti non eſſent, vt conſtat è cap. 2. epiſtolæ ad Romanos, & ibi Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, & Græci, Dionyſius Areopagita de cæleſti hierarchia, cap. 10. Thomas 2.2. quæſt. 2. art. 7. Chriſtus venit, vt in vnam fidem, ſpiritum, ſacroſque ritus omne humanum genus coniungeret, ac faceret tam Iudæos, quàm reliquos vnum cœtum, ſiue Eccleſiam, cuius foret ipſe angularis lapis, qui duos parietes connecteret, quorum fundamenta vicaria ſunt Apoſtoli, ait Sanctus Paulus ad Epheſ. cap. 2. ac denique fieret vnũ ouile, & vnus paſtor in terris è pluribus, quod intelligi de ſacerdotibus, Epiſcopis, Epiſcoporũq; ſummo tum multi alij, tum maximè tradit Sanctus Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, & epi. 76. #

Quocirca poteſtas omnis, immunitasque ſacerdotum, Pontificumque regia, quæ inter Iudæos, & inter gentes erat, cæteraque iuris naturalis primæui, aut illi conſentientia, ſacerdotibusque gentium, vel Iudæorum data cælitus beneficia translata ſunt per Chriſtum in ipſius vicarios, & ſacerdotes. Quod probatur omnibus ijs ſanctæ ſcripturæ locis, & argumentis à ratione naturali deſumptis, quibus demonſtratur opus eſſe, vt vnus ſit princeps, cui poteſtas omnis, quæ dari hominibus poteſt, aut datur, vni detur: ne ſint duo principia, vel duo fines naturalium rerum.

Illud autem memorabile admodum ſit, ac ſimul admirabile. Eodem tempore, quo Deus præſignificauit fore, vt omnis poteſtas temporalis, atque æterna; ſæcularis, & ſacra; regia, & ſacerdotalis (vt nihil non ſacrum foret) in vnum hominē conuenirent, & diuinitus coniungerentur, in Chriſtum ſcilicet, ac per Chriſtum in eius vicarios, & à ſe inſtitutos miniſtros, imagineque diuinitatis, ac figura diuinæ naturæ, potentiæ, ſapientiæ, bonitatisque participata inſignitos; eodem inquam tempore dæmon ex alia parte idem conatus eſt inter gentes, a puro, veroque Dei cultu alienas, quin inter ipſos etiam Iudæos translata omni rerum temporalium, ſacrarumque poteſtate inter gentes in Auguſtum, inter Iudæos vero in Herodem, quamuis hic in ſpeciem voluerit eſſe alium Pontificem ſummum, qui tamen omnino ab ipſo penderet: & quod nullo modo eſt omittendum, tam Auguſtus, quàm Herodes ambo fuere bonis, ac malis artibus inſtructiſsimi, vt fucum facerent hominibus imperitis, ac dolis abriperent, quo volebant.

Anno namque, vt multi numerant ab Vrbe condita ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Octauianus Cæſar Antonio ad Actium deuicto ex Senatuſconſulto Auguſtus, ſeu ſacer vocatus; vt notat Dion, Cenſorinus, Suetonius, Eutropius, ipſo Octauiano ſextum, vel ſeptimum, Agrippa tertium Coſſ. quid ſit nomen Auguſti, ſcribit Ouidius in faſtis ita canens.

Sacra vocant Auguſta patres, Auguſta vocantur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque ſua Iuppiter auget ope.

Rurſus anno ab Vrbe condita ſeptingenteſimo quadrageſimo, cum M. Lepidus Pontifex maximus obijſſet, ad eundem delatus

cus eſt Pontificatus maximus, vt Dio, Suetoniusque teſtantur: hinc Ouidius faſtorum quarto.

Cæſaris innumeris, quos maluit ipſe mereri
Acceſsit titulis Pontificalis honor.

Ex altera autem parte Herodes Idumæus eodem, quo victus eſt Antonius anno, per ſummum ſcelus interfecit Hircanum ſocerum ſuum Pontificem maximum è tribu Leui, genereque Machabæorum; præterea vero Ariſtobolum Regis filium, nepotemque Hircani Pontificem ſimiliter maximum ſuffocauit, quod Ioſephus libro 15. capite ſeptimo narrat. Quin ab eodem fuiſſe ſublatum collegium ſeptuaginta duorum Euſebius in chronico tradit.

Natus eſt autem Chriſtus anno imperantis Auguſti quadrageſimo primo, vt volunt poſt Euſebium, Epiphanius, Chryſoſtomus, Oroſius, Beda, Herodis viceſimo nono. Cum vero placeat multis numerare annos Auguſti ab initio triumuiratus, quod contigiſſe affirmāt anno Vrbis ſeptingenteſimo decimo. Patet Auguſto delatum Pōtificatum fuiſſe & ab Herode occiſos fuiſſe ſcribas, inquit Euſebius, & interpretes diuinæ legis anno vno ante Chriſtum natū, ſiue eodē forſan quo conceptus eſt, ac regiam, maximamque in omnia poteſtatem diuinitus accepit, vt ſupra aperuimus libro ſecundo; cum ſexto decimo ante eundem dictus fuiſſet Auguſtus, quo & Herodes occidit Hircanum; templumque magnificentiſsimum conſtruxit, habitus à nonnullis pro Chriſto. vt contemplemur, quot, & quantis dolis dæmon illudere ſemper hominibus conetur; & eodem tempore eadem molitur, quæ Deus, & ſpecie boni mortales decipiat, atque in ruinas trahat, coniungens in eandem perſonam, nempe in Auguſtum ſimul regiam, ſacerdotalemque poteſtatem toto cognito orbe inter gentes diffuſam tempore eodem, quo Chriſtus eſt conceptus; præterea in Herodem inter Iudæos maxime illam transferens, vt ſimul oraculorum prædictiones ad hos transferret: cum nihil magis toto orbe tum diuulgatum foret, quam cælitus mittendum Regem Dei filium, qui toti orbi dominaretur, eumque pacaret, & humana ſcelera expiaret, ita vt ab ipſis paſtoribus hæc Vates Latinus decantata proponat.

Iam noua progenies cælo demittitur alto
De duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Ille Deum vitam accipiet, diuiſque videbit
Permixtos heroas, & ipſe videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.
Aggredere ò magnos, aderit iam tempus, honores
Cara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum.

Nihil æque ſcilicet impius dæmon obſcurare, & adumbrare ſimul nititur, quam veritatem, de qua agimus, Pontifici ſummo, & ſacerdotibus Chriſti miniſtris à Chriſto ordinatis, in ſingulis quibusque rebus, & actionibus ſubiecta, & ſubordinata eſſe regna omnia, poteſtatesque omnes omnium mortalium deducendas per ſalutarem doctrinam, legesque & omnem rectum modum ad Chriſti, Deique fidem, ſpem, ſummumque amorem:

Late probatur Hebræorum ſacerdotibus ab Abrahamo vſq; ad Chriſtum fuiſſe à pleriſq; omnibus Regibus inimiciſſimarũ gentium conſeruatam ſuã libertatẽ, regiamque in ſuos poteſtatem, ab Amorrhæis ſcilicet Philiſthæis, Aegyptijs, Syris, Idumæis, Babylonijs, Perſis, Græcis, Romanis, atque innumeris horum poteſtati ſubiectis populis admirabili quadam prouidentia Dei. E quibus conficitur eſſe æterni, immutabilis, ac naturalis iuris eccleſiaſticorum Præſulum in ſuos regiam poteſtatem, libertatemque, quoad perſonas, loca, & res ſacras, neq; imminui iure ordinario poſſe per ipſum Pontificem ſummum. Cap. V.

SEd antequam progrediamur adhuc admirabiliora multo, niſi fallimur, ex omni æuo vſq; ad Imperatorem Conſtantinum nobis explicanda ſunt, in quibus Dei voluntas, prouidentiaque eluceſcit, omnino contendentis, vt immunitas eccleſiaſticarum perſonarum, locorum, rerumque omnium ad illas ſpectantium quomodocumque, vt apparebit, prorſus illæſa, atque illibata

bata ſit apud omnes gentes. Primumq; ſit illud, exteras gẽtes, & alienas à religione Hebræorum, & mox etiam Chriſtianorũ: tamen his immunitatem ſacerdotum plerumq; ſemper quoad illa tria, de quibus agimus, incolumem reliquiſſe. Idque actum fuiſſe maxime à melioribus, & ſapientioribus, ſiue gentibus, ſiue Regibus. Diximus ſupra è S. Thoma, Hebræos fuiſſe inſtar religioſorum cæteris gentibus, quod innumeris poſſet argumentis confirmari, omittimus iſtud. Nam vere apud Hebræos locum ſacerdotij tenebant Leuitæ Rep. iam conſtituta, vel quicumque ſeſe cultui diuino conſecraſſent, vt Prophetæ, Nazaręi, & Oblati. antea quidẽ de cunctis Hebræis illud magis poterat affirmari. inſpiciamus itaque propoſitam veritatem.

Supra quidẽ lib. quarti initio, explicãtes verſiculũ pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* oſtendimus haud licuiſſe vllis tangere vllas res Abrahã, Iſaac, & Iacob, quod vncti eſſent, ác præ reliquis potiſsimum ſpeciales Dei ſacerdotes. Idcirco Pharao Rex Aegyptiorum: quamuis inſcius in domũ ſuam adduxiſſet Sarai vxorẽ Abrahami nulla adhibita vi; tamen à Deo grauiter eſt cum omni domo ſua perculſus, idemque accidit Abimelech Regi Philiſtæorum, & Geraræ. Præterea vero idem Abraham bellum mouit aduerſus quatuor illos Reges, eorumque ſupremum Ælan, ſiue Perſarum, bellum autẽ mouere nõ poſſunt, etiam iuſtis de cauſis ~~non poſſunt~~, niſi qui nemini ſunt ſubiecti, quamuis damnum paſsi ſint. ad bella enim iuſte mouenda eſt neceſſe, vt adſit non ſolum iuſta cauſa; ſed etiam regia quædam, ſiue ſuprema poteſtas, vel à ſuprema deſcendẽs. iuſta cauſa eſt ablatum ius, quod non niſi bello moto recuperari poteſt; & idcirco tertiam requirunt, vt monitio præceſſerit expoſcentis ablata ſibi reſtitui, quod niſi fiat, tum bellum moueri poteſt. quamuis omitti hæc aliquando poſsit, cum nihil proficeret, idque eſt certiſsimum, vel res non patitur vllam dilationem, ſeu moram. Rurſus cum Abraham peregrinaretur in terra Amorrhæorum in Hebron, principes eius loci Mambre, Eſchol, & Anec fœdus cum Abraham percuſſerunt, eumq; reueriti ſunt, vti maiorem ſacerdotem, quod habetur Gen. cap. 14. hinc cap. 23. ſic ad ipſum Hethæi. *Audi nos domine, princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum; nullusque te prohibere poterit, quin in monumentis eius ſepelias mortuum tuũ.* Similiter cum Iſaac eſſet in terra Palæſtinorum, Rex Abimelech

lech vetuit ei quidquam moleſtiæ afferri, quamuis cum fodiſſet in terra ipſorum puteos, illi, quod eſſet ipſorum terra illa, obſtruxerunt eos; & nihilominus rebus ipſius nihil eſt nocumenti illatum, vel ab ipſo exactum quidquam licet in territorio Regis illius abunde ſeuiſſet, ac locupletatus eſſet. Rexque cum ipſo fœdus voluit inire, cum ſuis inquiens ad eum. Geneſis cap. 26. *Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus; ſit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet; ſed cum pace dimiſimus auctum cum benedictione Domini*. Hæc illi. Atque hæc quidem quantum ad Iſaac. Iacob autem filius eius cum perſequeretur eum Laban Syrus, à Deo meruit defendi, neque hic quidquam potuit in ipſum Dei iuſſionibus perterritus & cohibitus, neque, niſi venia petita voluit inquirere res ſuas. Amplius cum Eſau Idumæus cum pluribus ſuis armatus, & quaſi exercitũ ducẽs, pergeret aduerſus Iacobum fratrẽ ſuũ malo animo, quaſi illius omnia perditurus, vlturusq; fraudẽ ſibi, vt putabat, factam in ſurripienda benedictione, & iuribus primogenituræ, Deus id non permiſit, mutauit irati mentem. Similiter etiam cum populi finitimi ob cæſos iniuſte Sichimitas nihil non moliri in Iacobum, vel ipſius filios Ruben, & Leui, cæteroſque his adhęrentes, qui in occidẽdis Sichimitis delicti fuerant conſortes, omni iure poſſent, nihil tamen auſi ſunt, non alio ſane reſpectu, niſi diuini timoris.

Poſt hæc tam ipſe, quam liberi ipſius habitauerunt in ijs locis non modo vti immunes, ſed etiam vti Reges, quod ex eo conſtat. Nam cum Iudæ Iacobi filio nurus eſſet nomine Thamar vxor primogeniti Ner, ac ſuſpicio foret incidiſſe illã in adulterium, quod pregnãs eſſet, Iudas dixit, *Producite eam, vt comburatur; quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens de viro, cuius hæc ſunt, concepi, cognoſce cuius ſit annulus, & armilla, & baculus, qui agnitis muneribus, ait, iuſtior me eſt.* Hæc ibi. è quibus dignoſcimus Regiam poteſtatem fuiſſe poſteris Iſaac, & Abrahami in ijs locis licet alienis, & extero Regi ſubiectis. Thamar enim filia erat hominis Chananæi, ac tunc vidua erat, & habitabat in domo paterna, & nihilominus Iudæ ius erat eam ſupplicio capitali, & infami punire, atque ex illo liberare, non alia de cauſa, quod liberis Abrahami, & Iſaac licet in alieno territorio tamquam viris Deo ſpeciatim conſecratis erat Regia poteſtas in eos, qui vel

ſer-

ſeruiebant, vel erant de ipſorum familia.

Poſt hæc Ioſeph in Aegyptum ductus eſt, & omnia ſummo imperio moderatus eſt loco Pharaonis, cuius eo tempore latiſsimæ ditiones erant, vt ſuo loco aperietur in vniuerſali Hiſtoria antiquitatum, non alia ſanè de cauſa, niſi quod ſpiritu Dei plenus eſſet, ac diuinandi peritus, quod Sacerdotum præcipuum munus erat, neque ſolum per ſomnia, ſed etiam per alia, quod habetur cap. Geneſeos. 44. Patribus vero ipſius aſsignata eſt terra Geſſen, & Rhames optima paſcẽdis pecoribus, ac libera ab omni onere, quamuis cuncti Ægyptij coacti fuerunt Regi terras vendere, quintamque partem è redditibus illius eidem Regi ſoluere, ad quod non ſunt compulſi Hebræi, quod alerentur omnes ab ipſo Ioſepho, neque quidquam perſoluere cogerentur ob alimenta, vt legimus cap. 47.

Donec Ioſeph poſt annos centum & decem ætatis, ſiue nonaginta quatuor, ex quo ingreſſus eſt Aegyptum, ſuperſtitibus fratrum nonnullis eſt defunctus, defunctique poſtea ſunt fratres, & cuncti, qui Ioſephum viderant, ac Pharao ſæuiſsimam commouit in Hebræos perſecutionem quæ durauit aliquot annos. illud eam leniit, quod Moyſes educatus in aula Regia fuit à filia Pharaonis adoptatus filius, vt habetur primo, & ſecundo capite Geneſeos; quin miſſus eſt cum exercitu aduerſus Aethiopas, eoſque debellauit & Hebræorum religioni, ritibusque adiunxit, vt tradit Ioſephus libri 2. antiquitatum cap. 10. Sed cum poſtea metuens ſibi Moyſes à Pharaone, & Aegyptiis emigraſſet in ſolitudinem ſecedens, quanta per illum Deus effecerit ad tuendam populi Hebræi religioſam poteſtatem, & libertatem cunctis eſt notum. Dimiſsio pacata, & tranquilla efflagitabatur ipſius religionis gratia, ſic enim capite Exodi quinto. *Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto.* A virga autem Moyſis deſignatam fuiſſe Sacerdotalem, Regiãque poteſtatẽ, ſicuti quoque ab ipſo Moyſe, diximus ſupra ad finem tertij libri; ex quo etiam patet, poſt egreſſum quænam, quantaque fuerit à Deo Sacerdotibus attributa poteſtas. Illud hic adiicimus. cum ſæpius adducti fuerint Hebræi temporibus Iudicum in alienigenarum poteſtatem, numquam tamen legimus fuiſſe ablata Sacerdotibus, quæ debebantur ex lege. Nam neque arca, tabernaculũq; fuere vnquam violata ab exteris neque ſacrifi-

crificia ſublata, primitiarum, decimarumque ſolutiones, aut quidquid ad Sacerdotes eorumque immunitates, & poteſtatem ex lege pertinebat tributis exceptis, aut violenta Regum coercitione in populum. Cônſtatque e primi Paralipomenon capite ſexto, Pontificum ſucceſsionem perſtitiſſe etiamſi populus grauiora tributa alienigenis penderet, iiſque ſeruiret. Similiter perſtitiſſe Regum tempore Sacerdotalem poteſtatem diſſeruimus late adducto à nobis loco. hic aliqua ſunt addenda.

Primumque eſt apud extraneas gentes cuſtoditam fuiſſe illibatamque immunitatem Religioſis Hebræis, quod exemplo Ionæ probatur, qui cum in eadem cum alienigenis naui eſſet; vbi conſpectum fuit, tempeſtate eos iactari, quod ille in naui foret, ac dixiſſet Ionas iis, vt ipſum proijcerent in mare, omnia ſunt experti, ne id facerent, quod non auderent manus iniicere in religioſum, neceſsitate tamen adacti, & ipſo ſe ijs tradente dixerunt, *Quæſumus Domine, ne pereamus in anima viri iſtius, & ne des ſuper nos ſanguinem innocentem, quia tu Domine ſicut voluiſti feciſti.* Hæc illi ſcientes tum ex ſortibus, tum ex ipſius Ionæ confeſsione, hunc eſſe cauſam tempeſtatis ob admiſſum contumaciæ peccatum. E quo facto multa colligimus. Primum non eſſe fas ſæcularibus manus iniicere in religioſos, etiamſi hi velint, cum priuilegio ſuo non poſsint renunciare, quod ſit diuinum, & immutabile iure naturali. Secundum, neque id fas eſſe, etiamſi religioſus ſit certiſsime mortis reus, diuinæque ſit voluntatis, vt morti detur. Tertium, neque fas eſſe, quamuis vitæ, & omnium rerum diſcrimen adeatur ob ipſum. Quartum, tum fas eſſe, cum ſuperiora adſunt, & omnibus tentatis aliter euidens periculum ſuperari non poteſt: nautæ enim poſiti in diſcrimine certo interrogauerunt Ionam dicentes, quaſi ex ipſius ore cognoſcere cupientes, num poſſent aliter euadere, quid faciemus tibi, & mare ceſſabit à nobis? quia mare ibat, & intumeſcebat. & dixit, *Tollite me, & mittite in mare.* Hæc Ionas, & tamen illi poſtea conati ſunt periculum ſuperare. Quintum, neque tamen nautæ Ionam occiderunt, ſed cum mittentes in mare diuinæ prouidentiæ commiſerunt.

Secundum eſt, Samariam decemque tribuum terram non prius habitari potuiſſe, quam fuerit ſubiecta poteſtati Sacerdotali; adeo libertas, ac poteſtas Sacerdotalis quoad bona, & loca, diuini, & immutabilis eſt iuris. Nam cum Salmanaſar captiuos

ptiuos abduxiſſet omnes Hebræos, & in his etiam Sacerdotes e Samaria, tranſtuliſſetque in hanc infideles, ita Deo diſponente ob proculcatam ab ipſis Hebræis religionem, petitumque contra iura Sacerdotalia Regem temporibus Samuelis, vt ait ex ore Dei. Oſeas cap. penult. *Immiſit*, inquit diuina ſcriptura 4. Reg. 17. *in eos Dominus leones, qui interficiebant eos, nunciatumque eſt Regi Aſſyriorum, & dictum, gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ ignorant legitima Dei terræ, & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ.* Tunc adductus eſt ad eos ſacerdos, quę docuit, qui ſpectabant ad religionem, leonesque abſceſſere. quamuis illæ ex parte idololatriam retinuerint. Verumtamen ſi in reliquis diuinæ legi obediebant, vt ſcriptura ſancta teſtatur, oportuit ab incolis datas decimas, primitias, & oblationes Sacerdoti, cæteraque fuiſſe ab iis, quoad obedientiam, præſtita, quæ lex iubet.

Tertium. Cum Ieroboam Rex Iſrael multo ante hæc altare ædificaſſet, immolans aſtante omni populo ſuper illud vitulo à ſe erecto tamquam Deo, acceſsit Propheta, & cunctis audientibus prædixit fore, vt altare concideret, cinis ſuper eum poſitus effunderetur, ac Sacerdotes impij ſuper ipſum necarentur. Ad quæ Rex iratus extenta manu iuſsit apprehendi Sacerdotem, ſed protinus manus exaruit; neque prius eſt ſanata, quam Rex agnito delicto Prophetam precatus eſſet, vt eum ſanaret, quod ita euenit. Ex quo colligimus, adeo diuini iuris eſſe ſacerdotum, ſiue religioſorum poteſtatem, vt primo Deus magis propter ipſum Deum ſcilicet honorari eos velit, & illæſos cuſtodiri, quàm reliqua mandata ſua. Ecce enim manus illa idolis ſacrificabat, & non exaruit; extenta vero in religioſos exaruit. Secundo dexteras Regum, poteſtatemque regiam redigi denique ad nihilum, vbi quid facit, iuſſu, ac geſtu ſolo in religioſos. Tertio, tum demum fieri ſanam, cum ſubiicit ſe ſacerdoti, ſuumque robur ab ipſius poteſtate deſumit. Hæc 3. Regum cap. 13.

Quartum, cum Propheta hic diuinum mandatum violans in Samaria comediſſet, Deus leoni iuſsit, vt eum necaret aſino inſidentem. necauit leo: quo audito hoſpes Prophetæ illuc & ipſe Propheta accedens, inuenit cadauer eius proiectũ in via, *Et aſinum, & leonem ſtantem iuxta cadauer. non comedit leo de cadauere, nec læſit aſinum. Tulit ergo Propheta cadauer viri Dei,*

 ri Dei,

ri Dei, & poſuit cadauer eius in ſepulchro ſuo, & planxerunt eum. Hæc adducto cap. 13. E quibus colligimus. Primo iuris adeo diuini, ac naturalis eſſe immunitatem religioſorum, vt neque efferatiſsimæ beſtiæ diuinitus immiſſæ ad puniendos ipſos religioſos audeant eos violare præter expreſſam Dei voluntatem. Nam leo non attigit defuncti cadauer. Secundo, id adeo verum, vt eædem cuſtodiant aduerſus alios, qui violare eos poſſent. Stabat enim leo cuſtodiens, donec venit, qui cadauer honorifice ſepeliret, ac defleret. Tertio, neque à leone aſinum prophetæ læſum, ſed cuſtoditum: neque enim fruſtra hæc commemorat diuina ſcriptura, quod nimirum quælibet religioſorum res immunitate gaudeant, quamuis nullo honore ſint dignæ, quemadmodum ſunt aſini. Adeo Deus manifeſtiſsimum fieri voluit diuini, naturaliſque eſſe iuris eccleſiaſticam libertatem, quoad perſonas, & res quaſuis. Hæc igitur, quantum ad Samariam, ſeu decem tribus Hebræorum. Quantum ad reliquas duas tribus, illa obſeruanda.

Tempore Nabuchodonoſori templū Domini non fuiſſe amplius templum Domini, ſed omniū idolorū; in eius enim parietibus depicta erant omnium reptilium, colebanturq; à ſeptuaginta virorum, qui præſidebant Iudæis conſeſſu, quod ſcribit Ezechiel cap. 8. *In porta Aquilonari ſedebant mulieres Adonidem flentes, in Orientali vigintiquinque viri inter veſtibulum, & altare obuerſo contra templum dorſo adorantes Solem.* cæteri vero Hebræorum dijs gentium ſacrificabant, filios ſuos immolabant, pro numero ciuitatum deos ſibi conſtituerāt, in ſingulis Hieruſalem portis erant altaria dedicata Baalim, Talpę, & veſpertiliones adorabantur, militiæ cæli ſacrificabatur. quæ tradunt Ieremias cap. 7. & 19. Iſaias 1.7. & 11. Sic itaque neque Hieruſalem, neque templum erant amplius Dei, ſed omnium dæmonum.

Rurſus loca ſingula, ac res, vel ſæcularibus ipſis, vel ſacris hominibus ſeruientes impiis, ac profanis vſibus pollutæ ſunt. ſic enim cap. 17. Deut. *Contaminauerunt terram meam in morticinis idolorum ſuorum, & abominationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam.* Hæc Deus. hæreditas porro Dei, Græce, ac prope Latine eſt, clerus ipſe, ac res ipſi ſeruientes, vt canit primæ tonſuræ clericus è pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Et. *reſtitues hæreditatem meam mihi.* Et. *hæreditas mea præclara eſt mihi.* Et Deus ad Leuitas Num. cap. 18. *Ego pars, & hære-*

ditas

ditas tua. Et Ioſue 18. *Dominus eſt hæreditas eorum.* eſt vero hæreditas propter ſacrificia, resq; Deo dicatas, quę cædũt in vſus ſacerdotum. Præter hæc Hebręi omniũ ſcelerum colluuie cooperti erãt, atq; immerſi. Hinc Iſaias cap. 1. *Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorræ.* Et Oſeas cap. 4. *Maledictũ, & mendaciũ, & homicidiũ, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Hæc illi. Neque tamen Deus ob vltima hæc euertit Hieruſalẽ, ſed ſuſtinuit vſque ob eccleſiaſticam libertatem violatam, quod aperte probatur.

Ioſiæ Regi defuncto, ſuffectus eſt filius Ioachaz, qui captiuus eſt in Ægyptum ductus à Nechao Rege Aegypti, cum regnaſſet menſibus tribus; ac loco illius eſt ſuffectus Eliachim frater, qui & Ioachim; regnauitque annis vndecim, ſucceſsit ei filius Ioachim, qui poſt tres menſes abductus eſt à Nabuchodonoſoro in ſeruitutem, ſubſtitutusque eſt illi Sedechias patruus; qui cum nono regni anno diſceſsiſſet à fide Nabuchodonoſori, inde poſt annos duos captus, erutisque oculis in Babylonẽ fuit abreptus. Hæc capite 23. & ſeq. libri 4. Regum.

Anno primo Ioachim filij Ioſiæ, cum Dei iuſſu Ieremias ſacerdos in atrio templi prædicaret euertendam Hieruſalem, niſi reſipiſcerent Iudæi, & in melius vitam commutarent; ſacerdotes alij, prophetæque eum ceperunt, ac morti eum condemnaſſent, niſi ſeniores eum liberaſſent, atque in his Ahicam filius Saphan, vt habetur cap. 26. Rurſus autem cum prædicaret eadem nono anno Sedeciæ, miſſus eſt in carcerem, parumque abfuit, quin occideretur, ac vix impetrari potuit, vt in veſtibulo carceris detineretur, atque è lacu, in quem fuerat coniectus, adduci poſſet; quæ habẽtur cap. 36. & 37. Vndecimo vero anno regni captus eſt Sedechias Rex, ipſiusque filij iugulati in conſpectu patris, ipſe orbatus eſt oculis. At Saraias ſacerdos primus, & Sophonias ſacerdos ſecundus miſerabiliter interfecti ſunt, diruta Hieruſalem, templum ſubuerſum, cuncta pretioſa in Babylonem ſunt aſportata, nobiles quique abducti captiui. Ieremias liber eſt dimiſſus, ac muneribus honeſtatus; quæ capite vltimo leguntur.

Duabus itaque in rebus maxime eſt ſacra poteſtas, ac libertas violata, quoad templum, & quoad perſonas. Quoad templũ, quia repletũ eſt idolis, ac ſacerdotes id permiſere. Quoad perſonas, ob Ieremiam contra omne fas indigniſsime habitũ,

vixque ab interitu ſeruatum. Sic igitur Hebræi ab omni temporalium rerum felicitate, ceciderunt cum iura eccleſiaſticæ libertatis, ac poteſtatis euertere. Ac ne quis inficiari poſsit ob iſthæc eueniſſe extremam ruinam, notandū nobis eſt, ter fuiſſe à Deo prohibitum Ieremiam, ne preces funderet pro populo, quod apparet cap. 7. & cap. 10. & cap. 14. quin capite 15. vt ipſi auferret omnem ſpem diuini auxilij, dixit Deus. *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eijce illos à facie mea, & egrediantur. quod ſi dixerint ad te, quo egrediemur? dicet ad eos: hæc dices ad eos, qui ad mortem, ad mortem.* Numquam tamen deſtitit, donec præſentiens mala multa, mortemque in ſe ab impiis ſtrui cap. 18. Deo permiſit, non amplius illius iræ ſeſe opponens, vt illam, quoties liberet, in eos effunderet, inquiens. *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da* (ſiquidem placuerit) *filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte; iuuenes eorum confodiantur gladio in prœlio: audiatur clamor de domibus eorum; adduces enim ſuper eos latronem repente, quia foderunt foueam vt caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis. Tu autem domine ſcis omne conſilium eorum aduerſus me in mortem, ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorū à facie tua non deleatur, fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* Hæc ille. qui paulo poſt, quod capite ſequenti apparet, cæſus, atque in carcerem miſſus eſt à Phaſſur filio Emmer ſacerdote, qui conſtitutus erat princeps in templo. Ac tunc Ieremias iterum protulit illa verba. *Domine exercituum probator iuſti, qui vides renes, & cor, videam quæſo vltionem tuā ex eis. Tibi enim reuelaui cauſam meam.* Hæc Ieremias, non ex ſe optans iſta aduerſus Iudæos; verum non amplius ſeſe Dei indignationi opponēs. Ex quo contigit, vt Deus nō modo Hebræos grauiſsime puniret, ac ſacerdotes ſacræ poteſtatis, & immunitatis contaminatores, incipiēs, vt habetur in diuinis libris, *à domo ſua, & à ſanctuario*, ſed totius orbis regna euerteret, vniuerſos populos acerrime percuteret eodē, quo ſuos domeſticos (nam tales erant Hebræi reſpectu aliarū gentiū) ſæculo, quod habetur cap. 24. & nos late explicauimus lib. 4. cap. 9. de Ruinis gentium. Propter hæc igitur, vere pertinent ad Ieremiam, ſacerdotiumque diuinum, quod Deus, & Christus ordina-

dinauit, quæ Deus ad illum dixit cap. I. *Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes.* Sed quanam ratione hæc Ieremias, atque in primis ipſi ſacerdotes, ac Deo conſecrati viri iſthæc efficiunt? Per ſacrificia, & preces; dum vel horum vim ſubtrahunt aliis in bonum diuinum, vel aliis communicant in bonum diuinum ſimul, atque humanum. Quocirca cum Chriſto ſoli data ſit omnino excellentiæ poteſtas, qua poteſt qualitercumque immutare quaslibet creaturas, non tamen prorſus ad nihilũ redigere, aut creare, vt placet S. Thomæ. Per illam tamen Eccleſiæ ſuæ ſuffragatur, vt ſicut per actiuam poteſtatem, ſacramentaque ſacerdotes valent maxime creaturas ſuo modo immutare, ita per modum ſuffragij, propter ſacrificia, precesque oblatas, hæc Deo, Chriſtoque præordinante, ac ſubordinante, vel ad euerſiones, vel ad conſtitutiones regnorum, valeant congruis modis impetrare, vt Chriſtus explicet in terris inter homines, excellentiſsimę, ac diuiniſsimæ poteſtatis, actus cum ſacerdotij, ſiue diuinitatis iura confringuntur.

Non eſt itaque excuſatio principibus ſæcularibus, vbi ſacra iura imminuunt, quæ niſi in melius promoueantur, vel Pontifex ipſe ſummus imminuere haud poteſt: transferri ex alijs in alias res, loca, & perſonas iuſtis de cauſis poſſunt, tolli prorſus, immutabiliaque immutari haud queunt, neque diſpenſatio Pontificis abſque ſufficienti cauſa quidquam poteſt in conſcientia coram Deo. diſsipatio namque eſſet, vt Sanctus Bernardus libro de diſpenſatione aiebat, non diſpenſatio. & notãt Doctores cap. ad audientiam, 4. de reſcriptis, cap. non poteſt, de præbendis lib. 6. Quamobrem bene facit Pontifex ſummus, vbi de conſilio fratrũ precibus præmiſsis, maturaque, nec præpropera deliberatione iſthæc concedit, neque adeſt cauſa reſiliendi à propoſito ſacri iuris, aut pertinentis ad ſacra transferendi.

Ob hæc peccarunt principes illi ſacerdotum, qui contra iura ſacræ immunitatis Ieremiam ſacerdotem male habuerunt, ac propterea primi omnium pœnas luerunt. & tamen eadem ſacra poteſtas maxime per Ieremiam, cum videbatur apud gentes, & ab ipſis gentibus oppreſſa, eſt euecta, regnaque in terris ſingula ſubuertit, ac noua excitauit. Quod etiam cõtingere in Eccleſia Chriſti, quoties illi eadem contingunt,

ape-

aperuimus late vltimo de Signis Eccleſiæ Dei, ſummatimque aliquid ad finem libri huius à nobis perſtringetur. Sic etiam tempore Moyſis, cum populus Hebræus, qui veram religionem potiſsimũ ſuſtinebat, à Pharaone eſt oppreſſus, eccleſiaſticam ſuam poteſtatem, libertatemque per manum Moyſis ſacerdotis exerens altiſsime euexit.

Abducto in ſeruitutem populo Hebræo, ſacerdotalis tamen poteſtas non eſt in ipſo per gentes extincta, ſed honorificentiſsime habita non modo, quia nihil non detulere Ieremiæ, poteſtatemque illi omnium liberaliſsime fecerunt; ſed etiam quia præpoſitus eſt terræ Iudæorum toti regendæ Godolias filius Ahicam filij Saphan, vt habetur cap. vltimo quarti Regũm. Ahicam vero fuit is, qui propugnator fuit Eccleſiaſticæ poteſtatis in defendẽdo Ieremia, ne occideretur, quod legimus cap. 26. Ieremiæ. Ac licet poſtea fuerit occiſſus, tamen qui remanſere ex Hebræis in Iudæa, opulẽtiam nacti ſunt magnam, neque deſtitere ab offerendis in loco templi quamuis euerſi donis, vt habetur capite quadrageſimo, ſequentique Regum quarti. Et Sacerdotes remanſere, maximè vero, qui bello vigente diſperſi abierant in propinquas regiones, & redierunt abeuntibus Chaldæis. Sic itaq; reſtituta eſt Sacerdotibus quædam libertas, ac poteſtas. Amplius vero ſciendum nobis eſt illud, Hebræis quamuis abductis in Babyloniam ſuos tamen fuiſſe Sacerdotes, quibus obedirent in omnibus, quæ lex iuberet, ac proinde eis omnia præſtarent, quæ à lege imperabantur, ac proinde ſub gentilium Regibus fuiſſe Hebræorum Sacerdotibus ſuam libertatem ſimul, & poteſtatem, quod apparet ex ipſo Ezechiele. Nam cap. 20. inducũtur ſeniores Iſrael, qui ab Ezechiele requirant quid agendum ſit, & quid iudicandum. & 22. Sic Deus ad Ezechielem quaſi iudicem totius populi, *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: Et tu fili hominis nonne iudicas? nonne iudicas ciuitates ſanguinum?* Amplius autem populo fuiſſe ſuos iudices, penes quos eſſet vitæ, ac necis poteſtas, conſtat ex hiſtoria Suſannæ, in qua ſeniores morti adiudicant Suſannam, quo tempore Daniel erat annorum tantum duodecim. Quocirca erant in Hebræo populo, quibus poteſtas eſſet damnandi ad mortem. Multo igitur magis erat Sacerdotibus ſua poteſtas, ac libertas à Nabuchodonoſoro integra relicta. Certe cum Daniel interpretatus eſt ſomnium Nabuchodonoſori, legimus illa cap. 2. *Rex*, ait, *Danieli*

nieli.Vere Deus veſter Deus deorum eſt,& Dominus Regum, & reuelans myſteria, quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum.Tunc Rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & conſtituit eum Principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum ſuper omnes ſapientes Babylonis. Daniel autem poſtulauit à Rege; & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis Sidrach,Miſach,& Abdenago, ipſe autem Daniel erat in foribus Regis. Hæc ibi. quæ cum veriſsima ſunt, eſt etiam veriſsimum, Sacerdotibus fuiſſe in Hebræos omnium ſupremam poteſtatē, iuxta ipſorum leges. Nam volunt multi Danielem fuiſſe genere paterno è tribu Leui,materno è tribu Iuda. Ita Dionyſius Carthuſianus, & Iſidorus in libro de vita, & obitu ſanctorum veteris teſtamenti innuit eum fuiſſe è Regali, ac Sacerdotali proſapia.

Adiuuat hāc opinionem,quod S.Hieronymus in præfatione commentariorum in Danielem,citat translationē ſeptuaginta interpretum, quæ in principio decimi quarti capitis habebat,Danielem fuiſſe è tribu Leui,ac Sacerdotem. Quod autem ſcribunt aliqui eam translationem corruptam, neque id probant, neque eſt aſſerendum modo vllo,niſi probetur. Sed confirmatur ſententia memorata ex eo, quod Danieli patria fuit Bethoron Leuitis aſsignata,quod tradit ſanctus Epiphanius libro de vita,& obitu prophetarum. Illud abſque dubitatione eſt affirmandum, ſi quis velit ſuperiora in dubium reuocare, Danielem fuiſſe Deo cōſecratum,licet aliquis eum nolit eſſe è tribu Leuitica, & idcirco in ſacrorum virorum cœtu reponendum,veluti erant primogeniti oblati,in quibus fuit etiā Samuel,fuere Nazaræi,Nathinæi,Prophetæ,& alij;ac propterea virginitatem perpetuam coluiſſe, quod aſſeuerant Damaſcenus libri quarti de fide Orthodoxa cap.25. Dorotheus in ſynopſi,Epiphanius in vita ipſius, Hieronymus libro aduerſus Iouinianum,Origenes homilia quarta in Ezechielem. Similiter & aliud ſtatuendum nobis eſt, fuiſſe à Daniele Iudæorum iudices conſtitutos è legis mandato,ac propterea Leuitis Leuitas,ita vt hi propria libertate potirentur, ac proinde etiam Pontifici ſummo,qui,vt cognoſcemus,fuit Ioſedech, ſummam poteſtatem fuiſſe, de quibus egimus ad finem tertij libri. Idque eo magis,quod Nabuchodonoſorus veri Dei cultum ſecutus eſt,vel anno ſecundo,quo regnare cæpit, vt apparet capite ſecundo Danielis, ac vult ibi Theodoretus, vel ſeptimo poſt

exciſam Hieroſolymam, quod Ioſephus libro Antiquitatum ſcribit. Nam veræ pietati, ac religioni adhæſiſſe Nabuchodonoſorum tradit ſanctus Auguſtinus tractatu vndecimo in Ioannem, Hieronymus, alii que in cap. 3. Danielis in quo ſic, *Nabuchodonoſor*, ait, *Benedictus Deus eorum Sidrach, videlicet, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora ſua, ne ſeruirent, & ne adorarent omnẽ deum, excepto Deo ſuo. à me ergo poſitum eſt hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiã contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur; neque enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſaluare. Tunc Rex promouit Sidrach, Miſach, & Abdenago in prouincia Babylonis Nabuchodonoſor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus: placuit ergo mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt, & mirabilia eius, quia fortia & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione & generationem.* Hæc ille. E quibus conſtat eum vero Dei cultui fuiſſe addictum. propterea que voluiſſe Sacerdotibus, ac Pontifici ipſorum ſummo ſuam reſtitui tum libertatem, tum poteſtatem, ſicuti lex Dei veri iubebat. Eadem vero dicenda, cum Balthaſar Patri ſucceſsit, ac voluit Danielem tertium eſſe in Regno.

Poſt hos & Darius, de quo ſic cap. 3, *Placuit Dario, & conſtituit ſuper Regnum ſatrapas centum viginti, vt eſſent in toto Regno ſuo, & ſuper eos principes tres, è quibus Daniel vnus erat, vt Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non ſuſtineret moleſtiam. Igitur Daniel ſuperabat omnes Principes, & Satrapas, quia ſpiritus Dei erat amplior in illo. porro Rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum*. Et poſt. *Darius ſcripſit vniuerſis populis, & tribubus, & linguis habitantibus in vniuerſa terra. Pax vobis multiplicetur. A me conſtitutum eſt decretum, vt in vniuerſo Imperio, & regno meo tremiſcant, & paueant Deum Danielis. ipſe eſt enim Deus viuens, & æternus in ſæcula. & regnum eius non diſſipabitur, & poteſtas eius vſque in æternum. Ipſe liberator, atque ſaluator faciens ſigna, & mirabilia in cælo. & in terra.* Hæc ille. E quibus multipliciter apparet, neceſſario nobis eſſe dicendum, imperantibus Nabuchodonoſoro, poſteris eius, ac Dario Medo, qui vna cum Cyro regna-

ait, ſemper Hebræorum Sacerdotibus eorumq; Pontifici ſummo illibatã fuiſſe, tum libertatem, tum poteſtatem in Hebræos, quæ illis à lege ex Dei mandato dabatur. Nam Reges illi voluerunt Dei legem ſeruari ab Hebræis, & qui poſt ipſos Reges primum locum tenebant, in omnibus eorũ regnis Hebræi erant, ac vel ſacerdotes è Leuitica tribu, vel ex ijs, qui Deo, diuiniſque ſe dedicabant, quod apparet quoque ex hiſtoria Suſannæ, atque è loco Ezechielis adducto. Confirmatur hoc ex ijs, quæ apertiſsime conſecuta. Nam Cyrus, ſimulatque iniuit regnum, non modo hæc rata habuit, ſed ampliora eſt largitus; nempe vt Hebræi redirent in patria loca, ſacerdotumque imperio parerent, ac ſacerdotes liberi & immunes forent: amplius vero, vt è reditibus regiis plurima eis præſtaretur. Nam ſic primi Eſdræ cap. 6. *Anno primo Cyri Regis, Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Hieruſalem in loco, vbi immolent hoſtias; & vt ponant fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres; & ſic ordines de lignis nouis: ſumptus autem de domo regia dabuntur: ſed & vaſa templi aurea, & argentea quæ Nabuchodonoſor tulerat de tẽplo Hieruſalem, & attulerat in Babylonẽ, reddantur & referantur in templum in Hieruſalem.* Et mox: *Sed & à me præceptum eſt, quid oporteat fieri à presbyteris Iudæorũ illis, vt ædificetur domus Dei, ſcilicet vt de arca Regis, id eſt de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſe ſumptus, dentur viris illis, ne impediatur opus, quod ſi neceſſe fuerit, & vitulos, & agnos, & bædos in holocauſtum Deo cæli frumentum, ſal, vinum, & oleum, ſecundum ritum ſacerdotum, qui ſunt in Hieruſalem, detur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia, & offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius.* At Darius ita ſcripſit, vt legimus 3. Eſdræ 4. *Omnibus præfectis, qui erant in Syria, & Phœnice, & libano ſcripſit epiſtolas, vt traherent ligna cedrina à libano in Hieruſalem, vt ædificarent eam eis* (Iudæis) *ciuitatem, & ſcripſit omnibus Iudæis, qui aſcendebant à regno in Iudæam pro libertate, omnem præpotentem, & magiſtratum, & præfectum non ſuperuenire ad ianuas ipſorum, & omnem regionem, quam obtinuerant immunem eſſe eis, & Idumæi relinquant caſtella, quæ obtinent Iudæorum, & in ſtructuram templi dare per ſingulos annos talenta viginti vſque dum perædificaretur, & ſuper ſacrarium holocautomata vſtulare quotidie, ſicut habent præceptum, alia talenta*

lenta decem offerre per ſingulos annos; & omnibus, qui procederēt à Babylone, condere ciuitatem, vt eſſet libertas tam ipſis, quàm filijs eorum, & omnibus ſacerdotibus, qui præcedunt. ſcripſit autem, & quantitatem, & ſacram ſtolam dari iuſſit, in qua deſeruirent, & Leuitis ſcripſit dare præcepta. Hæc Darius. e quibus apparet non modo immunes fuiſſe ſacerdotes, ſed etiam ſtipendia, alimentaque, & ſumptus in diuina habuiſſe: amplius vero ipſos reliquis Iudæis præcepta dediſſe. Quamobrem non legimus Hebræis in Iudæa præpoſitos fuiſſe, qui permanſerint, niſi Pontifices ſummos, Ieſum, Ioacim, Eliaſib, Ioiada, Ionathan, Ieadoam, vt è cap. 12. Eſdræ lib. 2. licet à principio Zorobabel vna cum populo ſit in Iudæam profectus, templumque perfecerit, quæ conſtāt è cap. 2. Aggei 3. Zachariæ, qui idcirco cap. 4. ſic ait. *Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel dicens: non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus omnipotens*. Hæc vates ſanctus. Futurum vero, vt ſoli ſacerdotes præeſſent, prædixit Ezechiel cap. 44. his verbis. *Sacerdotes autem Leuitæ filij Sadoc, qui cuſtodierunt ceremonias ſanctuarij mei, cum errarent filij Iſrael à me, ipſi accedent ad me, vt miniſtrent mihi, & ſtabunt in conſpectu meo*. Et mox. *Et cum fuerit controuerſia ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt leges meas*. Hæc ille. è quibus apparet Perſarum Reges dimiſiſſe, aut ſemper, aut plerumque ſacerdotibus immunitatem ſuam, Pontificique ſummo ſummā in omnes Hebræos poteſtatem, donec ad Iaddum, qui Ieadoas à Nehemia vocatur, Reſpub. peruenit. quo tempore conturbatis admodum rebus, vt alibi adnotauimus, Alexander magnus euertit regna Perſarum. Quid porro contigerit his verbis exponit Ioſephus libri vndecimi capite octauo. *Alexander præuidens multitudinem veſtibus albis indutam; Antiſtites vero cum byſſinis ſtolis, & Principem ſacerdotum hyacinthina, & aurea ſtola, ſuper caput habentem cydarim, & ſuper laminam auream, in qua ſcriptum erat Dei nomen; adijt eum ſolus, & numen adorauit, & principem ſacerdotum primus veneratus eſt. Omnibus vero Iudæis vna voce Alexandrum ſalutantibus, & circumſtantibus, Syriæ Reges, & reliqui hoc facientem ſtupuerunt, corruptamque Regis mentem putauerunt. Parmenio vero ſolus eum interrogauit, cur omnibus eum adorantibus ipſe adoraſſet principem ſacerdotum gentis Iudæa. Cui ille: Non hunc, inquit, adoraui, ſed Deum, cuius principatu ſacerdotij functus eſt; nam per ſomnium in huiuſmodi eum habitu conſpexi, adhuc in*

Deo

Dio ciuitate Macedoniæ conſtitutus. Dumque meum cogitaſſem poſſe Aſiam vincere, incitauit me, vt nequaquam negligerem, ſed confidenter tranſirem. Nam ſe perducturum meum dicebat exercitum, & Perſarum traditurum potentiam: ideoque neminem alium in tali ſtola videns, cum hunc aduertiſſem, habens viſionis, & probationis nocturnæ memoriam, ſalutaui. Exinde arbitror diuino iuuamine me directum, Dariumque viciſſe, virtutemque ſoluiſſe Perſarum. Propterea, & omnia, quæ meo corde ſperantur, prouentura confido. Poſtquam Parmenioni locutus eſt Principem ſacerdotum honorans, occurrentibus reliquis ſacerdotibus, ad ciuitatem vſque peruenit; & ad templum aſcendens, ſacrificauit Deo, ſecundum ſacerdotis oſtenſionem: ipſe autem ſacerdotum principi, & reliquis ſacerdotibus munificenter multa donauit. Allato vero ei volumine Danielis, in quo ſcriptum erat, quendam Græcorum deuicturum Perſarum potentiam, arbitratus ſe ipſum eſſe, quem ſcriptura ſignificabat, gauiſus eſt. Et tunc quidem multitudinem dimiſit. Poſtea autem die conuocans eos iuſſit petere, quas vellent donationes accipere. Principe vero ſacerdotum petente, vt liceret patrijs vti legibus, & ſeptimum annum ſine tributis eſſe mandaret, omnia conceſſit. Cumque ab eo poſtulaſſet, vt Iudæos in Babylone, & Media gente præciperet ſuis potiri legibus; promiſit libenter facere, quæ poſcebant. Dicente vero ipſo ad multitudinem, ſi quis eligeret ei militare, permanens in patrijs legibus, & ſecundum eas viuens, paratum ſe eos ducere, ſe pugnaturos cum eo dixerunt.

Defuncto Alexandro Magno Syriam tenuit Ptolemæus Lagi filius ab initio Iudæis infeſtus; poſtea vero amiciſsimus, ex quo ſcilicet eorum religionem proprius agnouit; cuſtodiam namque illis locorum munitorum commiſit, & pari cum Macedonibus, qui cuncta moderabantur, iure eſſe conſtituit, ſua ſacerdotibus iura illæſa dimittens, quod libro duodecimo tradit Ioſephus cap. 1.

Ptolemæus autem cognomento Philadelphus, qui ſimiliter imperio Syriam continebat, tanta præſtitit Hebræorum ſacerdotibus, quanta neque ipſi Hebræorum Reges Hebræis videntur præſtitiſſe. Producamus hic epiſtolam, quam refert Ioſephus libri duodecimi capite ſecundo. *Rex Ptolemæus Eleazaro principi ſacerdotum ſalutem. Multis habitantibus ſub imperio meo Iudæis, quos Perſæ, cum potentes fuiſſent, in ſeruitutem traxere; quorum aliquos pater meus ad militiam maioribus ſti-*

pendijs deputans boneſtauit; alijs autem in Aegyptum cum eo ambulantibus, caſtella, & eorum cuſtodiam demandauit, vt ſint Aegyptijs in terrorem. Cum vero ego principatum ſuſcepiſſem, omnes clementer tractaui; præſertim ciues tuos, quorum plus centum millia captiuos, & ſeruientes remiſi, poſsidentibus eos pro redemptione pecuniam perſoluens. Et mox. *porro volens & iſtis, & omnibus per vniuerſam terram Iudæis præſtare libertatem, leges veſtras Hebraicis litteris conſcriptas tranſlatas litteris Græcis, in noſtras, in mea bibliotheca decreui reponere.* Hæc ille. Sed operæ pretium eſt cognoſcere. quantæ magnificentiæ menſam aureã templo exterus Rex hic donarit, omnino contendens ſuperare quandam, quæ in eo pretioſiſsima erat. Sic igitur Ioſephus capite eodem.

Huius duorum ſemis cubitorum longitudinem, latitudinem vero vnius, altitudinem vnius, & ſemis conſtruxerunt, totam de auro formantes eam. Coronam quidem in palmũ conferunt, frontiſpicia vero verſatilia ſculpturam habentia ornatam, ſpeciẽ reſtis ex tribus partibus mire ſimulantem. Triangulis enim exiſtentibus frontiſpicijs, vnusquiſque angulus eandem formæ diſpoſitionem habebat. Quæ dum verterentur, vnam, & non diuerſam ſpeciem demonſtrabant. Porro coronæ pars, quæ ſub menſa erat incluſa, pulchre conſtructa fulgebat: pars autem quæ de foris apparebat, artificij decore plus culta ſplendebat, quia viſui, vel ſpectaculo patebat. Vnde proceritatem partium ambarum acutam fieri contigerat, ne vllus angulus trium, vt prædiximus, exiſtentium in tranſductione minor videretur. Diſpoſiti vero erant in modum funium tornoſactorum pretioſiſsimi lapides, aureis ſphærulis per foramina incluſi. Partes autem, quæ per latera coronæ cernebantur, in ſpeciem ouorum optimo lapide factorum figuratæ nitebant, ſculpturæ virgulas imitatæ: quæ ſpiſſe circa menſam voluebantur. Ob horum autem diſpoſitionem circunduxerunt opifices tornatam omnium fructuum naturam, vuas pendentes, ariſtas ſurgentes, malagranata concluſa. Lapides autem ſecundum genus prædictorum fructuum, ad proprium vniuſcuiuſque colorem formatos, circa totam menſam ex auro ligabant. Sub corona quoque ouorum ſimilis ordo, ſeu virgarum conſtiterat, vt ex ambabus partibus tandem operis varietatem, cauſamque, ſpecies menſæ conſtructa proferret: ne frontiſpiciorum, vel coronæ poſitio in altera parte menſæ conuerſa, videretur eſſe diuerſa: ſed eas vſque ad pedes facies operis extenderet. Nam ductile aurum

quatuor digitis latum, ſecundum totam menſæ latitudinem, ſuper quod pedes eius imponerent, fecerunt: deinde ſpherulis, & clauſuris eos cum corona menſæ conſtruxerunt, vt eundem artificij, vel magnificentiæ viſum præberent; in quamcumque partem menſa conuerteretur. Super menſam autem Meandrum fluuium ſculpſerunt, lapides pretioſiſsimos in medio eius tamquam ſtellas vario colore ponentes. Nam carbunculũ, vel ſmaragdum iucundo aſpectu fulgentes miſerunt, aliorumque genera lapidum, qui vel induſtria, vel æmulatione digni per excellentiam naturæ cunctis exiſtunt. Poſt Meandrum autem completum, in ſpeciem funis, quidam circumferebatur in medio figuram ſublongam, & rotundam habens: ſuper quod cryſtallinus lapis erat, vel electri impoſiti, pari pene formarum aſpectu, qui delectationem miram intuentibus præſtabant. Capita vero pedum eius ſimilia lilijs fabricauerunt, curuationem brachiorum habentia ſub menſa reflexam: intus vero rectum inſtar lilij germen videbatur: quod lapis carbunculus in palmum factus, figuram crepidinis oſtendens, & latitudinem octo digitorum habens, ſuſtentabat. Nam ſuper eum pedum omne pondus innittebatur. ſculpſerunt etiam tenuiſsimo, vel laborioſiſsimo torno vnumquemque pedum: in quibus hederæ vel vitis palmites, cum vuis exiſtentibus eminebant. vt nihil à veris diſcrepare putarentur: ſi quidem ad auræ flatum, per tenuitatem, & extenſionem ſummitatis ſuæ commota, imaginationem naturalium arte præbebant. Verum etiam figuram totius menſæ tribus tabulis conſtruxere: compagine partium inuicem ita colligata, vt inuiſibilis exiſteret, nec intelligeretur earum inſertio. Craſsitudo vero menſæ non minus dimedio cubito fuiſſe cognoſcitur. Talis ergo votiua menſa, multa Regis munificentia, vel pretioſitate materiæ, ac varietate pulchritudinis, & induſtria artificum ſtudioſè perfecta eſt: & licet magnitudine prioris Deo deuotæ menſa, non diſtaret, artificio tamen, & nouitate, vel claritate facturæ, valde melius, & ſplendidius elimata fulgebat. Crateres etiam aurei duo ſculpturam vipeream ab inferiore parte vſque ad cingulũ habentes lapidibus varijs in ſquama concluſis. Dehinc ſuper eos fecerunt Meandrum altum cubito, compoſitione lapidum diuerſorum ſpecie magna fulgentem: in quo virgarum ordo inſtabat, ac quibus complexionibus ſimilis vſque ad labrum protrahebatur. Per medium quoque quatuor digitum ſcuta pulchris lapidibus inſerta, decorem craterarum oſtendebant, quorum labra liliorum folijs, & vuarum floribus in orbem productu corona

com-

complectebatur. Et aureos quidem crateras duos capientes, vtroque amphoram, huiuſmodi conſtruxerunt. Argentei verò clariorem ſpeculis ſplendorem emittebant, vt certius in his facies aſpicientium videretur. Inſuper fecit Rex pateras triginta ex auro, nec non omni lapide pretioſo, & circundatæ folijs hæderæ, vel bracteolis, quaſi vitis cælatura artificioſe obumbrabantur. Hæc autem ideo ita fiebant, quod per ſcientiam opifices arte mira reliquos anteirent, & multo melius ſtudio, vel munificentia regis formabantur. Non enim tantum inceſſanter, & large opificibus impendia præſtabat, quantum, & publicorum negotiorum relictis regiminibus, ipſe operantibus ſemper inſtabat, & frequenter artifices viſitabat.

Hæc igitur templo donauit Ptolemæus Philadelphus, haud contentus Iudæis quidem vna cum libertate tot, ac tanta largiri; Sacerdotibus vero omnem poteſtatem, qua iure potiuntur illibatam tutari. *Principi autem* (hæc ſunt capite eodem Ioſephi verba.) *Sacerdotum Eleazaro deſtinauit per eos lectos cum argenteis pedibus decem, & conuenientem eis omnem ſupellectilem, & calicem talentorum triginta, inſuper ſtolas decem, & purpuram coronamque decoram, & lineas de byſſo centum, præterea & pateras, & trullam, & libatoria, & crateras aureos duos Deo vouendos.*

Sed & (hæc ſunt verba duodecimi libri capite tertio.) *Seleucus Nicanor in ciuitatibus, quas per Aſiam ædificauerat, & inferiore Syria, & in ipſa Metropoli Antiochiæ republica ſua dignos* (Iudæos) *effecit, & æquum eis honorem cum habitatoribus Macedonibus, & Græcis eſſe iuſſit.*

Quid vero Antiochus? audiamus eundem Ioſephum capite eodem. *Primum conſtituimus propter pietatem eis* (Iudæis) *præſtare ad immolationes victimarum, & vini, & olei, & libaminis pretium, argenteorum viginti millia, & ad ſimilam ſecundum prouincialem legem, tritici modios mille quadringentos ſeptuaginta quinque & ſalis modios trecentos ſeptuagintaquinque. Præberi autem hæc, inquit, eis volo ſecundum mea mandata, & opus templi conſtitui, & porticus, & quidquid aliud oportet refici. Materies autem lignorum deponatur ex ipſa Iudæa, & ab alijs gentibus, & à libano, nullo pro his exigente vectigal. Similiter & in alijs, in quibus oportet, clariſſimam templi geri volumus ædificationem: conuerſetur etiam omne genus eorum ſecundum proprias leges: relaxentur Sacerdotes, & ſcribæ templi, & cantores ſacri à tributis,*

quæ

*quæ pro ſuo capite dabant, & à regio vectigali, vel ab alijs cunctis
operibus, vt pro opere eorũ ciuitates habitationibus hominum ap-
tæ reddantur. His quoque qui vel nunc habitant, vel habitaturi
conuenient, donamus tributa vſque ad menſem Hyperueretæum:
& per tres annos liberamus eos à tertia parte fiſcalium, quatenus
eorum læſio releuetur. Et quicumque ab ipſa ciuitate ad iuga
ſeruitutis abſtracti ſunt, ex ipſis genitos libertati donamus, & ſub
ſtantias eis reddi præcipimus. Epiſtola quidem hæc continebat.
Ornato autem templo edictum per omne ſuum miſit imperium, in
quo continebatur, neminem alienigenarum intra muros templi
ingrediendi habere licentiam: nec Iudæos, niſi quibus mos eſt pu-
rificatos ſecundum patriam legem, neque inferre in ciuitatẽ equi-
nas carnes, neque mularum, neque ferarum manſuetarum, vul-
pium, aut leporum, aut pardorum: & generaliter omnium anima-
lium, quæ Iudæis interdicta ſunt: vt nec pelles eorum liceret affer-
ri, neque aliquid eorum intra ciuitatem liceret paſci: ſed ſolitis pa-
rentum victimis, ex quibus & Deo oportet ſacrificari, vti per-
miſſum eſt. Qui autem aliquid horum tranſgreſſus fuiſſet, iuſ-
ſit vt mulctatus Sacerdotibus perſolueret pecuniæ drachmas tria
milia.*

Hæc igitur iſti. Seleucus vero Antiochi ſucceſſor, *De reddi-
tibus* (ait, auctor ſecundi libri Machabæorum cap. 3,) *ſuis præ-
ſtabat omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.*
Hæc ibi. Illud autem mirabiliſsimum contigit ad templorum
libertatem ſpectans. Nam cum forent in eo talenta auri du-
centa, argenti quadringenta à priuatis depoſita, miſſus eſt à
Rege Seleuco, qui putabat hæc ad ærariũ publicum pertinere
Heliodorus, vt auferret illa. Ingreſſus eſt hic cum multis, vt
illa auferret. quid euenerit, narrat eodem capite idẽ ſcriptor,
*Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem,
optimis operimẽtis adornatus. isque cum impetu calces priores He-
liodoro eliſit; qui autem ſedebat, videbatur ama habere aurea. alij
etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpe-
cioſique multis plagis eum verberantes. ſubito autem Heliodorus
concidit in terrã, eumq; multa caligine circumfuſum rapuerunt,
atque in ſella geſtatoria poſitum eiecerunt.* Et mox. *Tunc vero ex
amicis Heliodori quidam rogabant confeſtim Oniam, vt inuocaret
altiſſimum, vt vitam donaret ei, qui in ſupremo ſpiritu erat con-
ſtitutus. conſiderans autem ſummus Sacerdos, ne forte Rex ſuſpi-
caretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum conſum-*

ma-

matam, obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem; cumque ſummus Sacerdos exoraret, ijdem iuuenes ijſdem veſtimentis amicti aſtantes, Heliodoro dixerunt: Oniæ ſacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donauit. Tu autem à Deo flagellatus nuncia omnibus magnalia Dei & poteſtatem. Et his dictis non comparuerunt. Et poſt. *Cum autem Rex interrogaſſet Heliodorum, quis eſſet aptus adhuc ſemel Hieroſolymam mittere, ait, ſi quem habes hoſtem, aut regni tui inſidiatorem, mitte illuc & flagellatum eum recipies, ſi tamen euaſerit. Nam ipſe, qui habet in cælis habitationem, viſitator, & adiutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percuſſit, ac perdit.* Hæc ibi. è quibus multa colligimus.

Primum. Putaſſe Heliodorum, Regemque illas pecunias pertinere ad ærarium publicum, ſiue id crederent, ſiue credi vellent. Certe poterat Regio iure, niſi diuina lex, ac naturalis à coæuo mortalibus, & Angelis iure incipiens, ac templorum libertatem ſanciens obſtitiſſet, auferre, non quidem, vt ſibi haberet, ſed vt videret, an ad priuatos pertinerent; aut etiam iubere, ne loco illo pecuniæ ſeruarentur. Nihil huiuſmodi fas illi fuit.

Secundum. Deum voluiſſe Heliodorum caſtigari ab equis, atque vt equis eſſet, aut eſſe videretur quidam naturam mouens, atque à Deo miſſus inſtinctus, quo ferrentur aduerſus impios violatores libertatis templorum; veluti ſtolidiores, aut efferatiores, magisve effrænes, quam ſint equi, *Quibus*, ait, Dauid, *non eſt intellectus*.

Tertium. Non fuiſſe ab Angelis templi cuſtodibus Heliodorum necatum, quod in templo, atque ab Eccleſiarum cuſtodibus nulli ſit eripienda vita, vt hic ſit viſitatus puniendi modus, Eccleſiaſticis viris non occidendi, ſed ad ſummam flagellis percutiendi. Quamobrem recte S. Ambroſius dixit, non eſſe Eccleſiam more caſtrorum, cuſtodiendam, quod præſtet plerumque intra Eccleſiam nullos milites habere, qui ſanguinem fundant, eamque ſanguinis effuſione polluant, licet eam tueantur, extra illam tamen eſſe qui defendant illam, non vetuit ſanctus, neque vetitum dixit. atque hæc mens videtur fuiſſe S. Ambroſij verba illa proferentis, non quam nonnulli fingunt aduerſus Eccleſiarum ſacroſanctam Maieſtatem: & ideo ſunt etiam, qui putent Angelis ſanctis non eſſe hunc morem, vt noxios interficiant, ſed ſolum vt virgis cædant, vel ſubtrahant patro-

ciniūm

cinium ſuum, ex quo fit, vt dæmones occidant, torqueantque, & in miſerias multas adducant cæleſti patrocinio nudatum.

Quartum. non abſolui, aut adiuuari eccleſiaſticæ libertatis oppugnatores, & violatores, niſi precibus, atque auctoritate Pontificum[illegible], vitamque illorum ſuo modo poni in horum poteſtate.

Quintum. nihil atrocius poſſe deſiderari, expeti, ac fieri ab hoſtibus aduerſus hoſtes ſuos, niſi vti hi violent eccleſiaſtica iura; atque hoc vel ipſi impij ſenſerunt, experti ſunt, palam prædicauerunt, vt diſcant ab impijs pietatem, niſi velint à piis, impij Regum, principumque ſæcularium conſiliarij, ne dicamus Sacerdotes, Theologi, & Iuriſconſulti.

Poſt hæc inciderunt tempora Antiochi Epiphanis, atque eorum; qui Iudæos opprimere conati, peſſimo exitu vitam concluſere, vt oſtendimus libro quarto de Ruinis gentium cap. 8. & latius libro 13. de Signis Eccleſiæ Dei capite vndecimo. Quantum pertinet ad eccleſiaſticam poteſtatem finis hic fuit. Machabæi victores regno ſimul, ac pontificatu potiti, latiſſime omnium, quicumque vmquam fuerint Hebraici ſanguinis Regum, dominati ſunt. Idumæam namque omnino in ſuam poteſtatem redigere, quod neque Dauidi, neque Salomoni contigit: præterea vero in mari Mediterraneo Stratonis turrem, Apolloniam, Ioppem, Tamniam, Azotum, Guzam, Anthedonem, Paphiam, Rhinocoluram, multaque alia, quæ numquam fuerant hebraicæ ditionis, vt apparet è Ioſephi libris 13. cap. 21. & 14. cap. 3. Quod ſcilicet eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas, quo magis, & quo diutius opprimitur eo magis, & eo diutius cæleſti ope extollatur, atque amplificetur, quod maxime continget temporibus Antichriſti, vt merito S. Gregorius dixerit in pſal. 4. pænitentialem, libertatis eccleſiaſticæ oppugnatores eſſe inferorum portas.

Oborta vero inter poſteros Machabæorũ contentione, Ariſtobulũ, ſcilicet atque Hyrcanũ, Romani ex vna, Parthiq. ex altera parte aduerſus alterã ſunt aduocati. Quo tempore Pompeius Hyrcano fauens penetralia templi eſt ingreſſus; & cum eo *multi viderunt*, ait Ioſephus decimi quarti libri cap. 8. *quæ non liceret niſi ſacerdotibus intueri. Inuenerunt autem menſam auream, & circa eam candelabra, vel libatoria non pauca, nec non & aromatum multitudinem, & in theſauris ſacras pecunias duo millia talenta, quas Pompeius contingere noluit propter pietatem,*

etiamque hoc dignum ſua virtute perfecit. Sic ille. Atqui Pompeius poterat tamquam victor, ſiquidem libuiſſet, eas pecunias capere; quamuis idem Pompeius antiquas Iudæorum ditiones valde coanguſtauerit, immunitatem tamen ſuam, libertatemque Pontifici ſummo Hyrcano, & ſacerdotibus reliquit. Poſtea vero Caius Iulius Cæſar ſumma rerum potitus, non modo Hyrcanum pontificem permiſit eſſe; ſed etiam Ioſephus adducto libro refert verba decreti ab ipſo conſcripta, quibus ita loquitur. *Hyrcanum Alexandri, filiosque eius rectores Iudæorum eſſe, & principatum ſacerdotij gentis Iudaicæ ſemper habere ſecundum patrios mores præcipio: ipſum quoque, filiosque eius auxiliatores nobis, & inter viros amiciſſimos eſſe cenſendos: quantacumque vero iura ſacerdotalia ſunt, eum, vel filios eius habere decerno.* Et *exhyemationes vero militum, aut pecunias exigendas ab eis minime probaui, & nullus vel præſes, vel dux, vel legatus in finibus Iudæorum auxilia colligat, vel militibus liceat pecunias exigere ad hyemandum, vt pro nomine alicuius, ſed undique eſſe liberos; quæcumque poſtea habuerunt, vel emerunt, vel poſſederunt, omnibus his eos potiri, & Ioppem ciuitatem; & de Sydone modios viginti millia ſexcentos ſeptuaginta quinque per ſingulos annos, & dari etiam licentiam Hyrcano, omnibusque ab eo miſſis, vt cum Senatoribus in ludo gladiatorum, vel beſtiarum ſedentes ſpectent.* Rurſus idem refert ab eo ſcriptum ad multas ciuitates, & ab aliis etiam Romanis magiſtratibus, ne Iudæi prohiberentur, *ſecundum*, inquit, *ſuam viuere conſuetudinem*. Denique profert multa Aſiaticarum ciuitatum decreta, quibus Iudæi eadem, qua ciuitates earum, libertate fruebantur. Quocirca idem libri eiuſdem capite vigeſimo quinto ſic de Herode ait. *Namquam enim putabat Romanos ſibi regnum daturos, quod ſoliti erant generi ſacerdotali donare.* Regnũ porro eſt Herodi à Romanis delatũ, rebus ad triũuiros redactis. Cneo Caluino ſecundũ, & C. Aſinio Coſſ. anno ante Chriſtum natum trigeſimo octauo. Verum nolunt ab illo initũ regnum; niſi M. Vipſanio Agrippa, & L. Caninio Gallo Coſſ. trigeſimo quinto ante ortum Chriſti, cum foret Pontifex, ac Rex Antigonus Aſſamonæus è genere Machabæorum, quod aperte tradit idem Ioſephus ad finem libri decimi quarti. Veruntamen licet Herodes regno potitus eſſet, adhuc idem ſubiiciebatur iudicio ſeptuaginta duorum, quibus Pontifex maximus præerat, & quibus ius erat damnandi alios ad mortem: quod refert

Ioſephus libri decimi quarti capite decimo ſeptimo, aut decimo octauo, quod deinde eſt ſublatum, vti diximus, anno eodem, quo Chriſtus eſt conceptus. Sacerdotum tamen libertas, quoad perſonas, res, & loca remanebat. Non enim ius erat Herodi in illos vllum, niſi contra ius illud ſibi arrogaſſet. Hinc ab Octauiano Imperatore eſt reſcriptum, cum pecunias eorum ſacras Herodes raperet, in hæc verba, vt Ioſephus refert libri decimi ſexti capite ſexto. *Caſar Auguſtus Pontifex tribunitiæ poteſtatis edicit. Quoniam gens Iudæorum fidelis, non ſolum præſenti tempore, ſed etiam priori, & magis patri meo Dictatori Cæſari, P. Q. Romano, & princeps Hyrcanus apparuit. placuit mihi, & Senatui, cum ſententia populi Romani, Iudæos ſuis legibus, & patrio iure frui permittere; ſicut & ſub Hyrcano principe ſacerdotum altiſsimi Dei, & ſacraria eorum inuiolata permanere, & pecunias ab eis ad Hieroſolymam tranſmiſſas reddi cuſtodibus pecuniarum, neque vadimonia ſabbato, vel ſexto die ab hora nona exigi: ſi quis autem inuentus fuerit auferens ſacroſanctos eorum codices, aut pecunias à Synagogis, huiuſmodi ſacrilegio teneatur, & ſubſtantia eius publico deputetur.* Hæc Octauianus. E quibus liquet, Herodi regiam poteſtatem ita fuiſſe conceſſam, quatenus Hebræorum leges permittebant, vt ſupra ad finem tertij libri dicebamus. Sed is miris modis omnia conturbauit, licet ſæpius fuerit Romæ accuſatus, ſuorumque actuum rationem reddere compulſus ob homicidia, crimina que diuerſa à ſe commiſſa.

Ex his igitur omnibus apparet, ex eo tempore, quo Deus eduxit Abrahamum ex vrbe Chaldæorum, vſque ad Chriſtum fuiſſe à Deo admirabiliter inter medios hoſtes, ſiue vt ait Dauid, *in medio inimicorum ſuorum* conſeruatam ſacerdotibus Hebræis ſinceræ religionis cultoribus immunitatem, libertatemque in omnibus, ac plerumque etiam regiæ poteſtatis in omnia maximam participationem, per ipſoſmet inimicos, & hoſtes. Neque auſas fuiſſe, aut valuiſſe pleraſque omnes gentes, & earum ſummos, ac potentiſsimos Reges, per annorum duo millia & amplius eam tollere, aut minuere; fueruntque hi Amorrhæi, Philiſthæi, Chananæi, Syri, Idumæi, Aegyptij, Arabes, Aſſyrij, Babylonij, Perſæ, Græci, ac denique Romani, vel ſubiectæ his totius orbis gentes, cum dominarentur eis Nabuchodonoſorus, Perſæ, Græci, ac Romani. adeo ius ſacroſanctæ poteſtatis, quæ reſidet in Eccleſia, popu-

loque ipſius Dei, mirabiliter immutabile eſt, atque æternum. Quamobrem ſic argumentamur.

Primo: quicumque non conſeruat veræ religionis cultoribus ſacerdotibus ſuam libertatem in omnibus, regiamque poteſtatem, quam cunctæ gentes orbis, dæmonibus, & idolis addictæ conſeruarunt, eſt peior illis: at aliqui dicuntur principes, Theologi, Iuriſconſulti, Conſiliariique inter Chriſtianos huiuſmodi. Quid igitur dicemus eſſe peiores illis magis addictos dæmonibus, & idolis? Nemo dicat. ſiquid egere, non aduerterunt. alioquin deploratiſsimæ ſortis eſſent.

Secundo. Quicumque magis oppugnant veritatem, quam cunctæ gentes, dæmonesque ipſarum non potuerunt oppugnare, ſed coacti ſunt confiteri, & amplificare, peiores ſunt omni gente, ac dæmone. Tales ſunt memorati. Numquid ergo ijs volent eſſe peiores? Ne quæſo hoc ſit vllo modo.

Tertio. Qui ſunt huiuſmodi, aut ſapientiſsimi omnium gentium, aut inſipientiſsimi. Non eſt primum, cunctis ſapientibus, & cunctis gentibus reclamantibus: erit itaque ſecundum.

Quarto. Qui magis oppugnant ſacram poteſtatem, ſuoſque ſacerdotes, in quibus eſt ius ſtatus, quam cunctæ gentes inimicæ, illi ſunt eius ſtatus maxime inimici: oppugnant aliqui inter Chriſtianos. Quales igitur erunt? Nullos potero mihi perſuadere eſſe tales.

Quinto. Qui credunt ſe magis aut ſcire, aut poſſe, quam ſciuerint, aut potuerint, cunctæ totius orbis ab orbe condito ſapientiſsimi, & inſipientiſsimi, quam cuncti dæmones earum: neceſſario ſuperbiſsimi erunt omnium creaturarum, cum dicatur de dæmone Iob. 41. *Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram.*

Sexto. qui peiores dæmonibus cunctis, & cunctis veritatis æternæ hoſtibus ſunt, multo maioribus ſuppliciis apud inferos torquebuntur. An vero tales hic? quis credat? Certe reſipiſcent ſi qui errarunt. ſin minus; videant, quo in periculo verſentur.

Septimo. Illud eſt iuris immutabilis, æterni, naturalis, ac diuini, quod à nullo vmquam contrario licet maxime ſemper inter omnes gentes oppugnatum, tolli potuit. Talis, vt apparuit, eſt ſacra libertas, ac poteſtas Eccleſiæ ſanctæ, præſulumque eccleſiaſticorum.

Octauo. Illud eſt ius maxime immutabile, naturale, ac diuinum,

num, quod ab omni genere contrariorum licet impugnatum maxime ſtetit, ſubuerſis omnibus inimicis. Talis vero, vt deduximus, eſt ſacra libertas, ac poteſtas.

Nono. Neque ſolum fuit impugnatum ab omni contrariorum genere, ſed à maximo omnium contrariorum, quod è ſuperioribus liquet: quam maxime igitur ſacra libertas, ac poteſtas eſt iuris immobilis, naturalis, ac diuini.

Decimo. Agnouerunt eam leones, quoad perſonas, loca, & res; agnouerunt quoad hæc omnia, ſimiliter equi, agnouerunt bruta elementa, & animalcula quæque, ciniphes, locuſtæ, muſcæ, ranæ, quæ conſtant ex ijs, quæ euenere prophetæ, & aſino in euentu Ierobbam; quæ euenere Aſſyrijs translatis in Samariam; quæ Heliodoro, quæ Aegyptiis pugnantibus aduerſus Moyſem. & erunt Chriſtiani atrociores leonibus, ſtolidiores equis, ac brutis animalibus, & elementis? Tanti rurſus iuris agnitio communicatur quodammodo, non ſolum cunctis gentium ſapientibus, cunctisque gentibus, ſed etiam beſtiolis feris, & elementis, ſoli in tota vniuerſitate rerum Theologi, ac Philoſophi quidam Chriſtiani, neque agnoſcunt, & impugnant, atque inter ſapientiſsimos à quibuſdam ſapientiſsimis numerantur? Fieri id nullo modo poteſt, niſi ſi qui deſperati ſunt.

Vndecimò, & poſtremo. ſi Reges, populique eccleſiaſticæ poteſtatis inimici, aut ex inimiciſsimis gentibus prognati tanta vmbræ ipſi poteſtatis Eccleſiaſticæ præſtiterunt (Nam tales extitere Hebræi reſpectu Chriſtianorum; nos enim Chriſti corpus, verumque habemus Chriſtum, ſed illi vmbram tantum.) Quid eſt ab ijs præſtandum, qui filij ſunt, ac loco filiorum volunt haberi?

Oſten-

Oſtenditur poſt obitum Chriſti late amplificatam Eccleſiaſticam poteſtatem: eumque fuerint nonaginta tres, tum legitimi, tum non legitimi Imperatores Romanorum, præter decem, qui conati ſunt exſcindere Chriſtianam religionem, cæteri non ſunt auſi Epiſcoporũ poteſtatem in Chriſtianos minuere vllo modo, ſed multi conſeruarunt, ac tutati ſunt multis modis. Cap. VI.

CVm Chriſtus dixerit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Matthæi cap. vltimo, ac propterea fuerit in ipſum tranſlata omnis omnium, tam Gẽtilium, quam Iudæorum poteſtas, regia ſimul, ac Sacerdotalis, mirabiliſsimum ſit illud Imperatores Romanos, ac reliquos gentium Reges ex duobus alterum feciſſe, vel omnem prorſus Chriſti religionem conatos eſſe ſtirp itus exſcindere tanquam falſam; vel Epiſcopis, ac Sacerdotibus ſuam poteſtatem, libertatemque intactam reliquiſſe in Chriſtianos, & quoad Chriſtianos, vti dicemus. Cogebantur enim naturali illo iure inſito cunctorum mentibus fateri, concludique neceſſario, poſſe Epiſcopos, ac Sacerdotes in ſubiectos ipſis homines, quidquid ipſorum religio ſancit, ſi detur hanc eſſe veram. Dato hoc, euidenter, ac neceſſario ſequitur illud apud omnes gentes. Quia ſicut Deus eſt omnium finis, ac propterea præ cunctis appetendus, amandus, colendus, ſic homines diuinis addictis in pari cauſa præ cunctis hominibus, amandi, colẽdi in terris, ſic diuina loca reſpectu aliorum locorum, maxime ſuo modo colenda, ac res diuino cultui ſeruientes reſpectu aliarum rerum. Quocirca dato illo principio practico; ſequuntur illæ concluſiones neceſſariæ & euidentes, ex omni æuo apud omnes gentes vel efferatiſsimas, & inſipientes iure naturali, neceſſario, & euidenti; ſed quoniam neceſſe erat, vt altera è Religionibus falſa eſſet, vel quam colebant Imperatores Romani, vel quam Chriſtiani: idque neceſſario definiendum fuerat, cum quid imperabatur ab illis contrarium

trárium noſtræ, idcirco ſi res in concertationem veniebat, neceſſario noſtræ aduerſabantur, eamque funditus euertere contendebant, quoniam noſtri nolebant obedire. Alioquin noſtræ ſua iura dimittebant, quin veritate noſtrarum rerum compulſi, in quæſtionem nolebant rem deuenire, ac de ſuo Imperio diminuere haud curabant, & imperata miſſa faciebant, duplex aliquando adeuntes damnum, quod & ipſorum Sacerdotes, & noſtri immunes eſſent, aut etiam quilibet Chriſtiani.

Propter hæc, plurima libera, & Epiſcoporum poteſtati omnino ſubiecta dimittebant, quod vt planiſsimum faciamus, ſunt aliqua à nobis prius explicanda, quæ maxime faciunt ad illuſtrandam veritatem, diuinamque prouidentiam in ſacra poteſtate & immunitate Eccleſiaſticorum bonorũ tuenda maxime conſignandam. Primumque eſt ante Imperatorem Conſtantinum tenuia fuiſſe Eccleſiaſtica bona ſtabilia, niſi Eccleſias, & domus Epiſcoporum, quod ideo prouiſum fuit, ne propter iſta impij Chriſtianos vexaret, quod hodie faciunt hæretici: atque vtinam non facerent aliqui Catholici, maxime impios omnium gentium ſceleſtiſsime imitantes. ſciendũ præterea fuiſſe Epiſcopis, eorumque iuſsis adeo Chriſtianos obedientes, vt nullus ex his quidquam ſceleris admitteret, ex quo duci poſſet in carcerem, quod Tertullianus in Apologetico tradit. Addimus & illud, Chriſtianorum ſæcularium bona patuiſſe vſibus Eccleſiaſticis abundantiſsime, etiamſi non forent Epiſcoporum, vel Sacerdotum. Nam ſic de Chriſtianis ſingulis Act. cap. 2. *Habebant omnia communia.* & cap. 4. *Ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Et S. Paulus de Galathis, licet à ſe alienatis. *Teſtimonium enim perbibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Eadem de ſuo tẽpore ita teſtatur ſanctus Irinæus libro 4. cap. 34. *Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ: ſic & Moyſes ait, non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui, vt in quibus gratus exiſtit homo, in his gratus ei deputatus, eum qui eſt ab eo, percipiat honorẽ, & non genus oblationum reprobatum eſt, oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, ſacrificia in populo, ſacrificia & in Eccleſia, ſed ſpecies immutata eſt tantum, quippe cum iam non à ſeruis, ſed à liberis offeratur. Vnus enim & idem Dominus, proprium autem character ſeruilis oblationis, & proprium liberorum, vti & per oblationes oſtendatur iudicium libertatis. Nihil enim ocio-*

ſum,

ſum, nec ſine ſigno, neque ſine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas ſuorum habebant conſecratas: qui autē perceperunt libertatē (Chriſtiani) *omnia quæ ſunt ipſorum ad dominicos decernunt vſus, hilariter & libere dantes ea, non quæ ſunt minora, vtpote maiorem ſpem habentes, vidua illa; & paupere hic totū victum ſuum mittente in gazophilaciū Dei.* Hæc S. Irinæus, eadē Tertullianus in Apologetico. Quocirca ſportulæ dabātur aliaque neceſſaria Clericis, Epiſcopis, & cultui diuino; vt habemus ex epiſtola ſexageſima ſexta Sancti Cypriani, vel nona libri primi. oſtendimus autem ſupra libro tertio Chriſtianis, Clericis, Sacerdotibus, & Epiſcopis fuiſſe etiam datas primitias, decimas, aliaſque oblationes, quibus non modo Epiſcopi ſe, Clericos & quæcumque ad diuinum cultum pertinebant, tueri poterant, ſed inopes largiſsime, ac benigniſsime alere valerent. Antoninis Imperatoribus poſt Adrianum, vixit Corinthi Epiſcopus Dionyſius, à quo diſcimus, quantæ Romanis Pontificibus eſſent opes ad hoſpites quoslibet Romæ excipiendos, ad inopes, tam in Vrbe, quam extra Vrbem alendos. Nam ſic ille ſcribens ad Romanos, vt refert Euſebius libro quarto cap. 22. *Nam Romanorum conſuetudinem, quæ aſſidue ad hanc perſecutionem noſtra ætate graſſantem ſeruata eſt, magnopere approbans, iſta ſcribit: apud vos is mos iam inueterauit, vt omnes fratres varijs afficeretis beneficijs, & Eccleſiis permultis, quæ in quaque ciuitate ſunt, vitæ mitteretis ſubſidia. Sic plane non ſolum egentium ſubleuatis inopiam, verum etiam fratribus, qui ſunt ad metalla damnati, opem fertis: ſicque per ea beneficentiæ ſubſidia, quæ iam à primis Eccleſiæ veſtræ iactis fundamentis paſſim mittere conſueuiſtis; cum ſitis Romani, Romanorum conſuetudinem à Patribus traditam ſedulo obſeruatis, quam quidem certe beatus Soter veſter Epiſcopus, & hactenus cuſtodiuit diligēter, & mirū in modū ſuo propenſo ſtudio adauxit, idque non modo opes in Sanctos reficiendos delegatas benigne ſubminiſtrando, verum etiam fratres, ad ipſum aduentantes tamquam Pater indulgens, & clemens in liberos, beato ac pio ſermone ad virtutem cohortando.* Hucuſque Dionyſius. Refert Euſebius idem libri ſexti cap. 35. epiſtolam Cornelij Papæ ad Fabium Epiſcopum Antiochenū, è qua perſpici poteſt, quam multæ opes Pontificibus Romanis eſſent, quibus tum Clerici, tum pauperes alerentur. Nam ſic ille de Nouato loquens, *Non ignorabat, quomodo enim poterat? Presbyteros eſſe* (in Eccleſia Romana) *quadraginta ſex*

Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & Lectores vna cum Oſtiarÿs quinquaginta duos, viduas & alios morbo, atque egeſtate afflictatos mille quingentos, quos omnes Domini gratia, & benignitas abunde ſuſtentat. Ex his itaque conſtat plurimas eccleſiaſticis opes fuiſſe. Secũdum eſt à nobis ad memoriam reuocandum. plurimi Chriſtianorum ſemper extiterunt Senatores, Conſules, Præfecti Prætorio, Proconſules, Præſides, Prætores, ex ipſa Imperatoris familia: & quantum ad militaria, Tribuni, Centuriones. Quod apparet ex ipſis Pauli epiſtolis, actiſque Apoſtolorum. Nam ſecundæ ad Timotheum in fine legimus. *Salutant Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.* Pudens autem Senator erat, Claudia vero generis Imperatorij; neque enim Claudiorum quiſquam ſibi gentilitium nomen aſſumpſiſſet, niſi genere eodem natus. Tiberius autem, Caius, Claudius, & Nero ex Auguſti ſanguine exorti Imperatores erant è Claudiorum gente omnes, vt è Suetonio in Tiberio cap. 1. & ſequentibus liquet. legimus ſimiliter in fine epiſtolę ad Theſſalonicenſes. *Salutant vos omnes ſancti, maxime qui de domo Cæſaris ſunt.* E quibus verbis neceſſario fit, multos Chriſtianos fuiſſe ex ipſius Imperatoris, ſiue Cæſaris familia. Clemens quidem, de quo cap. quarto ad Philippenſes, erat ex agnatione Veſpaſiani, ac Titi, vt appa ret è Suetonio in vita Domitiani. At Sergius Paulus, qui factus eſt Chriſtianus, vt habetur Act. cap. 13. Proconſul erat Cypri, & Ciliciæ, vt ibi apparet, ac nobilis patricius. ſic enim Virgilius lib. 5.

Sergeſtique, domus tenet à quo Sergia nomen.

Porro Cornelius, de quo Act. cap. 10. Chriſtianorum primus è gentibus, & Chriſtianus fuit Centurio, Romanuſque, ac non male dici poteſt patriciæ gentis. è quibus colligere poſſumus, à Chriſtianis Imperij Romani ſemper aliquas partes fuiſſe adminiſtratas, quamuis initia Chriſtianæ Reipublicæ fuerint humillima. Quocirca ita Plinius libro decimo ad Traianum ſcribens de religione Chriſtiana latiſsime amplificata, & impietate gentilium prope extincta. *Certe ſatis conſtat prope iam deſolata templa cepiſſe celebrari, & ſacra ſolemnia diu intermiſſa repeti, paſsimque venire victimas, quarum adhuc rariſsimus emptor inueniebatur.* Hæc ille anno poſt Chriſti mortem ſeptuageſimo. Audiamus poſt Plinium, quid Sanctus Iuſtinus dicat dialogo cum Tryphone.

 At qui

Atqui vnum quidem eſt genus mortalium, ſiue barbarorum, ſiue Græcorum, ſiue etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentorijs viuentium (ſcænitarum) & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen Crucifixi Ieſu, ſupplicationes, & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium fiunt. Hæc Iuſtinus Sub annum à morte Chriſti centeſimum Antonino Pio imperante. his conſentientia ſcribit Irenæus, qui hoc ipſo etiam ſæculo claruit, cum ait. *Et ſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis, vna & eadem eſt, & neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Aegypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt, ſic & lumen, & prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire. Et neque qui valde præualent in ſermone, ex his qui præſunt Eccleſijs, alia quam hæc ſunt, dicent; nemo enim ſuper magiſtrum eſt: neque infimus in dicendo deminorabit traditionem.* Hæc Irenæus. non multo poſt Iuſtinum, dum de vna fide vigente in omnibus Eccleſiis, & vna omnium traditione diſſerit.

Sed & Tertullianus, qui ſub annum centeſimum, & ſeptuageſimum à morte Chriſti, Seuero Afro, filiiſque imperantibus floruit hæc in gentes. *Si enim & hoſtes apertos, & non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcumque vnius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, Vrbes, Inſulas, Caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias,* (nota maxime hæc verba) *palatium, Senatum, forum; ſola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copijs, qui tam libenter trucidamur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes, nec rebelles; ſed tantummodo diſcordes ſolius diuortij inuidia aduerſus vos dimicaſſe: ſi enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtique dominationem veſtram tot qualiumcũq; amiſſio ciuium: immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet. proculdubio expauiſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam, quaſi mortuæ vrbis. quæſiſſetis, quibus*

bus in ea imperaſſetis. Hæc in gentes. idemque aduerſus Iudæos. *In quem enim alium vniuerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iã venit? cui enim aliæ gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam, immorantes Aegyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, Romani, & incolæ tunc & in Hieruſalem, Iudæi, & gentes cateræ, & iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britannorum inacceſſa loca Romanis, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Prouinciarum, & Inſularum multarum, vobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui iam iam venit, regnat, vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ, ante quem ſeræ ferreæ ſunt comminutæ, & valuæ æreæ ſunt apertæ. quãquam & iſta ſpiritualiter ſint intelligenda, quo præcordia ſingulorum varijs modis à diabolo obſeſſa fide Chriſti ſint reſerata: attamen perſpicuè ſunt adimpleta, vt pote in quibus omnibus locis populus nominis Chriſti inhabitet.* Hæc ipſe.

Idem Tertullianus pluribus monſtrat, nullum hactenus fuiſſe regnum, nullam Rempublicam, quæ vi armorum adeo dilatare ſuos vmquam potuerit fines, perinde ac populus Chriſtianus fecerit, idque abſque vi armorum, atque tumultu, ſic dicens. *Quis enim omnibus regnare potuiſſet, niſi Chriſtus Dei filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nunciabatur? Nam ſi Salomon regnauit; ſed in finibus Iudæ tantum à Berſabee vſque ad Dan termini regni eius ſignantur. Si vero in Babylonijs, & Parthis regnauit Darius, non habuit poteſtatem vlterius vltra fines regni ſui: non habuit in omnibus gentibus poteſtatem. Si Aegyptijs Pharao, vel quiſque ei in hæreditatem regni ſucceſſit, illic tantum potitus eſt regni ſui dominio. Si Nabuchodonoſor, cum ſuis Regulis ab Indiam vſque Aethiopiam habuit regni ſui terminos: ſi Alexander Macedo, numquam Aſiam vniuerſam, & cæteras regiones, poſteaquam deuicerat, tenuit: ſi Germani adhuc vſque limites transgredi non ſinuntur: Britanniæ intra Oceani ambitum concluſæ ſunt: Maurorum gens, & Getulorum barbaries à Romanis obſidentur, ne regionum ſuarum fines excedant. Quid de Romanis dicam? qui de legionum ſuarum præſi-*

dijs imperium ſuum muniunt, nec trans ipſas gentes porrigere regni ſui vires poſſunt. Chriſti autem regnum, & nomen vbique adoratur. Hucuſque de Eccleſia fœcundiſsima, & potentiſsima propagatione eccleſiaſtici ſcriptores. è quibus apparet non ignobiles modo, ac pauperes Chriſto adhæſiſſe, ſed etiam nobiles, opulentos, & qui maxima quæque tam domi, quàm belli, adminiſtrabant. Nam Senatum, legioneſque ipſas aſſerit Tertullianus Chriſtianorum plenas fuiſſe; & ſanè poſſemus plurium nomina colligere, & proferre, ſed non eſt opus. Anno quidem à morte Chriſti ducenteſimo, ac decimo tertio, vel ab ortu ducenteſimo quadrageſimo ſexto, Philippus Imperator Chriſtianus fuit, & ante hunc Seuero Afro imperante, Philippus fuit Aegypti Præfectus Auguſtalis, qui locus erat ſecundus ab Imperatore. Tanta certè Cornelio Pontifice, maieſtas, ac poteſtas eius Romæ, ac toto orbe Romano erat, vt Sanctus Cyprianus epiſtola quinquageſima ſecunda, dicat ipſi fuiſſe æmulum Imperatorem Romanum: nam ſic ille. *Quanta in ipſo ſuſcepto epiſcopatu ſuo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quòd nos ſimplici corde, & perſpicere penitus, & laudare debemus ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda, atque infanda minaretur, cum multo patientius, & tolerabilius audiret leuari aduerſus ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem.* Hæc Sanctus. Sed audiamus Euſebium loquentem de temporibus ante Diocletianum. ſic igitur ille libro 8. cap. 1.

Quantum ſplendoris doctrina veræ pietatis in Deum omnium rerum gubernatorem mundo per Chriſtum patefacta apud omnes homines Græcos ſimul, ac Barbaros ante iſtam perſecutionis tempeſtatem, quæ noſtra ingruit memoria, obtinuerit, & quam libere inter eos prædicata fuerit, maius quiddam eſt, quam quod nos noſtra in dicendo tenuitate, ſatis pro dignitate explicare poſsimus. Cuius rei argumento eſſe poterit ſingularis Imperatorum humanitas, qua noſtros tam benigne exceperunt: quibus quidem tum prouinciarum præfecturas gratuito impertierunt, tum propter incredibilem beneuolentiam, quam erga noſtram religionis profeſſionem habebant, omni afflictione, & moleſtia, quam pro Dei amore Chriſtiani ſolent perpeti, eos penitus liberarunt.

Quid de his attinet dicere, qui ſunt in Imperatorum palatio magnam dignitatem adepti, deque ipſis Imperatoribus, qui domeſticis

ſticis ſuis pro ſermone diuino propagando, & pia vita ratione degenda, ipſi velut inſpectantes copiam fecerunt libere, & ingenue dicendi: atque adeo ſuis ipſorum vxoribus, liberis, & ſeruis, quaſi palam de mira fidei libertate gloriandi, exultandique poteſtatem permiſerunt? quos certe chariores habuerunt, & magis eximie dilectos, quam reliquam ſeruorum turbam, vt Dorotheum illum, qui præter cæteros erga illos, & beneuolentiam ſummam oſtendit, & fidem non minorem: ac propterea præ alijs, qui magiſtratus, & præfecturas in imperio gerebant, ampliſſimum honoris gradum adeptus eſt; vt Gorgonium, qui non diſſimili fama, & celebritate enituit: vt alios non paucos, qui propter Dei verbum ſunt parem, cum illis dignitatem conſequuti.

Aut quid memorem, qua humanitate, cultu, & beneuolentia, non illa quidem vulgari, & contemnenda prouinciarum Præfecti, & Rectores Eccleſiarum, Præſides, & Epiſcopos vt manifeſte cernere licebat, amplexati fuerint? Aut quomodo quiſquam conuentus illos infinita hominum turba frequentatos, multitudines in ſingulis ciuitatibus coactas, illuſtres hominum in templis concurſus poterit oratione explicare? Vnde cum in antiquis illis ædificijs non ſatis loci haberent, ampliores Eccleſias in vniuerſis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt; & quandiu diuina, & cæleſtis Dei manus populum ſuum, vtpote auxilium eius promerentem obtexit, ſuoque muniuit præſidio: tandiu vlla neque hominum inuidia, quo minus iſta res vna cum tempore in dies maiores progreſſiones facerent, incrementoque, & magnitudine augeſcerent, omnino potuit obſiſtere, neque veſanus ille, & perditus dæmon, vel ſuo ipſius conatu eas in inuidiam rapere, hominum inſidijs, vel ex parte impedire. Rurſus idem lib. 1. de vita Conſtantini cap. 11. & ſequentib. verba faciens de Conſtantio Chloro Conſtantini patre, & Imperatore loquens.

Sic igitur omne tempus regni conſtans, & tranquillum liberis, & coniugi, cum tota famulorum turba præſtitit, omnemque ſuam familiam vni Regi Deo conſecrauit: adeo vt multitudo, quæ intra regiam ipſam conuenerat, nihil ab Eccleſiæ forma diſtare videretur, in qua inerant Dei miniſtri, qui continuos cultus pro Imperatore etiam tum obierunt, cum priorum hominum genus, & vere Deo inſeruientium, alibi apud gentilium multitudinem ne nominare quidem abſq; periculo poterant. Ob quas quidem res, neque id adeo diu poſt Deus illum egregie remuneratus eſt (repetit Euſebius breuiter collata illi à Deo beneficia) ſic vt iam in imperij guberna-

tione

tione primas facile obtineret. Et poſt.

Illi enim, qui clauum Imperij ante eum tenuiſſent, neſcio quomodo repentina animorum facta mutatione, poſt primum annũ, quo Eccleſia Dei graui fuiſſent obſidione oppugnata, Imperio ſe ſponte abdicauerunt. Conſtantius de reliquo ſolus, & ſummus Imperator, & Auguſtus appellatus eſt; qui cum initio Cæſarum, ac Imperatorum diademate illuſtratus, & inter hos primas adeptus, tum poſtea in hoc honoris gradu explorate, qualis eſſet perſpectus, & cognitus à Romanis, ad ſummam dignitatem elatus fuit, & ante quatuor Imperatores, qui poſt eum regnabant, ſummus, & Auguſtus nuncupatus, quin etiam ſolus præter cæteros Imperatores propter liberorum probitatem excelluit permagna vtriuſque ſexus caterua in lucem edita ſuſceptaque. Hæc poſt alios Euſebius. è quibus apparet, Chriſtianam religionem latiſsime propagatam poſt ſpiritum Sanctum, cælitus in Apoſtolos & Chriſtianos miſſum: manifeſte enim S. Paulus de illis loquens, ait ad Romanos: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et de Romanis ipſis, *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* apparet etiam Chriſto ſeſe adiunxiſſe plurimos eorum, qui gubernacula publicarum rerum prima regebant. Numerantur autem nonaginta tres Imperatores, tum legitimi, tum non legitimi vſque ad Conſtantinum, quorum nomina recenſebuntur infra loco ſuo. Ex his decem præcipue conati ſunt abolere Chriſtianam religionem publicis edictis. Et nihilominus aliqua nobis ſunt maxime obſeruanda, vt cognoſcamus diuinum, naturaleque ius Eccleſiaſticæ poteſtatis in omnia.

Primumque eſt illud, noſtros Epiſcopos iudicare inter Chriſtianos quidlibet potuiſſe, quod ſanctus Paulus iubeat noſtra ad infideles haud deferri, cap. 6. epiſtolæ primæ ad Corinthios, ex quo, vti diximus ſupra, omnium controuerſiarum ciuilium, quæ inter Chriſtianos oboriebantur, iudices erant Epiſcopi, qui poterant non obedientes ipſorum ſententiæ tãquam contumaces excommunicare, & expellere ab Eccleſia veluti è domo ſua. Quin erant in criminibus etiam iudices, quatenus vel alios priuatè, vel publicè lædebant, in hunc ſcilicet finem, vt publicæ læſioni ſatisfieret. Non enim iudicibus aliis auferebatur, quominus pœnis & ipſi ſuis, quicumque erant, ſontes punirent. Neque legimus vllibi fuiſſe auocata ab Epiſcopis hæc iudicia niſi ab ijs Imperatoribus, qui Chriſtianam fidem nitebantur

bantur omnino tollere.

Secundo, Delectus Epiſcoporum ſic erat liber, vt nunquam legamus ab Imperatoribus impiis conſtitutum, ne deligerentur Epiſcopi ſine ipſorum conſenſu, vel non adminiſtrarent Eccleſiaſtica munera, & bona niſi ipſi appoſuiſſent electioni eorum, Placet, exequatur, vel aliquid huiuſmodi.

Tertio, Numquam legimus ab Imperatoribus impiis ſancitum, ne libera eſſet exequutio legum, quæ ferrentur ab Epiſcopis, ad mores quoſcumque pertinentium, neque libera eſſet iis excommunicandi, tam contumaces, quam fauentes ipſis, niſi apponerent ipſi legibus, Placet, exequatur.

Quarto. Numquam vetitum fuit ab Imperatoribus impiis, ac Regibus Chriſtianorum cœtui, quominus decimas, primitias, aliaq; oblata præſtaret, vel numquam fuit ab Imperatoribus impiis imperatum Chriſtianis, vt ex oblationibus, primitijs decimisve aliis, quæ diuino cultui dedicarent, decimam, quintam, quartamve partem ſimul Imperatoribus ex ſoluerent, aut præſtarent alia tributa præter vſitata, aut quibuslibet impoſita per vniuerſale edictum.

Quinto. Numquam vetitum fuit Chriſtianis ab Imperatoribus impiis, ne ſimul conuenirēt, vel omnes, vel aliqui niſi adfuiſſet aliquis Imperatorum nomine, niſi ab illis, qui contendebant Chriſtiana omnia ſubruere. Quin illud admirabile eſt, cum vetitæ eſſet hæ coitiones, vt apparet ex l. collegia. §. in ſumma. ff. de collegiis, & corporibus illicitis; nihilominus Chriſtianis omnino permittebantur. ſoli id vetuerunt Imperatores, qui ſtudium poſuere in Chriſtiana religione penitus abolenda.

Sexto. Numquam legimus fuiſſe ab vllis Chriſtianis ad Imperatores, vel vllos iudices ſæculares appellatum, vel ab Imperatoribus impiis fuiſſe conſtitutum lege vlla, vt ad illos, illorumve iudices appellaretur, quoties ab Epiſcopis aliquid iudicatum fuiſſet, neque id alicui partium placuiſſet. Primi omnium tentauerunt hoc hæretici omnium nefandiſsimi Paulus Samoſatenus, vt ſupra libro quinto diximus, ac Donatiſtæ, vt Optatus late in hiſtoria ſua ſcribit, ac reiecti fuere illi ab Imperatore Aureliano, & iſti poſtremò à Conſtantino nondum Chriſtiano. Ex his apparet quàm longe recedant ab omni iure, ac pietate, qui principibus Catholicis audent ſuadere, vt audeant, quæ non ſunt auſi illi ipſi, qui à fundamentis euertere

Chriſtia-

Chriſtianam religionem ſunt conati, omneſque in id neruos contenderunt. Sed inſpiciamus contra Imperatorum multos illud ſtuduiſſe, vt Chriſti religio, ſimulque omnia ſuperiora ſtarent, quamuis plurimum de poteſtate ipſorum diminueretur, ne libere excurreret in omnia, religioque ipſorum, ſeu potius ſuperſtitio, & impietas tolleretur. Exordiamur à Tiberio, quo imperante Chriſtus eſt Cruci affixus. Sit itaque Tertullianus Apologetici cap. 5. & 11. cui ſubſcribunt Euſebius lib. 2. cap. 2. Oroſ. lib. 7. cap. 7. Turonenſis lib. 1. cap. 24. Ita vero ille. *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, nunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij ſui: Senatus, quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar autem in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Hæc de Tiberio Tertullianus; & tamen cognoſcere poterat ſe Epiſcopis ſubiiciendum, cuncta ad Epiſcopos deferenda, imminuendam ſuam poteſtatem. Poteſtas diuini iuris, ac naturalis omnia ſuperabat.

Tiberio, Caius, & Nero ſucceſſerunt, Epiſcopis omnia Chriſtianorum moderantibus, donec impius hic omnium peſſimus, ac primus in Eccleſiam Chriſti, Apoſtolos, & Epiſcopos arma mouit. ſuffecti ſunt ipſi intra annum, Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, conquieſcente in Chriſtianos commota tēpeſtate. quamuis Veſpaſiani extremis annis aliquid male acciderit. ei Titus ſucceſsit, de quo ita Suetonius vitæ cap. 5. *Pontificatum maximum ideo ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus, fidem præſtitit: nec auctor poſthac cuiuſquam necis, nec conſcius, quamuis interdum vlciſcendi cauſa non deeſſet; ſed periturum ſe potius, quam perditurum adiurans. duos patricij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil amplius, quam vt deſiſterent, monuit, dicens, Principes fato dari, ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum.* Hæc & alia Suetonius, ſed & Dio hæc de Tito. *Non modo Senatorem quandiu, principatum tenuit nullum interfici iuſſit, ſed nec alius quiſpiam ſub eius Imperio morte affectus eſt. De crimine impietatis numquam cognouit, nec permiſit alijs vt cognoſcerent.* Hæc ille, impietatem vocans Chriſtianam religionem. ſuffectus eſt Tito impius Domitianus, atq; Eccleſiæ hoſtis, cui Nerua eſt ſubſtitutus, de quo ſic Dio.

Cæterum Nerua omnes, qui impietatis in Deos rei fuerant, abſolui

ſolui voluit,& exules in patriam reduxit,& paulo poſt edicto vetuit,ne liceret,aut impietatis,aut Iudaicæ ſectæ(eo nomine Chriſtianos ſignificabant*) quempiam de hinc inſimulari.* Neruæ Imperium Traianus excepit,qui Chriſtianis iniquior à principio *mandauit ad extremum,* inquit Suidas,*omnibus præfectis ſuis, ne ſupplicijs Chriſtianos afficeret.* Hęc ille,verbo,*Traianus,*cui ſucces Adrianus ita reſcripſit, vt Iuſtinus in Apologia ſua refert.

Hadrianus Minutio Fundano S. Epiſtolam à Serenio Graniano viro præſtantiſſimo, in cuius locum tu ipſe ſurrogatus es, ſcriptam accepi. Atque mihi ſane videtur res, cauſaque non ſine accurata inquiſitione prætermittenda, ne tum homines Chriſtiani magnopere conturbētur, tum calūniatoribus ſceleris in eos admittēdi facultas præbeatur. Quod ſi homines prouinciales pro ſua poſtulatione quidquā verè,ac manifeſto afferre,affirmareq; contra Chriſtianos poterunt, quo pro tribunali iuſto iudicio conuincātur,eo ſe ſolum conuertant, eo ſpectent: verum vt multitudinis ſolum petitionibus, clamoribusque morte mulctentur, nullo modo permitto. Immo vero multo magis par eſt,ſi quis cuiquam crimen velit intēdere,vt tu de illo diligēter decernas,& ſi à quoquam Chriſtiani homines in iudicium vocentur,oſtendāturq; aliquid contra leges deſignaſſe, tu ita,prout criminis ratio,& modus poſtulat, decidas,ſtatuasque. At me hercle,ſi quiſpiam, quo eos calumnietur,id tentauerit,tu eiuſmodi hominē pro nequitia,& crudelitate ſeuere coarguito, atq; adeo ſedulo proſpicito,vt debitas pœnas luat. Hucuſque Hadriani epiſtolæ ad Fundanum exemplar. habuit in animo præter hæc Hadrianus,vt infra dicemus,Chriſto paſsim templa cōſtituere. Succeſsit illi Antoninus Pius,qui maxime religioni Chriſtianæ videtur fauiſſe: nam ſic ille publico reſcripto ad omnes,vt refert Euſebius lib.4.cap.12.

Noui quidem dijs curæ eſſe,ne tales homines impuniti in obſcuro lateant: nam illi ipſi, ſat ſcio,de ijs, qui ipſis cultum tribuere recuſant, ſunt multo acerbius ſupplicium ſumpturi,quam nos. Ac quibus hominibus iam ipſi grauem exhibetis moleſtiam, & tamquam impios, atque à deorum cultu auerſos inſimulatis,eorum,planè, quam habent,magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis eſt,vt in crimen adducti, mortem pro Deo ſuo oppetant, quam vt vita fruantur. vnde ſua ipſorum vita hoc pacto prodita, multo maiorem,clarioremque reportant victoriam, quam ſi imperata,quæ vos ab ipſis fieri poſtulatis, obirent. cæterum de terræmotibus,qui vel præterierunt, vel iam ſunt, non alienum à rationè

videtur,vos commonefacere,quādoquidem etiam cum adſint, animas dimittitis, & infelices veſtri omnium caſus in illorum religionem,tanquam eorundem cauſam transfertis. At illi cum tale quid eueniat,conſtantius,firmiuſque Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore Deum penitus ignorare,reſque ſacras prorſus contemnere,& non ſolum cultus,qui ſoli Deo debetur,inſcij eſſe,& expertes; verum etiam eos,qui illum obſeruant,& venerantur,grauiter exagitare, & ad mortem vſque inſectari videmini. Pro quibus omnibus multi,qui noſtris præfuere prouincijs,iam ante diuiniſsimo,ſanctiſsimoque noſtro patri litteras ſcripſerunt. Ad quoſquidem ille reſcripſit,nihil eiuſmodi viris negotij faceſſendum,niſi forte aliquid maleficij contra Romanum Imperium deſignare moliantur. Ad me etiam eorum cauſa ſcripſere multi, quibus per litteras patris mei ſententiæ, & voluntati aſſentiens reſponſum dedi. Quod ſi quiſpiam igitur cuiquam Chriſtiano,quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtiæ quidquam, aut criminis inferre, ille, cui crimen illatum fuerit,etiam ſi re ipſa Chriſtianus deprehenſus ſit, abſoluatur;qui autem illum accuſauerit, iuſtum, debitumque ſupplicium ſubeat. Hæc ille,poſt quem ſic Antoninus Philoſophus ad populum Romanum poſt relatam è borealibus populis nobiliſsimam victoriam.

Certiores vos feci de conſilij, propoſitique mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in diſcrimine, atque obſidione alia ex alijs acciderunt, quum in eius medio labore, atque æſtu confectus fuiſſem. Sane,dum Carnuti eſſem,ſpeculatores nobis indicarunt, ſeptuaginta quatuor hoſtium dracones prope nos nouem millibus adeſſe: idemque Pompeianus, quem bello ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus,renunciauit. Cumque in noſtrorum militum in exercitu haberemus tantum legiones primam, decimam, Geminam,& Fretenſem, hoſtium vero nongētorum,& ſeptuaginta ſeptem millia, meaſque ipſius copias cum ingenti barbarorum, atque hoſtium exercitu comparaſſem, deos patrios votis ſuſceptis rogaui; ſed cum ab eis negligerer, meque ab hoſtibus premi animaduerterem; copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur, accerſiui, ac rogaui, inuenique magnam eorum multitudinem,illoſque minis compuli,quod minime decuerat; propterea,quod poſtea illorum vim,ac poteſtatem cognoui. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum, neque ad turbarum vſum ſe contulerunt: hoc enim illis facere Dei cauſa, & nomine, quem in conſcientia geſtant,gratum

non

non eſt. Aequum igitur eſt, vt quos impios eſſe, & à Deo alienos opinabamur, eos exiſtimemus Deo munitos eſſe. Cum enim ſe humi proieciſſent, non ſolum precati ſunt pro me, ſed etiam pro toto hoc exercitu, vt famis, ac ſitis, qua vrgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquam non ſumpſeramus, quod ea non ſuppeteret. Eramus enim in media Germania montibus vndique concluſi. Simul autem, atque ſeſe humi abiecerunt, ac Deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam: ſtatim è cælo pluuia delapſa eſt in nos quidem frigidiſſima: in Romanorum vero hoſtes grando, ignis ſpecies, ac ſimilitudines, & fulmina, eorumque orationibus, ac precibus ſtatim præſto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus, vt ſint Chriſtiani, ne qua arma eius generis contra nos petant, & impetrent. Cenſeo autem neminem, quod Chriſtianus ſit, eſſe in crimen & in iudicium vocandum. Quod ſi quis inuentus fuerit, crimini dare cuipiam, quod Chriſtianus ſit, ei quidem qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud obiectum eſt, quam quod Chriſtianus tantum, dimitti: eum autem, qui Chriſtianum accuſauit, viuum exuri: illum vero, qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei intendebatur, liberatum. Is cui prouincia commiſſa eſt, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc aut S. C. etiam ſanciri volo, atque hoc meum edictum in foro diui Traiani proponi, vt legi poßit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni Præfecto vrbis, vt ad omnes prouincias hæc conſtitutio mittatur; neque quiſquam qui eam exſcribere, vel ipſa vti voluerit, prohibeatur. Valete. Hæc ille. meminit harum litterarum Tertullianus in Apologetico capite quinto, Euſebius libri quinti capite quinto, Oroſius libri ſeptimi capite decimo quinto; attexuntur Apologiæ Sancti Iuſtini. refert Panuinus in faſtis lib. 2. & Cardinalis Baronius in annalibus ſuis. Antonino Philoſopho ſucceſsit Commodus Chriſtianis æquus: non ita Septimius Seuerus, cui ſuccedens Caracalla nihil eſt in eos molitus, veluti neque Heliogabalus. de Alexandro autem Mammeæ ſic Lampridius in vita.

Matutinis horis in Lārario ſuo, in quo & duces, principes, & optimos electos, & animas ſanctiores, in queis, & Apollonium, & Chriſtum, & Abraham, & Orpheum, & huiuſcemodi deos habebat, ad maiorum effigies, rem diuinam faciebat. Et poſt multa. *Chriſto templum facere voluit, eumque inter deos recipere, quod*

& Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus iuſſerat fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, vocantur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur, ſed prohibitus eſt ab ijs, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato veniſſet, & templa reliqua deſerenda. Hæc ipſe. quod olim iactari à Chriſtianis aiebat Celſus Epicureus, Romanos omnes, & Imperatores fore Chriſtianos ſatis demonſtrant hæc ipſa, quæ ab ipſorum oraculis, ipſis inuitis redderentur, non latuiſſe gentiles propheticis oraculis attendentes: licet hæc nequaquam à Chriſtianis iactari, Origenes excuſet lib. 2. contra Celſum.

Alexãdro Maximinus inimiciſsimus nõ modo Chriſtianorũ, ſed etiam generis humani ſucceſsit, inde Gordiani, quibus, vt diximus, ſucceſsit Philippus, qui licet Babylã coniecerit in carcerem, in quo deceſsit, impoſitum tamen à Fabiano Papa piaculum libenter accipiens, quamuis homo barbarus, ac ferox, totius orbis Romani Imperator haud eſt dedignatus in Eccleſia vltimum inter pænitentes locum tenere. Vt videas quanta fuerit iniquiſsimis temporibus Pontificum Romanorũ poteſtas ac libertas. Philippo ſubſtituti ſunt Decius, poſtea Gallus, & Voluſianus, mox Valerianus, & Gallienus; qui ita pro Chriſtianis reſcripſit, quod refert Euſebius libri ſeptimi capite decimo quarto.

Imperator Cæſar Publius Licinius Gallienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio, & Pinnæ, & Demetrio, & cæteris Epiſcopis ſalutem. Meæ munificentiæ beneficium per vniuerſum orbem diuulgari præcepi, vt qui loca religioſa, quæ ſpectant ad Chriſtianos poſsident, ab illis ſtatim diſcedant. & propterea vos litterarum mearum exemplari vti poteritis, quo nemo deinceps vobis quietem faceſſat moleſtiæ, atque iſtud quidem, vt nunc libere, & pro arbitratu à vobis expleri queat, iam pridem à me erat conceſſum. His de cauſis Aurelius Cyrenius, qui ſummam rerum ſeundum me adminiſtrat, litterarũ etiam exemplar conſeruabit. Hucuſque reſcriptum ad Epiſcopos. ſubdit hæc Euſebius: *Aliud porro decretum illius eſſe dicitur, quod ad alios Epiſcopos dedit, per quod loca illa, quæ cœmiteria nominabantur, integram adeundi, occupandique fecit poteſtatem.*

Gallieno imperante triginta tyranni imperium Romanum diſcerpſere. Inde Claudius iniquus Chriſtianis, cui ſucceſſit Aurelianus, qui appellantẽ Samoſathenum reiecit ad Pont.

Rom.

Ro. Aureliano ſubſtituti ſunt Tacitus, Probus, atq; ex ordine Carinus, & Carus, de quo mox dicemus. Poſt accerrimi hoſtes Chriſti Diocletianus, Maximianus, Galerius, & prope Chriſtianus, de quo diximus, Conſtantius Chlorus; denique Maxentius, & Maximinus, cuius recitat edictum tale Euſebius libri noni capite octauo.

Imperator Cæſar, Caius, Valerius, Maximinus, Germanicus Sarmaticus Pius, Fortunatus, Inuictus Auguſtus ſuis ſalutem.

Prouincialium noſtrorum vtilitati aſsidue, & ſine intermiſſione conſulere nos omni ratione decet, atque ea illis libenter velle præſtare; quibus eorum omnium emolumenta rectiſsime conſtituantur; & quæ videantur ad commune eorum adiumentum, & commodum vel maxime pertinere, ac quæ Reip. præſidio conueniunt; quæque cuiuſque menti, & cogitationi grata ſint, neminem ignorare, immò vero quoque ad illud libenter ſe transferre, & velut animo recurrere, & ſingulos homines hoc intelligere, hoc intra ſe complecti minime obſcurum eſſe putamus. Cum igitur ante hoc tempus ex eo, quod patres noſtri diuiniſsimi Diocletianus, & Maximianus mandauerunt, vt Chriſtiani à conuentibus agendis probiberentur, multos tumultus, multaſque direptiones à publicis magiſtratuum miniſtris fieri, & poſtea idem malum ad prouincialium noſtrorum moleſtiam, quorum quieti cum primis prouidere laboramus, longius manare, eorumque facultates diſsipari, & conteri perſpicue intelligeremus, litteris anno præterlapſo ad Præfectos cuiusque prouinciæ datis decreuimus, ſanciuimusque, vt ſi quis in animo haberet talem vitæ conſuetudinem, aut religionis illius obſeruationem conſectari, nunc libere, & abſque impedimento ſuæ ipſius ſententiæ, & inſtituto poſſe adhæreſcere, & à nemine omnino impediri, probiberique, & illis facilem poteſtatem fieri, vt abſque metu aliquo, aut ſuſpicione, quod cuique viſum eſſet, id quiſque tranſigeret.

Verum iam nos minime præterit, iudices nonnullos noſtra mandata pro nihilo putaſſe, effeciſſeque, vt & noſtri homines non modo de noſtris edictis vehementer dubitent, verum etiam religionis inſtitutis, quæ ipſis maxime placere videntur, præ metu lentius, ac tardius ſe accommodent. Quare vt deinceps omnis cauſa dubitationis, & timoris ſublata ſit, hoc edictum diuulgari ſtatuimus, quo omnibus plane conſtet, ex hac noſtra donatione liberam eſſe poteſtatem illis, qui iſtam ſectam, & religionem ſequi voluerint, eam pro arbitratu ſanctè (vt eorum mos fert) & auguſtè excolendi.

Quin

Quin etiam vt dominica, & ſacras ædes reficiãt, à nobis conceſſum eſt. Et quo noſtra donatio liberalior, & munificentior fiat, hoc etiã promulgandum cenſuimus, vt ſiquæ ædes, aut agri Chriſtianorum iuris ante hac extiterint, qui ex Patrum noſtrorum mandato in ius fiſci relati ſunt, ſiue ex aliqua ciuitate occupati, ſiue abalienati per venditionem, ſiue pro munere alicui donati, hi omnes ad antiquum Chriſtianorum ius reſtituantur, hocque mandauimus vti noſtram pietatem, atque prouidentiam inde omnes ſatis dilucide animaduertant. Hæc ille. Atque hucuſque impij regnarunt. Poſt eos Licinius, omnibuſque ſuperſtes Conſtantinus.

Ex his omnibus apparet, aliquos Imperatorum noſtris Sacerdotibus, & Epiſcopis fauiſſe, licet Chriſtiani haud forẽt, aliquos, quid agerent, haud curaſſe, iutaque Epiſcopis ſua reliquiſſe intacta, alios ſtirpitus excindere Chriſtianam religionem publicis aduerſus Chriſtianos propoſitis dictis conatos. in his præcipuè videntur, Nero, Domitianus, Septimius, Decius, Maximinus Thrax, Valerianus, Aurelianus, Maxentius, Maximinus, poſtremi fuere Licinius, & apoſtata Iulianus. ex his qui fauerũt, aliqui nõ modo Epiſcopis, quoad Chriſtianos, intactam poteſtatem reliquere, ſed etiam dedere ijs immunitatem quoad tributa ſolita Imperatoribus præſtari.

Extat Cari Imperatoris de remiſsione tributi conceſſa, Theſſalonicenſi Eccleſiæ reſcriptum in hæc verba: *Imperator Carus Præſidoro Præfecto Petronio. Sacroſancta Theſſalonicenſis Eccleſia aperte ſciat propriæ tantummodo capitationis modum beneficio noſtri numinis ſubleuandum, nec extraneorum grauamine tributorum rempub. Eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam.* Extat hæc lex in Codice Iuſtiniani lib. 8. C. de ſacroſan. Eccleſia.

Quæro igitur à conſiliariis principum Chriſtianorum, quorum nam velimus eſſe Principes noſtros, & cuiuſnam iuris ſit eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas? An repetemus argumenta ſuperius facta? An aduocabimus ad teſtimonium pro illa ferẽdum ſublimi è cælo cum fulminatrice legione fulmina? An elementa omnia, quæ commota fuiſſe, quoties arma in Eccleſiaſticam poteſtatem mouerunt Imperatores, & impij mouent, oſtendimus vltimo libro de Signis Eccleſiæ Dei?

Libertas

Libertas, ac Poteſtas Eccleſiaſtica eſt iuris gentium maxime hominibus naturalis, ac primæui deducti per euidentem, neceſſariamque conſequentiam à primo principio actionum humanarum practico, ac proinde eſt, ac fuit imperitiſsimis gentibus notiſſima: ac retorquetur argumentum, quo ſæculares vtuntur, dicentes eſſe iuris naturalis iura ſua conſeruare, ac tutari. Cap. VII.

Sed tamen, cum quæritur an ea, quæ ſunt iuris gentium, ſint iuris etiam naturalis, oritur ambiguitas. Nam varie locutus videtur ſanctus Thomas, non aliam ſane ob cauſam, niſi quia ſunt ab omnibus attributa iuri gentiũ varia, quorum quidem neceſſario variæ ſunt definitiones, neque hæc ex placito humano naſcantur. Nam religio dicitur eſſe iuriſgentium, cum tamen nihil ſit tam naturale homini, quam Deo ſeruire, Deum colere, ac revereri. Ad id noſtra corporis membra omnia videntur naturaliter facta ab ipſa natura, vt Deî diuinorumque cognitioni ſeruiant. Primumque humanarum actionum principiũ, quod practicum vocant, eſt Deus, Dei cultus, amor, obedientiaque illi exhibenda. Hic eſt ſingularum quarumque actionum cuiuslibet hominis primus, ac ſupremus finis. Huc omnia ſpectant, nullo modo id immutari iuſte, aut poteſt, aut debet. Eiuſdem iuris videntur eſſe, quæ diuinum cultum neceſſario conſequuntur, quoties inter mortales conſtituuntur, vt perſonæ, loca, resque iſtis conſecratæ, ac ſeruientes; vti aperietur. Quocirca S. Thomas inquit centeſimæ quæſtionis articulo primo, in prima ſecundæ. *Moralia enim ſunt de illis, quæ ſecundum ſe ad bonos mores pertinent. cum autem humani mores dicantur in ordine ad rationem, quæ eſt proprium principium humanorum actuum, illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt; mali autem, qui à ratione diſcordant. ſicut autem omne iudicium rationis ſpeculatiuæ procedit à naturali cognitione primorum principiorum, ita etiam omne iudicium rationis practicæ procedit*

procedit ex quibuſdam principiјs naturaliter cognitis, vt ſupradictum eſt, ex quibus diuerſimode procedi poteſt ad iudicandum de diuerſis: quædam enim ſunt in humanis actibus adeo explicita, quod ſtatim cum modica conſideratione poſſunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. quædam vero ſunt, ad quorum iudicium requiritur multa conſideratio diuerſarum circumſtantiarum: quas conſiderare diligenter non eſt cuiuslibet, ſed ſapientium, ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos. Quædam vero ſunt ad quæ dijudicanda indiget homo adiuuari per inſtructionem diuinam, ſicuti ſunt credenda. Sic igitur patet, quod cum moralia præcepta ſint de his, quæ pertinent ad bonos mores: hæc autem ſunt, quæ rationi conueniunt: omne autem rationis humanæ iudicium aliqualiter à naturali ratione deriuetur, neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diuerſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cuiuslibet hominis dijudicat eſſe facienda, vel non facienda (ſicut honora patrem tuum, & matrem: & non occides: non furtum facies, & huiuſmodi) ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis à ſapientibus iudicantur eſſe obſeruanda. & iſta ſic ſunt de lege naturæ, vt tamen indigeant diſciplina, qua minores à ſapientibus inſtruantur: ſicut illud, coram capite cano conſurge, & honora perſonam ſenis, & alia huiuſmodi. quædam vero ſunt, ad qua iudicanda ratio humana indiget inſtructione diuina; per quam erudimur de diuinis, ſicut eſt illud, non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, & non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Hæc Sanctus. Quærimus itaque an Sacerdotum regia poteſtas in ſuos, immunitas templorum, beneficiorum, rerumq; Deo dedicatis perſonis ſeruientium, ſit iuris naturalis abſolute conſiderati, an vero propter aliud extrinſecus conſideratum. Nam quidam prodidere, eſſe in ſecundum locum reiiciendam. Verumtamen videtur eſſe primi. quod multipliciter comprobatur.

Primo. illud, quod videre alieniſsimi à iure naturali, ac lumine ipſius, eſt euidentiſsime iuris naturalis, vt patet ex iis, quæ S. Thomas tradit, & ipſa ratio cogit nos fateri. atqui, vt ſupra eſt explicatum, longiſsime poſiti à naturali ratione, viderunt, eſſe libera tẽpla, res diuinis perſonis ſeruientes, ac perſonas ipſas. Videre enim Scythæ Hyperborei, extremi Indi,

quorum

quorum nonnulli populi, quod Strabo refert, occidebant, & comedebant parentes ſuos ſenes prope mortem poſitos; videre Aethiopes, quorum aliquibus vix erat ſermo humanus; videre infræni Numidæ, vt mittamus Germanos antiquiſsimos, ac toto orbe diſiunctiſsimos Britannos: ergo eſt iuris naturalis primo loco poſiti; per euidentem, bonamque conſequentiam à primo principio practico deducti.

Secundo. illud, quod repugnantes illi eidem iuri non potuerunt non fateri, eſt euidentiſsime iuris maxime hominibus naturalis, quippe, quod intellectum cogat fateri, & aſſentiri propoſitis, quod quomodo ſit, infra oſtendetur. At qui eſt huiuſmodi illud; Deo præ cunctis eſt obediendum, reuerentiaque exhibenda; ac propterea diuinis viris, locis, & rebus, reſpectu aliarum perſonarum, locorum, rerumque, niſi quid extrinſecus adueniat. Patet hoc ex allatis. Aegyptiorum namque, Syrorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque aliqui, ſiue Reges, ſiue Imperatores maxime oppugnarũt ſacerdotalem poteſtatem, libertatemque, quoad illa tria, & tamen ijdem veritate adacti confitebantur, & aſſentiebantur illi, vt in Pharaone, Nabuchodonoſoro, Dario, Epiphane, Traiano, Adriano, & aliis apparet. quamuis enim poſsit hoc referri ad poteſtatem ſupernaturalem; tamen aderat argumentum conuincens, reſpectu illorum, qui ſeſe illis ſubiiciebant, vt præfati ſumus capite ſuperiori, ac latius infra concludetur.

Tertio. quod inter inimiciſsimos immobile ex æterno vſque ad Conſtantinum, vt vidimus, permanſit, neceſſe eſt fuerit id iuris æterni, ac maxime hominibus naturalis aliquo modo. tale eſt id de quo diſputamus, vt è ſuperioribus conſtat.

Quarto. quod à contrariis maxime impetitum, tamen maxime omnium denique eluxit, atque euidens fuit, eſt ſuo modo euidentiſsimum ius naturale: tale eſt, de quo nunc agimus, eſt itaque euidentiſsimum ius naturale: licet enim maxime fuerit oppugnata cum reſidebat eccleſiaſtica poteſtas in Hebræis, & ius ipſius à diuerſis gentibus omni machinamento impetitum, à vero, ac naturali iure deſcendens; multo maxime tamen, cum conſtitit in Chriſtianis, eſt impugnata, numquam tamen expugnata, ſed ipſa expugnauit omnes gentes, quod ſcilicet ius naturale illius perfectum, naturamque totam, præcipue vero omnium poteſta-

tum ſæcularium perficiat, propaget, atque vti videbimus, extollat.

Quinto. quod præter omnes alios populos imperitiſsimi omnium, quicumque vmquam memorentur, tamen veluti verum maxime omnium confeſsi ſunt, & obſeruarunt, eſt aliqua ratione euidentiſsimum ius naturale, propter euidens, neceſſariumque medium, & conſequentiam poſito primo principio practico, ex quo eſt deductum: tale eſt propoſitũ. nam Scythæ, ac Germani nullis litteris, neq; vlli arti litterariæ dabant operam, quod libro tertio fuit à nobis dictum; & tamen, vt ſupra vidimus, hæc maxime obſeruarunt.

Sexto. Illud, cui nihil additur, vt ſit abſolute ius naturale, eſt abſolute ius naturale, vt ſupra aiebat Sanctus Thomas. atqui eſt huiuſmodi propoſitum. Nam ſicuti Deus eſt præ cunctis colendus, ſic diuini viri, quoad alios homines, ſunt præcipue colendi, diuina loca præ cæteris locis colenda: res diuinæ præ cæteris rebus modo ſuo colendæ: res diuinis viris ſeruientes præ cæteris rebus, quæ ſeruiant aliis hominibus, aut poſsideãtur ab aliis hominibus, ſunt modo ſuo colendæ, ſeu conſeruandæ. Quod ſi aliquando propter aliquod extrinſecus adueniens, & additum contra ſit faciendum, non facit, quin abſolute ex natura ſua non ſit naturale hoc ius. illud enim dicitur abſolute, ac ſimpliciter, quod nullo addito dicitur.

Septimo. illud, quod naturæ alicuius eſt adæquatũ, & commenſuratum, eſt ius euidens naturale illius, eo ſcilicet modo, quo eſt euidens cognitio naturæ illius. qua de re ſupra diximus, cum de cognitione Dei fuit à nobis actum. ita præclare Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione quinquageſima ſeptima articulo tertio in concluſione. *Ius, ait, ſiue iuſtum naturale eſt, quod ex ſui natura eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri. hoc autem poteſt contingere dupliciter. Vno modo ſecundum abſolutam ſui conſiderationem: ſicut maſculus ex ſui ratione habet commenſurationem ad fœminam, vt ex ea generet, & parens ad filium, vt eum nutriat. Alio modo aliquid eſt alteri naturaliter commenſuratum, non ſecundum abſolutam ſui rationem, ſed ſecundum aliquid, quod ex ipſo ſequitur, puta proprietas poſſeſsionum. Si enim conſideretur ille ager abſolute, non habet vnde magis ſit huius, quàm illius. ſed ſi conſideretur per reſpectum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum vſum agri, ſecundum hoc habet quandam commenſurationem ad hoc, quod ſit vnius, &*

non alterius, vt patet per Philoſophum 2. Polit. Hæc Sanctus. Atqui, vt præferantur diuini viri, cæteris hominibus, diuina loca cæteris locis, diuinæ res cæteris rebus, his ſeruientia cæteris quæ ſeruiant aliis, (ſi nihil præterea, vt diximus, addatur) eſt commenſuratum illorum naturæ, quia diuinitas cunctis eiuſdem ordinis præfertur. Quocirca ſi qua poteſtas, ſi quis locus, ſi qua res aliis præfertur in vlla regione, ac regno; hoc erit naturali iure, quidquid eſt diuinum, vel participat vllo modo diuinitatem. propterea ſupra dicebamus hæc fuiſſe coæua generi humano, ac proinde iuris gentium primæui, non ſecundarij, veluti bella, ſeruitutes, rerum diuiſiones. quocirca ad horum confirmationem dilucidiorem ſubiicimus.

Octauo illud alicui dicitur, atque eſt adæquatum, quod cum illo conuertitur. verbi gratia in propoſito; eſt alijs diuinius: ergo eſt aliis præponendum. & vicisſim, eſt aliis præponendum: ergo eſt aliis diuinins. Igitur ex intrinſeca natura ſua diuiniora ſunt hæc, ſacræ, ſeu diuinæ perſonæ, loca, res, atque iſtis ſeruientia quæcumque, quam cæteræ perſonæ, loca, res, atque his ſeruientia quæcumque. Ac proinde eorum ius naturale, efficiens illa iuſtiſsima, eſt ijs adæquatum; propter quod ſunt omnibus anteferenda. Apparetque id ex illo, quod imperitiſsimi, ac maxime omnium rudes populi ius huiuſmodi coluerunt; quod ſcilicet, agnoſcentes in ſacerdotibus Deũ, ſimiliter in eorum locis, ac rebus, protinus videbant neceſſariam, claramque conſequentiam, practicusque intellectus neceſſario conſentiebat ſpeculatiuo, ſimul ac Deum nouerat, vti ſupra ex omnium gentium conſenſu, ſcriptorum celeberrimorum auctoritate aſſerebamus.

Nono apparet hoc ad ſuperiora omnia maxime corroboranda. Nam ius gentium, de quo loquitur ſecundo loco Sanctus Thomas, eſt ex placito gentium, conſiderationeque diuerſarum circunſtantiarum. Sed hoc primum non eſt ex placito gentium, ſed ab ipſo Deo, vel ante ipſos homines conſtitutum. quod initio libri huius eſt explicatum, ab ipſo inquam Deo pulcherrime ordinante totam rerum naturam, ſingulas res ad ſummam perfectionem, ſtatumque perfectiſsimum ſupernaturaliter comparandum, ſiue ad ſeipſum. non eſt igitur ex placito gentium, ſimiliter non eſt ex diuerſarum circunſtantiarum conſideratione. Intellellectus enim conſiderat hoc duntaxat, iſta res ex natura ſua magis Deo ſeruit, quam res

alia gradus eiuſdem: ergo præponenda alijs. Quamobrem ſi principum ſæcularium prædia non ſunt obnoxia tributis, neque clericorum; ſi domus principis eſt cuilibet tutum perfugium, ſic etiam clericalis vniuerſitatis domus.

Decimo. adducimus ad horum maximam corroborationem duo ſigna. Adamus enim iam reus mortis ob læſam Dei Maieſtatem, tutus adhuc erat in paradiſo terreſtri, quod ſupra oſtendimus fuiſſe inſtar templi, veramque templi rationem habuiſſe. ac neceſſe fuit expelli inde ab ipſomet Deo, alioquin conſtitiſſet ibi, de ligno vitæ ediſſet, ſententiamque mortis effugiſſet. Similiter Cain diuinæ præſentiæ coarguentis ipſum conſpectu fuit eiectus è loco, quod tẽpli Deo conſecrati ipſam naturã habebat; agnouitque, ac faſſus eſt ibi ſe fuiſſe à morte ſecurũ, licet eam mereretur ob homicidium perpetratum: cognouit autẽ nemine edicẽte, à ſe foras egreſſo diſcrimen vitæ continuo ſubiri. ſimiliter vterque agnouit nihil ſibi iuris eſſe in ea loca Deo conſecrata, neque ex illorum fructibus quidquam poſſe à ſe decerpi, veluti è locis ſacris, de quibus ſupra antiquitatis obſcuritatẽ aperientes verba fecimus. Hæc porro agnitio iſtorũ non oriebatur ex vllo gentiũ, cum nullæ tum gentes forent, placito, neque ex circunſtantiis extrinſecus aduenientibus, ſed ex ipſa rerum, locorumq. natura, vt apparet.

Vndecimo. liquet hoc ex allatis à S. Thoma exemplis; nam primum principium actionum noſtrarum eſt, Deus eſt præ cunctis colendus, minus ex hoc, & remotius probatur, eſſe illicitum furtum, vel alienã rem conſeruandã ſuis dominis, quam eſſe loca diuina honoranda præ cunctis, vel res Deo qualitercumque ſeruientes eſſe prę cunctis honorandas. & tamen Sanctus Thomas vult pertinere ad primum gentium ius naturale hanc concluſionem, furtum non eſt faciendum. confirmatur hoc ex eo, quod alibi idem dicit de Germanis antiquis ex libro ſexto Cæſaris de bello Gallico. Omnes namque illi, nemine excepto exiſtimabant furtum non eſſe illicitum; ſed tamen quam maxime exiſtimabant omnes, nemine excepto, lucos, qui templa ijs erant, eſſe ab omni poteſtate ſæcularium libera, eſſe aſylum tutum, ſacerdotibusque eſſe vſquequaque veluti Deo parendum; quod ſupra eſt explicatum. Igitur intellectus humanus practicus obediens ſpeculatiuo, pendensque ab hoc rite inſtructo nouit aliquid ad Deum pertinere, aut non pertinere, magis, aut minus; ſic magis videt illi, vel aſſentiendum,

vel

vel ab illo diſſentiendum; atque eodem modo appetendum, aut fugiendum. Quod ſi facile humanæ menti eſſet apprehendere Deum eſſe incorporeum, continuò noſceret Dei, tamquã Dei non eſſe imaginem corpoream. Sed hoc eſt menti humanæ difficile, quia nil nouimus, aut contemplamur, niſi corporeum. intelligentem namque oportet phantaſmata ſpeculari, vt ait Philoſophus 3. de anima. quamuis illud præceptum, *Non facies tibi ſculptile*, ſpectat ad Teraphim, de quibus loco ſuo dicetur Chriſto adiuuante. Eodem modo non videtur intellectus ita facile cognoſcere hanc concluſionem, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. otioſe enim loqui de Deo non videtur aliquibus peccatum, ſicuti neque loqui de Imperatore, aut Rege. Quod ſi homines crederent ſcelus eſſe, loqui otioſe de Imperatore aut Rege, multo magis crederent ſcelus eſſe loqui otioſe de Deo, quod eſt cõtra illud præceptũ: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Cũ vero agnoſcant omnes, Dei res anteferendas in pari ſcilicet rerum gradu, Imperatorũ, & Regũ rebus; ideo protinus concludunt abſque vllo reſpectu, ſi nemo auderet attingere, qui in cubiculum Regis ſupplex confugeret ad ipſum Regem, multo minus nemo attingeret, qui in templum confugit ſupplex ad Deum. Recte igitur, vt conſtat in Epheſina Synodo, eſt recepta Theodoſij iunioris lex, qua decernitur, immunitatem templorum, libertatemque eccleſiaſticã naturaliter inſitam cunctis gentibus ex omni æuo, vt ſupra quarto libro eſt explicatum. quæ oportuit latius explicaſſe, quia Sanctus Thomas ait illa duo præcepta: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Et: *Non facies ſculptile*: pertinere ad quoddam tertium iuriſgentium genus.

Duodecimo. Probatur, quod diximus. illud eſt naturaliter, atque abſolute bonum, ſiue iuris naturalis ex primo practico principio, medioque neceſſario deductum, cuius oppoſitum eſt abſolute, ſeu nihil addendo malum. ſed abſolute ſimpliciter, ac nihil addendo eſt malum, ſi quis dicat, aut ſtatuat, maior honos debetur cubiculo Regis, ac Regi, quam domui Dei (quod eſt templum) Deoque per diuinos effectus ibi prꝫſenti; vel magis oneranda ſunt tributis bona Dei, quam bona Regis, vel bona ſeruientia Deo, quam bona ſeruientia Regi, aut bona ſeruientium proxime Deo, quam bona ſeruientium proxime Regi. Similiter, magis eſt obediendum Regi, quam ſacerdoti, Epiſcopo, & Pontifici ſummo. Nam ſimpliciter hi diuiniores:

ergo

ergo eccleſiaſtica poteſtas eſt iuris naturalis primo, ac maximo modo.

Decimotertio. Illud eſt iuris gentium, naturaliſque primo modo, ex primo practico hominum principio deductum, quod iuxta integram naturam, non propter illius corruptionem, vel ſuppoſita illius corruptione conſtitutum fuit. at libertas, ac poteſtas Eccleſiaſtica, quoad loca, res, ac perſonas eſt omnium prima, vel cum natura integra erat, quin ſæcularis poteſtas quatenus à Sacerdotali diſtinguitur, omnino eſt ex corruptionis ſuppoſitione, vt ſupra dicebamus, contra ſceleſtos, & contumaces introducta.

Poſtremo, ius hoc veluti à principio fuit à Deo naturæ totius parente ad naturæ perfectionem conſtitutum, ſic perficit humanam naturam, quin omnia loca, res, & homines in eo permanentes: eſt igitur maxime naturale, intellectualemque naturam maxime illuminans euidentia conſequentiæ medijq; neceſſarij, poſito qualitercũq; euidenti principio primo actionũ noſtrarũ, ſeu fine, qui eſt Deus, cui cuncta ſunt ſubiicienda, & cuius voluntati cuncta obedire debent in ſingulis quibuſq; veluti omnium fini, & auctori: hinc vt repetimus, vel inſipientiſsimæ, & imperitiſsimæ gentes illud haud negarint, ſed maxime omnium ſint profeſsæ: ac prope bruta animalia, brutaque elementa quodammodo illud agnouiſſe; vt ſupra dicebamus. Intuebimur poſtea, quid ſenſerit, qui maximus inter Philoſophos habetur.

Quod autem dicunt aliqui conſiliarij Principum, iuris eſſe naturalis defendere ſuas res, & ideo nolle quidquã a Pontificibus, & Sacerdotibus præcipi, vel diſponi, quod non approbetur ab ipſis appoſita clauſula, *Placet*, vel *Exequatur*, multipliciter confutatur.

Primo. Iura Eccleſiaſtica prædia, beneficia nõ eſſe ſæculariũ, neq; auſos in illa aliquid quoad capiẽdam poſſeſsionẽ Imperatores impios gẽtiliũ, quod ſupra aperuimus exẽplo Aureliani.

Secundo retorquetur in ipſos multis modis. Iſto enim modo deſtruuntur imperia, regna, familiæ, & gentes, quod aiebat S. Gregorius Pſal. 4. Pæniten. & patefiet ad finem libri huius. Non eſt itaque hoc ſua tueri.

Tertio retorquetur, velle enim Eccleſiaſticas actiones iudicare, vel reſpuere, vel accipere, vbi placuerit, & in quibus placuerit, eſt vſurpare Eccleſiaſtica, quod eſt ſacrilegium contra

tra diuina, ac naturalia iura æterna.

Quarto. Patet hoc euidentiſsime ex effectibus: licet enim Sacerdotes aliquid dent ſuis, aut cognatis, aut amicis; tamen plerique pleraque & potiſsimum magna in commune totius reipublicæ Chriſtianæ, & omnium mortalium ponunt, vt libro tertio dicebamus. At ſæculares omnia ſuis dumtaxat agnatis volunt, vel amicis, vel nationis, aut potiſsimum maxima quæque.

Quinto. Si cõtra ius aliquid fieri à Põtifice ſummo, aut ſæculares de Epis male ſuſpicantur, ne per Deum viuũ quæſumus perturbẽt laici Principes ob ſuſpiciones ordinẽ diuinũ à Deo poſitum, ſed curent Eccleſiaſticas actiones ab Eccleſiaſticis de cõſenſu Põtificis ſummi approbatis, & pro tẽpore eligẽdis cognoſci, atq; examinari, & ſi quid obreptum, ſubreptũve fuerit, vel perperã factum, debita cũ modeſtia certiores Epiſcopi, & Pontifices fiant, quod Paulus cum Petro egit, vt ſupra dicebamus. Præſtat autem prius per ſuos legatos, & procuratores Pontificibus, & Epiſcopis ſignificare, qui ſint digni, vel idonei rebus tranſigendis, populis, & hominibus regendis, aut beneficiis rebusque Eccleſiaſticis habendis. Parati tamen ſint Principes, vbi ſecus viſum fuerit, obedire Pontificibus, & Epiſcopis, neque, quod nolint ipſis per omnia nimis indulgere, ac tribuere in dignitatibus mandandis, omnia velint conturbare. ad extremum namque & ſemetipſos & ſua cõturbabunt, perdent, atque euertent.

Sexto. Ne poſsint ſæculares excuſari, benigniſsimus, ac ſupra oẽs infinite ſapiẽtiſsimus Deus prouidit, vt quo tp̃e fuere Eccleſiaſticæ poteſtatis ſtudioſiſsimi Imperatores, veluti Conſtantinus, Theodoſius, Carolus Magnus, eodem tempore Pontifices eſſent; aduerſus quos multa obijciebantur, & nihilominus Imperatores illi nihil non detulere Eccleſiaſticæ poteſtati. Verbi gratia Conſtantino Imperante nihil non proferebatur criminoſum aduerſus Melchiadem Pontificem, & Epiſcopos catholicos à Donatiſtis, & Arianis, quæ refert Optatus. Theodoſio imperante Damaſus electus eſt aduerſus Vrſicinum, & in electione interempti ſunt in baſilica Sicinij 137. homines, quod Chriſtianis obiicit Marcellinus libr. 27. exprobans Damaſo, quod & obiicitur hodie Pontificibus noſtris illa, *Quod ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes circunſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas,*

adeo vt eorum conuiuia Regales ſuperent menſas. Similiter Carolo Magno Rege Romani infanda multa obiecerunt Leoni Papæ, eumque oculis orbarunt, quod Ademarus, Reghino, Sigisbertusque in chronico, Zonaras tomo annalium tertio tradunt. Nunquid ob iſta non fuere Imperatores illi in Eccleſiaſticam poteſtatem, libertatemque profuſiſsimi? Nunquid male de Pontificibus ſummis aut ſuſpicati ſunt, aut iudicarunt?

Quid plura? cum Rex Arianorum Theodoricus Italiam teneret atque ipſam Romam, duoque electi eſſent Romæ Pontifices; pro altero Laurentio Senatus Romanus cum paucis Eccleſiaſticis ſtabat, pro altero autem Symmacho ſtabat Eccleſiaſticus ordo ſolus. ex vtriſque partibus (verba ſunt hæc auctoris Miſcellæ libro 15.) *Innumeræ ſtrages & rapina patratæ ſunt; plerique ex Sacerdotali numero, multi etiam Clericorum, plures ciuium Romanorum extincti ſunt per tres circiter annos, vſque quo videlicet Theodoricus princeps veniens, tunc Romam tenens, quamquam Arianus eſſet, ſynodo celebrata, locari Symmachum quidem Epiſcopum Romæ firmauit, Laurentium vero in Nucerina ciuitate locari præcepit, qui tamen nullo pacto quieſcens, ſed ſeditiones commouens à Symmacho deponitur, & in exilium in Dalmatiam mittitur, & ita ſimultas ceſſauit.* Hæc ille. en igitur, vt hæreticus, & barbarus licet Dominus maxime omnium poterat edicere, electionem Romani Pontificis, & Epiſcoporum nolo procedere, niſi me ſciente, & appoſita clauſula, *Placet, Exequatur*. En conturbant iſti meum Regnum. Quid? poterat electionem Romani Senatus ratam habere, & hoc magis augebat vires Regni ſui, & maxime, quod viri pro ſanctis habiti eam comprobarent, in quibus erat Paſchaſius Diaconus, vt in Dialogis S. Gregorius teſtatur, & tamen noluit barbarus, & hæreticus imminuere eccleſiaſticam poteſtatem. Quid? ita proceſsit ille, vt nihil hac in re ſibi arrogaret, *Locari,* inquit ſcriptor, *firmauit*, firmat, quod eſt locatum.

Surget profectò barbarus iſte Rex, atq; hæreticus in die iudicij corã tribunali tremendo Chriſti, ac nobis dicet. *Quid petitis vos ad dexterã Dei ſedere?* Hæc vos catholici Principes egiſtis cũ Vicariis Chriſti, cũ iis, de quibus ipſe ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Cõtra ego in cauſis exulceratiſsimis, cum nihil non mali à vobis Catholicis timere poſſem, maximo iure hæc egi? Quid reſpondebimus? quomodo

intuebimur

intuebimur vultum Chriſti iudicantis? quomodo cũ Theologi ſimus, Iuriſconſulti, & cõſiliarij præcipitabimus oĩa ad inferos? At quando vidimus, quid ſceleſtiſsimi omnium, ſimulque imperitiſsimi viderint hac in re; videamus quid ſenſerit, qui ſummus inter Philoſophos habetur.

Ariſtoteles maxima quæque ſacerdotibus danda in Rep. decreuit; & quales voluit eſſe in Repub. qui illam moderantur, taleq́; eſſe vniuerſitatem ſacerdotum comprobatur. Cap. VIII.

QVamobrem circumſpiciens Philoſophus immutabilia cunctarum gentium iura, cum gentibus iiſdem vidit aſſecutionem veritatis in futuris contingentibus, & agendis ambiguis eſſe ſupra humanam naturam, neque in humanam, vel ſcientiam, vel artem cadere poſſe; ſed ab ipſo ſolo Deo nobis eſſe expetendã cognitionem eorum, quæ ſunt à nobis agenda, vt agantur ex ipſius voluntate, quæ omnino libera eſt, neque aliunde pendet, niſi ab ipſomet Deo prima omnium cauſa, quæ momento temporis ordinem totius vniuerſitatis in huiuſmodi accidentibus immutare, vbi voluerit, quemadmodũ decreuit ex æterno, poteſt; vt neq; palam fiat hominibus ex vllis naturalibus effectis, vnde comparari vel ars, vel ſcientia poſsit. Hinc ad fortunam multi confugiebant, quod idem recitat phyſici ſecundi tex. 47. *Fortuna videtur*, inquiens, *quidem eſſe cauſa, non manifeſta autem humano intellectui, tanquam diuinum quiddam exiſtens, & felicius*. Sed quoniam fortuna eſt cauſa per accidens, pendet ab eo, quod eſt per ſe: hinc idem tex. 66. fortunæ euenta reducit ad ipſum Deum, ſic tradens. *Caſus, & fortuna cauſæ ſunt eorum, quorum aut intellectus cauſa ſit, aut natura: cum ſecundum accidens cauſa aliqua ſit horum ipſorum, nihil autem ſecundum accidens eſt prius iis, quæ per ſe ſunt, manifeſtum eſt, quod neque cauſa per accidens prior eſt ea, quæ eſt per ſe. Poſterior itaque caſus eſt, atq; fortuna, & intellectu, & natura: quare ſi quam maxime cæli cauſa eſt caſus, neceſſe eſt prius intellectum, & natu-*

ram eſſe, & aliorum multorum, & huius vniuerſi cauſam. Hæc ille, volens intellectum aliquem (qui Deus eſt) eſſe eorum cauſam, quæ naturaliter à mente humana non proſpiciuntur, ac fortunæ ab imperitis aſsignantur. Hinc idem duodecimi metaphyſici tex.38.cap.6.ſtatuit à Deo cuncta veluti à principio omnium pendere, inquiens. *A tali ergo principio tum cælum, tum natura dependet.*

Quocirca idem volens inſtituere Remp. feliciſsimam, quæ maxime ſtaret circumfluens omnibus externis, corporis, atq; animi bonis, illi præeſſe voluit, qui virtutibus excellentiſsimi forent, & in Dei contemplatione defixi; qui mente ſcilicet pura Deum contemplantes, Dei voluntatem cognoſcerent per impulſus diuinos, qui ſupra humanam virtutem rationem, naturamq; ſunt, non eam tollentes, ſed attollentes, ac perficientes, & in diuinitatem transferentes. Hos autem voluit eſſe liberos ab omni onere priuatarum, publicarumque rerum. Atque ab his oracula diuinitatis expeti, & maxima quæque ijs tradi in ciuitate. Alios modos ſciendæ voluntatis diuinæ reiecit, ſomniaq; immitti plerumq; à dæmonibus, ſi qui ex opinione ipſius eſſent, aſſeruit, neq; ijs fidẽdum: ſimiliter eos amouit, qui virtute haud pollerẽt, & impulſibus diuinis viderẽtur agitari, cum forent alioquin aut imprudentes, aut inſipientes.

Primo igitur agnouit Philoſophus eſſe aliquos viros aliquo modo ſupra humanam naturam poſitos. ſic namque Ethici ſeptimi initio. *Feritati autem maxime opponi quiſpiam diceret virtutem, quæ ſupra nos eſt, heroicam quandam, & diuinam, quemadmodum Homerus Priamum de Hectore dicentem inducit, eo quod valde erat bonus.*

—— non hominis mortalis filius ille,
Eſſe videbatur, ſed magna è ſtirpe deorum.

Quod ſi ex hominibus, ſicut dicunt, ob virtutis excellẽtiam, diuini efficientur, huiuſmodi ſcilicet eſſet habitus, qui feritati opponitur. Hoc ibi.

Secundo hos eſſe, qui virtutibus animum maxime exornauerint, & in contemplatione Dei maxime omnium ſint, tradit cap. penultimo Ethici vltimi his verbis. *Quare cum Dei operatio beatitudine excellat, contemplatiua erit; & ex humanis ea erit feliciſsima, quæ huic maxime eſt cognata. argumento illud eſt, quod cætera animalia quæ operatione tali penitus carent, expertia felicitatis quoque ſunt: dijs enim beata tota vita eſt, hominibus autem*

tem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt. at cæterorum animalium nullum eſt felix; propterea, quod contemplationis particeps nullo modo eſt. quouſq; igitur protenditur contemplatio; eouſque etiam felicitas ſeſe extendit, & quibuſcumque magis ineſt contemplatio, ijs magis quoque ineſſe felicitatem conſtat.

Tertio Deum maxima his, aut per hos hominibus bona elargiri. ſic ibidem concludit. *Sed, qui ex intellectu operatur, hunc que excolit, atque optime afficit, is eſſe Deo cariſsimus* θεοφιλέστατος *videtur. Nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dii habent, ſicut videtur, conſentaneum eſt ipſos re illa, quæ optima eſt, atque ipſis maxime cognata delectari, qui eſt intellectus: eosque, qui eam maxime amant, & honorant, remunerare, vtpote, qui eorum, quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, recteque, & honeſte agant. Hæc autem omnia ſapienti maxime ineſſe, obſcurum non eſt: is igitur eſt Deo cariſsimus* (θεοφιλέστατος) *id eſt, Deo amatiſsimus, Deique amantiſsimus, eundemq; eſſe etiam feliciſsimum veriſsimile eſt: quare ita quoque efficitur, vt ſapiens maxime felix ſit.*

Quarto committendam Remp. illis, qui virtutibus, diuinorumque cognitione, ſiue ſapientia præcellant, tradit ad finem ſexti Ethici ita ſcribens. *Perſpicuum autem eſt, & prudentiæ eſſe opus, etiam ſi non eſſet actiuæ; propterea quod partis animæ virtus eſt, & ſine prudentia, & virtute eſſe electionem rectam non poſſe, eo quod hæc finem, illa quæ ad finem tendunt, vt agamus facit. At vero neque præſidet ſapientiæ, neque melioris, quam ipſa, partis eſt, quemadmodum neque ſanitati medicina; neque enim ipſa vtitur, ſed vt fiat prouidet; quocirca illius ſapientiæ cauſa præcipit* (prudentia) *non illi: ſimile præterea illud eſt, ſi quis ſcientiam ciuilem proprie, quod de omnibus præcipit, quæ in ciuitate ſunt, dijs præeſſe, ac dominari etiam diceret.* Et cap. antepen. decimi. *Si vero felicitatis eſt ex virtute operatio, conſentaneũ eſt eam ex illa eſſe, quæ praſtantiſsima eſt. Hæc autem eius erit, quod eſt optimum. ſiue igitur id intellectus eſt, ſiue aliud quidpiam, quod ſane ſecundum naturam videtur principatum obtinere, & præſidere, notionem habere de honeſtis, & diuinis rebus: ſiue diuinum quiddam etiam ipſum ſit; ſiue ex ijs, quæ in nobis ſunt, diuiniſsimum: huius ſecundum propriam virtutem operatio perfecta felicitas eſſet, quam eſſe contemplatiuam dictum iam eſt.* Et mox. *Ac talis quidem vita præſtantior eſſet, quam homini conueniat; non enim*

quatenus homo eſt, ita viuet, ſed quatenus diuinũ quid in ipſo in-eſt; quanto autem id præſtat compoſito, tanto quoque eius operatio ab operatione diſtat, quæ ex virtute alia eſt (actiua) *ſi igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus, ſic vita, quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ comparetur, diuina etiã ipſa eſt. neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque cum ſit homo, humana, & cum ſit mortalis mortalia cogitare. ſed quatenus licet, immortalem ſe reddere, omniaque efficere, vt ex præſtantiſsimo omnium, quæ in ipſo ſunt, vitam traducat. Nam licet id mole ſit paruum, vi tamen, & pretio omnia longo interuallo ſuperat. Id autem eſſe etiam vnuſquiſq; videatur ſiquidem præcipuum, & melius. Quocirca abſurdum eſſet, ſi non ſuam vnuſquiſque, ſed alicuius alterius vitam expeteret. Quodque dictum ſuperius eſt, nunc etiam conuenit. quod enim naturæ vniuſcuiuſque eſt accommodatum id præſtantiſsimum, iucundiſſimumque vnicuique eſt: ergo etiam huiuſmodi vita, quæ ex intellectu traducitur; ſiquidem maxime id homo eſt. Hæc igitur etiã feliciſsima eſt. Secundo vero loco ea, quæ ex alia virtute* (actiua) *exiſtit; quod ſcilicet operationes, quæ ſecundum ipſam fiunt, humanæ ſint.* At ſeptimi politici cap. 2. *Vtrum autem eadem ſit dicenda felicitas ſingulorum hominum, & ciuitatis, vel non eadem, reliquum eſt videre: manifeſtum vero & hoc; omnes enim fatentur eſſe eandem.* Et mox tertio ad finem concludit eum, qui præficiendus eſt Reip. oportere, vt ſit excellens actiua, & contemplatiua vita; maxime tamen hac; quales oportet eſſe ſacerdotes regendis alijs Præpoſitos, & Epiſcopos in primis, qui ſunt ſimiles architectis in Rep. adminiſtranda, quod Henricus Gandauenſis aiebat, vt ſupra verba ipſius adduximus. Perfecta enim reſp. ex altiſsimis, & diuinis cauſis adminiſtranda, atque ex impulſibus diuinis, quaſi plena diuinitatis cælitus eam peruadentis, quod aiebat Epheſ. 4. Apoſtolus ſic igitur ille. *Si alius quidem ſit melior ſecundum virtutem, & ſecundum potentiam actiuam in rebus optimis, hunc ſequi honeſtum, & huic parere iuſtum eſt; ſed oportet illi non virtutem ſolum; verum etiam potentiam exiſtere, per quam ſit actiuus. Quod ſi hæc vera ſunt, & felicitas in bene agendo reponenda eſt, & publice totius ciuitatis, & priuatim ſingulorum vita illa erit optima, quæ ſit actiua. Veruntamen actiuam non eſt neceſſarium eſſe ad alios, nempe extraneos, quemadmodum quidam putant, neq; eas meditationes ſolum eſſe actiuas, quæ gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt, ſed*

multo

multo magis, quæ in ſeipſo perfecta ſunt, ac ſuipſarum gratia ſiunt contemplationes, & meditationes: bene agere enim finis eſt, quare eſt actio quædam; maxime autem agere dicimur proprie, etiã externis actionibus, qui intelligẽtia, & contemplatione operibus præſunt, veluti architecti. Quinimo neque ſine actione eſſe neceſſariũ eſt eas ciuitates, quæ poſitæ ſunt in ſolitudine, & ita viuere eligentes. fieri enim poteſt, vt partibus inter ſe agere contingat, multæ enim communicationes ad inuicem ſunt partibus ciuitatis. ſimiliter autem vnicuique exiſtit cuilibet homini. Vix enim Deus bene ſe haberet, & mũdus totus, quibus non ſunt actiones externæ præter proprias ipſorum. Quod igitur neceſſarium ſit eandem eſſe vitam optimam priuatim vnicuique hominum & publice ciuitatibus, & hominibus manifeſtum eſt. Hæc ille, volens ab ijs regendam Remp. qui maxime contemplatiua excellunt tamquã ab architectis, qui & actiua præcellant. Ac veluti tunc aliquis eſt ſibi perfectus, cum præſtat contemplatiua in Deo, diuiniſque meditandis (contemplatio namque eſt optima hominis actio, licet intima) & ſimul etiam præſtat actiua in moderandis perturbationibus, intimis, ac diſponendis ſuis rebus, regendiſque membris externis, aut quoad ſe, ſuaque, aut quoad alios, & aliena: eodem modo feliciſsima ciuitas erit, & publicus ſtatus, cum regetur ab huiuſmodi viris. Nam & Deus nihil agit extra ſeipſum, licet agat alia à ſeipſo, & mundus nihil agit extra ſeipſum, licet agat alia à ſeipſo. Horum vero omnium ratio eſt, vt hoc loco S. Thomas aduertit, quia practicus intellectus pendet à ſpeculatiuo: homo namque vt homo, vult cognita, & agit cognoſcens in quibuslibet à Deo, illumque appetit, quærit, illique quam maxime inhæret.

Quinto maxima quæque in Rep. eis deberi iudicauit. Nam primo quantum ad perſonas, iſta conſtituit, cum genera hominum recenſet lib. 7. cap. 8. *Quintum, ac primum genus eorum, quæ neceſſaria ſunt ciuitati circa rem diuinam, cultus, quod vocãt ſacrificium*, en primum dicit eſſe in ciuitate diuinorum cultũ. Et 9. *Reliquum eſt ex his, qui ſupra numerati ſunt, genus ſacerdotum eſſe, quorum inſtitutio manifeſta eſt; neque enim agricola, neque artifex, neque vilium exercitiorum quiſquam ſacerdos eſt deputandus. honos enim dijs eſt à ciuibus impendendus; ſed cum diſtincti ſint ciues in partes duas, hoc eſt in eos, qui arma tenent, & in eos, qui conſultant, & decens ſit dijs cultum exhibere, & requiẽ ſuſcipere, qui pro tempore in his laborauerunt, ac defeſſi ſunt; his*

vtique

vtique eſſet ſacrarum cura demandanda. Hæc ille maxime honorandos volens ſacerdotes, & ab oneribus publicis liberos.

Secundo, quantum ad res: ita cap. 11. *Præterea in ſacrificijs, cultuq; deorũ ſumptus communes eſſe debent totius ciuitatis: eſt igitur neceſſariũ in duas partes regionẽ diuidere, aliam publicam, & aliam priuatorũ. Vtraque illarum partium rurſus diuidenda eſt; illius namq; partis, quam publicam eſſe debere diximus, vna pars deorum cultui deputanda eſt, altera vero ad commeſſationum impenſam…. Rurſus vero priuati agri pars vna ad proprias neceſſitates eſt deputanda, altera vero ad ciuitatem….* Hucuſque Philoſophus quartam partem territorij aſsignans cultui ſacro, & tamẽ Sacerdotibus, vt priuatis ſuas adhuc partes attribuẽs.

Tertio quantum ad loca, ita cap. 12. *Aedes quoque Drorum, ac principaliſsimæ magiſtratuum comeſſationes idoneum locum habere debẽt, & eundem ſacra (quotieſcumq; lex non ſeparat) aut oraculum. eſſet autem talis locus, quisquis ſupereminentiam haberet, & ad edendam virtutem ſufficienter, & ad vicinas partes ciuitatis excellenter: decet autem ſub hunc locum conſtructionem fori eſſe talem, qualis eſt in Theſſalia eius, quod liberum vocant, id eſt, quod debet eſſe purum ab omni mercatu, & neque opifices, neque agricolas, neque alios vllos tales illi appropinquare: eſſet vero hic locus gratior, ſi & gymnaſia ſeniorum in eo ſint conſtituta….* Et mox. *Cum vero multitudo ciuium diuiſa ſit in Sacerdotes, & magiſtratus, decens eſt Sacerdotibus circa ædes ſacras eſſe comeſſationes inſtitutas: magiſtratuum autem…, quicumque de contractibus ius dicunt, & qui de accuſationibus cognoſcunt, & qui circa vocationes in ius, & alia huiuſmodi adminiſtrationem intendunt, & inſuper, qui ædilitatis, & vrbanarum curam gerunt iuxta formam, in loco celebri communique ſunt commeſſationes ſtatuendæ; talis eſt locus illius fori, in quo neceſſaria venundantur: nam alterum illud forum ſuperiori in loco ſitum debere eſſe diximus otioſum….hoc autem ad negotia rerum deputari.* Hactenus ille. è quibus dignoſcimus honoratiſsimos, ſimulque vſu rerum præſtantiſsimos ab eo conſtitui Sacerdotes. His præter agros priuatos dari publicos, ab oneribus vacationem, locaque nobiliora. Præterea vero oraculum reſponſaque diuina ab his expetenda.

Sexto igitur, ſciendum nobis eſt, à Philoſopho excluſa omnium diuinationum genera præter illas, quæ ſapientibus in contemplatione contingunt. Aperte vero excluſit dæmonum,

ſi quos exiſtimabat eſſe, ſocietatẽ, & quidquid per illos ſuggeri cogitationi humanæ in ſomniis poſſet; videbat enim gentes haud conuenire in ipſorum cultum; manifeſte etiam Iudæi dæmones execrabãtur, ac ſi qui illos colerent, ea de cauſa colere videbãtur, quod maleficos exiſtimabant, metuque adacti auertere iram illorum conabantur. Sic igitur libro de diuinatione per ſomnium. *Diuinationem igitur*, ait, *aliquam eſſe, quæ in ſomnio fiat, & prouenire dicatur ab inſomnijs, neque contemnere facile eſt, neque credere. Nam quod omnes, aut plurimi arbitrantur inſomnia ſignificare aliquid, argumento eſt aſſeri ſolere id experientia compertum.* Et mox *contra, cum nulla rationabilis cauſa videatur, per quam iſthæc diuinatio proueniat, efficitur, vt fides abrogetur. Nam ſi dicatur, Deum eſſe, qui ſomnia mittat, præter alia multa, & hoc quoquam abſurdum eſt, non optimis, ſapientiſſimiſque ſed quibuſuis ſine diſcrimine mitti*, & capite ſequenti. *Ad ſummam cum è ceteris quoque animantibus aliqua ſomnient, haud quaque inſomnia à Deo miſſa veniunt, aut ad eum finem nobis contingunt; dæmoniaca tamen ſunt. Nam & natura aliqua eſt dæmoniaca non diuina. eius rei ſit illud iudicio, quod degeneres admodum futura præuident, & ita, vt res ſe habet, ſomniantur, tanquam non immittente ſomnia Deo. Verum vt quiſque natura loquax eſt, ac vitio bilis atræ laborat, eo varios viſus experitur.* Hæc ille, non auferens ſomniorum diuinationẽ, quæ ſapientibus contingat; Tollens, quæ inſipientibus: non eſſe ijs fidendum decernens. quæ conſona ſunt diuinæ legi, vt habemus Deuteronomij 18. Leuitici 19. Numerorum 12. Quãobrẽ S. Thomas, Albertus Magnus, ac Sueſſanus voluere hoc loco bona ſomnia futurorum per Angelos bonos immitti bonis a Deo; falſa à dæmonibus; qui & ſi quia prænoſci poſſunt naturaliter, indicant aliquando, quod etiam placuit Galeno primo regiminis acutorum, & Auicennæ tertij naturalium libri cap. 2. & 4.

Quocirca idem Philoſophus capite opuſculi eiuſdem ſecundo, *Contingit*, ait, *huiuſmodi affectio quibuslibet non prudentiſſimis, (interdiu namque fieret, ſi Deus immitteret) ſic autem conuenit quoſuis præuidere. Talium namque mens non conſiderans, ſed quodammodo deſerta, & ab omnibus vacua, & commota, quo vult mouens agitatur.* Hucuſque ille. ac protinus ſubijcit de ijs, qui interdiu rapiuntur in ecſtaſim, ſolentque eſſe ſapientes, quorum mens conſiderat ſemper aliquid, & ait, *Quoſdam vero*

ecſtati-

vel artem, vel ſcientiam talium conſecutionem, ſed à Deo pendere. Quamobrem cum bona externa ſoleant appellari bona fortunæ, & corporis vocentur bona naturæ, ſintque hæc omnino neceſſaria ſuo modo ad aſſecutionem felicitatis humanæ ſapientiæ, diuinitatiſque heroicæ participandæ, hæc dixit à Deo ſolo expectanda, & precibus efflagitanda. Nam cum dixerimus ex eius mente, quæ ab imperitis vocatur fortuna, eſſe prouidentiam diuinam mortalibus ignotamque, & occultam: ſic ipſe ſeptimi politici capite decimo tertio. *Bona externa beatitudinis cauſas efficientes eſſe exiſtimant homines; vt ſi quis cauſam clare, & bene cythara canēdi lyræ potius, quam arti adſcribat: ex his igitur, quæ dicta ſunt, alia ſuppetāt, alia legum ſcriptor præparet, ac ſuppeditet neceſſe eſt. Quocirca in conſtituenda ciuitate res omnibus precibus oramus, & optamus, quæ ſunt in poteſtate, & arbitrto fortunæ, eam enim harum rerum arbitram, & dominam ponimus; ſed bonam eſſe ciuitatē, non iam fortunæ, ſed ſcientiæ, atq; conſilij munus atque opus eſt.* Hæc ille ſcientibus nobis, & deliberatis adeſſe bonitatem decernens, ſed bona externa ſæpe cauſas naturales ignorantibus; & ethici decimi capite decimo. *Quod igitur à natura tribuitur in nobis minime ſitum eſſe, ſed ab aliqua diuina cauſa profectum ineſſe in ijs, qui reuera ſunt fortunati, perſpicuum eſt.* Hæc Philoſophus, ad Deum reducens lumine naturali, & conſenſu omnium ſapientium, gentiumque vniuerſali adductus cuncta bona per viros Deo conſecratos, ſiue diuinis addictos; qui diuinis impulſibus afflati, & incitati videant, quid agendum ſit nobis, vt bona fortunæ, ac naturæ conſequamur ad humanam felicitatem conſequendam, perfectionemque ſiue in nobis, ſiue ſupra nos collocatam; quamobrem primo, quod ſupra vidimus, prudentiā, quæ eſt in agendis aiebat ethici ſexti cap. vltimo ſeruire ſapiētiæ, quæ eſt in diuinorum notione: idemque aſſeruit Secundo diuinis addictos, diuinorumque contemplationi eſſe in Rep. veluti architectos; politici ſecundi capite ſecundo. Tertio loco voluit idem politici tertij capite nono, vnum præeſſe toti Reip. ſic inquiens. *Sed ſi quis excellit virtute quid ſit de eo faciendū? non enim dicendum eſt, vt talis vir ſit de ciuitate pellēdus; atqui neq; gubernationi aliorum talis vir erit ſubijciendus: perinde enim eſt, ac ſi qui Iouem gubernare velint poteſtatem diuidentes.. Reſtat ergo vt videtur, naturam huius talem eſſe, vt omnes ſponte ſua illi parere debeant. itaque huiuſmodi homines Reges eſſe perpetuos in ciuitatibus.*

tatibus. Idem, quod vidimus, voluit heroas præeſſe: hos autem dixit in problematibus eſſe illos, qui exculti virtutibus à diuino flamine impelluntur. Sed tamen tradit hos impulſus neceſſario conſonos eſſe iuri naturali perfecto, neque diſſentientes à lumine naturæ, ſiue in ſanciendis vniuerſalibus decretis, ſiue in rebus ſingulis adminiſtrandis, ac definiendis. Nam ſic ille politici tertij duodecimo. *Qui igitur legem præeſſe iubent, videntur iubere Deum præeſſe, & leges*. Hæc ille, è quibus fit neceſſario illi parendum, qui recedere à legibus eorum, qui ſapientiſsimi omnium fuere non poteſt, quique impellitur diuino motu ad aliquid per antiquorum leges imperandum. Talis vero eſt Pontifex ſummus, ac talis eccleſiaſticus ſtatus, quorum ſi quis declinabit à iuſſu iſtorum, vel declinare ſit paratus, neceſſe eſt ad extremum cadat ab omnium bonorũ ſtatu, magiſque cum maior erit altitudo felicitatis: contra autem ſtet, qui cum ſtatu horum ſtabit, & quo magis vndique concuſſus reſiſtit ob ſtabilimentum conſtantiæ ſuæ, eo magis ſtabit.

Primo enim Pontifex ſummus, ſtatuſque eccleſiaſticus conſeruat leges, ac doctrinam diuinorum per manus à ſapientiſsimis traditam generi humano, ab Adamo vſque ad Chriſtum, à Chriſto per Apoſtolos, Principemque horum Petrum, & Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, cui conſonant omnium ſapientiſsimorũ è qualibet gente celebriori placita, & decreta. Sic igitur per hos diuina lex, ac vere hominibus naturalis regnat: ac proinde Deus ipſe regnat, quod Philoſophus aiebat.

Secundo in ſanciendis pontificiis legibus, ab ea numquam deflexit (licet aliqui in actibus ſuis priuatis deflexerint) ob altiſsime, intime, ſupernaturaliterque affixum menti ipſius diuinum ſigillum potentiæ paternæ, qua permotus Petrus dixit. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Et ob quam dictum fuit illi. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus cæleſtis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis; & quodcumque ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cælis*. Non deflexiſſe autẽ liquet, quia nulla ipſius lex reperitur, quæ pannos mille quingentos, ac plures, ſibi diſſentiat in ijs, quæ ſunt æternæ veritatis, quod ſcilicet intellectus eius ſpeculatiuus, & practicus,

ſticus inhæreat immobiliter Deo. Ac licet variauerit in præcipiendis pontificia lege, quæ variabilia ſunt: tamen hoc ſemper contigit, ob variabilium varietatem, mutabiliumque mutationem. Quocirca ex hoc fit vt Pontificis ſummi, vniuerſitatisque eccleſiaſticæ illi adhærentis mens inhæreat hac in re immobiliter ſapientiæ diuinæ; ac propterea virtute hic, atque ille cunctis præcellat, cunctiſque debeat imperare, quod Philoſophus faciendum decernebat.

Tertio numquã contigit, vt Pontifices Romani errarint in aliquo decreto facti ſingularis, ac variabilis quoties adhibito conſilio vel Epiſcoporũ, vel Cardinalium quidquã ſimul hi ſtatuerunt, atq; in propoſito aduerſus obſiſtentes perſtitere. quod comprobatur ex illo Chriſti dicto ad Apoſtolos, Apoſtolorumque ſucceſſores Epiſcopos, Matthæi cap. 18. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe inter te, & ipſum ſolum, ſi audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum; quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui eſt in cælis. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ.* Hæc Chriſtus omnem ſingulis rebus motum præſcribens de Epiſcopis Catholicis conuenientibus ad aliquam rem ſingularem definiendam precibus præmiſſis in ipſius honorem, vt interpretantur ibi SS. Chryſoſtomus, Hilarius, Hieronymus, Cyprianus de vnitate Eccleſiæ. Gregorius lib. 7. regiſtri cap. 110. Concilium Chalcedoneñ. epiſtola ad Leonem in fine tertiæ actionis, ſexta Synodus act. 17. Cæleſtinus epiſtola ad Epheſinum Concilium, Toletanum ſecundum, non procul ab initio, Cyrillus in expoſitione Symboli Nicæni circa principium. Innocentius Papa apud Gratianum diſtin. 20. can. de quibus.

Ob id Concilio coacto Epiſcopi Angli anno 950. abrogarũt regnum Eduino, vt refert Polydorus Virgilius, & ante hos Conſtantinus Papa Philippicum vetuit haberi pro Imperatore, quod Beda, & Paulus Diaconus tradunt lib. 6. cap. 16. & Gregorius Secundus Philippico abrogauit Occidentale imperiũ,

quod auctor Miſcellæ refert eodem lib. cap. 16. & Epiſcopi in Conc. Triburienſi imperio deiecerunt Carolum Craſſum, vt in actis eius apparet ſub annum octingenteſimum octuageſimum ſecundum. Gregorius Septimus Henricum Quartum Germaniæ Regem & Imperatorem tertium, Innocentius Secundus Othonem Quartum, Innocentius Quartus Federicum Secundum in Concilio Lugdunenſi, Clemens Sextus Ludouicum Bauarum ſæpius monitos, diuque expectatos, quæ late oſtendimus ſigno 81. lib. 19. cap. 6. de Signis Eccleſiæ Dei.

Quicumque ab eccleſiaſtica poteſtate maxime recedunt, ij maxime dæmonibus appropinquant, & inferorum portas aperiunt, quod Scriptura diuina, auctoritatibus, & euentis comprobatur. Cap. IX.

EX adductis porro conſequi videtur illud, quod ſomnia reijciens, mentique Deo coniunctę in agendis adhærens Philoſophus vidit, eos, qui deflectunt à directione, & auctoritate eorum, qui participant ſigillum clericale diuinũ, per quod maxime mens pura Deo coniũgitur ad alios per ſapientiam regendos, cõuelluntque ſeruientiá quæcumque huic ſigillo, ac figuræ diuinæ, admirabiliter participatæ per intimam impreſsionem, vti ſecundo, tertioque libro explicauimus, paulatim cum dæmonibus inire ſocietatem, quod initio capitis præcedentis oſtendimus, ac per hos aperiri portas inferorum, deſtrui cuncta, quod aiebat Sanctus Gregorius in pſal. 4. pœnitentialem, Sanctus Thomas opuſculo 20. diabolos eſſe, quod ſcribit Sanctus Cyprianus ep. 69. ad Pupianum. quin eſſe hoc iniquitatis myſterium, quod tradit S. Paulus ad Theſſalonicenſes ſecundo, vt ſupra explicabamus. probemus hoc quantum fieri poteſt. Ex hoc enim probabitur omnium bonorum ruinam fieri, quod ſuis verbis optime indicauit Apoſtolus Paulus, vt mox aperietur.

Primo igitur hoc apertiſsime Samuel Sauli dixit 1. Reg. 15. cũ nõ hic obediſſet illi, qui Dei nomine tamquã ſacerdos, quid agendum foret, pręcepiſſet. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugna-*

gna-

gnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo, quod abieciſti ſermonē Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex. Idcirco ita S. Gregorius in eundē locum. *Quinā eſt, quod Prælatis repugnātes, & acquieſcere nolētes à propheta ariolis, & idololatris ſimilantur? niſi quia arioli diuina cognoſcere, atque abſconſa diuinare nituntur, idololatræ autem figmentis ſe veneranda ſubdidere. Qui autem repugnant Prælatorum imperijs, ideo vtique repugnant, quia diuinam voluntatem ſe ſcire melius æſtimant: quaſi ergo peccatum ariolandi eſt repugnare, quia velut contempto diuino altari, ad aras dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis, ac ſuperbis adinuentionibus credunt, Ac prælatorum conſilijs contraria ſentiendo refragantur.* Eadem Angelomus, Rabanus, Eucherius, & Dionyſius Carthuſianus. *Præcepto,* inquit, *ſuperioris reſiſtere, & reniti propriam inobedientiā palliando ſeu alio modo tā graue eſt crimen, vt ſit ariolari, quod eſt genus ſuperſtitionis, ſeu ſpecies magicæ artis.* Eadem ante ipſum Sanctus Bernardus ſerm. 19. in Cant. & tractatu de præceptis diſpenſandi.

Sed & Chaldæus interpres ita vertit. *Nam vt culpa virorum, qui petunt ab ariolo, ſic culpa omnis viri, qui rebellat ſuper verba legis Domini, & ſicut culpa populi, qui errat poſt errores, ſic culpa omnis hominis, qui addit ſuper loquelas prophetarum, eo quod ſpreuiſti verbum Domini, & elongauit te Dominus ne ſis Rex.*

Clarius adhuc ſeptuaginta ὅτι ἁμαρτία οἰώνισμά ἐστι, παραπικρασμὸς ἀδικία, καὶ θεραφὶν ὀδύνην καὶ πόνους ἐπάγουσιν. ἀνθ' ὧν ἐξουδένωσας τὸ ῥῆμα κυρίου, ἐξουδενώσει σε κύριος τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπὶ Ἰσραήλ. id eſt. *Quoniam crimen augurium eſt irritatio, iniuſtitia, & Teraphim dolorē induclit, eo quod contēpſiſti verbum Domini, contemnet te Dominus ne regnes ſuper Iſrael.* Theraphim porro erant ſtatuæ, è quibus dæmones reſponſa reddebāt, eandem vocem retinuit codex Hebræus: quod enim vertit noſter, ariolandi habet ille Theraphim.

Secundo apparet hoc ex euentu. Angelus namque apoſtata cum ſuis ideo cecidit, quia ſupremi directoris lumini fuerunt rebelles quod ait Iob cap. 41.

Tertio ſimiliter idem conſtat ex euentu Euæ, quæ ſtabilem fidem non habuit ijs ſupernaturalibus, quæ dicta ipſi fuerant ab Adamo, dictaque fuerant Adamo ab ipſo Deo, ſeductaque

eſt,

eſt, inquit Apoſtolus, vt habetur in Geneſi à Dæmone ſpecie ſerpentis obtecto.

Quarto apparet tum Cainum, tum Caini poſteritatem fuiſſe à dæmonibus & ipſam deceptam, cum declinaſſet à directione ſupernaturali tum poſterorũ Seth religioſorum, tum maxime ipſius Noe, quod habemus, 1. Petri.cap. 3. & 2. cap. 2.Gen.cap.6.& ſupra,

Quinto.maxime hoc eluxit in Zoroaſtre, qui ſcribitur omnium primus poſt gentium diſperſionem contaminaſſe doctrinam veritatis, diffugiens auctoritatem traditionesque Noe # iam tunc etiam viuentis, duoque principia ſubſiſtentia ponens, dæmonum cultum ſanxiſſe, & magicis artibus addictus, quæ pertinent ad ſummi mediatoris ex eo tempore futuri veritatem, præuertiſſe, quæ tradit Plutarchus libro de Iſide, & Oſyride, Euſebius initio chronici ſui, ac Plinius multis in locis.

Sexto. ſic apertiſsime hoc eluxit in primo hæretico, ac primo Imperatore, qui ſupernaturali lumini rebelles certauere aduerſus Apoſtolorum ſupernaturalis luminis ductorem Principem Petrum Vicarium ſummum Chriſti, ſummi hominis, ac Dei poſiti ſupra omnem naturam. Primus hæreticorum fuit Simon Magus, qui dæmonum familiaritate eſt vſus magicis # artibus addictus, infelicique & inglorio prorſus exitu ſibimet ipſi vitam miſerrime ademit cum ſuis. quæ colligimus ex ijs, quæ tradunt SS.Ignatius epiſt. ad Trallianos, Dionyſius de diuinis nominibus, cap.6.Iuſtinus Mar. cap.2.Apologiæ, in dialogo cum Tryphone, Irenæus, libro primo, Clemens Stromatum ſeptimo, Origenes contra Celſum ſexto.talis igitur fuit Simõ Magus hæreticorum princeps.

At Nero Imperatorum primus, qui in Chriſtianos arma commorint, fuit magicis artibus, dæmonumque ſocietati eodem modo addictus, quod Plinius libri ſecundi capite triceſimo teſtatur,

Septimo veluti Iudas à dæmone inſtar Caini, Chami, & Zoroaſtris perſuaſus à diabolo eſt obſeſſus, vt legimus cap.Ioannis 13. ac ſemetipſum laqueo ſtrangulauit exemplo mortis non admodum diuerſæ à Caino, Chamo, & Zoroaſtre; eodem modo Simon Magus ſibimetipſi caſum, quo oppreſſus interiit, eſt machinatus; Nero autem ſibi gladio mortem conſciuit.

Octauo

Octauo, eandem prope omnes non modo infelices, ſed in glorij ſimul pœnam ſubeunt, qui facta horum miſerrime præ cæteris imitantur. Photius auctor fuit ſchiſmatis, quod mox in hæreſim verſum eſt, oborti inter Eccleſiam Catholicam, & Græcam, qui ſane addictus fuit Santabareno cuidam mago, & præſtigiatori quod Zonaras tomo tertio, in vita Baſilij Macedonis, & Leonis Philoſophi tradit, Patriarchatu Conſtantinopolitano deiectus, in monaſterium detruſus infeliciter homo verſipellis vita migrauit; ille autem miſerrime oculis effoſſis, omnique dignitate exutus eſt defunctus.

Nono noſtra ætate ſcelerum ſimul atque hæreſum, quæ modo fuerunt, pater Martinus Lutherus palam confitetur libro de Miſſa angulari, ſe cum dæmone colloquia miſcere ſolitum, pluſquam vnum ſatis fruſtum cum illo comediſſe, ac familiariter inter ſe noſſe, quamuis ſæpius extimuerit ſe ab illo ſuffocandum, quæ poſt Cochlæum deſcribit Surius anno 1534. Maximilianus certe Imperator illius humeris inſidentem dæmona cōſpexit, & è canalibus agmina dæmonum viderunt alij prouolātia in ædes ipſius: quin cōfeſſi ſunt dæmones funeri ipſius veluti amiciſsimi ipſorum, vt ad infera magno, vti decebat, cum onere deuolueretur, ſe interfuiſſe, quæ late deſcribit Brendebachius libro collationum ſuarum. Quocirca vere ſcriptum legimus in edicto, quod à Carolo quinto editum fuit in comitiis Vormacienſibus anno 1521. Lutherum fuiſſe dæmonem figura humana obtectum, teſtaturque Stanislaus Reſcius Præſul Polonus poſteriori parte epiſtolarum ſuarum, quæ ſunt editæ Neapoli ſe audiuiſse ab Illuſtriſsimo Stanislao Hoſio Cardinali, & aliis, qui aſſererent Lutherum vitam laqueo ſibi iniecto inſtar Iudæ eripuiſſe. ſic ille epiſtola ſeptima.

Caluinus monenti Buccero, vt abſtineat maledictis, reſpondit, non eſſe ingenij ſui eum morbum, ſed genij. Zuinglius libro de ſupplemento Miſſæ aſſerit, ſibi anxiè cogitanti de explicatione illorum verborum: *Hoc eſt corpus meum* nocte intempeſta adſtitiſſe monitorem ſpiritum, dubitat autem num fuerit ater, vel albus. Eraſmus Alberus Baſilienſis teſtatur Caroloſtadio concionanti adſtitiſſe cacodæmona triduo priuſquam concionaretur, hominemq; ad infera abripuiſſe. Quod vero in his euidentiſsimum fuit, aliis eodem modo contigit, quamuis non ita euidens apparuerit.

Ad

Ad hos igitur denique accedunt,quicumque Eccleſiaſticam poteſtatem,libertatemque violant, aut conuellunt, ac duos fines vltimos ponunt in actionibus humanis, ac proinde duos inter ſe pugnantes Deos. Nam cum Deus ſit vltimus finis hominum,duos inter ſe pugnantes Deos conſtituunt,qui hęc volunt. Sed aduerſus Deum verum non pugnat,niſi Dæmon. Pro hoc ſtat,qui aduerſus Eccleſiaſticam poteſtatem præliatur,cadit igitur ab omnium bonorum ſtatu, quod operis exordio præfati ſumus,& in fine concludetur.

Quicumque Principes infenſi fuerunt Eccleſiaſticæ poteſtati, ac libertati pro modo culpæ exciderunt à ſtatu felicitatis quoad quinque, quoad ſe, quoad liberos,quoad agnationem,quoad nobilitatem ſubiectorum,quoad populos ſubiectos,ac primo de Imperio Occidentali Romanorum. Cap. X.

His igitur explicatis ſummatim quinque oſtendentur à nobis, ſacrilegos Reges, aut Principes ſiue illos, qui violant Eccleſiaſticam libertatem, vel imminuunt iura Eccleſiaſticæ poteſtatis,cadere à ſtatu temporalis felicitatis exemplo malorum dæmonum, quibus miſeri ſeſe aſſociant quoadquinque. Primo quoad ſe. Secundo quoad poſteritatem ſuam. Tertio quoad agnationem ſuam. Quarto quoad regni nobilitatem. Quinto quoad ipſam nationes ſiue populos. Quæ prędicta ſunt multis ſacræ Scripturæ locis veluti Pſalmo 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus,* Eadem Pſalm. 20. verſic. 9. & ſeq. & Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges, Iudicabit in nationibus*(per Epiſcopos)*implebit ruinas, con-*

quaſſabit capita in terra multorum. Et Iſaię inducentis Deum loquentem cap. 49. *Eos vero, qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ego ſaluabo, & cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur: & ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Et 54. *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio iudicabis.* Et 60. *Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.*

Sed optime Sanctus Paulus hæc omnia nobis indicauit ſecundæ ad Philippenſes capite ſecundo, in Nerone, ac Simone primis eccleſiaſticæ auctoritatis oppugnatoribus initium factum ſignificans omnibus malis per Antichriſtum, membraque ipſius ob eccleſiaſticam libertatem, poteſtatemque concuſſam adducendis; ſic vero Apoſtolus. *Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini, ne quis vos ſeducat vllo modo; quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtēdens ſe tamquā ſit Deus. Non retinetis, quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? & nunc quid detineat ſcitis vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum, vt qui tenet, teneat, donec de medio fiat.* Hæc Sanctus. è quibus multa adnotanda.

Primumque eſt, pro voce illa diſceſſio Græcè haberi ἀποστασία, id eſt, diſceſſio à ſtatu, quod ſcilicet Antichriſtus ſit ille, per quem maximè mortales diſcedent ab obedientia ſacerdotum Chriſti, & à ſtatu omnium bonorum. quamobrem propter conſequentia vocatur Antichriſtus apoſtaſia: vt interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Auguſtinus de ciuitate Dei libro vigeſimo capite decimo nono. ſimulque diſceſſio illa erit ab obedientia, quæ debetur ſacerdotio Chriſti, ſiue Eccleſiæ per ſacerdotes repræſentatæ, vt adducto loco tradit Sanctus Auguſtinus; denique erit apoſtaſia à Romano imperio, vt SS. Ambroſius, Primaſius, ac Sedulius exponunt. Quocirca quod adijcitur, qui tenet, teneat, donec de medio fiat imperium Romanum ſignificari volunt SS. Cyrillus catecheſ. 15.

Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam, Chryſoſtomus, & Ambroſius eo loco, Tertullianus in Apologetico cap. 32. Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 15. Myſterium porro iniquitatis diximus ſupra ſignificare Simonem, & Neronem, quorum vterque eſt Eccleſiam perſecutus, magicis addictus artibus: atq; hic fuit in cauſa, vt Roma incenderetur, à Romani ſanguinis viris imperiũ transferetur ad Italicos, ad Veſpaſianũ ſcilicet, ac Titum, quo tempore tot mala extiterunt; vt orbis ruere videretur. quod initio hiſtoriarum ſuarum tradit Tacitus his verbis, vt appareat primos iſtos Antichriſti, cladumque ab ipſo adducendarum, ſimulq. omnium, qui imitabuntur ipſos, imaginem geſsiſſe. *Opus aggredior plenum varijs caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum: quatuor principes ferro interempti: tria bella ciuilia, plura externa, ac plerũq; permixta.* Et mox. *Italia nouis cladibus, vel poſt longam ſæculorum ſeriem repetitis afflicta; hauſtæ, aut obrutæ vrbes, fœcundiſsima Cāpaniæ ora, & vrbes incendio vaſtatæ, conſumptis antiquiſsimis delubris, ipſo Capitolio ciuium manibus incenſo, pollutæ ceremoniæ, magna adulteria, plenum exilijs mare, infecti cædibus ſcopuli, atrocius in vrbe ſæuitum, nobilitas, opes, amiſſi, geſtique honores pro crimine, & ob virtutes certiſsimum exitium.* Et mox. *Præter multiplices rerum humanarum caſus, cælo, terráque prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta; nec enim vmquam atrocioribus populi Romani cladibus, magiſue iuſtis iudiceijs approbatum eſt, non eſſe curæ dijs ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem.* Hæc ille; de primo tempore, quo ſacrilegis, & impijs auſibus per Antichriſti membra cœptum eſt oppugnari eccleſiaſticam libertatem, & poteſtatem, attollentibus ſignum impietatis Simone mago, & Nerone dæmonum ſociis, in quibus abſcondebatur iniquitatis myſterium; & per quos adducitur bonorũ omnium ruina, initio ab ipſiſmet auctoribus facto, ac deducto in poſteros ipſorum, regna, imperia, & orbem totum. Reſpondet euentu ſimili Antichriſtus, & ipſe magicis artibus addictus. Nam ſic Sanctus Hippolytus libro de conſummatione mundi. *Tunc iniquus ille (Antichriſtus) elato animo dæmones ſuos congregabit humana ſpecie, & eos, qui illum ad regnum inuitarunt, faſtidiet, animaſque multas inquinabit, quippe Principes conſtituet ex dæmonibus. Hac iam velut religioſus, ſed plane auſterus, ſeuerus, iracundus, plenus excandeſcentiæ, truculentus, inconſtans, terribilis, grauis, odioſus, con-*

 temptor,

temptor, immitis, exitioſus, nequam, & in eo ſtudium, & operam collocans, vt vniuerſum genus hominum in foſſam interitus conyciat. Et poſt hæc, *omnia cælum non dabit rorem ſuum, nubes non præbebunt aquam, terra denegabit fructus ſuos, mare graui replebitur odore, flumina deſiccabuntur, morientur piſces maris, homines fame, ſitique peribunt.* Hucuſque Sanctus, qui paulo ante de eodem, ſic ait. *In primordio ſui clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religioſus, pacificus, qui odio proſequatur iniuſtitiam, deteſtetur munera, idololatriam non admittat, amet ſcripturas, reuereatur ſacerdotes.* Vt videamus, maxime iſtos inter ſe conuenire. Nam & Nero primis quinque imperij ſui annis bonus fuit, vt teſte Victore Traianus ſolitus fuerit dicere, multos bonos Principes diſtare à quinquennio Neronis. Nec diſsimilis videtur fuiſſe Simon, nam credidit, ait S. Lucas Act. cap. 8. & adhæſit Philippo.

His igitur ſunt ſimiles quicumque eccleſiaſticam libertatem, poteſtatemque imminuunt, aut oppugnant, ait S. Gregorius in pſalm. 4. pœnitentialem, moreſque & facta iſtorum cum ſimilibus euentis imitantur, ac ſemetipſos, ſuam poſteritatem, regna, imperia, orbemque totum perdunt. Ideo dicitur Antichriſtus filius perditionis. Quocirca antequam veniamus ad Reges, Principes, alioſque à dæmone deceptos, qui Chriſtianos ſe profitentur, & quantum facinus hoc ſit non perpendentes, imminuunt eccleſiaſticam libertatem, & poteſtatem, nonnulla ad Imperatores Ethnicos pertinentia obſeruemus, è quibus apparebit ius ſtatus eſſe in vera religione, obedientiaque debita in omnibus Chriſto omnium rerum domino, ſacerdotioque in terris per ipſum conſtituto, libertatis, poteſtatis, & ordinis eccleſiaſtici à Deo, Chriſtoque in terris conſtituto tuitione, & conſeruatione.

Primumque ſit. anno ab ortu Chriſti quadrageſimo quarto Romæ ſedem fixit Petrus Chriſti Vicarius Chriſtianorũ Pontifex ſummus, eius ſucceſſores eandem tenuerunt vſq; ad Conſtantinum, qui vexillum crucis intulit Romanis mœnibus anno trecenteſimo duodecimo. Ex eo Pontificia ſedes Imperatoribus, ac toti orbi leges apertiſsime dedit: aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem pugnarunt Imperatores impij per annos ducentos ſexaginta octo, dominati ſunt Imperatores approbati à Senatu quinquaginta nouem plures, aut pauciores; reliqui

vero inuaſere imperium, nomenque Imperatoris vſurparunt; nec ſunt pro legitimis iudicati.

1 *Claudius.*
2 *Nero.*
3 *Galba.*
4 *Otho.*
5 *Vitellius.*
6 *Veſpaſianus.*
7 *Titus.*
8 *Domitianus.*
9 *Nerua.*
10 *Traianus.*
11 *Hadrianus.*
12 *Antoninus Pius.*
13 *Antoninus Philoſophus.*
14 *Lucius Autoninus.*
15 *Auidius Caſsius tyrãnus.*
16 *Commodus.*
17 *Pertinax.*
18 *Didius Iulianus.*
19 *Seuerus.*
20 *Albinus.*
21 *Niger.*
22 *Antoninus Geta.*
23 *Antoninus Caracalla.*
24 *Macrinus.*
25 *Diadumenus.*
26 *Heliogabalus.*
27 *Alexander Mammea.*
28 *Maximinus pater.*
29 *Maximinus filius,*
30.31.32 *Gordiani tres.*
33 *Maximus.*
34 *Balbinus.*
35.36 *Philippus pater & filius.*
37.38 *Decius pater & filius.*
39.40 *Valerianus pater & fili⁹.*
Tyranni qui geſſere imperium.
41 *Cyriades.*
41.43 *Poſthumi duo.*
44 *Lollianus.*
45.46 *Victorini duo.*
47 *Marius.*
48 *Ingenuus.*
49 *Regillianus.*
50 *Aureolus.*
51.52 *Macriani duo.*
53 *Quietus.*
54 *Odenatus.*
55 *Herodes.*
56 *Mœonius.*
57 *Baliſta.*
58.59 *Valentes duo.*
60 *Piſo.*
61 *Aemilianus.*
62 *Saturninus.*
63.64 *Tetrici duo.*
65 *Trebellianus.*
66 *Herennianus.*
67 *Timolaus.*
68 *Celſus.*
69 *Zanobia.*
70 *Victoria.*
71 *Titus.*
72 *Cenſorinus hactenus Tyranni.*
73.74 *Gallus, & Voluſianus.*
75.76 *Gallienus pater & filius.*
77 *Hoſtilianus.*
78 *Claudius.*
79 *Quintillus.*
80 *Aurelianus.*
81 *Tacitus.*
82 *Florianus.*
83 *Probus.*
84 *Firmus.*
85 *Proculus.*
86 *Bonoſus.*

87 Ca-

87 *Carus.*
88 *Numerianus.*
89 *Carinus.*
90 *Diocletianus.*
91 *Maximianus.*
92 *Galerius.*
93 *Conſtantius Chlorus.*
94 *Maximinus.*
95 *Seuerus.*
96 *Maxentius.*
97 *Licinius.*

Omnes autē fere memorati fuere interfecti exceptis duodecim, Veſpeſiano, ſcilicet Tito, Nerua, Traiano, Adriano, tribus Antoninis Pio, Philoſopho, Lucio, Septimio, Maximino, Claudio, Chloro. Volunt aliqui tamen Titum fuiſſe à Domitiano interfectum: Adrianus præterea, & Maximinus miſerabiliter, diuque attrocibus morbis, ac tormentis excruciati interierunt. Hinc S. Ioannes Chryſoſtomus contra gentiles libro ſecundo. *E ſuperioribus*, ait, *Imperatoribus ij, qui ſimilia* (cum Iuliano) *attentarunt, multis, atque intolerabilibus calamitatibus acceptis, fœda, ac miſerabili morte interierunt; ita vt cuiuſdā, dum adhuc viueret, ſponte ex oculis pupillæ exilirent. Maximinus hic fuit; alius autem furore, alius alia id genus calamitate vexatus, mortem cum vita commutauit.* Et S. Hieronymus in cap. 14. Zachariæ. *Nos autem dicimus*, inquit, *omnes perſecutores, qui afflixerunt Eccleſiam Dei, vt taceamus de futuris cruciatibus, etiā in præſenti ſæculo recepiſſe, quæ fecerunt. legamus eccleſiaſticas hiſtorias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid ſæuiſsimus omnium Maximinus, & nuper Iulianus paſſi ſunt; & tunc rebus probabimus etiam iuxta litteram prophetiæ veritatem eſſe completam, quod computruerunt carnes eorum.* Hucuſque Sanctus. è quibus apparet eos, qui oppugnāt eccleſiaſticam poteſtatem, ſibimetipſis perditionem machinari, quod nobis fuerat propoſitum probandum.

Secundo loco quoad poſteritatem, nemo ex illis ad nepotes agnationis ſuæ tranſmiſit imperium, quin ſtipitus illa eſt exextincta, & trucidata, excepta Conſtantij Chlori poſteritate, qui amiciſsimus Chriſtianorum fuit, optimusque Imperator, vt ſupra eſt explicatum.

Tertio, non modo agnatio cunctæ cognationes illorum funditus exciſæ videntur, ac perijſſe eorum memoria cum ſonitu; ſed Chlori cognatio, ſi credimus quibuſdam ſcriptoribus, eſt ſuperſtes. Nam Curopalatas vult Baſilium Macedonem genus ducere à Conſtantino Conſtantij Chlori filio, eiuſque poſteritas in Regibus noſtris eſt perpetuata.

Quarto

Quarto, illud eſt admirandum, fuiſſe Imperium translatum è gente in gentē, cum Chriſtiani interimebantur, ſiue tolerantibus Imperatoribus, ſiue haud prouidentibus, cum deberent.

Primo enim à Romani ſanguinis viris ad Veſpaſianum, filioſque Titum, & Domitianum eſt Imperium Romanum delatum. fuit Veſpaſianus Reatinus, quod Suetonius tradit.

Secundo loco ex his ad Neruam Narnienſem iam ſenem.

Tertio ex hoc ad Hiſpanienſem Traianum, & Hadrianum.

Quarto ad Gallicanos Antoninos.

Quinto ad Afros Septimium, & filios.

Sexto ad Aſiaticos Syros Heliogabalum, & Alexandrum Mammeæ.

Septimo ad Thraces Maximinum patrem, & filium.

Octauo ad Arabas Philippum, & filium.

Nono ad Pannonios Decios.

Decimo ad plurimas gentes, è quibus prognati erant triginta tyranni, de quibus Pollio ſcribit.

Vndecimo ad Illyricos Claudium, & Quintillum.

Duodecimo ad Aurelianum, vel Dacum, vt Victor, vel Mœſum, vt alij volunt, ac refert Vopiſcus.

Decimo tertio ad Dalmatas, Probum, Tacitum, Florianum.

Decimoquarto ad Pœnos, Nam Caius ſi credimus Ceriliano apud Vopiſcum, Pœnis parentibus in Illyrico eſt natus, alij Narbonæ, vel Romæ ortum volunt.

Decimoquinto ad Diocletianum Dalmatam, Galeriumque Maximianum Pannonium Auguſtos, Galerium Armentarium Dacum, & Conſtantium Chlorum Dardanum.

Decimoſexto tandem conſedit in Conſtantini Chlori amiciſsimi Chriſtianorum filio Conſtantino. In hiſce vero euentibus maximè obſeruanda, nullos Imperatorum magis fauiſſe rebus Chriſtianis, quam Antoninos Gallos, & Conſtantios Dardanos, atque horum poſteros ſimiliter diutius imperaſſe. Vt merito primus Antoninus Pius dictus fuerit, vterque autem tam Chlorus, quam Pius fuerint omnium virtutum genere ornatiſsimi.

Quinto Romana nobilitas prope omnis exciſa ab ipſiſmet Imperatoribus, vt de Nerone teſtatur Dio. Eutropius lib. 7. Tacitus 16. de Domitiano Eutropius eodem libro. & Dion. de Hadriano idem; de Septimio Seuero Spartianus, de Heliogabalo

balo Herodianus, de Aurelio Vopiſcus, de Carino idem, de Maxentio Eutropius, & Nazarius in Panegyrico Conſtantini. Quocirca vix vllus ætate Conſtantini, ex antiquo Patricioque & Senatorio ſanguine Romanorum ſuperſtes erat, niſi qui Chriſto nomen dederunt, vt refert Prudentius contra Symmachum, quorum germina adhuc in Vrbe, atque Italia nonnulli ſuperfuiſſe contendunt, vt perſequitur Arnoldus Belga monachus Caſsinenſis libro de ligno vitæ.

Imperatores Occidentis poſt Conſtantinum.

1 *Conſtantinus II.*
2 *Conſtans.*
3 *Conſtantius hæreticus.*
4 *Magnentius* }
5 *Nepotianus* } *Tyranni*
6 *Vetrannio* }
7 *Iulianus* *Apoſtata.*
8 *Iouinianus*
9 *Valentinianus.*
10 *Gratianus*
11 *Valentinianus II.*
12 *Theodoſius I.*
13 *Honorius.*
14 *Marcus tyrannus, in Britannia.*
15 *Conſtãtinus tyran. in Gallia*
16 *Attalus ab Alarico, creatus contra Honorium.*
17 *Maximus in Hiſpania, contra Conſtãtinum exortus.*
18 *Iouinus tyrannus.*
19 *Sebaſtianus tyrannus.*
20 *Conſtantius ab Honorio creatus.*
21 *Ioannes defuncto Honorio Imperium arripit.*
22 *Valentinianus III. à Theodoſio Iuniore creatus.*
23 *Maximus occiſo Valentiniano.*
24 *Auitus Aruernus.*
25 *Maiorianus.*
26 *Seuerus.*
27 *Anthemius.*
28 *Olybrius.*
29 *Glycerius.*
30 *Iulius Nepos.*
31 *Momyllus ab Oreſte, Patre hæretico factus Imp.*

Poſt hos Odoacer Herulorũ Rex, inde Theodoricus Oſtrogothorum, Athalaricus, & Amalaſuenta Mater, Theodahatus, Vitiges, Ildobaldus, Araricus, & Totilas Reges hæretici Italia potiti ſunt. Inde Imperatores Orientis euerſo Occidentali Imperio Italiam tenuere à Iuſtiniano I. vſque ad Gregorium II. Papam, quod mox dicetur, ſed quantum pertinet ad ſuperiores, aliqua ſunt obſeruanda.

Primum cum poſt Conſtantinum ſumma omnium deueniſſet ad Conſtantium hæreticum, hic nihil nõ in Catholicos mouit. Tantæ tamen apud eum fuit auctoritatis Eccleſiaſtica po-

teſtas

teſtas, vt cupiens Athanaſium ſede Alexandrina expellere, non rite id factum crederet, niſi Pontifex Romanus approbaſſet. Ita namque Ammianus lib. 15. quamuis Chriſtianæ religionis hoſtis *Athanaſium Epiſcopum eo tempore apud Alexandriam vltra profeſſionem altius ſe offerentem, ſciſcitarique conatum externa, vt prodidere rumores aſſidui: cœtus in vnum quæſitus eiuſdem loci multorum (Synodus, vt appellant) remouit à Sacramento, quod obtinebat. dicebatur enim fatidicarum ſortium fidem, quæve augurales portenderent alites, ſcientiſſime callens, aliquoties prædixiſſe futura. ſuper his intendebantur ei alia quoque à propoſito legis abhorrentia, cui præſidebat. hunc per ſubſcriptionem abijcere ſede Sacerdotali paria ſentiens cæteris iubente Principe Liberius monitus perſeueranter renitebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare nefas vltimum ſæpe exclamans, aperte ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi firmari deſiderio nitebatur ardenti. quo non impetrato Liberius egre populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit aſportari.* Hæc ille, teſtificans nil iuris eſſe Imperatoribus in Eccleſiaſticas perſonas, licet illis Synodi ſuffragentur, niſi Pontifex Romanus aſſentiatur. Idque ab hæreticis cognitum tradit auctor à nobis alienus, qui merito ob id exprobat Conſtantio, quod ſe Eccleſiaſticis negotiis immiſcuerit; ſic enim lib. 21. *Fidem Chriſtianam, religionem abſolutam, & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens* (Conſtantius) *in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda grauius excitauit diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborum, vt cateruis Antiſtitum iumentis publicis vltro, citroque diſcurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conatur arbitrium, rei vehicularia ſuccederet neruos.* Hæc ille de Conſtantio.

Quid vero dicimus de Conſtantino, quando neque hic, hæreticis vndique illum circundantibus, potuit effugere, quin extremis vitæ ſuæ annis aliquid in Eccleſiaſticam poteſtatē committeretur? Athanaſium namq; virum ſanctiſsimum narrant Alexandria pulſum, Treuiroſq; in extremas Gallias ab eo relegatum quaſi ſeditioſum, quod tanti fuit apud antiquos, vt Sanctus Hieronymus haud dubitarit, hæc in chronico ſuo ſcribere anno 340. *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab*

Euſebio

Euſebio Nicomedienſi baptizatus in Arianum dogma declinat; à quo vſque in præſens tempus Eccleſiarum rapinæ, & totius Vrbis eſt ſecuta diſcordia. Hæc Sanctus. Sed in his de ſcribendis deceptum ſanctum, maxima, quæ in Eccleſiam contulit beneficia Conſtantinus, cogunt omnino nos fateri, & maxime cùm Græci auctores ab hæreticis baptizatum Conſtantinum dicant; reclamantibus Græcis ipſis. Enimuero tanti fecere omnes Sancti, & amici Dei, hæreticis aliquo modo communicare, aut Eccleſiæ iura infringere, vt hæreticus iam videatur, qui non prorſus ab eis ſeſe abiungit, aut hæc imminuit ob vllã cauſam. Illud tamen apud omnes conſtat, ex omni monumentorum genere à ſequentibus Imperatoribus, excepto Theodoſio magno, ac Pulcheria, fuiſſe eccleſiaſticam poteſtatem diminutam. Valentinianus enim, Valens, & Gratianus ſtatuerunt, nè quid viduæ clericis, aut Eccleſiæ legare poſſent; vt habetur lib. 16. C. Theodoſiani de epiſc. eccle. & cleric. ac paulo poſt Valentinianus: *ictus* ; ait inter alia multa Marcellinus libro trigeſimo, *telo vitalia, voceque ſimul obſtricta, ſuffectus igneo lumine, & lethali ſudore perfuſus ſenſit immenſa vi quadam vrgente morborum; vltimæ neceſſitatis adeſſe præſcripta, dicereque conatus aliqua, vel mandare, vt ſingultus ilia crebrius pulſans; ſtridorque dentium; & brachiorum motus velut cæſtibus dimicantium indicabat, iam ſuperatus, liuentibuſque maculis interfuſus animum diu colluctatum efflauit*. Hæc de Valentiniano.

At Valens à Gothis eſt combuſtus, quod idem libro ſequenti tradit. Gratianus autem miſerrime à Clemente Maximo Lugduni eſt occiſus. Ante illos cum Conſtans, & Conſtantinus alienis rapiendis intenti nimium ſunt, quod omnes narrant; occiſi fuere. Conſtantius hæreticus, ait idem Marcellinus libro vigeſimo, *morbi grauitate detentus eſt, paulatimque vrente calore nimio venas, vt ne tangi quidem corpus eius poſſet in modum foculi feruens, quum vſus deficeret medelarum, vltimum ſpirans deflebat exitum; deinde ictu iam pulſatus lethali, diuque cum anima colluctatus iam diſceſſura abijt è vita*. Hæc ille. E multis Iulianum conſtat in prœlio Perſico interfectum. Valentinianus Secundus apud Viennam laqueo ab Arbogaſte eſt ſuffocatus, hic eſt, qui multas Sancto Ambroſio, cum faueret Arianis, moleſtias intulit. Omnibus his Theodoſius Magnus ſuccedens, omnia reſtituit in integrum pertinentia ad eccleſiaſticam poteſtatem. minuit illam Stilicho tutor Honorij, vt adnotauimus

Signo nonageſimo quinto libro vigeſimo tertio: quo tempore barbari Occidentale Imperium varie diſcerpſerunt, & concidiſſet omnino, ni de mandato ipſius Honorij occiſus fuiſſet Stilicho, qui in viſcera ipſius barbaros immiſerat; quod Numatianus illorum temporum ſcriptor, Zoſimus, alijque omnes prodidere. Cum legibus autem pijs, quæ extant in codice Theodoſiano lib. 16. leg. 50. & 51. Honorius illo occiſo Imperium pacauit, ac firmauit; ac ſine prole deceſsit viuente Theodoſio iuniore nepote. Sed omnium maxime eccleſiaſtica iura euertit Valentinianus Tertius, cuius extat lex in Nouellis Codicis Theodoſij tit. 12. ſtatuit enim, ne Epiſcopus haberet vllius iudicij poteſtatem, neque in ipſos Clericos, niſi conſentientibus Clericis, qui trahi poſſent ad tribunalia ſæcularium, cum multis aliis huiuſmodi. Hic eſt, quo regnante Occidentale Imperium eſt ad Italiam ſolam redactum. Verum paulo poſt à Maximo, cuius vxorem vitiauerat, ipſe interfectus eſt, ac Roma à Vandalis eſt fœdiſsime direpta, donec intra breue tempus exciſa prope omni eccleſiaſtica poteſtate Imperium deuenit ad Momyllum Auguſtulum, qui deiectus eſt ab imperio per Odoacrem Herulorum Regem. Quod autem ſupra diximus apertos Eccleſiaſticæ poteſtatis oppugnatores apertã cum dæmonibus ſocietatem plerumque inire id in Valentiniano III. eluxit. Nam ſic de illo Procopius libro Vandalici belli primo. *Valentinianus, quod à Placidia matre in omni mollicie nutritus, atque illius vitio effæminatus eſſet ad incantamenta mathematicaque ſe conuertit, vtque matronis potiretur alienis omni ſtudio, & vita infamia curauit.* Atque hæc euenere ab obitu Conſtantini poſt annum trecenteſimum trigeſimum ſeptimũ quo deceſsit ille, Imperium florentiſsimum relinquens tam in Occidente, quàm in Oriente vſque ad annum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſextum, cum Zenone hæretico Orientis Imperium tenente, Odoacer Italiam cœpit Occidentale euertens. Igitur è ſuperioribus colligi poſſunt.

Primo poſt Conſtantinum, pleroſque è ſucceſſoribus in Occidente fuiſſe interfectos, aut miſerabiliter defunctos. interempti ſunt, Conſtans, Conſtantinus Secundus, Iulianus, Valentinianus Secundus & Tertius, Maximi tres, Eugenius, Conſtantinus, Iouinus, Sebaſtianus, Attalus, Ioannes tyranni, Maiorianus, Anthemius.

Secundo. nemo è ſuperioribus ad agnatos nepotes, Imperium

rium tranſmiſit, niſi Theodoſius Magnus, cuius nepos Theodoſius iunior, & Pulcheria neptis poſt hunc Imperium tenuere.

Tertio. poſteritas omnium defecit, excepta Conſtantini poſteritate, ſi Curopalatæ eſt credendum, ac Theodoſij Magni: Eudoxia namque Valentiniani Tertij vxor è Vandalis filias reliquit, vt Procopius, & Iornandes tradunt.

Quarto. Romani Senatus maxime euerſa eſt poteſtas, vti dicetur, & ipſius nobilitas obſcurata, ac poteſtas omnis prope extincta.

Quinto Italici omnes, prouinciæque Occidentalis Imperij in barbarorum poteſtatem maximo omnium rerum detrimento peruenere, vt aperietur.

Ad horum vero, ac veritatis totius, diuinæque, & æternæ prouidentiæ commendationem nobis eſt illud adnotandum: Primum quidem, quod ſupra diximus, Tiberio cogitanti Chriſtianam religionem recipere, atque id in Senatu referenti, hunc obſtitiſſe. Secundum vero eſt, à multa Romani Senatus parte odio fuiſſe habitum Conſtantinum, quod gentilium ſacra proculcaſſet, ait Zoſimus libro ſecundo; idemque rurſus obſtitit, ne antiqua ſacra dererentur, cum Theodoſius id efflagitaret poſt Eugenium deuictum, quod explicat idem libro quarto ad finem his verbis. *Cum autem Senatum conuenire* (Theodoſius) *iuſſiſſet, qui patritis, auitiſque ſacrorum ritibus adhærebat, nec adbuc permoueri poterat, vt ijs aſſentiretur, qui ad contemptum deorum deflexerant, orationem habuit, qua eos hortabatur, vt miſſum facerent errorem (ſic enim appellabat.) quem hactenus ſecuti fuiſſent, & Chriſtianorum fidem amplecterentur, quæ liberationem ab omni delicto, & impietate polliceatur. Sed cum huic exhortationi nemo pareret, nec à patritis ritibus, quos inde ab origine vrbis accepiſſent, diſcedere vellent (cum dicerent illis obſeruatis, ſe iam mille ducentis propemodum annis vrbem inuictam coluiſſe; cum quibus ſi commutarent alia, quid euenturum eſſet ignorarēt) tum vero Theodoſius fiſcum grauari ſumptu, qui in ſacra, victimaſque fieret, ſeque iſta velle abolere dixit.* Hæc Zoſimus. Quin ſi fides eſt iſti adhibenda, idem Senatus, cum Roma obſideretur ab Alarico Gothorum Rege, à quo primum capta eſt, atque direpta, ad impia ſacrificia peragenda opem falſorum deum, ſeu potius dæmonum rebus Romanis implorans ſe contulit. Nam ſic idem libro quinto. *Illi (augures*

Thuſci) *non aliter hac vrbi conductura dicerent, niſi publice conſueta ſacrificia fierent, Senatu in Capitolium aſcendente, atque tum ibi, tum in foris vrbanis ſacra peragente*. Hæc ille. Tertium vero eſt, quod ſupra diximus à Senatu Romano iam Chriſtiano fuiſſe electum Laurentium aduerſus Papam Symmachum, multasque clericorum cædes ob id admiſſas toto triennio, dum contenderet ille ius eligendi Pontificis vel ad ſe maxime pertinere; vel quod huic eſt affine; à ſe delectum rite delectum, non qui fuerat ab ordine eccleſiaſtico creatus. Ex his euenit, vt diuinitus poteſtas omnis, quæ ſolebat eluceſcere in Senatu, fuerit imminuta; quando poſt Conſtantinum nullus fuit à Senatu creatus Imperator, & adminiſtratio rerum publicarum, quam boni quique Imperatores ipſi Senatui relinquebant, nulla penes ipſum fuit. Quartum poſtquam Valentinianus tertius omnem prope Epiſcopis poteſtatem conatus eſt auferre, vt ſupra diximus, vix viginti annis exactis corruit prorſus Occidentale Imperium, decem duntaxat breuiſsimo tempore Imperatoribus illud occupantibus. Quintum denique adijcimus ab hæreticis illud omnino fuiſſe per ſummum ſcelus euerſum, quos ſapientiæ diuinæ immemores Imperatores adiunxerant ſibi ſocios rerum militarium, bellicaque eis cuncta crediderant; quod imprudentiſsime factum multis redarguit Syneſius Epiſcopus Cyrenenſium, proprias huius argumenti litteras ad eos mittens. Igitur cum noſtri Imperatores Gothos hæreticos Arianos militiæ Romanæ aſcripſiſſent, eiſque militarium Præfecturam mandaſſent, ac Stilicho Gothus atque Arianus in viſcera Imperij Romani barbaros immiſiſſet, Ricimerque Gothus, atque Arianus militum magiſter, tres Imperatores Maiorianum, & Anthemium ſocerum ferro, Seuerũ veneno ſuſtuliſſet, quod in faſtis Caſsiodorus tradit, Oreſtes ſimiliter Gothus, & Arianus Iulium nepotem deiecit Imperio, Momyllumq́. Auguſtulum filium ſuum prouexit imperante Zenone Imperatore hæretico, qui Odoacrem miſit, à quo capta Italia, finiſque eſt Imperio Occidentali euerſa eccleſiaſtica, quantum per impios fieri poterat, poteſtate, hæreticiſque humanarum, diuinarumque legum proditoribus in conſortium Reipub. tractandæ admiſsis, vt appareat à Catholica religione, & eccleſiaſtica poteſtate eſſe, ac firmari omnium bonorum ſtatum. eodemque tempore, vt è ſuperioribus apparet, exiſtere euerſionem poteſtatis eccle-

ſiaſti-

ſiaſticæ, hæreticorum ſocietatem, ruinamque omnium bonorum, quæ adhuc magis è ſequentibus apparebit: regnum namque Italiæ tenuerunt Barbari Hæretici, & plerique omnes ab omni humanitate, ac doctrina ciuiliori alieni.

Hi vero fuerunt.

1 Odoacer Herulorum Rex.	*7 Ildobaldus.*
2 Theodoricus Oſtrogothorum.	*8 Alaricus.*
3.4 Athalaricus, & Amalsueta.	*9 Totilas.*
5 Theodabatus.	*10 Teias.*
6 Vvitiges.	

Iniuit regnum Odoacer anno 476. necatus eſt à Theodorico Anno 493. cum tuliſſet leges Eccleſiaſticæ libertati repugnãtes, vti diximus initio libri quinti. Tenuere Italiam Oſtrogothi, vſque ad annũ 552. quo Teias à Narſete eſt interfectus. Theodoricus porrò fuit à principio Rex optimus, ac mirum quantum poteſtati Eccleſiaſticæ detulerit, & quoad ſæculares illud vnum ſatis habuit, ſi tertia pars agri Italici, quam ſuis Herulis, ac militibus Odoacer Rex adſignarat, Italis ademptam Gothis attribueretur, quod Procopius libro belli Gothici primo tradit, deſciuit à ſemetipſo extremis vitæ diebus: Ioannem namque Pontificem coniecit in carcerem, in quo & deceſsit; Symmachum præterea, Boetiumque obtruncari iuſſit: quin electionem Romani Pontificis poſt hoc ſcelus in ſuam poteſtatẽ redegiſſe videtur, vt colligi poteſt ex epiſtola Athalarici inter varias Caſsiodori decimaquinta; è qua ſimiliter palam fit, Athalaricum deferre Senatui Romano ius aliquod accipiendi Pontificis Romani, in quo eligendo ſibi aliquid iuris eſſe aſſerebat ille, ſicut diximus ſupra, toto triennio multas Romæ cædes Clericorum factas in Schiſmate Symmachi, & Laurentij. Quid autem Theodorico paulo poſt acciderit, ita narrat idem ſcriptor: *Paucis poſt diebus cænanti ſibi* (Theodorico) *cũ miræ magnitudinis piſcis miniſtri decoctũ caput appoſuiſſent Symmachi nuper occiſi caput illi eſt viſum præfixis & extantibus inferiori in labro dentibus, & torue intuentibus oculis furibundè ſibi, & acerbius comminari. Vnde monſtri nouitate territus, membriſque præter modum tremebundus, & rigens, in cubiculum ſtatim citato gradu deceſsit, identidemque iubendo, togarum vt ſibi magnam vim ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico omnibus, quemadmodum accediſſent diligentius explicatis, ſcelus à ſe in Symmachum, Boetiumque*

Thuſci) *non aliter hac vrbi conductura dicerent, niſi publice conſueta ſacrificia fierent, Senatu in Capitolium aſcendente, atque tum ibi, tum in foris vrbanis ſacra peragente*. Hæc ille. Tertium vero eſt, quod ſupra diximus à Senatu Romano iam Chriſtiano fuiſſe electum Laurentium aduerſus Papam Symmachum, multasque clericorum cædes ob id admiſſas toto triennio, dum contenderet ille ius eligendi Pontificis vel ad ſe maxime pertinere; vel quod huic eſt affine, à ſe delectum rite delectum, non qui fuerat ab ordine eccleſiaſtico creatus. Ex his euenit, vt diuinitus poteſtas omnis, quæ ſolebat eluceſcere in Senatu, fuerit imminuta, quando poſt Conſtantinum nullus fuit à Senatu creatus Imperator, & adminiſtratio rerum publicarum, quam boni quique Imperatores ipſi Senatui relinquebant, nulla penes ipſum fuit. Quartum poſtquam Valentinianus tertius omnem prope Epiſcopis poteſtatem conatus eſt auferre, vt ſupra diximus, vix viginti annis exactis corruit prorſus Occidentale Imperium, decem duntaxat breuiſsimo tempore Imperatoribus illud occupantibus. Quintum denique adijcimus ab hæreticis illud omnino fuiſſe per ſummum ſcelus euerſum, quos ſapientiæ diuinæ immemores Imperatores adiunxerant ſibi ſocios rerum militarium, bellicaque eis cuncta crediderant; quod imprudentiſsime factum multis redarguit Syneſius Epiſcopus Cyrenenſium, proprias huius argumenti litteras ad eos mittens. Igitur cum noſtri Imperatores Gothos hæreticos Arianos militiæ Romanæ aſcripſiſſent, eisque militarium Præfecturam mandaſſent, ac Stilicho Gothus atque Arianus in viſcera Imperij Romani barbaros immiſiſſet, Ricimerque Gothus, atque Arianus militum magiſter, tres Imperatores Maiorianum, & Anthemium ſocerum ferro, Seuerũ veneno ſuſtuliſſet, quod in faſtis Caſsiodorus tradit, Oreſtes ſimiliter Gothus, & Arianus Iulium nepotem deiecit Imperio, Momyllumq. Auguſtulum filium ſuum prouexit imperante Zenone Imperatore hæretico, qui Odoacrem miſit, à quo capta Italia, finisque eſt Imperio Occidentali euerſa eccleſiaſtica, quantum per impios fieri poterat, poteſtate, hæreticisque humanarum, diuinarumque legum proditoribus in conſortium Reipub. tractandæ admiſsis, vt appareat à Catholica religione, & eccleſiaſtica poteſtate eſſe, ac firmari omnium bonorum ſtatum. eodemque tempore, vt è ſuperioribus apparet, exiſtere euerſionem poteſtatis eccle-

ſiaſti-

ſiaſticæ, hæreticorum ſocietatem, ruinamque omnium bonorum, quæ adhuc magis è ſequentibus apparebit: regnum namque Italiæ tenuerunt Barbari Hæretici, & plerique omnes ab omni humanitate, ac doctrina ciuiliori alieni.

Hi vero fuerunt.

1 *Odoacer Herulorum Rex.*	7 *Ildobaldus.*
2 *Theodoricus Oſtrogothorum.*	8 *Alaricus.*
3.4 *Athalaricus, & Amalſueta.*	9 *Totilas.*
5 *Theodabatus.*	10 *Teias.*
6 *Vvitiges.*	

Iniuit regnum Odoacer anno 476. necatus eſt à Theodorico Anno 493. cum tuliſſet leges Eccleſiaſticæ libertati repugnãtes, vti diximus initio libri quinti. Tenuere Italiam Oſtrogothi, vſque ad annũ 552. quo Teias à Narſete eſt interfectus. Theodoricus porrò fuit à principio Rex optimus, ac mirum quantum poteſtati Eccleſiaſticæ detulerit, & quoad ſæculares illud vnum ſatis habuit, ſi tertia pars agri Italici, quam ſuis Herulis, ac militibus Odoacer Rex adſignarat, Italis ademptam Gothis attribueretur, quod Procopius libro belli Gothici primo tradit, deſciuit à ſemetipſo extremis vitæ diebus: Ioannem namque Pontificem coniecit in carcerem, in quo & deceſsit; Symmachum præterea, Boetiumque obtruncari iuſſit: quin electionem Romani Pontificis poſt hoc ſcelus in ſuam poteſtatẽ redegiſſe videtur, vt colligi poteſt ex epiſtola Athalarici inter varias Caſsiodori decimaquinta; è qua ſimiliter palam fit, Athalaricum deferre Senatui Romano ius aliquod accipiendi Pontificis Romani, in quo eligendo ſibi aliquid iuris eſſe aſſerebat ille, ſicut diximus ſupra, toto triennio multas Romæ cædes Clericorum factas in Schiſmate Symmachi, & Laurentij. Quid autem Theodorico paulo poſt acciderit, ita narrat idem ſcriptor: *Paucis poſt diebus cænanti ſibi* (Theodorico) *cũ miræ magnitudinis piſcis miniſtri decoctũ caput appoſuiſſent Symmachi nuper occiſi caput illi eſt viſum præfixis & extantibus inferiori in labro dentibus, & torue intuentibus oculis furibundè ſibi, & acerbius comminari. Vnde monſtri nouitate territus, membriſque præter modum tremebundus, & rigens, in cubiculum ſtatim citato gradu deceſsit, identidemque iubendo, togarum vt ſibi magnam vim ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico omnibus, quemadmodum acceſsiſſent diligentius explicatis, ſcelus à ſe in Symmachum, Boe-*

tiumque

tiumque patratum deflebat, quo deinde deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus haud longe poſt moritur. Hæc illeat S. Gregorius Dialogi quarti cap. 30. narrat in Lipari inſula monachum fuiſſe, qui poſtridie quã Romæ deceſsit Theodoricus, edixit nonnullis, qui illò appulerant, quid accidiſſet Regi tam longe poſito his verbis. *Scitis, quia Rex Theodoricus mortuus eſt? cui illi protinus reſponderunt. Abſit nos eum viuentem dimiſimus, & nihil tale ad nos de eo nunc vſque perlatum eſt, quibus Dei famulus addidit dicens, etiam mortuus eſt: nam heſterno die hora nona inter Ioannem Papam, & Symmachũ Patriciũ diſcinctus, atq; diſcalciatus, & iunctis manibus in hanc vicinam Vulcani ollam iactatus eſt.* Ita Sãctus. Theodorico Athalaricus ſuccedens octo poſt annos tabe eſt conſumptus, cuius Imperium mater Amalaſuenta excipiens ſcelere Theodahati eſt obtruncata. Sed & hic non multo poſt occiſus eſt iuſſu Vvitigis ad Regnum euecti, cum iam Iuſtinianus in Gothos bellum mouiſſet, ac Neapolim Beliſarius ipſius Dux cæpiſſet, ac paucis tranſactis diebus Romam, quam tamen Gothi diuturna obſidione afflixerunt: quo tempore contigit illud infandiſsimum Beliſarij, & Theodoræ Auguſtæ ſcelus: efflagitans namque hæc à Syluerio, vt Anthimum hæreticum ſede Conſtantinopolitana deiectum reſtitueret, id illum pernegantem, proditioniſque inſimulatum, Roma ſolioque Apoſtolico expelli curauit, Vigilium, qui ſe flagitatis obſecuturum promiſerat, ſubſtitui, quem poſtea renitentem Conſtantinopolim captũ mitti iuſsit, qua in Vrbe indigniſsime habitus eſt, quod liberatus in breuiario narrat. Ex illo tempore nihil non mali euerſa Eccleſiaſtica poteſtate, Iuſtiniani Imperio, rebus eius, Romæ, Italiæ, ac toti orbi contigit, vt clariſsime apparet ex ijs, quæ narrat Procopius horum temporum ſcriptor. Redeamus ad propoſitum. Vvitiges Rex à Beliſario captus Conſtantinopolim miſſus eſt. Cui deinde ſubſtituti Ildobaldus, Alaricus, Totilas, ac Teias interfecti fuere; quæ late tum Procopius, tum Agathias perſequuntur. Ex iis autem, quæ diximus, ea ſupra à nobis propoſita probantur, & concluduntur.

Ac primo poteſtatis Eccleſiaſticæ hoſtes fuiſſe poſt hanc impugnatam miſeros quoad ſe: vt enim conſtat, omnes memorati Reges infeliciter obierunt, vel hoſtili manu interempti, vel alioquin miſerabili morte.

Secundo nullus ex ijs ad nepotes regnum tranſmiſit.

Ter-

Tertio neque agnatio,neq; cognatio vllius ex iis ſuperſtes fuit,ſed breui omnes tẽpore euanuerũt,ac prorſus abolitę ſũt.

Quarto nobilitas omni ſubiectorum periit: è Gothico enim ſanguine nullus fuit amplius,qui fuerit aliqua re geſta inſignis, trucidati omnes,vel in miſerrimam ſeruitutem miſerrime abducti ſunt,vt ex Agathiæ libro ſecundo apparet,& quãdo Senatus Romanus pugnauit aduerſus ordinem Eccleſiaſticum à Deo, Chriſtoque inſtitutum, vt late ſupra oſtendimus, propterea Deus permiſit,vt ab ipſis Gothis, cui ſubiectus ille erat,maxima, ne dicamus,omni ex parte perderetur. Nam Vvitiges, quantum potuit conquiſitos vndique Senatores per Italiam mandauit interimi,quod Procopius lib. 1. ita refert. *Vvitiges vero tunc primum ira, & indignatione accenſus, & inops iam prorſus conſilij,ſatellitibus nonnullis Rauennam dimiſsis Romanos Senatorij ordinis omnes, quos obſidum loco in huius belli principio eodem ſecum abduxerat interfici iuſsit.ſed ex his re ſtatim præcognita,paucis quidem euadendi facultas,& opportunitas fuit. qui demũ delati in Ligures,apud hos permanſere, cæteri affecti ſupplicio mortem oppetiere.* Hucuſque ille.

Rurſus occiſo Totila, Teiaque euecto ad Regnum ſic idem libro tertio, *Patritij viri plerique, qui Totilæ ipſius Imperio, poſt redactam in poteſtatem Vrbem, in Campaniæ loca ſeceſſerant, vbi Vrbem teneri per Romanum exercitum cognouere,& è Campania ſe domum referrent,Gothi ipſi re cognita, qui per id tempus in proximis præſidijs erant, patritios paſsim ea regione, & diligentius conquiſitos interfecere.* Et mox. *Totilas cum ex Vrbe occurſurus Narſeti prodiret,primorum quorundam contractis ad ſe ciuium liberis,ex hiſque trecentorum ad numerum pro voluntate quibuſque delectis, quos egregia eſſe corporis ſpecie viderat, & parentibus compellatis vitæ comites ſeſe habiturum, obſidum loco detinuit,& trans Padum abire mox iuſsit,quos inde Teias ea è regione conuocatos ad vnum omnes necauit.* Hæc Procopius de Teia Gothorum Rege vltimo. Multi tamen è Senatu Romano ſuperſtites Romanam nobilitatem ad poſteros tranſmiſere,vti dicemus.

Quinto denique, ſuis omnibus ſubiectis extremo exitio fuere Reges Oſtrogothici nõ modo, quia nulli amplius Oſtrogothorum fuere in Italia, ſed neque ex ijs, qui Italiam tenuerunt,vllus populus, cætusve eſt conflatus, aut germen inſigne poſtea fuiſſe memoratur. Agathias enim libro ſecundo refert,

fert,omnes,qui ſuperfuere,Byzantium miſſos à Narſete ad Iuſtinianum. Quin ſi quando Itali, ac Romani poſt antiquas illas clades, quas libris de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu primis retulimus,acerba,ac ſæua perpeſsi ſunt, euenere hæc, ex quò Gothi ab hæretico Zenone in Italiam miſsi eam tenuerunt; bellaque geſta ſunt inter Gothos, & Iuſtinianum, qui non minus,quam Gothi Eccleſiaſticam poteſtatē ſummo ſcelere violauit,cunctosque Imperio ſuo ſubiectos populos ad extremas miſerias adduxit,vt infra dicemus.

Ex his itaque apparet,omnium bonorum fieri ruinam per eos,qui ordinem diuinum perturbant, eccleſiaſticæ libertatis, ac poteſtatis iura confringunt: ita vt præcipitent in omne malum ſe,liberos ſuos, agnationem ſuam,ſubiectos nobiles,ac populos denique ſibi obſequentes, quod adhuc dilucidius è ſequentibus apparebit.

Orientales Imperatores, quicumque vſque ad Carolum Magnum violarunt eccleſiaſtica iura, in eaſdem calamitates cum ſuperioribus incurrerunt, & idē contigit Longobardorum Regibus quoad ſe, liberos, agnationem, nobiles, ac populos ſubiectos, tum nonnulla obſeruanda in euentibus horum Regum memorantur. Cap. XI.

Exactis ex Italia Gothis, videamus quid euenerit Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ſiue Orientalibus, eorum liberis, agnationi, nobilitati, ac populis ſubiectis vſque ad Imperium Occidentale reſtitutum, eorumque nomina recenſeamus, quæ ſupra non fuerint à nobis commemorata. Poſtremus eorum, quos memorauimus, fuit Valentinianus Primus. eum ſequuntur.

1 *Valens.*
2 *Theodoſius I.*
3 *Arcadius.*
4 *Theodoſius II.*
5 *Marcianus, & Pulcheria.*
6 *Leo Primus.*
7 *Leo Secundus.*
8 *Zeno.*

Baſi-

9 Baſiliſcus.
10 Anaſtaſius.
11 Iuſtinus.
12 Iuſtinianus.
13 Iuſtinus.
14 Tiberius.
15 Mauritius.
16 Phocas.
17 Heraclius.
18 Conſtantinus.
19 Heracleonas.
20 Conſtans.
21 Conſtantinus.
22 Iuſtinianus.
23 Leontius.
24 Tiberius Abſimarus.
25 Philippicus.
26 Artemius.
27 Theodorus Adramytenus.
28 Leo Iſauricus.
29 Conſtantinus Copronymus.
30 Artabaſdus.
31 Leo Porphyrogenitus.
32 Conſtantinus.
33 Irene.

Primo ex his plerique omnes, quicumque eccleſiaſticam poteſtatem, vel libertatem minuerunt interitu miſerabili vitam concluſere. I. Valens à Gothis viuus eſt combuſtus, quod ex vltimo Ammiani libro conſtat. II. Zeno viuens eſt ſepultus, atque in ſepulchro eiulans vitam finiuit. III. Baſiliſcus in carcerem coniectus ibi fame cum ſuis perijt. IV. Anaſtaſius fulmine ictus interijt, quæ Zonaras in eorum vita tomo tertio narrat. V. Iuſtinianus decem primis annis Imperij, antequam manus inijceret ſacrilegas in Pontificem Romanum, maxime pius, maxime felix, ſibi, Imperio, populiſque ſubiectis, ex eo quid cladis non contigit orbi toti, & illius Imperio? terræmotus, tempeſtates, incendia, ſterilitates, peſtes horrendiſſimæ, hiatus, turbines, & omnia malorum genera; ipſe denique rapacitatis infami vitio notatus, cum poſt leges aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem latas incidiſſet in hæreſim, repentina morte eſt ſublatus, quæ Euagrius ad finem libri quarti, Zonaras allato, Diaconus decimo ſexto tradunt. Iuſtinus adhuc retinens in ſeruitute Apoſtolicam ſedem, multa paſſus ab hoſtibus, incidens in phrenetidem, pedibuſque æger deceſsit. Tiberius plurimum commẽdatus à ſcriptoribus, non modo vt vere Catholicus, ſed etiam pius, & in pauperes, ac ſubiectos omnes benigniſſimus, anno Imperij quarto, menſibus decem, diebus octo, cum breui tempore imperaſſet, obijt. VI. Mauritius, qui ſimplicem vocauit Gregorium Magnum, Ioannis aduerſum eum vocantis ſeſe Oecumenicum ſuperbiam fouit, legemque, vti diximus ad finem libri quinti, ne milites monachi induerentur, ferre eſt conatus vna cum ſeptem filiis, & coniuge à

Phoca eſt obtruncatus. VII. Phocas ab Heraclio. VIII. Heraclius incidens in hæreſim Monothelitarum ſacrilegus aqua intercute periit, ait Zonaras in eius vita. *Fertur quoque*, ait idem, *inguine ſurſum conuerſo faciem ſuam perminxiſſe niſi vrina tabella imo ventri appoſita auerteretur*. Hæc ille. IX. Conſtantinus eius filius veneno à Martina nouerca poſt annum ſublatus eſt. Martinæ arripienti Imperium lingua abſciſſa. X. Heracleonæ naſus amputatus, vtrique ablatum eſt Imperium. XI. Conſtans, qui Martinum Papam miſit in exilium, dum lauaretur in balneo ſitula in caput impacta eſt interfectus. Conſtantinus tandem libera eſſe Pontificia comitia ſanxit, & capita Primoniorum Siciliæ, & Calabriæ remiſit Eccleſiæ Romanæ, eoque imperante Monothelitarum hæreſis in ſexta Concilio eſt condemnata xj. XII. Iuſtinianus eius filius cum Synodum nefariam coegiſſet, ac Sergium Papam, quod illi nollet aſſentiri, comprehendi per immiſſos milites imperaſſet, naſo præciſo eſt in exilium miſſus. XIII. Leontius ei ſuccedens, naſo ſimiliter præciſo in carcerem coniectus eſt. XIIII. Tiberius Abſimarus vna cum Leontio ſuperiori à Iuſtiniano in Imperiũ reuerſo eſt interfectus. XV. Iuſtinianus denique à Philippico Bardane, vna cũ filio Tiberio Imperatore & ipſo eſt interfectus. XVI. Artemius, ſiue Anaſtaſius, ac XVII. Theodoſius Adramytenus in monaſteriũ detruſi ſunt. XVIII. Leo Iſauricus hæreticus *ex morbo inteſtinorum*, ait Zonoras, *animam infeliciter eructauit*. XIX. Conſtantinus Copronymus hæreticus, ait auctor Miſcellæ libro 22. *diuinitus in cruribus plaga eſt perculſus, quæ Græcè ἄνθραξ appellatur, clamans, & dicens viuens adhuc, igni ſum inextinguibili traditus, obijt*. XX. Leo filius ipſius cum ſacram coronam è templo ablatam capiti ſuo impoſuiſſet: *Exierunt*, ait idem ſcriptor libro 23. *carbunculi in capite eius, & captus à valida febre mortuus eſt*. XXI. & XII. Conſtantinus & Irene mater ambo inuicem ſeſe oculis priuarunt, Imperioque deiecerunt, qui licet Catholici fuerint, eccleſiaſticam tamen poteſtatem ludibrio videntur habuiſſe: nam plurimos è nobilioribus cogebant fieri monachos; dum ſeſe inuicem perſequuntur, & alter alteri fauentes opprimere conatur. & Conſtantinus Platonem monachum cum plurimis aliis, vt obſequeretur libidini ſuæ, ſacrilegoque concubitu potiretur, in carcerem coniecit. Superiorum porro Imperatorum plerique pro libito Epiſcopos prouexerunt, aut deiece-

deiecerunt. Quorum temporibus Leo Tertius Carolo magno, ignoranti, vt vult Eghinartus in eius vita, Occidentalis Imperij poteſtatem largitus eſt. Hic igitur finis eorum, qui imminuunt eccleſiaſticam poteſtatem.

Secundo quantum ad filios, è dictis liquet, eos eandem ſortitos calamitatem, quam parentes eorum ſubierunt. Vna agnatio Theodoſij magni, qui Imperatoris optimi facta, ac nomen tulit, & maxime ſacerdotibus detulit omnium diutiſſime permanſit. Ac licet defecerit in Theodoſio Iun. & Pulcheria, id fuit, quod multa aduerſus Ioannem Chryſoſtomum cõmiſiſſet Arcadius Theodoſij filius, ac Theodoſius iunior aduerſus Catholicos, & Flauianum in Cõcilio Prædatorio Epheſino, ſacroſanctamque ob idpoteſtatem violaſſent; nec poſteris eorum Deus fauerit: perſtitit tamen cognatio, quod Eudoxia Valentiniano Tertio, dein Maximo Imperatoribus; demum vero Hunericho Vandalorum Regi, Placidiaque Olybrio Senatori nupſerint, quorũ liberi poſt Iuſtiniani tempora permanſere, vt libro belli Vandalici ſecundo Procopius refert. Nam Theodoſio Primo filia fuit Placidia è qua, & Conſtantio nata eſt Eudoxia, & Placidia.

Tertio quantum ad agnationes conſtat ex adductis nullam duraſſe vltra quartam progeniem.

Quarto quoad nobiles, ac patricios, conſtat illorum maximam, potentioremque partem variis modis occiſam fuiſſe, vt diximus, atque oppreſſam tum à ſuperioribus Imperatoribus, tum vero ab Irene, & Conſtantino, quod ex auctore Miſcellæ, Zonara, Manaſſe, Glyca, & aliis apparet. At Conſtantinus Copronymus: *Multos*, ait Zonaras, *Senatorij ordinis ob ſacrarum imaginum cultum ſupplicio affecit, & iuſiurandum ab omnibus exegit, ne quis eas veneraretur*. Rurſus idem de Leone Copronymi filio. *Cum autem Leo proceres quoſdam aulicos diuinas imagines adorantes deprehendiſſet, exuta vulpina pelle latitantem ſub ea Leonem in apertum protulit, eoſque crudeliſſime excruciatos, ignominioſoque ſpectaculo per forum circunductos, cum prius pilis nudaſſet, in prætorium incluſit, vbi eorum quidam animas ſuas in manus Domini depoſuerunt*.

Quinto, ſed quonam miſerabile eſt Imperium perductum? Saraceni Aſiam totam, & Africam, Cyprum, Cretam, Siciliam, Sardiniamque, Bulgari, Slauini, Hũghari, Hunni, Rhuſſi, Daciam, Mœſiam, Pannonias, Illyrium, Dalmatiamque occu-

parunt,populis in miſerrimam ſeruitutem redactis. Amplius vero Italiam Longobardi inuaſerunt. Nam cum maieſtas Apoſtolicę ſedis imminuta fuiſſet,abducto,& indignisſime habito per Iuſtinianum Vigilio,qui prope in vinculis tenebatur, quinta Synodus eſt celebrata,in qua fuere tria capita propter hæreſes damnata,nimirum Theodorus,Ibas, ac Theodoretus, viſusque eſt aliquibus Vigilius, non ſponte aſſenſum dediſſe; quippe, qui quaſi captiuus detineretur, atque ab initio reluctaretur: idcirco Epiſcopi Galliæ Ciſalpinæ defecerunt ab obedientia Pontificis Romani, quo tempore Longobardi eam ceperunt; omnemque prope nobilitatem peremerunt, niſi quicumque aufugerunt in Venetiarum ſtagna,aut in loca Imperatori Orientali ſubiecta; qualis erat exarchatus Rauennæ, Roma, & ſubiecta his loca, quæ ex hiſtoria Longobardorum Pauli Diaconi, breuiarioque Liberati apparent. En fructus imminutæ eccleſiaſticæ, ac Pontificiæ poteſtatis. Eant nunc filij, ſacrilegorum Principum vel parentum facta imitentur, aut tueantur. Eant agnati, Regiamque ſuorum poteſtatem,quantum placet,amplificent. Eant nobiles,idemque machinentur ad ſuorum Regum,vel Imperatorum potentiam euehendam;faueant his miſeri populi,vt tyrannorum duriſsimo iugo oppreſsi luant eorum pœnas, quæ ſacrilegi principes delirant, & varijs calamitatum turbinibus inuoluantur. Verum non omittamus illud.

Oſtendimus ſupra eos, qui oppugnant eccleſiaſticam poteſtatem, tacitam, vel apertam cum dæmonibus inire ſocietatem,quæ ad extremum maxime ſe prodat; id apparet in Leone Iſaurico patre Copronymi, atque auo Conſtantini ex Irene nati, de quo ita Zonaras. *Hebræi duo arte præſtigiatores cum in Leonem tum adoleſcentem opificem incidiſſent, Imperium ei Romanum prædicunt, eumque iureiurando obſtringebant, vt ſe, Imperio potitus, voti compotes redderet.* Hæc ille omiſsis alijs, quibus tradit Leonem promiſiſſe, expellendum ſacrarum imaginum cultum. Quocirca hic eccleſiaſticæ poteſtatis fundamenta euertit; nam ſic idem. *Domus erat in baſilica prope forum ærarium regia, in qua multi codices, & humanæ, & generoſiores, ac diuinæ ſapientiæ aſſeruabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum attributa, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant. Is xij. contubernales habebat excellenter eruditos, his publicus victus præbebatur, hos erudi-*

eruditionis,& cognitionis auidi accedebāt; hos Imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Et mox . *Eos domum dimiſit* (Leo) *in ædes illas regias, multamq́ue materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi iuſſit, atque ita ædes cum libris,& doctos illos, ac venerabiles viros combuſit*. Hæc de Studitis à Studio Romano inſtitutis tempore Conſtantini magni, Zonaras tradit,eadem Glycas,& Manaſſes.

Sed videamus,quid Longobardis euenerit,ex quo irrupere in Italiam proſtrata,vt diximus,eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate per ſacrilegos Imperatores. horumq́ue ſucceſsiones ante oculos legentium proponamus.

1 *Alboinus*.
2 *Clepho*.
Poſt hunc triginta tyranni ciuitatibus inſignioribus præfuere.
3 *Autharis*.
4 *Ariulfus*.
5 *Aldaualdus*.
6 *Arioaldus*.
7 *Rhotaris*.
8 *Rodoaldus*.
9 *Aripertus*.
10 *Pertharitus*.
11 *Grimoaldus*.
12 *Garibaldus*.
12 *Chunipertus*.
14 *Alabis*.
15 *Auitpertus*.
16 *Ragumbertus*.
17 *Aripertus*.
18 *Aſprandus*.
19 *Luitprandus*.
20 *Hildebrandus*.
21 *Rachis*.
22 *Aiſtulphus*.
23 *Deſiderius*.
24 *Adelgiſus*.

Ex his duodecim fuere Catholici, reliqui vel idololatræ, vel Ariani. Catholici fuere Ariulfus, Aldaualdus, Rhotaris, Aripertus, Chunipertus, Aripertus, Luitprandus, Hildebrandus,Rachis,Aiſtulphus,Deſiderius,Aldegiſus. à triginta tyrannis tradit Paulus Diaconus nobiles pleroſque vrbium, quibus illi dominabantur, ſublatos. Sed & Catholicorum plerique ſacrilegijs ſeſe inquinarunt. Verbi gratia, Rex ipſe Ariulfus plurima aggreſſus eſt, iuſsis Gregorij Pontificis repugnans, in his cum ditionis Romanæ vrbes inuaſit, & vrbis ipſius territorium populatus plurimos captiuos abduxit, vt apparet ex epiſtolis Sancti Gregorij ad Ioannem Rauennateñ. Epiſcopum datis. è quibus colligimus Ariulſum, neque dignatum, niſi muneribus intercedentibus,cum Pontifice Romano de pace facienda loqui. Cum vero Rhotaris anno ſexcēteſimo trigeſimo octauo Alpium Cottiarum pa

trimo-

rimonium Pontifici ſimiliter Romano ademiſſet, non eſt illud niſi ab Ariperto Rege anno ſeptingéteſimoſexto reſtitutum. Luitprandus autem ſemel, atque iterum Pontificiæ ditionis oppida cepit anno ſcilicet ſeptingenteſimo trigeſimo nono, & ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo; reſtituit tamen, vt apparet ex hiſtoriis Pauli Diaconi. Idem conatus eſt Aiſtulphus, ac poſtremo Deſiderius, quod fuit in cauſa, vt Romani Pontifices implorauerint opem Regum Francorum Pipini, & Caroli Magni, quod Eghinartus in vita huius, Rhegino, & Ademarus in Annalibus ſuis tradiderunt. Ex his contigit, vt horum pleriq; fuerint ab aliis perempti, veluti Alboinus veneno à Roſimũda vxóre, Clepho à familiari, Autharis item veneno, Rodoaldus à ſuis Longobardis, Gundebertus à Grimoaldo, Aripertus fugiens in flumine eſt ſubmerſus, Aiſtulfus vel equo effuſus, vel ab apro perculſus, vt alij tradidere, interiit, Deſiderius regno deiectus, atque in Frãciam captiuus eſt abductus: eius vero filius Adelgiſus eſt interfectus: alij vero regno expulſi ſunt, vt Aldaualdus, Cunipertus, Luitpertus, Aripertus, Hildebrandus. ſic itaque pauci non exitium ſibi extremum ſunt machinati.

Secundo nullus ex his ad nepotes regnum tranſmiſit.

Tertio neque vlli leguntur ſuperfuiſſe ex agnatis, vel etiam cognatis iſtorum Regum.

Quarto. Ac veluti Italicæ nobilitatis magnam partem ſuſtulere, ſic ipſi ſeſe mutuis bellis attriuerunt.

Poſtremo nobilitas Italica ſeſe, quantum tempus tulit, eſt tutata, quod receperit ſe in Vrbes Exarchatus Rauennæ, qui numquam potuit à Longobardis teneri (quamuis extremis temporibus per aliquot menſes potius, quam annos ex parte à Luitprando, deinde ab Aiſtulfo, atque à Deſiderio fuerit occupatus) & in Ducatus Romani oppida, quo continebantur Portus, centum Cellæ, Cære, Bleda, Maturanum, Sutrium, Nepet, Galleſium, Horta, Ameria, Tuder, Peruſia, Narnium, Otriculi, quæ nunquam perſtitere in Longobardorum poteſtate, veluti neque Vrbem potuerunt vnquam capere, neque Apuliam, vel Calabriæ loca, atque eodem modo nobilitas eadem ſe Venetias recepit. ſic Longobardorum nobilitas Italicæ, quæ in Vrbibus captis paruit eorum Regibus, inſerta eſt, ac per cognationes varias eſt continuata: neque enim legimus vllibi vel cunctos Italos in vrbe vlla, vel adhuc cunctos

nobi-

nobiles omnino extinctos, aut interfectos, vt accidit in regionibus, quas Mahometani occuparunt, quibus eſt illud in primis ſtudium ſtirpitus omne nobilitatis germẽ exſcindere, populumque omnem cuiuslibet ordinis in nomen, mores, linguã, ritus, ac familias ſuas antiquatis omnino priſtinis transferre, nequando ſit vllus, qui libertatis recipiẽdæ ſpiritus ad ſuos liberandos reſumat.

Ex hoc tempore Italia maxime ſtare, atque adeo Pontificiæ, ſiue Eccleſiaſticæ ditioni magis eſſe ſubiecta cæpit. fuit hic annus ſeptingenteſimus ſeptuageſimus quartus. Cæpit autem cõſiſtere verus Italiæ ſtatus ob tria: nam Primo, nunquam amplius in ea potuerunt conſiſtere vllæ gentes à Chriſti vera, & Catholica fide alienæ, quod reuera barbaros, atque immites facit. antea Longobardi, Gothi, Herulique, vt vidimus, conſiſterant. Secundo non amplius exterarum gentium copiæ ſic in illa conſedere, vt oppida tota replerent, incolisve priſtinis, vel omni, vel maiori ex parte bona auferrent, quod ante Romanos egere Auſones, Sicani, Pelaſgi, innumeræ Græcorum gentes, Hetruſci, Galli, & alij. Præterea tertio neque Italicæ gentes mutuis inter ſe bellis adeo decertauerunt, vt more Romano ſuorum colonias primis fundorũ dominis omnino deiectis inducerẽt; quod ipſi Romani, vel aduerſus ſuos immerẽtes temporibus, quæ fæliciora haberi quidã volunt, qualia fuerũt Auguſti, ſæpius egerũt, vt merito inter alia deploret paſtor ille Italus. Ecloga nona de felicisſimis Auguſti tẽporibus loquens,

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.
O Lycida vivi peruenimus, aduenã noſtri,
(Quod numquam veriti ſumus) vt poſſeſſor agelli
Diceret hæc mea ſunt, veteres migrati coloni.

Sed hæc nos latè perſecuti ſumus libris de antiquo & nouo Italiæ ſtatu. ſtatum vero hunc Imperio Romano firmare diuino inſtinctu permotus, primo voluit Conſtantinus; inde labefactatum conatus eſt ſecundo reducere Theodoſius; ſed tertio maxime omniũ reſtituit Italiæ, Galliæ, Germaniæque Carolus, tres Imperatores non cognomento ſolum, ſed etiam factis, & religioſisſimis, atque ex omni parte præclarisſimis Magni. Hi namque tres, vt vidimus ſupra libro quinto, conſtitutionem reuocarunt, vt omnium rerum iudicia ſumma, a quibus nulla eſſet appellatio, penes Epiſcopos forent, his ipſi Imperatores eſſent ſubiecti, hi de omnibus, & omnes iudicarent,

ita tamen vt laici exequendorum,& adminiſtrandorum ſæcularium ius haberent pro iuſto ipſorummet Epiſcoporum iudicio, quod nemini ſuū tollit, niſi publico bono nocere videatur. Id vero egerunt Imperatores iſti, quod Dei, naturæque rectæ inſtinctu permoti perſpicerent, edocti à fine, qui Deus eſt, quem reſpiciebant ipſi, ac ſequebantur, hæc iura euidenti, neceſſariaque conſecutione deduci ex illo actionum primo principio notiſsimo omnibus gentibus, Deus eſt cunctis præponendus, magis diuina minus diuinis præponenda, diuinitatis ordo eſt ſeruandus. Sed antequam progrediamur, videamus, quid acciderit Orientali Imperio, quoad illa, quæ oſtendimus, quinque. Hi vero Imperatores Orientis memorantur poſt Irenem,& Conſtantinum.

1 *Nicephorus generalis.*
2 *Michael Rangabe.*
3 *Leo Armenius.*
4 *Michael Balbus.*
5 *Theophylus.*
6 *Michael Porphyrogenitus.*
7 *Baſilius Macedo.*
8 *Leo Baſilij filius.*
9 *Alexander Leon. frater.*
10 *Conſtantinus Leon. fil.*
11 *Romanus Lecapenus tyran.*
12 *Romanus Conſtantini fil.*
13 *Baſilius Romani fil.*
14 *Nicephorus Phocas.*
15 *Ioannes Zimiſces.*
16 *Baſilius, & Conſtantinus Romani filij.*
17 *Romanus Argyrus gener Conſtantini Zoe ducta.*
18 *Michael Paphlago alter Zoes maritus.*
19 *Michael Chalaphates à Zoe adpotatus nepos Paphlagonis ex ſorore.*
20 *Conſtantinus Monomachus maritus Theodoræ.*
21 *Theodora ſoror Zoes Conſtātini fil.*
22 *Michael Stratioticus.*
23 *Iſaacius Comnenus,*
24 *Conſtantinus Ducas.*
25 *Romanus Diogenes cum Eudoxia Imperatrice, & filijs Ducæ.*
26 *Michael Ducas.*
27 *Nicephorus Botoniates.*
28 *Alexius Comnenus.*
29 *Ioannes Comnenus.*
30 *Manuel Comnenus.*
31 *Alexius.*
32 *Andronicus Comnenus.*
33 *Iſaacius Angelus.*
34 *Alexius Angelus.*
35 *Alexius nepos huius.*
36 *Alexius Morzuflus*
37 *Michael Palæologus*
38 *Andronic⁹ Palæol. fil. Mich.*
39 *Andronicus Andron. nepos.*
40 *Ioannes Andron. fil.*
41 *Cantacuzenus.*
42 *Andronicus Ioannis fil.*
43 *Emanuel Ioan. fil.*
44 *Ioannes Emanuelis fil.*
45 *Conſtantinus Eman. fil.*

Primo igitur cum plerique horum ſacrilegi fuerint paucis exceptis, vt Baſilio Macedone, & aliquibus ſuis, Michaele Palæologo, & Comnenorum nonnullis; idcirco etiam plerique infeliciſsime obierũt. Sacrilegijs initium dedit ipſe Nicephorus ipſo initio Imperij; ſic enim Zonoras. *Huius inuentum peſsimum eſt & capnici impoſitio, paræci Eccleſiarum, Monaſteriorum, earumq́ue ædium, in quibus vel pauperes, vel ſenes alebantur, mandati.* Et paulo ante. *Cumque eſſet colluuio quædã, & ſentina omniũ vitiorum, alia atq; alia ad ſubditos atterendos comminiſci non deſtitit.* Igitur primus Nicephorus, ſiue à ſuis, ſiue à Bulgaris hoſtibus eſt interfectus. eius filius Stauracius coma tonſa in monaſterium detruſus eſt, Michael Rangabe Imperio ſpoliatus ſponte eodem ſe incluſit; itemq́ue Theophylactus filius virilibus exectis cum matre, ac fratribus. Leo Armenus à Michaele Balbo eſt occiſus, filij virilibus amputatis relegati. Hic retentione vrinæ inteſtinorũq; dolore, ac phrenetide diu, miſerabiliterq́ue excruciatus interijt. Theophilus acerbiſsima dyſenteria confectus deceſsit. Michael præciſis manibus cum iacens eiularet, ventre traiecto, atque effuſis inteſtinis eſt defunctus. Poſt hæc imperauit Baſilius Macedo Catholicus, & religioſus, eiusq́ue poſteritas parentis exemplum diu ſecuta vſque ad Theodoram. Romanus tyrannus in exilium miſſus cum filiis miſer deceſsit. Nicephorus item, Phocas; Zîmiſces veneno eſt ſublatus. Michael Paphlago cum peſsime imperaret, ac Zoem male tractaret, inſania ſimul, ac dæmonis exagitatione perpetua vexatus eſt. Calaphates cũ fuiſſet à Zoe dolis inducta adoptatus, & ſacrilegiis operam daret exturbatus eſt, atque in exilium miſſus. Conſtantino Monomacho Zoeque vxore imperantibus Patriarcha Michael Cærulaticus Pontificem Romanum eſt auſus excommunicare, atque ex hoc Turci Orientem totum cæperunt, vt Zonaras tradit. Stratioticus regno eſt deiectus poſt annum. Iſaacius Comnenus arrogans, & ſacrilegus proditur fuiſſe. eius exitum ſic deſcribit idem ſcriptor. *Circa Neapolim venanti viſum eſſe, aprum horrendum aſpectu, quem dum laxatis equo habenis perſequeretur, in mare demerſum euanuiſſe, & à pleriſque non aprum, ſed ſpectrum quoddam diabolicum eſſe iudicatum, atque interim fulgore quodam inſtar fulguris perſtrictum Imperatorem, equo præ terrore excuſſum, & ſpumam ore reÿcientem humi attonitum iacuiſſe, atque inde naui piſcatoria in regiam reuectum, cum pauli-*

ſper ægrotaſſet, iam deploratum raſo capillo, & purpura loco aſpera lacinia ſumpta, atque Conſtantino Duca Imperatore deſignato, in Studienſe monaſterium ſe contuliſſe. Hæc de Iſaaco Zonaras. Romanus Diogenes oculis effoſsis eſt Imperio deturbatus. Michael in monaſterium detruſus. Botoniates eodem modo. Alexius Comnenus viſus eſt noſtris fauere; ſimiliter & Manuel extremis temporibus. Andronicus autem Comnenus maxime impius, ſacerdotumque irriſor, ac deluſor, vt egregie deſcribit Choniatas, idemque facinoroſiſsimus ab Iſaaco Angelo eſt interfectus; filij ipſius primo excæcati, deinde occiſi. Iſaacus ab Alexio fratre, & Imperio, & oculis eſt priuatus. Alexius hic ab Alexio nepote eſt interfectus: Alexius nepos ab Alexio Duca Murzuflo. hic à noſtris, qui per aliquod tempus Imperium tenuere. eiecti deinde ſunt à Michaele Palæologo, qui Latinos Græcis in Concilio Lugdunenſi coniunxit. Andronicus huius filius Catholicorum ſacerdotum perſecutor, ab Andronico nepote Imperio priuatus in miſerijs perpetuis vixit. Andronicus nepos occupatis per Turcas Aſiæ prope omnibus locis, atque Europæ multis, ſeptem dies lethargo altiſsimo oppreſſus, animam efflauit. Ioannes filius ab Andronico filio luminibus eſt orbatus, & hic viciſsim à patre, ſicuti etiam frater Emanuel, cuius filius Ioannes Concilio Florentino interfuit, ac ſubſcripſit, à quo receſsit Conſtantinus frater. captaque Conſtantinopoli à Turcis occiſus eſt, Imperioque Orientali finem dedit anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, poſt conſecratam Conſtantinopolim milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, vt numerant multi Scriptores. Talis itaque tum ſacrilegorum, tum hæreticorum Regum finis fuit.

Secũdo, quoad liberos etiam qualis fuerit obitus horum, liquido è ſuperioribus conſtat.

Tertio, quoad agnationem nulla durauit vltra quartam generationem. Baſilij, Macedonis, & Michaelis Palæologi, qui Concilia generalia ſtuduerunt haberi ad hæreſes extirpandas, poſteritas attigit quartam generationem, tenuitque Imperium diutius. Maxime vero floruit Baſilij poſteritas, quod à Catholica religione tardius, ac minus etiam receſſerit; quin continuata eſt eius poſteritas cum regiis cognationibus affinitate iunctis noſtrorum.

Quarto, & quinto, quoad Imperij Proceres, ac populos quid dice-

dicemus, quando periiſſe omnia bona eorum lugeamus, neque dolor, aut commiſeratio patiatur, vt iſthæc commemoremus?

Sicut autem diximus iſtiusmodi omnes eccleſiaſticæ poteſtatis euerſores, & impugnatores inire tacitam cum dæmonibus ſocietatem, quæ ſe denique in apertum prodat, id etiam maxime eluxit in hac ſucceſsione Imperatorum. De Andronico enim Comneno, qui maxime Catholicos, ac Latinos eſt inſectatus, vt late Gulielmus deſcribit, & religioſos quoſque etiam ſuarum, ſiue hæreticarum partium, ſic Choniatas. *Cum aruſpicinam ante plurimos annos obſoleuiſſe, & penitus abolitam eſſe, auguralem item ſuperſtitionem, vt & ſomniorum, & ominum interpretationem iam olim è Romanis finibus auolaſſe; ſolos vero eos impoſtores, qui è pelui diuinant, & qui aſtrorum poſitus rimati æque falluntur, ac fallunt, ſupereſſe: tum quidem aſtrologiam, vt magis familiarem, & futura obſcurius innuentem ſepoſuit: ſeque totum permiſit ijs, qui futura ex aquis, quaſi per caliginem conijciunt, & imagines futurarum rerum velut ex vmbra ſolarium radiorum perſpiciunt.* Hæc ille. ſed & Andronicum Palæologum, qui Græcos ab Eccleſia Catholica diſiunxit, ac ſupremus omnium malorum, quæ Græcis acciderunt, auctor fuit non longe abfuiſſe videtur à magicis illuſionibus, aut dæmonum ſocietate in peruestiganda veritate futurorum à ſola Dei voluntate pendentium, quod perſpici poteſt ex octauo Gregoræ libro.

Ex his omnibus, quæ capite hoc, ac duobus ſuperioribus ſũt explicata maniteſtiſsime colligimus, Chriſti ſacerdotes Pontifici ſummo obedientes præeſſe in vniuerſum Regum, vel Imperatorum vitæ & corpori regendis naturali iure, ac diuino; ſimili modo regendis in vniuerſum liberis, agnatiſque eorundem, quinimò præeſſe Proceribus, ac nobilitati regnorum; denique populis ipſis, horumque omnium bonis animi, corporis, atque externis.

Quicumque enim conſeruat immutabiliter aliqua, ille iure naturali, ac diuino præeſt hiſce regendis: at obedientia exhibita ſacerdotibus, Pontifici ſummo obſequentibus, ſuperiora omnia conſeruat. igitur obedientia exhibita ſacerdotibus Pontifici ſummo obſequentibus præeſt illis iure naturali, ac diuino.

Referuntur ſummatim cuncta euenta Imperatorum Occidentalium, quoad ſe, filios, agnatos, nobiles, ac populos ſubiectos.

Cap. XII.

REſtat vt videamus, quid Occidentalibus Imperatoribus euenerit, ex quo Carolus Magnus eſt à Leone Tertio coronatus anno Chriſti octingenteſimo primo. Nomina ipſorum ſunt ſubiecta.

1 *Carolus Magnus.*
2 *Ludouicus Pius.*
3 *Lotharius Ludouici filius.*
4 *Ludouicus Lotharij filius.*
5 *Carolus Caluus.*
6 *Carolus Craſſus.*
7 *Vuido Spoleti Dux.*
8 *Arnulfus Germaniæ Rex.*
9 *Lambertus Vuidonis filius.*
10 *Ludouicus Prouinciæ* Rex.
11 *Berengarius I.*
12 *Otho I.*
13 *Otho II.*
14 *Otho III.*
15 *Henricus II. Germaniæ* rex *Imp. I.*
16 *Conradus* Rex.
17 *Henricus II. fil. Conradi.*
18 *Henricus III. filius II.*
19 *Henricus IV. filius III.*
20 *Latharius.*
21 *Conradus.*
22 *Fridericus I.*
23 *Henricus V.*
24 *Otho IV.*
25 *Fridericus II.*
26 Rodulphus *I.*
27 *Attaulphus.*
28 *Albertus I.* Rodulphi *fil.*
29 *Henricus VI.*
30 *Fridericus, & Ludouicus electi in ſchiſmate.*
31 *Carolus IV.*
32 *Venceſlaus Caroli filius.*
33 Robertus *Bauarus.*
34 *Sigiſmundus.*
35 *Albertus II. Auſtriacus.*
36 *Fridericus III. aut IV.*
37 *Maximilianus I.*
38 *Carolus V.*
39 *Ferdinandus.*
40 *Maximilianus II.*
41 Rodulphus *II.*

Tot igitur Imperatores poſt annum Chriſti octingenteſimum per annos prope octingentos fuerunt, vt videas, quam diuturniori vita ſint noſtri, quam cæteri. Supra enim numerauimus Imperatores gentilium ante Conſtantinum poſt ortum Chriſtum quinquaginta nouem plures, paucioreſue legitimos,

atque à Senatu approbatos, intra annos ducentos, ſeptuaginta ſex plus minus. Quamobrem ſi tempora temporibus, numerumque horum cum numero illorum conferas, videbimus noſtros quintuplo diutius imperaſſe, ac longiori vita potitos. Idemq. perſpicies, ſi cõpares noſtros cum Orientalibus. Noſtri namq; Pontificibus ſummis, atq; Epiſcopis magis obedierunt; eccleſiaſticamq. poteſtatẽ magis coluere. Sed tamen aduerſus eos, qui ſacroſanctã poteſtatẽ minuere ſunt conati, iuſtitia cæleſtis eluxit ijs omnibus modis, quos ſupra adnotauimus.

Primo quantum ad ipſosmet Imperatores. Nam Ludouicus ipſe Imperator, cum ſæpius admonitus eſſet ab Epiſcopis, vt pellicem quandam dimitteret, adeo non reſipuit, vt plurimos Epiſcopos vexarit, Ebbonem Rhemenſiũ Epiſcopum ſede expellendum, Fridericum Traiectenſium necandum procurarit, vt in eius actis habetur Surij tomo iv. Iulij xviij. Ex hoc perpetua fuere inter ipſum, filiosque bella, quod adnotauit Rhegino anno octingenteſimo trigeſimo octauo; extremis tamen vitæ diebus reſipuit Imperator: nihilominus ita prædixit Sanctus ſuis. *Noueritis propter Imperatoris, coniugisque, & procerum eius peccata totum regnum Danorum incurſione vaſtatum iri.* Hæc Sanctus. eodemque anno Northmanni Gallias vaſtare cœperunt, neque vllus finis fuit, quandiu perſtitit agnatio Ludouici. Poſt patrem Lotharius multa Eccleſiis, ac Pontificiæ poteſtati abſtulit; quamobrem Ludouicus pater, vt refert Aimoinus libri quinti cap. 16. *Miſit ad eum commonens, ne talia fieri permitteret, monens vt memor eſſet, quod quando ei regionem Italiæ donauit, etiam curam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſimul commiſit: & quam ab aduerſarijs defenſandam ſuſceperat, nequaquam à ſuis diripi permitteret: commonens etiam ſacramentorum ab eo nuper promiſſorum, ne forte obliuiſcens, aut paruipendens diuinitatem offenderet, quod ſibi non impune futurum non ignoraret.* Hæc ibi. non multi fecit à principio monita parentis Lotharius, ideoque in multas incidit calamitates; ſed reſipiſcens, monaſterio ſe Prumienſi regna omnia relinquens filiis Ludouico Imperatori Italiam, Lothario Lotharingiam, Carolo Prouinciam monachus effectus ſponte incluſit; atque ita effugit iram diuinam, nulla re, niſi hac præclare geſta. Vuido Imperator aperte Tuſculanorum Comitũ potentiam fouit aduerſus Formoſum Pontificem ſummũ, quo contigit, vt maxima in Eccleſia Dei diſsidia naſcerentur, quæ Apoſtolicam ſe-

dem maxime, diuque fatigarunt. Igitur ipſe bellis perpetuis vexatus, & ab Arnulfo victus dum propere fugeret ad Tarum, vomitu ſanguinis repentino oppreſſus interiit. Lambertus ipſius filius eſt fuſte in caput impacto occiſus. Arnulfus quid ſceleris admiſerit ita tradit Luitprandus illorum temporum ſcriptor libri primi cap. 9. *Credo autem Arnulfum Regem iuſta ſiueri Iudicis cenſura huiuſmodi peſtem incurriſſe. Secundæ enim res dum Imperium huius vbique magnificarent, virtuti ſuæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur, ſacræ Virgines vi opprimebantur, coniugatæ violabantur. neque enim Eccleſiæ confugientibus poterant eſſe aſylum. In ijs namque ſymbola faciebant, geſtus turpes, cantus ludricos, & debacchationes. ſed & mulieres eodem publicè proſtituebantur.* Hæc igitur Arnulfus, qui fuerit eius obitus ita idem. *Tanta hunc confeſtim ſomni virtus inuaſit, vt totius exercitus ſtrepitu triduo excitatus euigilare nequiret. fertur autem, quoniam dum familiares hunc modo ſtrepitu, modo tactu inquietarent, apertis oculis nil ſentire, nil loqui potuiſſe perfecte. poſitus tamen in mentis exceſſu mugitum reddere, non verba edere videbatur.* Et mox. *Profectusq; in propria, turpiſsima valetudine expirauit. minutis quippe vermibus, quos pediculos aiunt, vehementer afflictus ſpiritum Deo reddidit. fertur autem, quod præfati vermes adeo ſcaturirent, vt nullis medicorum curis minui poſſent.* Sic periit itaque ſacrilegus Arnulfus. Ludouicus prouinciæ Rex à Berengario captus eſt, atque excæcatus: Berengarius ipſe à Flamberto eſt interfectus.

Otho primus veluti Iuſtinianus antequam ſede expelleret Ioannem XII. atque in ſeruitutem redigeret electionem Pontificis ſummi, felicisſimus fuit, ſicuti etiam ſtudioſus Eccleſiaſticæ poteſtatis patronus. Sic enim, qui proſequitur annales Rheginonis anno nongenteſimo quadrageſimo octauo. *Synodus in Ingbelebim à triginta quatuor Epiſcopis habetur, cui Præſidente Martino Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ legato inclyti Reges Otho, & Ludouicus adfuerunt, in qua multis Eccleſiaſticæ vtilitati promulgatis,* & cap. addit Sigebertus anno nongenteſimo ſexageſimo. *Induſtria Othonis aucto Imperij, & Eccleſiæ ſtatu multa Monaſteria, & cœnobia ad laudem Dei, & honorem Sanctorum reſtaurata, ampliata, ædificata.* Sequenti anno euocatus à Ioanne in Italiam ita iurauit, vt habetur 63. diſt in. c. *Tibi*

Tibi domino Ioanni Papa ego Rex Otho promittere, & iurare facio per Patrem, & Filium, & ſpiritum Sanctum, & per lignum hoc viuifica Crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod ſi permittente Domino Romam venero, ſanctam Romanam Eccleſiam, & te Rectorem ipſius exaltabo ſecundum poſſe meum, & numquam vitam, aut membra, & ipſum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo conſilio, aut meo conſenſu, aut mea exhortatione perdes, & in Romana Vrbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent ſine tuo conſilio, & quidquid de terra S. Petri ad noſtram poteſtatem peruenerit tibi reddam, & cuicumque Italicum regnum commiſero iurare faciam illum, vt adiutor tui ſit ad defendendum terram ſancti Petri ſecundum ſuum poſſe. Hæc Otho, ſed cum multa recepiſſet occupata à Berengario, populos obedientiam ſibi iurare compellebat, neque admonitus deſiſtebat. id videns Ioannes conſulere ſuis rebus cœpit. quod vbi reſciuit Otho Romam conuolãs Ioannem ſede eiecit, Leonem octauum ſubſtitui curauit, ac legendi Pontificis inueſtiendorumq; Epiſcoporum priuilegiũ ſibi dari. Ex illo Imperium minui cœpit, vt oſtendemus, Otho autem perpetuis domeſticorũ bellis, filiorumque diſsidiis eſt fatigatus. Nam Luidulfus eius filius arma in eum mouit, vna cum multis aliis Principibus: cumque obiiſſet, ait Vviticlindus libro 3. *Toti Imperio reliquit ſuo vulnere vulnus durum*, Otho autem pater, vti alter eius filius Vvilelmus prædixerat, repentina morte in die Pentecoſtes eſt ſublatus, quod Petrus Damiani ſcribit. Manſit in hac ſeruitute Apoſtolica ſedes, vſque ad obitum Othonis tertij, eamque ob cauſam ſchiſmata multa nata, cædesque innumeræ, ac mala plurima, de quibus aliàs eſt dictum. Poſt hæc Dani certe ab Imperij obedientia diſceſſere, ac Belgæ, Burgundique Gallis paulatim ſeſe adiunxerunt, quæ Vvitichindus tertio, Saxo autem decimo, annales Francorum ſub hos annos teſtantur. Othoni primo filius Otho ſecundus, & poſt ex hoc nepos Otho tertius eſt ſuffectus. ille nulla re memorabili geſta, quamuis Carolum, Lothariumque Francorum Reges acie vicerit, occiſo in Calabria à Græcis exercitu, *De naui exiliens*, ait Stadenſis, *natando aufugit*, & anno 983. *Romæ tædio, & angore animi*, inquit Sigibertus *deficiens moritur*. Tertius deinde Otho, cum fuiſſet à Romanis in Vrbe palatioque obſeſſus, ac ſimulato pacto, *Vix*, ait Sigibertus, *extra-*

Eius veneno hauſto in itinere deceßit Anno milleſimo ſecundo. Quid acciderit Conrado primo, ita Sigibertus narrat anno milleſimo trigeſimo nono. *Conradus Imperator Italiam adijt, vt rebellionem meditantes debellaret, & quia omnes Longobardi coniurauerant, vt non paterentur quamlibet domum, qui aliud quam ipſi vellent, contra ſe agere, quoſdam Epiſcopos in vincula coniecit, & quia Epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt Imperator ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes cum Imperator in parua Eccleſia ſecus vrbem coronaretur ad miſſam, tam grauia fuerunt tonitrua, & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero Epiſcopus, qui miſſam canebat, & Secretarius Imperatoris cum alijs tribus dixerunt ſe inter miſſarum ſolemnia vidiſſe Sanctum Ambroſium Imperatori indignando comminantem. Tunc Imperator Italia diſceßit. Prid. Id. Maij eclypſis Solis fuit, & prid. Non. Iunij Imp. obijt.* De Henrico Rege Germaniæ tertio, & Imperatore Secundo, ita Stadenſis anno milleſimo quinquageſimo ſexto. *Fames multas regiones afflixit, egeſtas, & penuria vndique præualuit, multi Principes diuerſarum prouinciarum perierunt, multa mala tunc temporis facta ſunt. Henricus Imperator pro his rebus corde tenus dolore compunctus infirmari cœpit, & perductus ad mortem ſapienti vſus conſilio ab omnibus, quibus potuit, veniam petijt, quibuſdam prædia, quæ abſtulit reſtituens.* Eadem Scotus, atque vti videbimus loco ſuo Schafnaburgenſis. de Henrico Rege quarto Germaniæ, & Imperatore tertio ſic Stadenſis, vbi narrauit ab Henrico filio Patrem Henricum regno pulſum, conſertaſque altrinſecus acies, *Denuo prælium inſtauratur, pater vincitur, & comprehenditur. quanta vir ille magnificus pertulerit opprobria, indignum eſt relatu. petiuit tandem ab Epiſcopo Spirenſi, qui amiciſſimus ſuus fuerat, vt præbendulam in Spira ſibi conferret, vbi ipſe glorioſum Monaſterium ſanctæ Virginis conſtruxerat. Sed Epiſcopo renuente Cæſar. ſuſpirans cum lachrymis exclamauit, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini me tetigit. mortuus eſt autem Leodij, ſtetitque in deſerta capella inhumatus quinque annis.* Hæc Stadenſis Anno milleſimo centeſimo ſexto, de Henrico tertio Imperatore impio, & ſacrilego. Henricus quartus contra fidem datam, Pontificem ſummum Paſchalem ſecundum, Cardinaleſque in vincula coniecit, quocirca ſic prædixit Paſchalis, vt ſcribunt Helmoldus lib. 1. cap. 60. ac Stadenſis anno mil-

leſimo centeſimo decimo. *Multum quidem proſperatus eſt* (Henricus quartus) *in cæde ciuium, & cleri ſui; ſed dico vobis in veritate, quia de cætero non aſſequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus ſuis; ſed nec filium generabit, qui ſedeat in throno eius*. Rediit tamen ad ſe, atq; ad obedientiam Henricus Quartus, veniam petiit: nam ſic Stadenſis anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo. *Calixtus Papa reuocauit in communionem Eccleſiæ Henricum Imperatorem, ab anteceſſoribus ſuis Paſchali, & Gelaſio excommunicatum: canonica autem auctoritate ſancitum eſt, ne amplius ſibi Imperialis poteſtas vſurparet inueſtire ſpiritualia; ſed libera electio fieret à clero, & populo, & ſic inſigniretur regalibus per ſceptrum. quod Papa, & Imperator confirmauerunt. ſicque facta eſt pax, & concordia in Eccleſia, & inter ipſos*. Hæc ille. prædictio tamen Pontificis exitum ſuum ſortita eſt.

Poſt hos è Germanis eccleſiaſticam poteſtatem, libertatemque violarunt Fridericus Primus, Otho Quartus, Fridericus Secundus, & Ludouicus Bauarus: vel ſiqui è poſterioribus, doloſis machinationibus, ac technis, vt ſæcularem ſibi, ſuiſue potentiam cõſeruarent, ruinas illi ſtruxerunt. quid egerit Fridericus Primus cognomẽto Ænobarba aduerſus Adrianum, deinde Alexandrum Tertium cunctis eſt notum. Rediit ad mentem meliorem Fridericus, vim tamen vltionis diuinæ haud videtur potuiſſe effugere, quaſi non bene crimen expiarit. In Aſiam maximis ſumptibus, ac laboribus exercitum maximum traiecit, irrito cuncta conatu. exitus hic fuit, infeliciter flumine eſt ſubmerſus. At multo infelicius eius ex Henrico filio nepos Fridericus, à filio Manfredo puluino ad guttur iniecto eſt ſuffocatus, vt tradit Ioannes Villanæus libri ſexti cap. 42. Crantzius Saxoniæ lib. 8. At Bauarus equo præcipitatus repente deceſsit, quod refert idem Villanæus lib. 12. cap. 105. & Crantzius Saxoniæ noni cap. 22. qui & addit fuiſſe illi ab amaſia venenum datum. Qua in re ſane eſt illud maxime obſeruandum, quod alibi adnotauimus, eos, qui ſumunt arma in eccleſiaſticam poteſtatem, neque deſiſtunt, plerumq; opprimi, aut vexari à ſuis. quod apparet in Othonibus, Henrico, Friderico, & Bauaro. Hæc igitur iſtis euenere, quantum ad ſeipſos.

Secundo, quantum ad filios, nemo ex ipſis vltra nepotes, vel pronepotes Imperium tranſmiſit. quin aliqui inteſtiores,

neque ad filios, vt Fridericus Secundus, & Bauarus. Amplius neque vlli ſuperiorum fuere pronepotes agnati, niſi Bauaro, vt quidam volunt.

Tertio, quantum pertinet ad agnationē totam, perlit agnatio Othonum, Conradi, Friderici; Bauarica duntaxat aſſeritur ſupereſſe.

Quātum ad nobiles, poſt obitum Ludouici Pij, prœliantibus inter ſe Ludouico, Carolo, ac Lothario filiis ipſius anno octingenteſimo quadrageſimo primo, *in ea pugna*, ait Rhegino, *ita Francorum vires attenuatæ ſunt, ac famoſa virtus infirmata, vt non modo ad amplificandos regni terminos; verum etiam nec ad proprios tuendos in poſterum ſufficerēt.* Et Scotus. *In quo prœlio pene ad internecionem occiſi ſunt Franci.* Sed & cum Lotharius Romano Pontifici, Eccleſiæque Ludouico adhuc patre viuente multa abſtuliſſet, eodemmet anno, ait Aimoinus quinti ti cap. 16. *quanta lues mortalis, populum, qui Lotharium ſecuti ſunt inuaſerit, mirabile eſt dictu: in breui enim, id eſt à Kalend. Septembris vſque ad feſtum Sancti Martini hi primores eius vita exceſſerunt.* Et mox multis enumeratis addit. *Hi enim erant, quorum deceſſu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine (quaſi neruis ſuccifis) euirata, prudentia, his abeuntibus, euacuata.* Hæc ille. Quantas porro vaſtitates intulerint Galliæ Dani, ſiue Northmani, nimis longum foret enumerare. De exercitu Arnulfi Roma reuerſi, cum Ticini commoraretur, ſic Luitprandus libri primi cap. 9. *Tantaque iſtic ſtrages exercitus facta eſt, vt crypta ciuitatis, quas alio nomine cloacas dicunt, implerentur horum cadaueribus.* Hæc ille. Addimus hiſce tam Germanos, quàm Italos multos ſiue Reges, ſiue Imperatores omnia ſacrilegiis fœdaſſe, eccleſiaſticaque inuadentes paſsim ſacros fundos, ac dignitates vendidiſſe. Quocirca Hunghari Germaniam maxime vaſtarunt & Galliam Ciſalpinam, quæ ſuperioribus fauit; aditum verò his aperuit Arnulfus, vt ſcribit Luitprandus libri primi cap. 5. Sic vero de illis Hermannus Contractus anno nongenteſimo. *Hunghari Baioariā ingrediuntur.* & nongenteſimo primo. *Hunghari Carentaniā inuadunt.* Rhegino. *Gens Hungharorum Longobardorum fines ingreſſa, cœdibus, incendijs, ac rapinis crudeliter cuncta deuaſtat.* Et mox. *Quamplurimi Epiſcopi, & Comites trucidantur.* Hermannus anno nongenteſimo octauo, & nongenteſimo nono. *Baioarij ab Hungharis interficiuntur. Hunghari Saxoniam, &*

Thurin-

Thuringiam vaſtant. Hunghari Alemaniam petunt. & nongenteſimo duodecimo. *Hunghari Alemaniam depopulantur*. & nongenteſimo decimo quinto. *Hunghari totam Alemaniam igne, & gladio vaſtant*. & nongenteſimo decimo ſeptimo. *Hunghari per Alemaniam, Alſatiam, & regnum Lotharij inuadunt*. & nongenteſimo vigeſimo octauo. *Hungari Franciam, Alſatiam, atque Alemaniam gladio, & igne vaſtant*. & nongenteſimo trigeſimo ſexto. *Hunghari Franciam, Alemaniam, Galliam vſque ad Oceanum, & Burgundiam deuaſtantes, per Italiam redierunt*. & nongenteſimo quadrageſimo tertio. *Hunghari cum Baioarijs pugnant*. & nongenteſimo quinquageſimo quarto. *Hunghari Noricam, Franciam, Italiamque petunt*. & nõgenteſimo quinquageſimo quinto. *Hungari totam Baioiariam depopulantes iuxta Auguſtam Alemaniæ vrbem ab Othone* Rege *pugna victi immenſa cœde necantur*. Et Schafnaburgenſis. *Otho Rex Hungharos cum magno periculo ſui, ſuorumque magna cœde proſtrauit*. Eueniſſe hæc, quod pretio eccleſiaſtica venderentur à Regibus ac Principibus, fidem facit, quod poſt Arnulfi, Ludouici, Conradique obitum Henricus Auceps Germaniæ Rex ita vouit, (vt habet Luitprandus libri ſecundi cap. 8.) dum milites, ac duces exercitus alloqueretur. *Voueamus itaque, ac ſecundum Pſalmiſtam vota reddamus. Ego, inquam, ego prius, qui dignitate videor, & ordine primus. Simoniaca hæreſis Deo inuiſa, & à beatiſsimo Apoſtolorum Principe Petro damnata, quæ ab anteceſſoribus noſtris hactenus eſt temere cuſtodita, modis omnibus à regno ſit expulſa*. De Arnulfo autem Duce Baioariæ, quæ patuit omnium maxime Hungharicis vaſtationibus, veluti propinquior, ita Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 18. *Hic eſt Arnulfus, qui Eccleſias, & monaſteria Baioariæ crudeliter deſtruxit, ac poſſeſsiones earum militibus diſtribuit*. Poſt Othonis III. obitum vindicauit ſe Apoſtolica ſedes in libertatẽ. Verum defuncto Henrico Sancto, redacta eſt rurſus ab Henrico II. Imperatore in ſeruitutẽ. Quocirca anno milleſimo quinquageſimo ſexto, ait Schafnaburgenſis: *Guntherus tunc temporis Cancellarius, viſionem vidit memoria dignam, Dominum in ſolio maieſtatis ſuæ ſedere, & eleuato in altum brachio diſtrictum gladium magno niſu vibrare, & circunſtantibus dicere*. Reddam *vltionem hoſtibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam: quam viſionem protinus mortalitas ſecuta eſt Principum regni. Eaque expleta vidit eodem rurſus ſchemate Dominum reſidere, & remiſſo*

in vaginam gladio, & ſuper genua ſua reclinato dicere circunſtantibus, ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Hæc ille. Ita vero eueniſſe conſtat. Hinc Stadenſis anno milleſimo quinquageſimo ſexto. *fames multas regiones afflixit, egeſtas, & penuria vndique præualuit, multi principes diuerſarum prouinciarum perierunt, multa mala tunc temporis facta ſunt.* Rurſus cum Henricus Secundus Imperator eſſet profeſſus, ideo aduocaſſe ad ſe electionem Pontificis Romani, vt occurreret ſimonicæ prauitati, permiſit Deus vt numquã magis illa excreſceret in Imperio ipſius. Nam cum ſucceſsiſſet Henricus filius Rex huius nominis Germaniæ Quartus, puer, *Adelbertus Bremenſis Archiepiſcopus, ſæpius,* ait Schafnaburgenſis, *colloquendo, obſequendo etiam, atque aſſentando ita ſibi Regem breui deuinxerat, vt cæteris Epiſcopis poſthabitis totus in eum inclinaretur, & ipſe in regno communi pene monarchiam vſurpare videretur. Secundas poſt eum partes agebat Vuerncher Comes.* Et mox. *Prædia monaſteriorum fautoribus ſuis, prout libitum erat, diſtribuebant, & quod reliquum erat, crebra regalium ſeruitiorum exactione vſque ad fæces vltimas exhauriebant. deinde conualeſcente audacia in ipſa monaſteria impetum faciebant, eaque inter ſe tamquam prouincias partiebantur.* Et apud Dodechinum, qui addit ad chronica Mariani Scoti anno milleſimo nongenteſimo, ita Comes Ludouicus. *Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, & Abbatias vendit. Etenim Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alias pro pecunia, Ratisbonenſem, Auguſtanenſem, Strasburgenſem pro gladio; Abbatiam Fuldenſem pro adulterio; Monaſterienſem Epiſcopatum, quod dicere, & audire nefas eſt, pro ſodomitica auaritia vendidit. quod ſi impudenter negare volueris teſte cælo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli concludent.* Hæc iſti. Perpetuis autem ſuorũ bellis fatigatus Henricus fuit in cauſa, vt maxima nobilium multitudo, ſuorumque omnium trucidaretur. Sic enim Scotus anno milleſimo ſeptuageſimo quinto. *Orta eſt grauis, & feralis diſcordia in regno Theutonico inter Henricum, & Principes Saxoniæ, cuius cauſa (vt fertur) hæc erat. Rex Henricus omnes Saxones ſeruituti ſubijcere cogitabat. ſed quia hoc tam facile, vt ſperauerat, perficere non poterat, accepto conſilio, prius principes propoſuit honoribus, ac dignitatibus ſuis exſpoliare, & ſic reliquos prouinciæ populos ſuo dominio ſubiugare.* Hæc ille, mox pugnam

cæſis

cæſis plurimis, anno eodem commiſſam narrat. & iterum anno milleſimo ſeptuageſimo octauo, milleſimo octuageſimo, & milleſimo octuageſimo ſexto. *Henricus Rex Saxoniam ingreditur, & patriam vndique omnibus iratus præda, & incendio vaſtat. Hermannus vero Rex congregato exercitu quam maximo, occurrit ei iuxta Vuerzeburg in loco, qui dicitur Bleichfeld, ibique conſerto prœlio innumerabilis multitudo hominum ex vtraque parte occubuit. Hermannus vero clariſsimam victoriam adeptus, cum pace rediit.* Et milleſimo octuageſimo nono, referens prœlium commiſſum inter Eggebertum, & Henricum Imperatorem, in quo erant multi nobiles, ait. *De exercitu Regis multi ſunt occiſi, quamplurimi captiuati, innumerabiles vero vulnerati, præda magna ſublata. Eggebertus autem victor exiſtens perſequitur Regem, quoſcumque inuenit de exercitu eius cœpit, vulnerauit, & interfecit.* Neque bellis duntaxat attriti ſunt ſubiecti Henrico populi, ſed etiam peſte, & omni genere malorum, quæ recenſuimus libro vltimo de Signis. hic de peſte agemus. Sic itaque Scotus anno milleſimo octuageſimo tertio. *Roma capta ab Henrico Rege, & in exercitu eius maxima peſtilentia facta eſt.* & milleſimo nonageſimo quarto. *Peſtilentia magna fuit.* & milleſimo nonageſimo nono. *Imperator Paſcha Ratiſbonæ celebrauit, vbi his diebus magna mortalitas eſt facta, in qua Rabodo Palatinus Comes, cum alijs multis moritur. Conradus Traiectenſis Epiſcopus 4. feria Paſchæ à negotiatore Phriſio crudeliter occiditur. Hermannus Colonienſis Epiſcopus obijt, cui Fredericus ſucceſsit: Conradus Einſledenſis Epiſcopus obijt, pro quo Conradus conſtituitur.* Hæc ille. E quibus liquet, in quantas miſerias inciderint tum nobiles, tum populi Henrico ſubiecti. Quantæ autem fuerit impuritatis ita Dodechinus, quem ſequitur Scadenſis anno milleſimo nonageſimo tertio. *Conradus filius Henrici Imperatoris patri ſuo hac de cauſa rebellauit. Henricus Rex Adelheidam Reginam, quam duxerat vxorem, odio cœpit habere: ideo incarcerauit eam, & conceſsit vt plerique vim ei inferrent; imo filium hortans, vt eam ſubagitaret, quo recuſante patris polluere ſtratum, eum adhortando Rex non ſuum, ſed peregrini filium eſſe cuiuſdam Principis de Sueuia, cuius etiam faciem prædictus Conradus plurimum aſsimilauit. Regina autem poſt plurima, & inaudita malorum genera ſibi innocenter illata, de cuſtodia, qua tenebatur, quoquomodo Dei miſeratione liberata, ad potentiſsimam tunc temporis fœminam Ma-*

thildam

thildam nomine, fugiendo peruenit. quæ ſuſceptam Reginam, ad venerabilem virum perduxit Vrbanum Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, cuius prouoluta pedibus, profuſis lacbrymis, ac intimis ſingultibus, omnem ſuæ, quam pertulerat, calamitatis intimauit miſeriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate humanitatis commiſeratione compaſſus, facta concione Catholicorum, denuo Henricum Regem excommunicauit pro illicitis, nefandis, omnibusque ſæculis inauditis rebus. Et mox. *Conradus igitur patri ſuo rebellans, venit ad Papam Vrbanum, & ſolutus ab excommunicatione in Longobardia regnauit contra patrem: erat denique Conradus iſte in omni bonitate, & probitate conſpicuus, humilis, & modeſtus.* Hæc igitur ſint ſatis de Henrico Quarto Germaniæ, tertioque Imperatore, quantum ad nobiles, & populos ſubiectos. At Quartus multa grauia populo damna inferens reſipuit, vt diximus, eccleſiaſticisque ſua iura reſtituit, litterasque in hanc rem, iuſiurandumque Imperatoris, refert Crantzius Saxoniæ libro quinto cap.42.

Diximus Fridericum Primum eccleſiaſticæ poteſtati infenſum, multa in illam molitum; quocirca cum Romam vi cœpiſſet, aduerſus Alexandrum Tertium pugnans quas ſubierint ei ſubiecti populi calamitates, ita poſt alios Sigonius de regno Italiæ lib.14. anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto. *Fœda repente comitatum, exercitumque Friderici peſtilentia per Auguſtum menſem inuaſit, qua paucis diebus non gregarios ſolum pleroſque milites, ſed ex ipſa etiam nobilitate præſtantiſsimũ quemque abſumpſit. præter cæteros Rinaldus Colonienſis Archiepiſcopus, & Dux, Fridericus Conradi quondam Regis filius inſigni morte ſublati. Qua re Fridericus, vt par erat, permotus Paſchali cum præſidio relicto, Vrbe diſceſsit.* & milleſimo centeſimo ſexageſimo octauo. *Cum ſe validis Lombardorum conatibus reſiſtere non poſſe animaduerteret, ne ludibrio eis eſſet, Italiam relinquere ſtatuit; ac menſe Martio de poſſeſſione prope Lombardiæ deſperans trans alpes abijt, fœderatis ipſum hoſtiliter vſque ad iuga alpium inſectantibus, atque extremum agmen infeſtum habentibus.* & milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto. *Alexandrini de re per excubitores nocturnos, ad arma conſurrexerunt, atque egreſſos cuniculo milites per tenebras noctis adorti, ſtatim fœde contrucidarunt, cuniculoque obſtructo ſub lucem ex portis effuſi caſtra Friderici, quæ oppidi inſtar rebus omnibus erant refertiſsima repente ipſo, nec opinante inuaſerunt, ac præda ingenti*

potiti

potiti, caſtellum ab eo conſtructum ipſi vrbi imminens deleuerũt, atque ipſum demum Imperatorem fuga ſibi conſulere coegerunt. & milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto. *Fridericus, vbi ſuã inclinantem aciem ſentit, nulli labori ad eam ſuſtinendam pepercit, in appellandis, cohortandiſque militibus Ducis, in conſerenda manu militis officia præſtans. Dum autem modo in hac, modo in illa parte inclamat, ſolitam in prœlijs ſuorum conſtantiam aduerſus rebellantes turpiter Italos repetens, ab Italo, qui conferta in acie ſtans verbi ferre contumeliam nequit, equo ſtrenue ſuffoſſo deijcitur. qui caſus optatam Italis victoriam præbuit. Nam Germani amiſſa Aquila Imperatorem, quia non extabat, cecidiſſe inſuper arbitrati, in fugam ſe pauidi coniecerunt, nec ſolum campum, in quo pugnabatur, ſed etiam caſtra, quibus ſe tueri magna ex parte poterant, opulentiſſima reliquerunt, atque ignoratione locorum ad oppida inimicorum delati partim capti, partim occiſi ſunt. multi etiam Ticinum tranare amnem volentes cæcis eius gurgitibus hauſti.* Et mox. *Fridericus ab vxore Comi, vt mortuus comploratus poſt quatriduum præter ſpem omnium incolumis Papiam acceſſit.* Et poſt. *Summi viri, & ſumma apud eum auctoritate præditi, qui bellum hoc non cum homine, ſed cum Deo geri identidem admonentes, ac præterita, & præſentia incommoda ex hoc fluxiſſe fonte omnia ſuadentes, vt de pace legatos ad Alexandrum mitteret peruicerunt.* Hæc ille. pax eſt Venetijs confirmata: eo namque in loco tum Pontifex, tum Fridericus conuenere. Sic enim Sabellicus decadis primæ libro ſeptimo. *Romanus Pontifex pro foribus templi ſella ſedens ornatiſſima Federicum ad ſe venturum expectauit: is vbi proximo loco ſtetit purpurea humeris chlamyde depoſita, atque humi proſtratus ad Alexandri pedes obrepens peruenit, quos vbi exoſculatus eſt, confeſtim illum manu ſubleuatum ad oſculum Pontifex admiſit.* Hæc Sabellicus. addit Sigonius. *Ad fores proſecutus (*Fridericus*) ſtrepam equum aſcendenti (*Pontifici*) tenuit; cum autem freno accepto ſtratoris officio fungi vellet, Pontifex, ne vſque ad aquam modico interuallo pertraheret, voluntatem pro ipſa officij functione admiſit.* Hucuſque ij, qui dicta ab omnibus in hoc argumentum collegere. Et tamen Fridericus diuinæ vltionis iram non potuit euadere, quod violauerit eccleſiaſticæ poteſtatis maieſtatem. Veniamus ad alios. Othoni Quarto clades memorabiliſſima accidit, innumeris ſuorum cæſis in pugna Bouinenſi à Philippo Auguſto Francorum rege, de qua annales ipſorum

ſorum late. Hinc Crantzius Saxoniæ ſexto cap. 37. *Otho Imperator, cùm magnis diu laboribus per annos pœne viginti in regno, & Imperio laboraſſet, nihil adeo ſenſit infortunatum, quam Eccleſiæ rebellionem. vnde factum eſt, vt numquam poſtea fœlix ſucceſſibus eſſet.* Et mox. *Tanta autem fuiſſe fertur morituri pœnitudo, vt coquinarijs ſuis præciperet collum ſuum calcaneis præmere, & viliſſimam Dei creaturam omnia ſupplantare.* Fridericus Secundus diu felix cum fuiſſet, ad extremum, quoad eos, qui partes ipſius ſecuti ſubiecti eidem fuerunt, infelicißimus fuit. Omnes enim miſerrime tandem perierunt. Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octauo, cum Conradus eius filius in Germania multas hæreſes aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem per impios palam diſſeminaret, *Catholicis*, ait Stadenſis, *prædicatoribus audacter reſiſtentibus, & fideles exhortantibus, liberi, & miniſteriales à Conrado receſſerunt, ita quod quaſi exul, ac profugus de Sueuia in Bauaria moraretur.* Hæc Stadenſis. Sed & anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, idem Federicus Henricum filium ſuũ, qui fuerat electus Germaniæ Rex, cum duobus ex eo nepotibus cœpit, carcere incluſit; in quo ſane Henricus eſt paulo poſt occiſus. At nepotes Manfredus patruus ipſorum non multo poſt ſimiliter interfecit. Iuſſu eiuſdem Friderici Petrus de Vineis, de cuius conſilio tanta in eccleſiaſticam poteſtatem mala machinabatur, & cuius adhuc extant, ac leguntur impiæ litteræ ad Principes datæ, in vincula eſt cõiectus, ac proditionis inſimulatus eoq; eſt impulſus, vt is colũnæ alligatus ad eam caput impingens, maxima cum vehementia cerebrum effuderit, vitamq́. ſibi abſtulerit; quæ Ioannes Villanæus lib. 6. cap. 23. Crantzius Saxoniæ ſeptimi cap. 48. Sigonius libro decimo octauo de regno Italiæ Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. quo & Encius Sardiniæ Rex eiuſdem Federici filius à Bononienſibus acie victus, captus, cauea ferrea, quæ adhuc viſitur, incluſus interiit. Ipſe autem Fridericus à Parmenſibus eodem modo ſuperatus amiſsis caſtris, theſauro ingenti, ſuppellectiliq́. pretioſiſsima aufugit in Apuliam, ſtrangulatusque eſt à filio Manfredo, qui & Conradum fratrem Germaniæ Regem clyſtere venenato interfecit. Ipſe bello ſuperatus à Carolo S. Ludouici Francorum Regis fratre eſt interemptus. Supererat Conradinus Conradi filius, atque ex hoc Friderici ſecundi nepos, qui captus eſt in prœlio ab eodem Rege Carolo Neapoli, iuſſuque illius in vlmi platea miſer

ado-

adoleſcens nobiliſsimæ agnationis ſupremum germen eſt obtruncatus, quæ libro ſexto, ac ſeptimo Ioãnes Villanæus, Cranzius Metropolis ſeptimo, & octauo; Sigonius libri vltimi de regno Italiæ. Hic igitur exitus fuit eorum, qui Fridericum Secundum ſecuti ſunt. Quin cunctæ ditiones Italicarum regionum peruenere in eorum poteſtatem, qui partes Friderico contrarias ſecuti ſunt, licet ipſe perpetua diſcordiarum ſemina iecerit Guelforum, Gibellinorumque factionibus excitatis.

Reſtat, vt inſpiciamus, quid acciderit ſectatoribus Ludouici Bauari. Ioannes Villanæus, qui vixit ijs temporibus, libri decimi cap. 17. ait illum fuiſſe in Italiam euocatum à Cane Scaligero Principe Veronæ, Paſſerino Mantuæ, Azone, & Marco Vicecomitibus, Guidone Tarlato Aretij Epiſcopo, qui eum coronauit Mediolani, ſtuduiſſe illi Caſtrucium Lucarum tyrannum.

Cum vero in primis accitus fuerit ipſe Bauarus à Galeatio Vicecomite, Deus permiſit, vt ſimulatque coronatus eſt, protinus in vincula coniiceret ipſum Galeatium, filiumque Azonem, & fratres Marcũ & Lucinum principatu omni deiectos.

Ex his Canis anno eodem mortuus eſt de improuiſo. nam ſic idem ſcriptor decimi cap. 141. *Repente decubuit, ac die feſto S. Magdalenæ xxij. Iulij deceſsit Taruiſio, ac Veronam cadauer delatum, ſepultumque eſt, neque ex eo ſuperſtes fuit filius, filiaue legitimi, exceptis duobus nothis, qui deinde à patruis, ac fratribus Canis, ne regnarent, expulſi, & aliqui eorum necati ſunt.*

Poſthunc Marcus ab Azone fratre eſt interfectus, vt idem tradit cap. 136. Azo autem veniam petens, poteſtati ſeſe eccleſiaſticæ omnino ſubiecit, quod refert cap. 146. Quin anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, cum vita migraſſet, ſucceſſerunt illi Ioannes Epiſcopus Nouarienſium, & Lucinus fratres Vicecomites; ſed penes hunc dominatus erat, ac promiſerunt Eccleſiæ florenorum centum millia ſingulis annis exoluenda nomine cenſus, veluti & Maſtinus Scaliger ob Veronæ dominatum quinquaginta millia ſimiliter annua eodem nomine, vt ſcribit vndecimi centeſimo.

At Paſſerinus anno eodem, quo accerſitus venit in Italiam Bauarus, eſt occiſus vna cum filio, nepoteque à Ludouico Gonzaga, qui Mantuæ dominatum ſibi aſſumpſit.

Guido Tarlatus præ dolore, & indignatione aduerſus Bauarum, quem coronauerat Mediolani, concepta, ſecedens morbo

ſimulato,ſimiliter anno eodem migrauit è vita,vt idem refert decimi cap.56.

Denique Caſtrutius anno eodem defunctus eſt, quod idem tradit eiuſdem libri cap. 87. filijque ipſius ab eodem Bauaro ſunt omni imperio ſpoliati,vt idem narrat cap.126.

At Sciarra Columnenſis, Bauarus, Antipapa per Bauarum creatus, cunctique horum ſtudioſi Roma multo cum dedecore, & ignominia, nec ſine multorum cæde ſunt exacti,adnitentibus Stephano Columna,à quo ſunt, qui Principem nũc locum ex antiquiſsimo tempore in Vrbe tenent, ac Bertholdo Vrſino,qui creati ſunt Senatores,vt habet idem decimi capite nonageſimo octauo.

Sed opere pretium eſt cognoſcere,quid euenerit Antipapæ, & Bauaro, cum Piſis commorarentur; ſic igitur idem decimi cap.123. *Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo, decimanona die menſis Februarij, Antipapa à Bauaro creatus, qui Piſis morabatur, in publico conſeſſu, & concione, cui Bauarus aderat, Proceres eius, plurimi Piſanorum, iudiciario modo excommunicauit Ioannem Pontificem, Regem Robertum, Florentinos, horumque ſtudioſos, obijciens illis multa falſa. Euenere admirabilia tunc euidenter, & apertè. Nam cum cogeretur huiuſmodi Concilium, protinus cecidit cælitus maxima grandinis tempeſtas, imbriumque, & ventorum, qualis vix antea Piſis. Et quãdo Piſani factum tale auerſabantur, ob tempeſtatẽ non aduenerant. Quamobrem Bauarus miſit equitum Magiſtrũ grauis armaturæ equitibus, peditibuſque attributis, in omnes Vrbis partes, qui compellerent populum, vt ad concionem veniret. Pauci nihilominus licet omnis vis adhiberetur, interfuerunt: ex labore autem, quem Magiſter equitando percurrens Vrbem ſuſceperat, cœpit frigore tentari. Quocirca vt conualeſceret, balneum parari iuſsit, & aquas ſtillatas infundi, in quo cum lauaretur, ignis omnia corripuit, atque is eo combuſtus eſt abſque alio morbo.*

Anno autem milleſimo trecenteſimo trigeſimo, Piſani Antipapam vinctum, captumque miſerunt Anenionem ad Ioannẽ Pontificem, is fune alligato ad collum procidens in publico omnium conſeſſu ad pedes eius, implorans ſuppliciter miſericordiam, benigniſsimè eſt ſuſceptus, aſsignataque illi in palatio Pontificio ſedes, dati libri, quibus legendis ſolari ſe poſſet, cibique lautiſsimi quotidie cum miniſtris honorificis aſsignati,vt idem tradit decimi cap.64.

Poſt

Poſt hęc non fuere, qui è Germanis arma in Pontificiam poteſtatem mouerent. non defuere tamen, qui doloſis machinationibus illam fraudulenter oppugnarent. Quocirca videmus poſt hæreſes enatas, ac lugemus regnum Germanicum languere, & Imperij maieſtatem, poteſtatemque miſerabiliter concidere; vbi enim Italicum, Arelatenſe, Danicum, Sueuicū, Polonicum, Bohemicum, Hungharicum regna, quæ fuere aliquando vel tributaria, vel aliquo modo ſubiecta? vbi Flandria, Burgundia, Lotharingia, Pruſsia, Liuonia? An plorabimus illud, Turcas in Germaniæ viſcera ſæpius irrumpere, prędationibus omnia ſubuertere, neque eſſe, qui auxilium propè ferat Germaniæ ruenti, niſi Apoſtolicam ſedem, toties ad interitum ferè oppugnatam? Sed ne refricemus quæſo communes dolores.

Ex his igitur patet eos, qui Regibus, & Principibus oppugnantibus, ac violantibus eccleſiaſticam poteſtatem, fauent, perdi, atque infelicisſime ruere. ex quo fit illam iuris eſſe diuini, ac naturalis; huius namque eſt, vbi obſeruetur, tueri, & conſeruare; contrarij, perdere, deſtruere populos, & omnes ſibi ſubditos. Quod, vt magis eluceſcat, ſciamusq́. eos, qui oppugnant eccleſiaſticam poteſtatem, tacitam cum dęmonibus, aut apertam quoque inire ſocietatem. Videamus, quid Vrſpergenſis dicat de Henrico Quarto. Sic igitur ille anno milleſimo centeſimo ſexto. *Si quis vero tam zelotes eſt, cui quaſi diem interitus Aman, etiam Henrici obitum, & Eccleſiæ poſteritatem ignorare non libeat. vij. Idus Auguſti hunc eſſe ſciat, quo ſcilicet die primo matrem ſuam Eccleſiam prope Vuoſtor inuadens innumeras animas ad inferos præmiſit, eodemque die Martis, quo etiam cuncta ſua prœlia paganico nimirum auſpicio perpetrare conſueuit.* Hæc ille, addictum ſcribens Henricum paganicis auſpiciis, id eſt dæmonum ſignis, ita vt illa die victus, mortuusque ſit, qua cuncta auſpicabatur prœlia, ſimulque Eccleſiam cœpit infeſtare.

Referuntur euenta Hiſpanicæ cladis, cauſæque illorum, cum fuere ab Arabibus occupatæ, & cur ex alijs in alias agnationes, germinaue illarum regna transferantur.

Cap. XIII.

Videamus poſt hæc, quid euenerit Regibus, Regum filiis, agnationibus, Proceribus, populiſque aliarum regionum Chriſtiani nominis, ac religionis, qui deuenerint in efferatarum gentium poteſtatem, maximeque aduerſati ſint eccleſiaſticæ poteſtati, & incipiamus ab extrema Europa, Hiſpaniarumque Regibus Viſigothici ſanguinis, quorum nomina hæc memorantur, hæreticis dimiſsis, initioque à Catholicis facto; cum certiſsimum ſit, maioribus illos cladibus obnoxios fuiſſe, ac pleroſque omnes fuiſſe interemptos. quod teſtatur Rodericus Toletanus lib.3.cap.21. & nos recenſuimus libro 23. de Signis Eccleſiæ Dei. Referemus autem, qui fuere à Recharedo, vſque ad Arabicas irruptiones.

1 *Recharedus imperauit annis 15. exorſus anno Chriſti 586.*
2 *Luiba 2. Chriſti 601.*
3 *Victericus 7. Chriſti 603.*
4 *Gundemirus 7. Chriſti 610.*
5 *Siſebutus 8. m. 6. Chr. 612.*
6 *Recharedus m. 6. Chr. 620.*
7 *Cintilla. 10. Chriſti 621.*
8 *Siſenandus 5. Chr. 631.*
9 *Cintilla 6. Chriſti 636.*
10 *Tulcas 2. Chr. 642.*
11 *Cindaſiunthus 6. Chr. 644.*
12 *Receſiunthus 24. Chr. 650.*
13 *Bamba 8. Chriſti 672.*
14 *Eringius 7. Chriſti 682.*
15 *Egica 15. Chriſti 689.*
16 *Vitiza 9. Chriſti 704.*
17 *Rudericus 3. Chriſti 713.*

In his autem recenſendis Vaſæum ſequemur, ne in diſputationem ſingula reuocemus. Is enim videtur diligentius hucuſque ſingulorum tempora examinaſſe; nos etſi error in aliquibus ſit, haud valde curabimus; in vtramque enim partem, quidquid ſit, nil admodum refert.

Inſpi-

Inſpiciamus autem, qui violauerint è ſuperioribus eccleſiaſticam libertatem. Recharedus omnium maximè ſanxit, & amplificauit illam. Sic enim legimus in Toletano Concilio tertio cap. 13. *Diuturna indiſciplinatio, & licentiæ inolita præſumptio vſque eo in illicitis auſibus aditum patefecit, vt clerici conclericos ſuos neglecto Pontifice ad iudicia publica pertrahant: proinde ſtatuimus hoc de cætero non præſumi; ſed ſi quis hoc facere præſumpſerit, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

Et cap. 21. *Si quis vero iudicum, aut actorum clericum, aut* (nota hoc) *ſeruum clerici, vel Eccleſiæ in publicis, ac priuatis negotijs occupare voluerit, à communione eccleſiaſtica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.*

Cap. 6. de libertis. *Id Dei præcipiunt ſacerdotes, vt ſi qui ab Epiſcopis facti ſunt, ſecundum modum, quo canones antiqui dant licentiam, ſint liberi; & tamen à patrocinio Eccleſiæ, tam ipſi, quàm progeniti ab eis non recedant, ab alijs quoque libertati traditi, & Eccleſijs commendati patrocinio epiſcopali regantur.*

Cap. 8. *Præcipit ſacerdotale Concilium, vt clericorum ex familia fiſci nullus audeat à Principe donatos expetere; ſed reddito capitis ſui tributo Eccleſiæ Dei, cui ſunt alligati, vſque dum viuent, regulariter adminiſtrent.*

Cap. 15. *Si qui è ſeruis fiſcalibus Eccleſias forte conſtruxerint, eaſque de ſua paupertate ditauerint, hoc procuret Epiſcopus prece ſua, auctoritate regia confirmari.*

Cap. 19. *Multi contra canonum conſtituta, ſic Eccleſias, quas ædificauerint, poſtulant conſecrari, vt dotem, quam ei Eccleſiæ contulerint, cenſeāt ad Epiſcopi ordinationem non pertinere, quod factum & in præteritum diſplicet, & in futuro prohibetur; ſed omnia ſecundum conſtitutionem antiquam, ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.*

Hæc omnia cum damnoſa ſint maximè ſæculari poteſtati, ſed hanc maximè tamen ſtabiliant, atque augeant in cunctis alijs, Recharedus, omnium primus in Concilio confirmauit, ne quis ambigeret hæc libentiſsimè ab ipſo, cum iure diuino, ac naturali debeantur, concedi, & confirmari.

Ante hoc Concilium pertinuiſſe ad Epiſcopos omnium rerum iudicia, conſtat è Concilij Tarraconenſis cap. 4. & 10. & Hiſpalen. cap. 2.

Epiſcoporum porro electiones quorumnam ſint liquet è

Con-

Concilio Bracarenſi ſecundo, in quo habetur cap. 2. *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omni Concilio conſtitui; ſed ſi hoc aut pro neceſsitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium præſentium, vel abſentium ſubſcriptiones teneantur, & ſic poſtea ordinatio fiat. huius autem rei poteſtas in omni prouidentia ad metropolitanum pertineat Epiſcopum.* Habentur eadem diſtin. 63. cap. non licet, & diſt. 24. cap. epiſcopi, & diſt. 64. cap. Epiſcopum, Burchar. lib. 1. cap. 10. Iuo pag. 5. cap. 64. ex Nicæno Concil. cap. 4.

Quin idem Recharedus fiſci patrimonium regi voluit ab Epiſcopis, vt conſtat è Concilio Barchinonenſi.

Omnium vero delictorum pœnas ab Epiſcopis idem Rex voluit decerni. Nam poſt ſubſcriptionem ſic idem Rex alloquens Epiſcopos, in fine ait. *De cætero autem pro inhibendis inſolentium moribus mea vobis conſentiente clementia ſententijs terminata diſtrictioribus, & firmiori diſciplina, quæ facienda non ſunt probibete, & ea quæ fieri debent, immobili conſtitutione firmate.* Quocirca Epiſcopi ſic protinus conſtituerunt. *Quod priſcorum canonum auctoritas probibet, ſit reſurgente diſciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcipit fieri: maneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ ſanctorum Præſulum* Romanorum *epiſtolæ.* Rurſus in Concilio Barchinonenſi anno decimo quarto Recharedi ita ſancitur. *Secundum priſcorum canonum conſtituta, vel ſynodalium epiſtolas Præſulum præmonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad eccleſiaſticos ordines prætermiſſo canonum præfixo tempore, aut per ſacra* (nota hoc) *regalia, aut per conſenſionem cleri, vel plebis, vel per electionem, aſſenſionemque Pontificum ad ſummum ſacerdotium aſpirare, ac prouehi.*

Rurſus in Hiſpalenſi ſecundo cap. 9. Siſebuto regnante. *Didicimus quoſdam ex noſtro collegio contra mores eccleſiaſticos laicos habere in rebus diuinis conſtitutos œconomos. Proinde pariter tractantes elegimus, vt vnuſquiſque noſtrum ſecundum Chalcedonenſium Patrum decreta, ex proprio clero œconomum ſibi conſtituat. Indecorum eſt enim laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia iudicare: in vno enim, eodemque officio non decet diſpar profeſsio: quod etiam in lege diuina probibetur, dicente Moyſe non arabis in boue, & aſino ſimul, ideſt homines diuerſæ profeſsionis in officio vno non ſociabis. Vnde oportet nos & diuinis libris, & ſanctorum Patrum obedire præceptis, conſtituentes,*

vt

vt hi qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ Pontificibus ſociantur, diſcrepare non debeant, nec profeſsione, nec habitu. Nam cohærere, & coniungi non poſſunt, quibus & ſtudia, & vota diuerſa ſunt. Si quis autem Epiſcopus poſthac Eccleſiaſticam rem, aut laicali procuratione adminiſtrandam elegerit, aut ſine teſtimonio Oeconomi gubernandam crediderit, vere vt contemptor Canonum, & fraudator Eccleſiaſticarum rerum non ſolum à Chriſto de rebus pauperum iudicatur reus, ſed etiam, & Concilio manebit obnoxius. Hæc Epiſcopi iuris diuini eſſe decernentes, vt laicus neque adminiſtret, neque iudicet res Eccleſiaſticas, quas vocant diuinas, ac propterea, neque concedentibus Epiſcopis fieri poſſe, vt laici adminiſtrent. eadem 36. quæſt. 7. Burchard. libr. 1. cap. 89. Iuo par. 16. cap. 66. Chalcedon. Concil. cap. 16.

Amplius ipſi Reges conſtituebantur à Sacerdotibus, & Primatibus. Sic enim Toletanum quartum. cap. 75. Siſenando Rege. *Nullus apud nos ſub præſumptione Regnum arripiat, nullus excitet mutuas ſeditiones ciuium, nemo meditetur interitum Regum, ſed defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus ſucceſſorem regni communi Concilio conſtituant.*

Hinc Eruigius initio Regni ſui, ſic in Toletano duodecimo. *Licet ſublimationis noſtra primordia Paternitati veſtræ opinabili relatione non lateant, quibus clara diuinorum iudiciorum diſpoſitione præuentus, & regnandi conſcenderim ſedem, & ſacroſanctam regni perceperim vnctionem.*

Quin Epiſcopi leges ipſis Regibus præſcribebant in grauioribus ſæcularium rerum. Sic namque Epiſcopi in Toletano quarto ad finem. *Te quoque præſentem Regem, futuroſque ſequentium ætatum Principes humilitate, qua debemus, depoſcimus, vt moderati, ac mites erga ſubiectos exiſtentes, cum iuſtitia, & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque viciſsitudinem, qui vos conſtituit, largitori Chriſto reſpondeatis, regnantes tum humilitate cordis, cum ſtudio bonæ actionis. nec quiſquam veſtrum ſolus in cauſis capitum, aut rerum ſententiam ferat: ſed conſenſu publico cum Rectoribus ex iudicio manifeſto delinquentium culpa pateſcat.*

Et in Toletano 8. cap. 18. ita de magiſtratibus ſtatuitur. *Ab hinc ergo, & deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, vt aut in Vrbe regia, aut in loco, vbi Princeps deceſſerit cũ*

Pontifi-

Pontificum, Maiorumque Palatij omnimodo eligantur aſſenſu.

Et in Toletano 13. cap. 2. *In commune decreuimus, vt nullus deinceps ex palatini ordinis gradu, vel religionis ſanctæ conuentu, regiæ ſubtilitatis aſtu* (nota hæc verba) *vel profanæ poteſtatis inſtinctu; ſiue quorumlibet hominum malitioſæ voluntatis obnixu, citra manifeſtum, & euidens culpæ ſuæ iudicium ab honore ſui ordinis, vel ſeruitio domus regiæ arceatur: non antea vinculorum nexibus illigetur: non quæſtioni ſubdatur: non quibuſlibet tormentorum, vel flagellorum generibus maceretur: non rebus priuetur: non etiam carceralibus cuſtodijs mancipetur: neque adhibitis hinc inde inieſtis occaſionibus abdicetur: per quod illi violentia occulta, vel fraudulenta profeſſio extrahatur: ſed is, qui accuſatur, gradum ordinis ſui tenens, & nihil ante de ſupradictorum capitulorum nobilitate perſentiens in publica ſacerdotum, ſeniorum, atque etiam Gardingorum diſcuſſione reductus, & iuſtiſſime perquiſitus, aut obnoxius reatui detecta culpa legum pœnas excipiat.*

Denique cum Reges in Concilia procedebant, quid aliqui ex ijs agerent, apparet è Concilio quarto, in quo ita de Siſenando. *Cum magnificentiſſimis viris ingreſſus primum coram ſacerdotibus Dei humo proſtratus cum lachrymis, & gemitibus pro ſe interueniendum Domino poſtulauit.* Et in Toletano 15. *Adfuit idem ſereniſſimus Egica Princeps placida deuotionis arce ſublimis, & ſtrenua culminis reclinatione laudabilis, quique in medio Pontificum poſitus, humoque proſtratus, ſacerdotum Dei ſe commendat orationibus.* Et in xiij. Eruigius Rex, inquit. *Ecce ſanctiſſimi religioſa pietate excolendi Pontifices, & diuini cultus inſtantiſſimi ſectatores coram cœtus veſtri reuerentia humilis, deuotusque proſternor, reclinis adſiſto, promptus adſtipulor.*

Quin ijdem leges ſuas, quibus moderaturi populos erant, ſolebāt ſcriptas deferre ad Epiſcoporum Concilia, per quæ confirmarentur, quod apparet ex initio Conciliorum.

Sed quamuis ita fuerit ab initio, & quandiu floruit Hiſpaniæ regnum, continuitque imperio non modo Hiſpaniam totam, ſed etiam Galliam Narbonenſem, ſimulque aliquam Tingitanæ Africæ partem; ſupremis tamen temporibus immutati ſunt Hiſpanicorum Regum mores, & omnis eorum temporalis felicitas protinus miſerrimè concidit.

Primo igitur Cintilla Rex, qui poſt Siſenandum fuit, auſus eſt in fine Concilij Toletani quinti illa verba apponere, *quæ*

cum-

tumque in eadem Synodo definita ſunt confirmantis decreuimus; quaſi ad ipſum pertineret, acta Conciliorum confirmare. Sed eſto, accipiatur hoc in bonam parte m.

Secundo apparet è Concilio ſeptimo Toletano, Reges eo proceſsiſſe, Chindaſuindo imperante, vt excommunicationum ſententias ſuſpenderent. Nam ſic cap. 1. ad finem. *Conteſtamur autem clementiſsimos Principes, & per ineffabile diuini nominis ſacramentum obteſtantes vnanimiter obſecramus, ne quandoquidem abſque iuſta (vbi neceſſe fuerit) imploratione ſacerdotali excommunicationis huius ſententiam à perfidis clericis, vel laicis ad externas partes ſe transferentibus, vel conſenſum præbentibus quacumque temeritate ſuſpendant.* Adhuc, cum prius in ſeptimo Concilio dicerent Epiſcopi ſe congregatos ſtudio, ac diligentia Regis, in octauo aiunt: *eiuſdem Principis ſereniſſimo iuſſu*, quod poterat referri ad Epiſcoporum modeſtiā, niſi Receſſuindus alia perpetraſſet aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem, proſiluiſſetque ad eccleſiaſtica tractanda. hinc initio Emeritenſis Concilij dicitur de eo. *Eccleſiaſtica per diuinam gratiam recte diſponit mente intenta.* Clarius hæc apparent è legibus Viſigothicis, quas tulit idem Rex, vt infra adducemus. Quin è Toletano vndecimo, cum regnaret Vuamba, liquet Epiſcopis haud licuiſſe Concilia cogere abſque Regis permiſſu. Nam ſic in illius principio. *Hortatu Principis religioſis facultas eſt data, & opportuna corrigendis præparata eſt diſciplina, vt qui decurſis longe ante temporibus poſt decem & octo, ſcilicet labentium annorum excurſum in vnum meruimus aggregari.* Et mox. *Religioſi Principis iuſſu euocati in Toletanam Vrbem conuenimus.* Verum, quæ ſunt apertiſsima inſpiciamus è codice legum Viſigothorum.

Tertio Receſſuinthus audet libro quinto de rebus eccleſiaſticis multa ſtatuere, pœnasque apponere à clericis, & Epiſcopis luendas, & ſecundi lege 29. eodem modo illos pœnis à ſe ſtatutis obligat. Vuamba item diſcedens à propria pietate libri quarti lege ſexta, & noni octaua, clericis, epiſcopiſque mulctas imponit. Eodem modo Eruigius duodecimi vigeſima quarta, aduerſus quemlibet clericum, vel Epiſcopum, qui Iudæorum ſcelera non punierint, ita decreuit. *Trium menſium excommunicationis ſententiam perferat, & vnam libram auri de ſuis rebus proprijs fiſco ſociandam amittat.*

Quarto, Vitiza ad extremum fractis habenis eccleſiaſtica

omnia ſubruit. Nam ſic de illo Rodericus Toletanus libri tertij cap. 14. & 15. *Gundericus Toletanæ ſedis primas ſanctimoniæ dono illuſtris habetur; & in multis mirabilibus clarior celebratur. Huic ſucceſſit Sinderedus Epiſcopus Vrbis regiæ primas, vir ſanctimoniæ ſtudio clarus, & durauit vſque ad tempora* Ruderici, *& ſub iſto fuit prædicta ciuitas Toletana. Hic viros longæuos, & honorabiles, quos in Eccleſia Toletana repererat poſt mortem S. Felicis, & Gunderici deceſſorum ſuorum, zelo ſanctitatis, licet non ſecundum ſcientiam cœpit grauiter infeſtare, & hoc ad inſtinctum Vitizæ, qui propter ſuam nequitiam eorum iuſtitiam timeſcebat. Verum, quia iſti ſibi in facie reſiſtebant propter vexationem Pontificis, ad* Romanum *Pontificem appellabant. Vitiza facinoroſus timens, ne ſuis criminibus obuiarent, & populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam; immo præceptum omnibus clericis, vt vxores, & concubinas, vnam, & plures haberent, iuxta libitum voluptatis; & ne* Romanis *conſtitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent.* Et cap. 16. *Violatis priuilegijs Eccleſiarum, reuocauit Iudæos, & maioris immunitatis, quam Eccleſias priuilegijs honorauit.* Hæc ille addens deiectum deinde ab ipſo fuiſſe Sinderedum, fratremque ſuum Oppam nequiter intruſum. Rurſus idem ſcriptor cap. 17. cum retuliſſet à Ruderico excæcatum, regnoque pulſum Vitizam ſcribit: *Erat autem* Rodericus *durus in bellis, & ad negotia expeditus, ſed in moribus non diſsimilis Vitizæ.* Inſpiciamus itaque ab his ob eccleſiaſticę poteſtatis iura euerſa, euerſa eſſe ſimul bona omnia, animi, corporis, & extrinſecus aduenientia, Regum, filiorum, agnatorum, nobilium, populorum.

Primo quantũ ad ipſos Reges, Victericus, qui reuocare hæreſim Arianam conatus eſt, ait Lucas Tudenſis, ac refert Vaſæus anno ſexcenteſimo tertio, *parum felix, qui cum Romanos varijs laceſſeret prœlijs, ſemper deceſſit inglorius.* Et ſexcenteſimo nono. *Victericus,* ait, *inter epulas coniuratione ſuorum occiditur.* Et ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo. *Mortuus eſt Toleti morte naturali Cindaſiunthus Rex, quem tamen aliqui veneno produnt perijſſe.* Hæc ille de eo, qui primus eccleſiaſtica iura maxime labefactauit. De Bamba, qui initio regni viſus eſt optimus, mox & ipſe imminuit eccleſiaſticam poteſtatem, ſic idem. *Bambæ Regi (*Eruigius*) letiferam miſcuiſſe potionem dicitur, cuius hauſtu mox Regis memoria turbata eſt.* ac mox. *ipſe* Rex *paulatim alienari mente cœpit.* Hucuſque Vaſæus

adii-

adiiciens illum deinde monaſterio ſeſe incluſiſſe. Vitizam iam diximus excæcatum fuiſſe à Ruderico, Rudericus cum Arabibus pugnans in acie, fuit occiſus.

Secundo conſtat nullã ſuperfuiſſe poſteritatem Vitizæ, aut Roderici, quæ regnarit.

Tertio, quantum ad agnationem, ſimiliter conſtat eam defeciſſe in Froila, quòd refert Rodericus Toletanus libri tertij cap. 21.

Quarto, quoad nobiles, conciſi prope ſunt omnes, pauciſsimi ad vltimos montes cõfugerunt.

Poſtremo, Hiſpani nihil non calamitatis perpeſsi ſunt, oppreſsi plerumque infandiſsima Arabum tyrannide per annos ſeptingentos ſeptuaginta octo, quæ latè deplorat idem ſcriptor libro, & capite eodem.

Ac veluti vidimus in omni ſerie paulo longiori vel Regum, vel Imperatorum, qui pugnarunt aduerſus eccleſiaſticam poteſtatem, dæmonum ſocietatem fuiſſe ab his initam, vel omnino ſcientibus, ac volentibus, vel aliquo modo proxime conſequentem, Sic in hac ſerie Hiſpanicorum Regum, qui aduerſati ſunt ſacris iuribus, neque genus ab optimo Recharedo duxerunt. ac talis fuit impius Vitiza. Extat namque eius lex tertia titulo primo libri ſexti, in qua ſic ſancit: *Per ſalubrem ordinationem cenſemus, vt quamuis parua ſit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem aquæ feruentis à iudice diſtringendum ordinamus*. Hæc Vitiza. quæ pertinere ad ſuperſtitionem, qua Deus tentatur, dæmonumque ſe cœtui mortales adiungunt, ſcimus è titulis de purgatione canonica. Scimus quoque è lege quinta titulo ſecundo libri ſexti à iudicibus in Hiſpania ſolitos conſuli ariolos, aruſpices, quod Chiudaſuinthus prohibet: *Dum enim*, ait, *maleficia per diuinationes comprobare pertentant, quaſi tertio loco ipſi ſe diabolo ſeruituros illaqueant*. Hæc ibi. quo tempore cœperunt iudices ſæculares eccleſiaſticis contra ordinem diuinum præeſſe. ſic enim libri ſecundi titulo primo, lege decima octaua, vel Chindaſuinthus, vel Ricenſaduinthus. *Si quilibet Epiſcopus admonitionem iudicis fretus honore ſacerdotali contempſerit, & pro ſua perſona adſertorem dare diſtulerit, confeſtim à iudice negotij, à prouinciæ ſuæ Duce, vel Comite compulſus l. ſolidorum damnum excipiat*. Cum vero idem Cindaſuinthus non ignoraret ordinem iudicũ ſæcularium tacitum fœdus iniiſſe per aliquot ſuorum cum dæmoni-

monibus, vt ſupra ipſe aſſeruit, vult tamen eccleſiaſticos illi ſubeſſe quaſi meliori.

Poſt irruptiones Arabum fuere è Regibus Hiſpanicis Caſtellæ, Nauarræ, Aragoniæ, Luſitaniæ, qui eccleſiaſticam poteſtatem diminuerunt, de quibus agimus ſigno de pœnis imminuentes iura ſacra, ideo reiicimus eo lectorem. Illud hic adnotaſſe tantum ſit ſatis: primo regias agnationes ſexies, aut ſepties defeciſſe in regnis Caſtellæ, & Aragoniæ, tranſitumque ex aliis in alias factum.

Secundo in regno Aragoniæ, & Luſitaniæ viguiſſe, & vigere adhuc aliquo modo conſuetudinē, qua compellebãtur eccleſiaſtici contra naturale, ac diuinum ius acta iudiciorum ſuorum petentibus partibus tranſmittere ad iudices ſæculares; quod Cindaſuinthus præſultor Hiſpanicæ cladis per Arabas inuectæ, vt vidimus, conſtituit. Vt iam mirum non ſit ſi Chriſtianiſsima agnatio Luſitanicorum Regum tam miſerabiliter extincta eſt, conciſo fœdiſsime in Africa nobilium, populariumque quorumlibet exercitu. & Aragonia proprio Rege orbata maximam priſcæ poteſtatis iacturam fecit, atque vtrumque regnum potius languere, quam ſicuti olim ſuum caput attollere videatur.

Eodem ſigno egimus de Gallicanis Regibus, quorum ter immutata eſt agnatio Clodouei, quæ Merouinga; Pipini, quæ Carolinga; Hugonis Capeti, quæ Capetica eſt nominata, & adhuc rerum potitur. Quoad hanc illud hic obſeruandum, Poſt Philippum Pulchrum quater poteſtas regia tranſiit ex vno in aliud ſtemma agnationis eiuſdem. Nam primo Philippus Pulcher ad nepotes regnum non tranſmiſit. Secundo neque Carolus Septimus, qui pragmaticam tulit, vltra illos. Tertio neque Ludouicus Duodecimus, qui aduerſus Iulium Secundum pugnauit, filios habuit ſucceſſores. Quarto denique ſoboles Henrici Secundi, quæ lachrymabili fine deſijt in Henrico Tertio, poſt cædem Cardinalis, & eccleſiaſtica male admodum (leuiſsime enim loquemur) adminiſtrata. Refert Maſſonus in vita Henrici Primi ſic olim ſolitos vngi Galliarum Reges, atque ita vnctum Philippum Regis Henrici filium; affert ille verba deſumpta ex actis publicis Rhemenſium, quæ non pigebit recitare. *Anno milleſimo ſexageſimo, indictione duodecima, Henrico regnante trigeſimo ſecundo, & quarto Cal. Iun. in die Pentecoſtes, Philippus Rex hoc ordine in maiore Eccleſia,*

cleſia, ante altare Sanctæ Mariæ à venerabili Archiepiſcopo conſecratus eſt. Inchoata Miſſa antequam epiſtola legeretur, dominus Archiepiſcopus vertit ſe ad eum, & expoſuit ei fidem Catholicam, ſciſcitatus ab eo vtrum hanc crederet, & defendere vellet; quo annuente delata eſt eius profeſſio, quam accipiens ipſe legit, dum adhuc ſeptennis eſſet, eique ſubſcripſit: erat autem profeſſio eius hæc. Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo, & Sanctis eius, quod vnicuique de vobis mihi commiſſis, canonicum priuilegium, & debitam legem, atque iuſtitiam conſeruabo, defenſionem adiuuante Domino, quantum potero, exhibebo, ſicut Rex in ſuo regno, vnicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet. Populo quoque nobis credito me diſpenſationem legum in ſuo iure conſiſtentem noſtra auctoritate conceſſurum. Qua perlecta poſuit eam in manus Archiepiſcopi: deinde accipiens Archiepiſcopus baculum Sancti Remigij diſſeruit quiete, & pacifice, quomodo ad eum maxime pertineret electio Regis, & conſecratio, ex quo Sanctus Remigius Ludouicum baptizauit, & conſecrauit. Diſſeruit etiam quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſtatem, & totius Galliæ principatum Hormiſdas Papa Sancto dederit Remigio, & quomodo Victor Papa ſibi, & Eccleſiæ ſuæ conceſſerit. Tunc annuente patre eius Henrico elegit eum in Regem. Poſtea vero immutaſſe hanc conſuetudinem videtur Philippus Pulcher ob conſtitutionem Bonifacij Octaui vnam ſanctam, de maioritate, & obedientia, in extrauag. quæ nihil noui iuris tribuit Pontifici ſummo in reges, & Principes ſæculares, cum nihil illi iuris ſit in alios, niſi quatenus finis, id eſt, Deus præſcribit. Verum nihil poſt immutationem formulæ illius video fuiſſe ad regna Gallicana additum, re vera imminutum fuiſſe plurimum conſpici poteſt ex iis, quæ diximus ſeptimo libro de gentium ruinis; ſicuti numquam ſcimus regnum Gallicū peruениſſe ad eam magnitudinem, qua floruit imperante Carolo Magno. parere enim Pontificibus ſummis, atq; iis deferre, eorumque auctoritati, eſt gradum facere ad propriæ ſæculariū poteſtatis amplificationem, & diuturnitatem. Atque hoc eſt ius ſtatus verum, verum ius religionis.

De regibus aliis eſt dictum partim ſigno de felici exitu Catholicorum regum octuageſimo nono, & nonageſimo quarto, ac ſequentibus duobus. Reiicimus igitur ad illa lectorem, ne actum, quod dicitur, agamus.

Recen-

Recenſentur Martyres, qui pro tuenda eccleſiaſtica poteſtate, ac libertate occubuerunt; & quid ſpectarunt illi, ſpectandumue eſt; cum pro illa certamen ſubitur. Cap. XIV.

Sed quo quæſo tandem progrediemur? numquamne in re clariſsima finem faciemus? Nam quantum pertinet ad argumentum, quod modo tractamus, explicantes ab eccleſiaſticę poteſtatis contemptu, imminutisque eius iuribus, eſſe interitum quorumlibet bonorum, perditionemque non modo hominum, ſed etiam totius vniuerſitatis, quæ mutationi eſt obnoxia. fuſius hæc oſtendimus libris vltimis de Signis Eccleſiæ Dei, libris de Imperio virtutis, de antiquo, & nouo Italiæ ſtatu, de ruinis gentium, & regnorum. Quibus etiam palam fecimus, quæ pertinent ad agnationes Regias, aut cognationes, quamdiu durarint illæ, & quæ ſuperſint adhuc. mens erat aliqua hic adiicere de Italica, Romanaque nobilitate, cuius aliqua adhuc germina ab antiquiſsimis Chriſtianis deducta ſuperſunt. Verum nimiis, & importunis, si detur ita loqui, efflagitationibus eorum, qui volunt hoc opus quamprimum venire in lucem, coacti nunc iſta dimittimus, illud hic dumtaxat aperientes, nullo non ſæculo extitiſſe, qui pro Eccleſiaſtica vel poteſtate, vel libertate vitam ponerent, non quod pro temporalibus pugnarent, quid enim curarent hæc? quid non maximè iſta auerſarentur? Vide quid dicam? Verum ſancti, Deoque addicti præ oculis habebant Dei voluntatem leges eius immutabiles, atque æternas, ordinis diuini, quo ſtant omnia, tuitionem, ex eius inuerſione, vel minima in re, proſpiciebant, naſci euerſionem cuiuslibet boni externi, corporis, atque animi, adduci omnia mala externa, corporis, atque animi. Ob hæc Ieſus cordis noſtri amor Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit ſuper eam, dicens; quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici*

mici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem. An vero putamus Deum curaſſe pallium coccineum, ducentos argenti Siclos, regulamve auream, quæ ſabſtulerat Achan è præda Hiericunthina Ioſue cap. 7. vt idcirco ab huiuſmodi crimine immunes, quamuis alioquin mortis reos cædendos ipſis hoſtibus obiiceret, quod habetur Ioſue cap. 6. Nunquid curabat vel Deus, vel Samuel, quod Saul peperciſſet ouibus illis, & Agag Regi, vel quid potius ei iucundiſſimum non eſſet ea reſeruari ad ſacrificium, clementiæque diuinæ teſtificationem, niſi diuinus ordo proculcaretur? An putamus à Chriſti Vicario Petro fuiſſe denunciatione ſola illatam mortem Saphyræ, & Ananiæ, quod magni faceret exiguum, quodcumque illud fuiſſet, agri pretium, bonos in vſus ab iis reſeruatum? Num curaret id ille, qui reliquerat omnia, Ieſumque ſecutus fuerat? Non ita certe. & qui temporalibus iſtis moueretur, quicumque reſpiceret, abiecti eſſet animi, longiſsimè potius á vero amore, quo amplecti debet humanum genus, quo inflammari ad procuranda omnium bona. Contra autem, qui negligenda exiſtimat temporalia, quæ Deo dedicata ſunt, diuinis perſonis ſeruiunt, neque curanda, longiſsime abeſt hac in re ab ipſo Deo, longiſsime à voluntate diuina, diuino ordine, diuinorum cognitione, diuino amore, quo tum Deum, tum reliquos mortales proſequi, & omnibus modis fouere debemus, cum non perſpiciat hinc oriri mala omnia in homines. Hæc ſcilicet conſpiciens Petrus mortem ſola verborum pronunciatione intulit Ananiæ, & Saphyræ. Hæc Deus contuens, vt ab ipſo exemplum ſumeremus, morti innoxios hac in re viros hoſtili gladio necandos addixit. Ob hæc Saulem reiecit. Ob hæc Chriſtus non ex iis, quæ habebat nummis; ſed ex illis, quos obuia piſcatio detulit, tributum publicanis exigentibus nondum res noſtras edoctis exſoluit pro ſe duntaxat, ac Petro. Proditores tantū, quos Chriſtus diabolos nominat inquiens *Nonne ego elegi vos duodecim, & vnus ex vobis diabolus eſt?* A nobis dimittendi, à nobis non curandi, quorum dux Iudas *filius perditionis* ſacrilegi iſti ſunt à nobis contemnendi. Si quos amamus, ſi qui ſunt à nobis amandi ex animo, ſi qui ſunt, quorum ſalutem deſperandā neſciamus, quos eſſe Iudę perſimiles ignoremus, virga paterna ſunt admonendi, ne & ipſos, & alios perdamus

damus, ne laqueo ſeſe illi inſtar Iudæ, aut quod aliqui voluere, Lutheri ipſius miſerrime ſuſpendant.

Et ſanè vix orto, vt ita dicamus, Chriſto, extitere, qui mortui ſunt pro regia poteſtate ipſius omnia ſibi ſubordinante. Herodes namque interfici iuſsit innocentes, nō ob aliam cauſam, niſi quod timebat à Chriſto, vel omnino tollendam, vel minuendam maximè ſuam poteſtatem, ſimulatque audiuit illa verba. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* &. *Tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Quæ habentur cap. 2. Matthæi: quin Chriſtus ideo cruci eſt affixus, proditusque vt cruci affigeretur. Sic enim Ioannes cap. 11. *Pontifices, & Phariſæi. quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit: Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Et cap. 19. *Iudæi autem clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſari. Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* & *dicit eis Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices, non habemus regem niſi Cæſarem.*

Poſt Eccleſiam deinde è gentibus, atq; hebræis conſtitutam priuſquā forent Imperatores Chriſtiani, adeo S. Paulus eccleſiaſticam poteſtatē voluit ab omnibus Chriſtianis confirmari, vt potius omnium tēporalium iacturam fieri ab ijs vellet, ac fraudē pati eos, quam gētium tribunalia, quamuis iuſta adiri, quoties cum Chriſtianis res erat. Verū ſimulatq; exortus eſt primus Imperator, qui ſe Chriſtianum volebat eſſe, Philippus Auguſtus; huic ita Babylas obſtitit, quod ſupra libro quinto retulimus, vt hac de cauſa non fuerit veritus libentiſsime vitam ponere. Quocirca factum Babylæ expendens Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſic exclamat aduerſus Epiſcopos, ac ſacerdotes, qui in tuenda eccleſiaſtica libertate ſunt ſegnes. *Exiſtit & hinc tertium quoddam raræ virtutis facinus, atque exemplum* (e facto Babylæ) *futurorum enim poſthac & ſacerdotum, & Regum animos horum quidem demiſit, illorum autem extulit; planum faciens terræ, & eorum, quæ in terra fiunt, curam, ac præfecturam verius reſidere penes ſacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus, ac purpura indutus eſt: nec non oportere de poteſtatis huius amplitudine ſacerdotem nihil detrahere, ſed hominem potius exuere, quàm auctoritatem huic principatus supernè à Deo attributam deponere. proinde, qui ſic e vita deceſſe-*

deceſſerit, vel mortuus nemini non prodeſſe poterit. at qui ordinis huius deſertor fuerit, non ſolum nemini mortuus vſui eſt; ſed viuentium quoque, quibus praeeſt, quamplurimos ſegniores, molliores que reddit, exteris ipſe interim & vituperabilis, & ridiculus. Idem etiam cum è vita deceſſerit multo cũ dedecore, ac mœrore ad Chriſti tribunal ſiſtetur; vnde ipſum poſtea trahentes in fornacẽ ardentem abducent poteſtates ea, quibus id negotij demandatũ eſt. quãobrem ſapientis verbum nos monet ne perſonam aſſumpſeris, contra ipſius animã, quod ſi diſſimulare tutũ non eſt, dum homini ab homine iniuria infertur; quo tandẽ ſupplicio dignus non erit, qui ſiluerit, ac neglexerit, intuitus diuinas leges iniuriam accipere? quinetiam & aliud item non minus ijs, quæ dixi, bonum nos Babylas docuit, quod videlicet vnumquemque oportet ſuo officio fungi, etiamſi inde nullum lucrum ad alios dimanet (neque enim ipſi ad Imperatoris quidem emolumentum libertas profuit) nihilo tamen ſecius ſuas omnes partes, atque officium omnibus numeris impleuit, cum interim, qui morbo laborabat, propria contumacia, atque vecordia artificis peritiam offenderit, medicamentũ à vulnere magna indignatione animi amouens. Hucuſque Sanctus.

Sic etiam multi Eccleſiæ primis temporibus amabant pro eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate vitam ponere aduerſus illius oppugnatores, vt potius hoc eligerent, quam data pecunia redimere ſe vellent, cum tamen iuſtiſsime id poſſent. quod Sanctus Petrus Epiſcopus Alexandrinus can. 12. tradit. Atque ita vitam nihili faciebant; ne ſponte ſubijcerent poteſtati ſæculari temporalia ſua, quamuis id eis liceret, & quidem maximo iure. Sic etiam Sanctus Paulus egit, quod colligi poteſt è cap. 24. Actuum Apoſtolorum. Nam cum multas pecunias collegiſſet, ſecumque haberet, Felix Præſes, *ſperans, quod pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accerſens eum loquebatur cum eo*; nihil potuit ab Apoſtolo corradere, qui de ſe aiebat: *Liber ſum, ſed ſub nullius redigar poteſtate*; quamuis alioquin illud Chriſtiane iactaret; *cum liber eſſem, ſeruum me omnium feci.* Sic etiam Sanctus Laurentius, cum poſſet aditum ſibi aperire ad vitam ſeruandam, tradens Imperatori theſauros Eccleſiæ, quos habebat, potius elegit in tormentis vitam ponere, quam ſacris pecuniis illam ſeruare, vt ex actis eius habemus: colligimusq; ex alijs quoque, quæ tradit Sanctus Ambroſius libro de officijs ſecundo capite vigeſimo octauo.

Poſt obitum Conſtantini imperante Conſtantio, Sanctus Li-

berius Papa fuit in exilium miſſus, non alia de cauſa potiſsimum, niſi quod latam in Athanaſium ſententiam à conciliabulo Tyri noluerit approbare, quod Ammianus, vt ſupra eius verba recitauimus, libro xv. tradit, & Sanctus Athanaſius epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Quod ſi humanæ leges conſiderentur, poterat Sanctus Liberius acta conciliabuli Tyrij nō reſcindere, verum, niſi confirmare voluiſſet, ſaltem non irrita declarare, aut dicere. Damnatio namque Athanaſij diſiungebatur à damnatione fidei Catholicæ, deiectusque fuerat (quātum pertinet ad ea, quæ contineri in ſententia ſcribit Ammianus) ob alias cauſas in illa expreſſas, quæ non pertinebant ad fidem. Poterat itaque Sanctus Liberius vel conniuere, vel non improbare, quæ Tyrium conciliabulum perpetrarat aduerſus Athanaſium propter alias, quam veræ fidei cauſas expulſum, atque ita euadere à periculo imminenti. Sed cum videret hæc eſſe contra eccleſiaſticam, Sedisque Apoſtolicæ poteſtatem, cui reniti eſt Eccleſiæ, fideique Catholicæ fundamenta conuellere, quod per impios, & Imperatores dæmon conabatur, noluit impiæ ſententiæ conſenſum præbere, vel ad illā conniuere. Sic etiam Pontifex idem dona ab Imperatoris eunucho Euſebio ad ſe miſſo, oblata Eccleſiæ Sancti Petri, quæ cuſtos templi acceperat illi ab Eunucho conſecrata, proiecit velut impia, neque digna, quæ reciperentur; quæ refert S. Athanaſius libro ad ſolitariam vitam agentes.

Rurſus cum per vim fuit Vrbe expulſus Sanctus Liberius, ac ſuffectus Felix, & in ſede S. Petri collocatus, neque hic ſubſcribere vellet ſententiæ latæ aduerſus Sanctum Athanaſium, fertur interfectus, atque in Martyrum numerum merito collocatus.

His euidentius multo Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ob eccleſiaſticam poteſtatem, libertatemque eſt in exilium miſſus, in quo & deceſsit, vt merito multi eum velint Martyrij corona in cælo ornatum. Non aliam namque ob cauſam fuit exturbatus, niſi quod adempta alijs temporalia tueretur aduerſus Imperatricem, quod ſuperiori libro late explicauimus. Quocirca Sanctus Innocentius Papa Arcadium ſimul, Eudoxiamque coniugem excommunicauit, atque hæc anno eodem vita deceſsit, vt late è Glyca, & antiquis monumentis refert Cardinalis Baronius tomo quinto ſub annum quadringenteſimum ſeptimum.

Ioannes Papa idcirco eſt martyrio coronatus, quod eccleſias Arianis auferri, & Catholicis dari, aut reddi ſuaderet. atque ita in primis ob templorum libertatem tuendam fuit interfectus: poteratque diſsimulare, ac tolerare, quidquid agebatur contra Eccleſias, non illas ipſe elargiri. Non ſatis hoc habuit. ablatas Catholicis reſtitui contendit, nouas ab Arianis ædificatas Catholicè conſecrari, & Catholicis dari de poteſtate Arianorum ablatas perſuaſit, quod conſtat ex epiſtolis ipſius, & Gregorio Turonenſe de gloria Martyrum capite quadrageſimo.

Sed & ante Ioannem Papam, quicumque interfecti ſunt in defendenda electione Symmachi Papæ aduerſus electionem Laurentij, quem Senatus Romanus veluti à ſe rite delectum contendebat, non ob aliud vitam profudere, niſi vt eccleſiaſticam poteſtatem tutarentur.

Similiter, qui ſunt interempti pro defendenda electione Damaſi Papæ aduerſus Vrſicinum, quem pauciſsimi è clericis, pleriq́ue ſæculares delegerant, vitam pro eccleſiaſtica poteſtate poſuerunt, quo tempore vult necatos Ammianus Marcellinus centum triginta ſeptem, quod ſupra retulimus. plures videtur ſignificare, qui temporibus his viuebat Ruffinus lib. 2. cap. 10, ita ſcribens. *Tanta ſeditio, imo verò tanta bella coorta ſunt, alterutrum defendentibus populis, vt replerentur humano ſanguine orationum loca.* Hæc Ruffinus. Conſtat porro è Marcellini ſchiſmatici libello, tunc homines ad arma concitatos, quod martyrium ſe adire exiſtimarent; publiceq́. hoc nomine ad arma vocarentur. adeo pugnare pro eccleſiaſtica libertate ſemper eſt habitum laudabile, ac diuinum, vt vel ipſi hæretici hoc profiterentur, & qui pro illa morerentur, inter martyras forent, & Catholici id Theologi negabunt?

Cum Vandali, Gothi, Longobardiq́ue Italiam peruagantes diriperent, plurimos clericorum torquebant, vt ſacras pecunias proderent, è quibus nonnulli multa perpeſsi ſunt, vt ſacrilegiis quantum dabatur, & quantum par erat occurrerent. poterant enim licite ad maiora mala euitanda detegere, ac redimere vitam ſuam; neque enim propterea delicto adſentiebantur.

Anno ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, cum clerici Romanorũ multi obſtitiſſent omni conatu militibus Mauricij Chartularij conantibus diripere Eccleſiæ Lateranenſis theſaurum

fuere quaſi publicæ quietis perturbatores, in exilium miſsi, direptusque eſt ille ab Iſaaco Exarcho, miſſusque ad Imperatorē Heraclium, qui mutilato Imperio per Mahometem paulo poſt deceſsit.

Leonem Tertium conſtat exagitatum fuiſſe à Romanis quibuſdam, nō ob aliam cauſam, niſi vt eccleſiaſticam poteſtatem tueretur. Eodem modo & Ioannē Octauum, qui à Comitibus Tuſculanis eſt captus. quin ab anno octingenteſimo octuageſimo ſecundo, vſque ad nongēteſimum ſexageſimum ſecundū, multis modis oppreſſa eſt eccleſiaſtica libertas, ac poteſtas, Italiæ totius maximo malo, ac ſtatu, ita vt hæc annumerentur infelicibus Italiæ, quin totius orbis, regnorumq; omnium temporibus. Interfecti fuere Ioannes Decimus, qui Gariliano Saracenos expulit, ac Stephanus Octauus. Inde exagitata eſt eadem poteſtas tum à factioſis Romanorum, tum vero à nonnullis Imperatorum. Quocirca Ioannes XIII. vix euaſit impias illorum manus, ad Pandulfum Capuæ Principem confugiens. Benedictus vero Sextus in carcere deceſsit, donec Alexander Secundus eſt abſque vlla auctoritate Henrici Germaniæ regis anno milleſimo ſexageſimo primo creatus. Ex aduerſo Cadalous Epiſcopus Parmenſis ab Henrico Pontifex creatus, cū magnis militum copiis Romam profectus eſt. durarunt inter hos bella vſque ad annum milleſimum ſexageſimū octauū, quo Synodus eſt Mantuæ celebrata, iuſtūq; ſemper fuiſſe Alexādrū Pontificem, fuit ab omnibus declaratum. Floruit Alexander multis miraculis, quæ poſt Leonem Hoſtienſem recitat Sigonius omnia ſuperiora enarrans, libri de regno Italiæ noni anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo. Huic Gregorius Septimus eſt ſuffectus, qui quanta pertulerit pro eccleſiaſtica poteſtate aſſerenda quis ignorat? Actus eſt in exilium, Salernique deceſsit anno milleſimo octuageſimo quarto. *Et appropinquante*, ait Otho Friſingenſis Friderici Ænobarbæ cognatus, libri ſexti cap. 36. *vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur: dilexi iuſtitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio; quia ergo in Principe ſuo regnum ab Eccleſia præciſum grauiter percuſſum fuit; Eccleſia quoque tanto paſtore, qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli, & auctoritatis erat, orbata dolorē non modicū habuit.* Hæc ille. multis effulſit Gregorius VII. miraculis, qđ inter alios teſtatur horū tporū ſcriptor Germanus Lābertus Schafnaburgēſis ad hiſtoriæ ſuæ finē, Deſiderius

Abbas

Abbas Caſsinenſis lib. 3. dialogo. Petrus Damiani. Sed & Abbas Stadenſis ita anno milleſimo octuageſimo quarto. *Anſelmus autem Lucenſis Epiſcopus vir litteratus, ingenio acutiſsimus, & facundia præcipuus, & quod omnibus maius eſt, in Dei timore, & ſancta conuerſatione nominatiſsimus, qui etiam tam in vita, quàm poſt mortem miraculis claruit, ſcripſit epiſtolam ad eundem Vuicbertum, in qua & illum præuaricatorem, ac ſuperbum cognominat; Hildebrandum verò Gregorium Papam patrem ſuum appellat.* Et milleſimo octuageſimo quinto. *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius apud Salernum moritur, cui Deſiderius Cardinalis Romanus, & Abbas Caſsinenſis verus Chriſti famulus licet multum renitens ſubſtituitur, aſſenſu Northmannorum, & Mathildis potentiſsimæ per Italiam fœminæ, cunctorumque eiuſmodi ſectam æmulantium. Et hi quidem, qui videbantur perfectiores, & columnæ in domo Dei adhæſerunt ſicut Gregorio, ita & Deſiderio. Cæteri verò, quos aut timor, aut fauor Cæſareus agebat, ſecuti ſunt Vuicbertum, qui & Clemens, durauitque ſchiſma hoc annis vigintiquinque.* Eadem verba ſcripſit Helmoldus Buzouienſis libri primi capite trigeſimo. Multo plura in laudem Gregorij Marianus Scotus anno milleſimo ſeptuageſimo quinto. poſt annos quingentos eſt repertum Salerni cadauer Gregorij Septimi ex omni parte integrum, atq; illæſum. adfuitque illius inuentioni M. Antonius Maffa vir ſpectatæ integritatis, ac doctrinæ.

Ex hoc tempore eccleſiaſtica poteſtas poſt obitum Caroli Magni, ac Ludouici Pij per impios afflicta, ac proſtrata reſurgere cœpit, ſimulque omnia Chriſtianorum regna magis effloreſcere, ac præſtare. Nam Pontificibus Romanis ad bella Chriſtianos excitantibus, Franci Orientis multa loca occuparunt vſque ad Euphratem, Cypri regnum, Conſtantinopoliſque imperium tenuere: Hiſpani fortiores effecti Arabas multis prælijs domitos in poteſtatem tributo impoſito redegerunt, excitatumque eſt paulo poſt Luſitaniæ regnum. Veneti, Genuenſes, multæque Vrbium Italicarum potentiam maximã nactæ ſunt; ipſum deniq; regnum Germanorũ maiora incrementa ineunte imperium Lothario Pontificũ Romanorũ ſtudioſiſsimo cœpit, quæ nos late perſecuti ſumus libri ſeptimi cap. 3. in quinto tempore. Vt appareat vna cum poteſtate eccleſiaſtica ſtare, & concidere totius Chriſtianæ Reip. corpus. Edant enim Veneti, Genuenſes, Piſani, Senẽſes, Bononienſes, Florentini, Mediolanen-

lanenſes, Neapolitani, quænam præclara ante hoc tempus ipſorum maiores geſſere; videant qui nobiles inter ipſos extitere, & cognoſcent nihil eſſe, quod conferri poſsit cum iis, quæ poſt hæc acciderunt. Franci vero num ſæculo vllo, aut æuo imperium Conſtantinopolitanum tenuere, regnum Cypri, & Hieroſolymorum? Mitto Apuliæ, Siciliæque regna. Hiſpani autem numquam magis liberiores, fortioresq. aduerſus Arabum potentiam fuere. Germanis rurſus parere cœpit Hungharicum, Danicum, Polonicumq. regnum cum pluimis aliis, de quibus adductis ſcriptorum teſtimoniis agimus allato capite de Ruinis gentium. En ſtante eccleſiaſtica poteſtate ſtant maxime ſæcularia regna. En verum ius ſtatus, quod reſpiciant, & ſequãtur Principes ſæculares & in primis Itali noſtri.

Tibi igitur ſanctiſsime Gregori laus æterna debetur, quod vindicata in libertatem poteſtate eccleſiaſtica ſimul etiam reſurgere cœperint, ac refloreſcere Chriſtianorum regna, bonaque omnium Principum ſæcularium, qui Chriſtum ſequebantur, vt ſicut imperante Conſtantino, imperante Theodoſio, imperante Carolo tribus Imperatoribus cognomẽto Magnis maxime vna cum poteſtate eccleſiaſtica eminuerunt Imperia Chriſtianorum, ſic ad aliquam priſtini ſplendoris antiquitatẽ, maieſtatemque Chriſtianorum res aſpirarent, ni portæ inferorum, dæmoneſque obſiſterent. tibi debẽt in primis, ſucceſſorumque tuorum conſilijs, & hortatibus, quidquid magnificentioris habent Veneti, Genuenſes, Mediolanenſes, Bononienſes, Florentini, Senenſes, Neapolitani. Salue optime Pontifex ſacroſanctæ poteſtatis aſſertor, ſalue Italicæ dignitatis inſtaurator. tibi laus, tibi gloria ſempiterna. donec in apertũ ſe proferat Rex Regum Chriſtus. & illud contingat; *Adueniat regnũ tuum*, quod precari quotidie nobis eſt mandatum reſpicientibus Deum, Chriſtumq; amorem noſtrum, pro quo pugnamus, & labores hoſce, quæ ſumma eſt ipſius benignitas, ſuſcipimus. Tunc vera nos dixiſſe cunctis, ſiue libentibus, & gaudentibus, ſiue inuitis, & damnatis ad omne ſupplicium, confitentibus apparebit, tunc ſperamus vna cum bonis omnibus, Chriſtique amantibus æterna beatitudine inter cælites frui, ac regno à nobis exoptato, quando omnia ſunt in terris fluxa, caduca, ac nihil boni, niſi quatenus Deum, Chriſtumque nobis referunt continentia, potiri. exſuſcita Pontifex optime in pectoribus ſacris Deo, Chriſtoque amore noſtro elargiente ſpiritus,

ahni-

ah nimium languentes, ah nimium frigore aſtrictos, ah pœne intermortuos, diſcute tenebras ex oculis Principum Chriſtianorum, diſcute caliginem profundam è cordibus quorundam, dicamne Theologorum, Iuriſconſultorum, & conſiliariorum, vel potius vna cum Gregorio Magno, eorũ, qui deſtruunt Imperia, inferorum portas aperiunt? Num videbimus aliquando tempora feliciſsima, quibus dicere de eccleſiaſticis, ac ſæcularibus cum tota Eccleſia poſsimus? *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.* Viuente Gregorio Septimo, quid euenerit in Polonia, verbis his narrat Cromerius libro quarto. *Emerat forte Staniſlaus pagum Petrauinum in tractu Lubrinenſi à Petrico quodam equite. Atque is Petricus accepto precio iam obierat: nec ſatis tamen Staniſlaus propter perpetuum bellum, & iuſtitium, actorum publicorum monumentis de iure ſuo ſibi, Eccleſiæque ſuæ cui pagũ illũ adiungebat, cauerat. Eius rei Boleſlaus ab aſſentatoribus ſubornatus, Petrici agnatos ſubornat, qui de interuerſa hæreditate ſua legitima Staniſlaum in ius vocent: auxilium ſuum ipſis pollicetur. Illi tum auctoritate Regis, tum inſperati compendij ſpe adducti iuſſa faciunt. Forte tunc iudicia, quæ noſtri vulgo colloquia, & generales terminos vocant, in pratis inter Soleciam, & illud ipſum Petrauinum in papilionibus, vt moris erat antiquitus, à Rege exercebãtur. Comparet* Staniſlaus *citatus, emiſſe ſe pagũ, & ſoluiſſe pretium affirmat: teſtes eius rei nonnullos citat. Qui cum à Rege deterriti, teſtimonij dictionem ſubterfugerent, ibi* Stanislaus *non tam pagi retinendi, quàm criminis depellendi cauſa anxius tandẽ facinus aggreditur, humanas vires, atque cogitationes, fidemque excedens. Tridui dilatione à Rege impetrata Petrauicum contendit: ibi peracto cum ſacerdotibus, & alijs pijs hominibus, quos in comitatu habebat ieiunio, Deique ope peruigili oratione, & perpetuis lachrimis implorata, detectũ* Petrici *putre cadauer, pedo, quo vtuntur Epiſcopi, tangit: magnaque fiducia exurgere* Petricum *à mortuis in nomine Dei Patris, & Filij, &* Spiritus *ſancti iubet. Nec mora, extulit ille ſeſe, quaſi è ſomno expergefactus, & à Staniſlao per manum deductus, ad tribunal Regium ſiſtit. Rei miraculo Rege, & omnibus qui aderant obſtupefactis, Petricus vendidiſſe ſe pagum, & pretium omne accepiſſe fatetur. Regem, ac*

deinde

deinde propinquos, quod iniuſte innocenti, & ſancto Epiſcopo negotium faceſſant, liberè obiurgat. Ita ingratis, & inuito Rege vincit cauſam Staniſlaus. A tribunali diſcedens, optionem dat Petrico, reuerti ne ad ſepulchrum, an diutius vita hac frui malit. Aeternam ille, cæleſtemque malle, à qua non longius abeſſet, ſi exiguum id quicquid eſſet reliquum ſupplicij, quo anteactæ vitæ ſuæ maculas eluere adhuc deberet, ipſo petente ſibi remitteretur. His dictis, & annuente poſtulatis eius Epiſcopo, ſepulchrum ſubiens, animam iterum exhalauit. Non deterruit ea res Boleſlaum Regem à contaminatis moribus, & libidinibus, quin is iterum, atque iterum monitus, & acrius obiurgatus ab eodem Staniſlao, adhibitis & ſecundum præceptum Chriſti grauibus aliquot viris, furere, cædemque minari ipſi cœpit. Nec ſegnius Staniſlaus, vbi non reſipiſcere Regem animaduertit, graui anathemate eum percellit: vetat ſacra fieri tota vrbe, quo ille deteſtatione, & conuitio populi, qui ſacris arcebatur, ad ſaniorem mentem reuocaretur. Ipſe ad diui Michaelis ædem in rupe prærupta ſupra Viſtulam è conſpectu arcis ſitam, ad faciẽdam rem diuinam clam cum paucis ſacerdotibus commeabat. Quod vbi Boleſlaus à ſuis certior factus, cognouit, quadam die correptis armis amens cum compluribus aſſeclis, & ſatellitibus eò contendit. Præmittit, qui Staniſlaum ſacris operantẽ ad deſtinatã necem ab ipſis altaribus abſtrahant. Qui introgreſſi erant ſubito, & inſolito fulgore perculſi, ſupini cadunt: inde manibus, pedibusq; reptãtes ſeſe proripiunt. ſubmittit rex alios iterũ, atque iterum, idem & ijs, quod primis, accidit. Ille moræ impatiens, & furore percitus, increpita ſatellitum ignauia, & formidine, ipſe ſtricto enſe in templum irrumpit, lethalique ictu ſacroſancti Epiſcopi verticem ferit, ita vt cadens cerebro parietem proximũ aſpergeret. Ibi ſatellites cohortati ſeſe mutuo, corpus humi procumbens templo extractum, minutatim concidunt, moremgerentes furori regio, & in ſubiectis pratis, canibus, & volucribus laniandum deijciunt. Dies quo hæc patrata ſunt, fuit octauus Maij anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo nono, cum Staniſlaus vix trienniũ Epiſcopus fuiſſet. Rege cum ſceleratis ſatellitibus poſt perpetratum parricidiũ abeunte, quatuor aquilæ inuſitatæ magnitudinis apparuiſſe feruntur, circum eum locum volitãtes, corpusq; ſanctum à laniatu canum, & rapacium auium defendentes toto biduo, donec moti ea re pij quidam ſacerdotes, reſumptis animis, membra diſiecta collegerunt, & ſuo ordine compoſuerunt, quæ è veſtigio mirandum in modum coaluiſſe dicuntur. Ita corpus integrum pro foribus ædis illius,

ſtius, vbi martyr Dei caſus eſt, & vrna venerabundi condiderũt: quod decimo poſt anno in arcem Cracouienſem illæſum, in medio baſilicæ reconditum eſt. Quin & lucernæ permultæ in aere ſupra eum locum, vbi diſiectum erat corpus Staniſlai, nocte proxima, quæ eadem conſecuta eſt, ardere à nonnullis viſæ eſſe memorantur. Ita etiam pijs quibuſdam hominibus diuinitus reuelatum eſt, regnum Polonum inſequenti tempore in multas partes diſcerptũ iri, quemadmodum corpus Staniſlai ſectum fuiſſet: itaque per multum tempus manſurum. Hæc vbi Romæ nunciatæ ſunt, Pontifex maximus Gregorius eius nominis Septimus atrocitate rei commotus, toti Poloniæ ſacris interdixit, Boleſlaum diris deuouit, regnumque ipſi ſolemni ritu abrogauit. Hæc Cromerius. Sic itaq; Staniſlaus ob Eccleſiæ temporalia bona, aut libertatem eſt interfectus.

Eodem Gregorio ſedente, occiſus eſt à populis Daniæ Rex Chanutus, ob eã cauſam, quod decimas ab ijs ſolui vellet, ij pernegarent. Sic autem de illo Saxo Daniæ lib. 11. *Benedictus quoque fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori deſtinauerat. Ericus ſeorſum ab hoſte concluſus, cum ſolus multitudinem ſuſtinere nequiret, per medios hoſtiũ globos ferro ſeceſſum molitus erupit. Tunc nemine religioſæ pacis domiciliũ violenter irrumpere præſumente, primus Blacco cunctantibus cæteris ferro valuas petiuit, ductuque ſuo eandem cunctis licentiam tribuit. Ita ſe non ſacrilegij modo, ſed & publici parricidij ducem, auctoremque exhibuit. Quod videns plebs, concitato ſeditionis metu templũ aggreditur, eoque irruptione facta diuinos lares, ac ſanctiſsima penetralia ſacrilega tempeſtate fœdauit. Verum Blacco in ipſo, quem irruperat, aditu trucidatus, datis parricidij piaculis, violati ſacrarij pœnas pependit: mors eius interfectoris exitu vindicata eſt. Itaque alterius fato ſcelus, alterius pietas cauſam præbuit. Crediderim tunc pium cruorem parricidali permixtum ſeparatis fluxiſſe meatibus, atque ſine vlla riuulorum communione hunc ſacrum, inde ſceleſtum ſanguinem diuiduis alueis receſsiſſe. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur. Rex ipſe intra cruentos imminentis violentiæ ſtrepitus fiducia conſcientiæ eundem mentis habitum tenuit, neque religioni parcius quam ſi periculum abeſſet vacauit, ne plus ab eo timoris, quã conſtantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem eius hora ſanctitatis ſtudio vacua fuit. Nam cum parietẽ vndique à popularibus perfringi, quippe ligneus erat, ideoque propinquam ſibi necem inſtare animaduerteret, accerſito ſacerdoti fa-*

ctorum arcana confeſſus, per ſummam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas abſoluit, præmiumque ſibi pœnitentiæ ſalubritate conſciuit. Tantum enim in innocentia ſua fiducia repoſuerat, vt mortem periculo oppreſſus refugere, ſed metum vacuus appetere videretur. Quin etiam propaſſis vtrimque brachijs ante aram fati ſecurus occubuit: vbi dum victimæ more proſtratus percuſſorem expectat, immiſſæ per feneſtram lanceæ mortifico ictu confoſſus, pium morti ſacrificium edidit, profuſoque militum ſanguine ſuum ad vltimum erogauit. Enimuero crebris vndique telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo cubabat exceſſit, quā feretro mandaretur extinctus. Ex cuius ſanctiſsimis vulneribus plus gloriæ quam cruoris effluxit: quippe præſentis vitæ exitu initium melius accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus. At populus perempto Rege exultans, quod ſcelus deflere debuerat, inſultatione proſequi voluptatis loco reputabat. Qui cū parricidio pietatis cauſam prætexeret, idque tyrannicidij nomine coloraret, militem ſuū; Deus mercede fraudari non paſſus, arcanam ſanctiſsimi viri innocentiam manifeſtis publicauit indicijs, eximioque vitæ eius ſplendori, etiam clara mortis ornamenta conceſsit. Sane ad coarguendam parricidarum malitiam puniti merita miraculoſis perdidit argumentis, ignotamque vulgo virtutem mirifico eorum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione perculſa virtutis inuidiam egit, conſpicuamque ſignorum experientiam diu ne quidquam infuſcare tentauit. Veteris namque inuidiæ fremitu, ac priſtinis odij viribus pertinacius excandeſcens adduci non poterat, vt diuinis honoribus coleret, quem ob ſcelus à ſe interfectum putaret, rem cælitus declaratam humanis argumentis abnegare conando. Quamquam enim damnatos à ſe mores cæleſti iudicio comprobatos videret, ad diſsimulandam tamen, occultandamque miraculorum fidem, iuſtam cædis cauſam fingebat, firmamque facti tuitionem retinens, ſententiæ ſuæ perſeuerantiſsima perpugnatrix exiſtere non erubuit: nec vita Regem ſpoliaſſe contenta, etiam fati laudibus exuere conabatur, cuius lucem extinxerat, famam quoque ſepelire conniſa. Sed humanis tenebris diuinus ſplendor inuolui non poterat; quippe miraculorum inter dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam ſanctitatis eius medela varias imbecillitatum affectiones remediorum ſalubritate proſecuta eſt. Cumque obtrectantium liuor crebreſcentibus ſignis virtuti cedere cogeretur, nec fidem vlterius fruſtrari quiuiſſet, in facti tamen defenſione perſiſtens, ſanctitati quidem aſſenſit, ſed eam non

tam

tam ex præteritæ vitæ meritis, quam vltimi temporis pœnitentia profectam aſtruxit. Ita & iuſtam facto cauſam prætexuit, & vita caſſum honore donauit. Si quidē digne Regem periſſe, ſed pium lachrymis euaſiſſe dicebat, intentionem eius auaritiæ quam religioni propriorem exiſtimans. Cuius erroris non paruas poſtmodum pœnas pependit. Sed & poſteri paternam redolentes inuidiam, ſanctitatis eius formam non moribus, ſed lachrymis imputant, præſentique incredulitate præterito ſeſe errori implicant. Neque adduci poſſunt vt ipſius beatitudinem depoſito odio ſincere æſtiment, cuius tam vita, quàm miraculorum virtutem priuatim Othonienſibus venerandam publica earum religio conſecrauit. ſed & caleſtem eius ſpiritum ad hoc vſque tempus felix ſignorum fortuna proſequitur.

Illud autem mirum videbitur, quod dicturi ſumus. Caruit Polonia titulo, ac decore regio, vſque ad Ioannem XXII. qui cum Bauaro pugnauit pro eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate: a Ioanne XXII. reſtitutus eſt illi anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo, tantus honos Apoſtolica auctoritate, quod idem Cromerius libro vndecimo tradit. Vt quemadmodum Polonicum regnum maxime elanguit, conciſumque eſt ob ſacrilegium, crimenque admiſſum; ſic viciſsim maxime caput extulit, ex quo eccleſiaſticæ poteſtati detulit, vt iam nullum regnū ſit in toto Septentrione, ſiue Europæo, ſiue Aſiatico, & Indico, quod eius amplitudinem, felicitatem, dignitatemque poſsit æquare.

Vt vero ad hiſtoriā redeamus, innumeri ſunt occiſi in acie, dum Gregorius bella geſsit pro eccleſiaſtica poteſtate tuenda aduerſus Henricum, ſucceſſoreſque illius aduerſus huius item ſucceſſores; donec eſt ventum ad Alexādrum III. qui pugnauit aduerſus Federicum Ænedbarbum, Victoremq. Antipapam; multique oppetierunt pro eccleſiaſtica poteſtate tutanda. quid vero acciderit Alexandro III. viuente S. Thomæ Archiepiſcopo Cantaurienſi, quem conſtat ob eccleſiaſticam poteſtatem fuiſſe occiſum; ita Polydorus lib. 13. in Henrico II.

Hæc & alia eiuſmodi ita Regem Henricum mouerunt, vt ira vehementer accenſus aliquando exclamarit, me miſerum, non poſſum in meo regno pacem cum vno Sacerdote habere? nec quiſquam meorum omnium eſt, qui me hac moleſtia liberare velit? Ex huiuſmodi vocibus fuerunt improbi nonnulli, quibus viſa eſt voluntas Regis occulta eſſe, vt Thomas è medio tolleretur. Hæc ille

adiicit deinde occiſum Sanctum, percuſſoresq; oẽs intra trien niũ male periiſſe, illũ plurimis diuinitus miraculis illuſtratũ.

Poſt hæc euenerunt bella pro eccleſiaſtica libertate, ac poteſtate defendenda aduerſus Fridericum Secundum, quo tempore inſtitutum fuit in Concilio Lugdunenſi, vt Cardinales vterentur galero coccineo, quin videmus ipſos vti veſtibus coccineis exemplo ſummi Sacerdotis, qui cocco bis tincto amiciebatur, ſicuti Epiſcopos ornatos contemplamur hyacinthina veſte, exemplo eodem ſummi Pontificis Hebræorum. Purpuræ color eſt nobis vterque, ſed ille flammans, & igneus; hic fuſcus, quem Cicero prope plebeium vocat; cæruleum volunt eſſe aliqui, qui mari conuenit, quod purpuraſcere aiunt, ac purpureum nonnulli Latinorum vocant. Vt ſcilicet Cardinales, Epiſcopique admoneantur officij ſui, quod ex omni parte ad ipſos ſpectat, exigiturq; è iuſtitiæ legibus, ipſos vndique inſtar veſtium circundãs, vt ad omnia parati ſint vitam ponere potius, quam quidquam diminuere ex eccleſiaſtica poteſtate, libertate, ac iuribus eius, rationẽ reddituri ante ipſum Dei, Chriſtique tremendum tribunal cingendi, & vrendi flammis æternis igniũ inferorum, qui ſecus egiſſe deprehendantur. Atque huc ſit ſatis perduxiſſe hoc caput.

Fuere & alij Martyres, ſine dubio, qui pro eccleſiaſtica poteſtate tutanda vitam poſuerunt, nobis quidem ſatis erit hos enumeraſſe. Martyres autem dicti ſunt, atque habiti, non qui armis, manibusque ſuis ferrum tractantes pugnando occubuerunt; verum qui aſſerentes eam, vel promouentes, cum ſe nullorum ſanguine contaminarunt, occiſi ſunt; quos etiam Deus maximis miraculis eſt dignatus inter mortales inſignire.

Quæ cuncta reſpiciens Sanctus Thomas ita concludebat ſecũda ſecundæ quæſtione quadrageſima tertia articulo vltimo. *Reſpondeo dicendum, quod circa temporalia bona diſtinguendum eſt. Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro alijs commiſſa: ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcumque Reipublicæ rectoribus. & talium conſeruatio, ſicut & depoſitorum imminet ijs, quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate ſalutis. Temporalia vero bona, quorum nos ſumus domini, dimittere ea, tribuendo ſi penes nos ea babeamus, vel non repetendo, ſi apud alios ſint propter ſcandalum: quandoque quidem debemus, quandoque autem non. ſi enim*

ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod ſupra diximus eſſe ſcandalum puſillorum, tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem. Vnde Auguſtinus dicit in libro de ſermone Domini in monte, dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum ab homine credi poteſt. & cum negaueris, quod petit, indicanda eſt ei iuſtitia: & melius ei aliquid dabis, cum petentem iniuſte correxeris. Aliquando vero ſcandalum naſcitur ex malitia: quod eſt ſcandalum Phariſæorum. Et propter eos, qui ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi: daretur enim malis rapiendi occaſio, & noceret ipſis rapientibus, qui retipendo aliena in peccato remanerent. Vnde Gregorius dicit in moralibus: quidam dum temporalia à nobis rapiunt, ſolummodo ſunt tolerandi: quidam vero æquitate ſeruata prohibendi: non ſola cura, ne noſtra ſubtrahantur; ſed ne rapientes non ſua ſemetipſos perdant. Et per hoc patet ſolutio ad primum. Hæc Sanctus conſona his, quæ ſupra ſunt à nobis diſputata. Nos autem, cum poſſemus innumeros afferre, qui ſunt interfecti, ea de cauſa, quod aduerſus Principes rerum ſæcularium libere exercuerunt eccleſiaſticam poteſtatem, qua volebant illos exemplo Sancti Stanislai à ſceleribus, vel ſacrilegiis aliis abſterrere, tum ad hoc, tum vero ad reliquos omnes ſuperos conuerſi ſic opus ad gloriam ſummi Dei, Chriſtique amoris noſtri, creata quæque adminiſtrantis concludemus.

Te in primis Chriſte amantiſsime, & amatiſsime ſimul, te Chriſte, qui ardentiſsimo, & arctiſsimo amore Eccleſiam tibi coniunxiſti ſponſam pulcherrimam, quæ maculam non habet, rugamue, vllam in decretis ſuis ad æternam veritatem ſpectantibus; quam nos iuſsiſti tecum quaſi admirante admirari, ac dicere: *quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Reſpice de cælo, & vide,* vt ſint, qui perfringere, & diſsipare contendunt acies ipſius ordinatas à te ſummo duce conſtitutas, ordines illos diuinos in ſeruitutem redigere conantur, ac perrumpere, & conuellere *caſtra Dei*, caſtra Dei, quæ Iacob admirabatur. *Vide Domine, & conſidera,* clamat ad te Hieruſalem ſancta in terris degens, & plorans *die, & nocte, & lachryma eius in maxillis eius, neque eſt, qui conſoletur eam, ex omnibus amicis eius. Vide Domine, & conſidera, quoniam facta*

ſum

ſum vilis. Vide *ſacerdotes eius gementes.* Te Chriſte optime, ſapientiſsime, potentiſsime omnium rerum, ſiue æternarum, ſiue temporalium ſummum Regem, Regum Regem, cui ſeruiant omnino creata omnia, prædicamus, ita vt qui te amantem fugiat, apprehendatur ab irato, qui ſponſum nolit, patremque, ac Regem, ſentiat hoſtem. Tu iuſsiſti, vt diceremus: *Adueniat regnum tuum*, regnum ſingulis aperiendum, multis occultum, filiis tuis patens illuſtre inſitum: Regnum, cuius nunc quidem variationes multæ apparent, ita vt multi è deteriori ſtatione in meliorem feliciter euehantur, multi è meliori in deteriorem, dum tuos ordines nolunt, violantque, deiiciantur. *Illuminarę Domine his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

Vos vero innocentes, qui pro Chriſti regno, & poteſtate primi omnium vitam fudiſtis, illudque non loquendo, ſed moriendo aſſeruiſtis, ac ſanguine non voce prædicaſtis, quorum capitibus antea regni cæleſtis coronæ, qua tegmina humana impoſita fuerunt, ac plantæ cælum prius, quam terras attigere, nunc non amplius imbelles, non amplius infantes!, aſsiduis Chriſtum precibus, vt Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Præſulibusq. opem ferat, adducite, Iſraele auo veſtro fortiores, Ioſue duce valentiores.

Te Babyla, te Chryſoſtome, vos optimi Pontifices, Liberi, Felix, Damaſe, Symmache, Leo, Alexander, Gregori, cęterique omnes: Vos Stanislae, Thoma, integerrimi Epiſcopi: Te Canute optime, & quicumque pro tuendis Chriſti ordinibus, ac rebus illi quoquo modo in terra ſeruientibus alacres certamina ſubire haud veriti eſtis, accurrite è cælo, intuemini turbatas acies. Hem ſi qui duces terga hoſtibus fœdiſsime dant, ſi qui ſuis ſtationibus abeunt, ſi qui titubant, ac trepidant. ah ne ſint vlli proditores, ac transfugæ, qui ſpineam Chriſto coronam, Chriſtiſque ipſius imponant, ne ſint, qui arundineo ſceptro inſigniant, inani illis nomine poteſtatis illudentes. Sed quicumque huiuſmodi ſunt, vos ò potentiſsimi Cælites reuocate ad ordines, firmate acies, attollatur ſolum Chriſti vexillum, reſpiciamus illud, illud vnum noſtris oculis obuerſetur, figuram Chriſti, effigiem Chriſti, characterem Chriſti ſacerdotis ſummi, ſummique omnium Regis contemplemur, ita pugnemus aduerſus hoſtes huius. *Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum, & qui cum*

Apoc. c. 16.22.5.

illo

illo ſunt vocati, & electi, & fideles, ipſe eſt radix, & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina: ecce vicit leo de tribu Iuda, ſpiritus, & ſponſa dicunt veni. & qui audit, dicat veni, & qui ſitit, veniat. cantemus Domino canticum nouum, dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Finis Libri Sexti, & Ultimi.

INDEX

A

Abimelech uetat quicquam violentiæ afferri Iſaach. 556
Abraham pugnat cum quatuor Regibus. 555. aufertur Sarai. ibid. Colitur ab Amorrhæis. ibid.
Achilles iraſcitur ob puellam reſtitutam, abſtinet à bello, dimicat. 522. 23
Actus humani qui ex deliberatione procedũt nõ dantur indifferentes in indiuiduo, ſed in ſpecie. 3. Ordinem rectum naturæ ſequuntur. 18. Habent annexas ſeptem circumſtantias, quibus niſi ſint omnes recta deprauantur. 150. Horum regula eſt ratio humana, & lex æterna. 506
Adæ peccatum cauſa materialis incarnationis epiſt. Aldob. 3.
Adam fuit ſupernaturalis director hominum. 8. Dominus omnium rerum. 16. 207. Quando Chriſto ſe ſubiecit. 41. 50. 77. Reuelatum fuit myſterium incarnationis, & Eccleſiæ. 41. Vbi receſſit à ſupernaturali ordinatione excidit ab ampliſsimi dominij iure. 42. 77. 534. In ſtatu innocentiæ fuit ſummus Sacerdos 42. 511. Expulſus è Paradiſo inſtituit cruenta ſacrificia. 43. Propheta fuit, & nouit Patrem Deum, Filiũ, & Spiritum ſanctum. 44
Ab eius obitu ad diluuium annis. 723. Regnarunt Seth, eiuſq; liberi vſq; ad Lamech. 44. Prius Sacerdos quam Rex, vel parens fuit. 534. Caſtus quamdiu fuit in Paradiſo. 520
Adalbertus Epiſcopus Pragenſis Bohemiam, vnde ante pulſus fuerat rediẽs Geyſan Hũgarorum Regem Stefanũq; Chriſto adiungit. 230
Adhelheida vxor Henrici III. plurima mala patitur, à Matilda perducitur ad Vrbanũ pag. 660
Agere poſſe, aut agere præter ordinem Dei impotentia eſt. 49
Agens ordinis inferioris per ſuperiorẽ naturam conſequitur finem ſuum. 89
Aegyptiorum Sacerdotes quales. 528. Rex Sacerdos, & Sacerdotum legibus parens. pag. 530. 31
Aegypti ſtatus antiquus, & præſens. 369
Aequitas naturalis obligat in conſcientia. 467. Gentiles ipſi in vniuerſum obſeruari volebant, quæ ea comprobãtur. ibidem. Maius eſt habere eã,

quàm conſequẽs eſſe ei. ibidẽ.
Aethiopum Sacerdotes potẽtes: pag. 531
Agri Clericorũ, quomodo ſint ſubiecti tributis. 464.471
Abicam propugnator Eccleſiaſticæ poteſtatis. 564
Aiſtulphus Rex longobardorum catholicus. 643. Conatur capere oppida pontificiæ ditionis. 644. Decedit equo effuſus, vel apro perculſus. ibid.
Alaricus Gothorũ Rex Arrianus ſecuritatem indulſit confugientibus ad Eccleſias. 454 Quidquid fuerat ex eiſdem ablatũ in eaſdẽ retulit. ibid.
Athalaricus pænam conſtituit intrahentes ad ſæcularia tribunalia miniſtros Eccleſiæ, licet laicos. 455. Occiſus. 636
Alboinus Rex longob. ab vxore veneno necatus. 644
Aldaualdus Rex long. catholicus. 643. Regno expulſus. pag. 644
Aldegiſus Rex long. catholicus. pag. 643
Interfectus. 644
Alexãder Imperator reſcripſit pro Chriſtianis, qui locum publicum Deo dicandum occupauerunt. 453
Alexander Magnus doctus, viſione Dei apparentis ſibi in forma Sacerdotis ſummi Iudæorũ adorauit: concedit principi Sacerdotum quiquid petit. 463. 568. 569. Eius regnum. 585
Alexander Mammeæ Chriſto templum facere voluit, eumq; inter Deos recipere. 593. Aſiaticus Syrus. 628
Alexander II. creatus abſque vlla authoritate Henrici Germaniæ Regis. 682. Floruit miraculis. ibidem
Alexander III. pugnat aduerſus Aenobarbam, & Victorẽ antipapam. 689
Alexius, ab Alexio nepote interfectus, hic ab Alexio Duca Murzulfo, hic à noſtris. pag. 648
Alieni non ſunt domeſtici, & intimi. 348
Aloyſius Muſtus, vſq; ad equinoctialem circulum maritimas Africæ plagas detexit. pag. 247
Amalasuinta eſt obtruncata. pag. 636
Ambiguitas omnium rerum ſæcularium iure diuino ad Sacerdotes deferenda. 280
S. Ambroſius vetat ingreſſum templi Theodoſio Imperatori. 422. Expenditur dictum illius ep. 32. 463
Ananiæ, & Zaphiræ mors illata propter retentam pecuniam domino ablatam. 341.42
Anaſtaſius in monaſterium detruſus. 640
Anaſtaſius fulmine ictus periyt. 639
Andronicus Comnenus maxime impius ab Iſaac Anglo interfectus. 648. Filiy execrati poſt

ti poſt occiſi. ibidem
Andronicus Paleologus, ab obedičtia ſummi Pontificis, quo tempore recedit. 235
Andronicus Paleologi filius impius ab Andronico nepote imperio priuatur, hic poſt longũ letargum deceſſit. 648. Ille non longe abfuit à dæmonum ſocietate. 649
Angeli arcent dæmones ne quid quod volunt ad exitum perducant. Ep. Ald. 6. (permittunt quandoq; & quare. 39 habent regium dominatum in cunctas rerum ſenſibiliũ ſpecies, homines, Regna, nationes. Ep. Aldob. 3. 6. 39. ſe ſe Chriſto homini futuro ſub iecerunt. 1. 39. loca propria cœli, quæ tẽpla vocãtur. ibid. participant Sacerdotium noſtrũ. 40. Ordines nouem, & qui. 161. ab Apoſtolis ſe honorari non patiũtur. 197.) ſunt partes Eccleſiæ. 18. 39. 77. quæ operentur. in nobis per Chriſtũ. 79. 80. vide notabilia. 10
Angelis non eſt poteſtas conficiendi ſacramenta. 210
Angelos ante rerum vniuerſitatem eſſe creatos quomodo debet intelligi. 264
Angeli tãtis ſunt viribus, vt ad nutum corpora moueant. 304
Angeli ſunt pars Eccleſiæ noſtræ iiſque ſunt ſua templa & poteſtates & res. 514. Prius Sacerdotes, quàm Reges. 534
Angeli tertiæ hierarchiæ adminiſtrant hæc inferiora. 515
Angeli noxios non interficiunt, ſed virgis cedunt. 574. In Angelis apoſtatis fuit per ſimilitudinem luxuriæ peccatum. 419. Fueruut homicidæ. 520. Exturbati ſunt ad inferiora loca, quia ſe abiunxerunt à ſupernaturali directione & poteſtate. 515. 619
Angli Britanniã occupant. 227
Anglia Chriſti cultu, quam felicitata. 128. In Anglia extincta nobilitatis inſignia. pag. 229
Animalia participant diuinam bonitatem. 509. Quatuor Euangeliſtis aſſignata & eorum myſteria. 180
Animus in corpus imperium herile habet. 313. Omnia externa illi ſubordinata. 317. Per accidens quandoque corpori ſeruit. 358. Eo male ordinatus, quod deſtitutus ſupernaturali ordinatione. 5. Magis vult Deũ quàm ſe ipſum. 27 eſſentiã ſolus Deus peruadit. 79. 81. Creatur ob Chriſti, & Eccleſiæ merita, & gloriã pag. 32
Antichriſtus apoſtaſis appellatur. 623. Magicis artibus addictus erit. 624. Filius perditionis dicitur. 625
Antiochus cõſtituit ſumptus ad ea, quæ in ſacrificijs Iudæis opus erant: quos immunes à tributis fecit & decernit, vt in templum non intrent, niſi

quibus per legem patriam licebat. 572.73
Antiochus Epiphanes oppreſſor Iudæorum. 575
S. Antoninus eſt pro nobis. 3. par. ſum. tit. 12. cap. 3.§.4. de immunitate Eccleſia. 471
Antoninus Pius maxime religioni Chriſtianæ fauit eius tempore multi terremotibus perierunt. 592
Antoninus Philoſophus reſcripſit pro Chriſtianis quorum precibus aqua de Cœlo pluit, & contra hoſtes grando, &c. pag. 593
Apoſtoli caput Eccleſiæ Chriſti legati Epiſcopi, Prophetæ. 81 Lux mundi Panis viuus, ſal terræ, duodecim panibus præfigurati. 178. Magis proprie Principes, & Regibus potentiores. 185. vide diſcipuli.
Appellatio ad Pontificem diuini iuris eſt. 68.243
Appellatur ad Eccl. à ſæculari curia de facto, & de iure. 66
Ad aras confugientes non potuerunt inde auelli. 535. Hoc iure omnes gentes, vtebantur. ibidem
Arabū Sacerdotes poteſtate pollebant. 528
Aragoniæ in Regno agnationes regiæ plures defecerunt. 674 Viget conſuetudo, vt Eccleſiaſtici acta iudicij ad ſæculares iudices tranſmittant. 674
Arcam laici, niſi ſanctificati nō potuere inſpicere. 324.390
propter hanc viſam Azotij & Bethſamitæ percuſſi; tactam Oza occiſus. 335
Ariolis & idolatris aſſimilātur cum prælatis pugnātes & acquieſcere nolentes. 619
Aripertus Rex longobardorū catholicus. 643. Reſtituit Alpium cottiarum patrimonia. 644. In flumine ſubmerſus. ibidem
Ariſtobolus contendit cum Hircano: adiuuatur à Parthis. pag. 575
Ariſtoteles beſtias vocat eos, qui ſua non ordinant iuxta ordinem diuinum 3. vult eſſe Heroas qui ex hominibus efficiūtur Dij, & alia notabilia ibi. decernit beatitudinem humanam conſiſtere in actione immanenente in nobis. 4. ſcribit orbatos natura non educari: probat exponi partus & conceptum impediri. 191
Ariſtoteles cognouit aſſecutionē veritatis in futuris contingētibus, & agendis ambiguis ab ipſo ſolo Deo nobis expetēdā: horum multi dicebāt cauſam eſſe fortunam, hanc tamen & caſum cum ſint cauſæ per accidēs ad cauſas per ſe reduci, vnde dicit omnia pendere ab vno principio. Vult fœliciſſimæ Reip. præeſſe virtutibus ec cellētiſſimos, & in Dei contem platione defixos liberos ab omni onore, ab his oracula diuinitatis expeti, & his

maxima queq; in ciuitate tradi: hunc ſolum modum ſciẽdæ voluntatis Dei approbauit: agnouit etiam aliquos viros, aliquo modo ſupra humanã naturam poſitos, hos eſſe virtutibus ornatos & contemplacores Dei. Deum maxima his et per hos hominibus bona elargiri, reicit omnem dæmonum ſocietatem & ſuggeſtiones eorum: concedit diuinitatẽ ſomniorum ſapientibus contingẽtem, & ectaſim. Vult etiã bona externa & corporis à Deo ſolo expectari & precibus efflagitari: diuinis addictos eſſe in Rep. vt architectos: ac vnũ præeſſe toti Reip. item heroas lib. 6. cap. 8. per totum 643

Ariulfus rex long. cath. 643 Inobediens ſedi Apoſtolicæ. ibid.

Arma Apoſtolica ſpiritualia potiſſimum quibus carnalia ſeruiunt. 313

Arnulphus ſacrilegus Imp. pediculis afflictus expirauit. 652. Fit maxima ſtrages in eius exercitu Ticini. 656

Arnulfus rex Baioariæ ſacrilegus. 657

Artium aliquæ præbent formã aliæ materiam. 13

Artifex eorum quæ agit in mente ſimulacra delineat, & per ea in agẽdis dirigitur ab intellectu ſuo. 175

Artaxerſes Perſarum rex, clericos immunes vult eſſe. 339

Ad Aſyla confugientes tuti, & egreſsi inde ſecuri in vrbe cõmorabantur. 536

Aibalaricus tabe eſt conſtiptus. pag. 636

Athanaſius Treuiros in extremas Gallias à Conſtantino relegatur. 620

Auguſtini autorita lib. 1. Euãgel. q. 9. 23. diſcutitur. 357

Auguſtum quid. 552

Aurelianus Imp. remiſit appellationem Pauli Samoſateni ad eccleſiaſticos. 454. 554. Dacus vel Moeſius. 628

Auſpicium quod ab ore Sacerdotum proceſsiſſet ratum firmũque erat. 534

Autharis rex longob. veneno necatus. 644

Azo vicecomes Marcum fratrẽ occidit poteſtati Eccleſiaſticæ ſe ſubijcit. 662

B

S. Babylas Patriarcha Antiochenus Imp. Philipphũ de templo expulit primuſque pro Eccleſiaſtica poteſtate moritur. 297

S. Babylas Epiſcopus Antioc. Philippo Imp. prohibet ingreſſum templi conijcitur in vincula necatur, 416. 17. Maxima vtilitas ex facto illius & plura conſideranda. 678. 79

Balaam prædixit de Chriſto. pag. 517

Bamba rex monaſterio ſe incluſdit. 673

S. Baſilij conſt. Monaſt. 23. diſcutitur. 377
Baſilius cum ſuis in carcere fame perijt. 639
Baſilius Macedo, & eius poſteritas imperat vſque ad Theodoram. 647. 48
Balduinus II. occidentalis Imp. à Michele Paleologo vi expulſus. 258
Balduinus Galliæ Belgicæ Comes Græciæ Imperator creatur. 239
Bauarica familia ſuperſtes. 656
Beatitudo accidentalis eſt in ſingularibus creatis ſciẽdis & ordinandis, & eſt a Chriſto reuelante. 148
Beatitudo vltima hominis conſiſtit in ſupernaturali Dei viſione. 506
Beatitudines cur nouem. 167
Bella carnalia ſunt referenda ad bonum ſpirituale diuinũ. pag. 65
Bellare interdicitur clericis, q̃d eorum perſonæ non congruit 65. cum infidelibus licet. 321
Belgæ Gallis ſe adiungunt. 653
Beliſarius Neapolim, Romam capit, expellit Syluerium, & Vigilium ſubſtituit. 636
Benedictus VI. in carcere deceſſit. 682
Berengarius à Flamberto interfectus. 652
Bernardi, Thomæque Aquinatis loca afferuntur per quæ patet à ſanctis patribus Chriſtum temporalem Regem aſſeri. 147. *cum ſeq. &* 208.
Beſtiæ efferatiſsimæ diuinitus immiſſæ ad puniendos religioſos, non audent vltra expreſſam Dei voluntatem, cuſtodiunt aduerſus alios, qui violare eos poſſent, nec res eorum lædunt. 560. *Cicures naturaliter feris meliores.* 313
Boleſlaus Rex occidit Staniſlaum ſacra facientem, à quo excommunicatus fuerat. 686 *Diris eum deuouit Gregorius VII. & regnum abrogat.* 687
Bona omnia dantur hominibus vt Deo coniungantur Epiſt. Ald. 1.
Bonum qui agit impellitur ad Dei coniunctionem. 31
Bonis externis, corporis, & animi completur humana fœlicitas, & quis ordo eorum. 12
Bona externa ob corpus, corporis ob animum, animus ob Deum. 35
Bonum eſt faciendum & proſequendum & malum vitãdũ ſuper his præceptis fundãtur omnia alia præcepta legis naturæ. 503. *Et eſt comune cũ belluis & plantis, neque homini naturali, vt homo eſt.* 507 *Omnia appetunt maximeq; maximum.* 318. *Rationem boni ſortitur, quòd ordinatur in finem.* 332. *Naturale & ſupernaturale.* 383
Bona Eccleſiæ ante Conſtantinum tenuia. 581
Bona externa, ſiue fortunæ, à Deo

Deo ſolo expetenda. 515
Bona omnia interna, & externa eſſe à Sacerdotio Chriſti, in Chriſtianos & mortales ex pluribus euẽtuum ſucceſſibus demonſtratur. 226
Bona, animi corporis, & externa, quæ adfuere quàm plurimis populis ſtudio, & labore ſummorum Pontificium, & Epiſcoporum late receſentur. 224 cum ſeq.
Bona temporalia ordinãtur ad ſpiritualia. 275
Bona clericorum quæcũque, magis ſunt pauperum, quam bona temporalia late. 289
Bona multa ſtabilia bene erat clericos in primitiua Eccleſia non habere ad impiorum perſequutiones vitandas. 293
Bona Eccleſiaſtica non ſunt hæreditaria, nec poſſunt expendi, niſi in vſus natura ſua bonos. 291
Bonitas quo preſtantior, eo deprauatior, ac peior ex corruptione vſus. 24
S. Bonauenturæ locus lib. 2. diſt. 44. art. 3. q. 1. diſcutitur. pag. 361
Brachmanes, & Germane cultui diuino dediti plurimum apud Indos potuerunt. 525
Britannorum Sacerdotum immunitas. 529.30
Britãnia occupatur ab Anglis, & ab eorum nomine Anglia nuncupari cæpit. 227
Britannia tyrannorum terra ibidem.
Britanniæ Reges in virgeis caſis habitarunt. ibidem.
Britanniæ deſcriptio. 228
Britannia Pelagij hæreſi maculata. 227
Burgundi Gallis ſe adiungunt. pag. 653

C

Cadalous Epiſcopus Parmẽſis aduerſus Alexandrum II. Pontifex creatus. 682
Cadmus Aſylum conſtituit. 536
Cæſar faciebat ſe Imperatorem. & P M. 457
Cain ob Abel occiſum reiectus à principatu Sacerdotij. 43. à Lamech occiſus 45. poſteritas mechanicis externisque artibus addicta. ibid. Locus in quo habitabat Cain & Abel erat cultui diuino dedicatus. 517. Quare Caino adempta poteſtas. ibidem. Quales ipſius poſteri. 518
Caius Imper. remittit tributa Theſſalonicenſi Eccleſiæ. 596
Caius Pœnus, vel Romanus pag. 628
Calephates à Zoe adoptatus ſacrilegus in exiliũ miſſus. 647
Chaldæi aſtrorũ cognitores. 548 Sacerdotes in ſua Rep. habebant eum locum, quem Sacerdotes in Aegypto. 528
Caluinus maledicendi morem ſuum dicit eſſe genium. 621
Canis Scaliger Veronæ princeps de im-

de improuiſo decedit. 663
Cappadoces Sacerdotes. 528
Caracalla nihil in Chriſtum eſt molitus. 593
Cardinalis vtuntur galero coccineo, & veſtibus coccineis exemplo Sum.S. quid ſignificent. 690
Carnis eſt exequi imperium rationis in ſingulis quibuſque actibus. 58
Carolus V. Ludouicus frater Federicum interfecit, & nepotẽ. pag. 662
Carolus Craſſus Imperio deiectus auctoritate Eccleſiaſtica. 73. 618
Carolus Magnus, à quo habuerit Imp. & quid ſenſerit de conſtitutionibus à ſe latis circa Clericos. 431. *Eo imperante Leo Papa de multis accuſatur, is tamen omnia poteſtati Eccleſiaſtica defert.* 616. *Leo ei ignoranti occidentalis Imperij poteſtatem largitur anno 801* 641. & 650
Carolus Neapolis Siciliæq; Rex *eligitur vrbiſq; ſenator a duobus Cardinalibus coronatur.* pag. 239. *Idem Tunetenſium Regem ſibi tributarium facit iuraque regni Hieroſolymitani eſt adeptus.* ibidem. *Idem à pontifice ſummo obtinet vt Imperij vicarius eſſet in Italia.* ibidem.
Carolſtadius concionem habiturus triduo ante ad inferna abripitur. 622
Carthaginenſium Sacerdotes nobiles & potentes. 530
Caſtrutius Bauari fautor eodẽ anno decedit: filij Imperio ſpoliati. 616
Cham non debuit patefacere & inſpicere delictum patris, & qui hunc, & qui fratres imitentur. 389
Character ordinis imprimitur ſingulis Clericis, qui ſecum defert diuino iure Regiã potentiã in ea quæ Clericorũ ſunt 479. *Quid ſit.* 365. *in die Iudicij modo ſuo imprimetur rebus inanimatis, nunc imprimitur ijs qui Sacerdotio Chriſtiano ſeruiunt.* 366
Character quo Pater ſignauit humanitatẽ eſt ſapientia qua regit omnia eſt potentia qua fiũt omnia. 175. *Hunc participent clerici ibid. ab hoc eſt cibus vitæ.* 177. *Vultus dicitur.* 184. *Ab eius vnione acceptum eſt in Eccleſia Sacerdotium Regale* 195. *Hoc clericus ad officia minora inſignitur, Epiſcopus potentia paterna configuratur.* 8. 101 *Idem eſt Sacerdoti, & Epiſc.* 56. *Expellit omnia vitia: inſerit poteſtatem expellẽdi, & habend. diuerſiſſ. virtutes, & dandi alijs eandem virtutem* 184. *ab aſpectu ſolo Dæmones aufugiunt: ſe ipſo purgat, & illuminat.* 193. *In quo imprimatur.* ibidem. 322
Chanutus Danorum Rex occiſus

ſus quod decimus ſolui vellet in templo miraculis floruit: pag. 688
Charitati quomodo imperet Eccleſiaſtica poteſtas. 30
Chriſtus à Gentium Regibus veluti Deus Sacerdos, & Rex fuit adoratus. 126. 140
Chriſti iuſſu in Eccleſia non modo ſpiritualis, ſed materialis gladius eſt ad Pontificis iuſſum educendus. 298
Chriſti eadem Regia poteſtas Eccleſiæ communicata. 160
Chriſtus nō modo temporalium eſt Rex ſed Clericus quiuis in ſuis rebus. 145
Chriſtum negantes non eſſe temporaliū Regem ſunt hæretici nonnullis. 142
Chriſtus exercuit in hoc mundo regiam poteſtatem. 141. 152
Chriſtus adhibuit adhibendamque duxit à ſuis vim compulſiuam. 295
Chriſtum Apoſtolosq; nihil vnquam habuiſſe aſſerētes ſunt hæretici. 292
Chriſti anima ſimul atque eſt creata protinus eſt aſſequuta omnium rerum creatarū plenum dominium. 49. 51. 265.
Chriſtus ſimul atque eſt conceptus ſanctiſsimæ Genitricis ſuæ altiſsima dona eſt impertitus. 268
Chriſtianus quidquid operatur vt Eccleſiæ membrum. 54. Qulibet participat Regiam poteſtatem 62. Ideo illi imperatur vt liberis ibid. epiſtola ſcripta appellatur a S. Paulo. 186
Chriſtus vt homo poteſt immutare q̄libet creata omnibus ijs modis & potētioribus quibus cuncta creaturæ ſimul poſſent vel viribus naturæ vel gratia Diuina Epiſ. Ald. 4. omnibus præſcribit, atq; imperat quid agendum ſit ibid. 5. 148. cuncta tēporalia directiſsime iure naturali, ac Diuino ſubiecta 18. ob merita illius & Eccleſiæ elargitur Deus humanæ naturæ quicquid boni habet. 34. per fidem in illum ſtant cuncta ibid. fides hec in Eccleſia Sācta eſt 35. mediatur eſt per quem cuncta perficiūtur ac modo ſuo diuinitati coniūguntur patriq; & ſibi, & Eccleſiæ ſubijciuntur 39. & Angeli ſe ſe ſubiecerunt. ibidem eſt vniuerſale principiū gratiarum. 41. 77. Et omnium quorūcumque bonorum ibid. & ſeq. deſcendens ad inferos exprobrauit dānatis incredulitatem. 46. Creare, & ad nihilum redigere non poteſt. 49 Quomodo intelligatur Regnum meum non eſt de hoc mundo. 50. Per ipſum omnia petimus a Deo Patre: illi non obedit, qui Eccleſiæ non obedit, ibid. mouet intellectus humanos ad opera bona. 15. vnctus fuit tanquam Rex, vt nos Reges efficeret. 57. Ab eo

iuſtum dominiũ, iuſtus vſus illius. 77. Eius proprius influxus eſt etiã remouere Dæmonas. 79. Eſt princeps, & Rex Angelorũ, caput omnium hominum. 80. Quicquid in terris efficit per Eccleſiam. 80. Cur Sacerdos in æternum. 81 Non habet regalia culpa & vitio hominum. 104. In lapide Iacob prefiguratus. 164 Item in cornu olei. 166. Recapitulat cuncta in Eccleſiã & per Eccleſiam in ſe, & per ſe in Deum & Patrem, 181 In eo diſtinguũtur Sacerdotalia, & regalia. 139. Cultus fuit à Magis. 140. Directe ordinat cuncta agenda quæ per naturales cauſas etc. ibid. Directe ordinat vt inſtrumẽtum diuinitatis quodcumque ſupernaturale ibid. Efficaciſſime & directiſſime ſupra omnes potens, ac volens ordinat omnia iuſta. 141. Iure eſt agnoſcendus, & colendus directe à cunctis gentibus vt Rex Regum ſummus. &c. ibid. Eſt in omnibus omnia ibid. Dominus viuorum & mortuorũ; ei omnia ſeruiunt: in eo Deus oſtendit ſuam poteſtatem; ac trahit omnia ad ſe. 147. Vbique Rex eſt, regit mores, diſcernit merita, diſtribuit premia ibid. Cuncti temporalium Reges eius vices gerunt, ab ipſo, ſ. conſtituti ſunt. 149. Dominus directus temporalium, quia ea directe ordinat in Deum. ibid. Significatus per ignem qui in ſacrificia è Cœlo dilababatur, 142. 515. A cunctis gentibus licet ignorantibus Rex omnium creditus. 517.

Clericus quilibet Rex appellatur. 8. 193. 294. Hoc ipſo eſt altiori ſtatu quam Laicus. 37. 194. Subdiaconus fieri volens habeat quantum conuenit dignitati ſuæ. 193. In quibus caſibus non debet arma capere. 155. Non poteſt ſe ſubijcere poteſtati ſeculari. 199. Et ſi ſe ſubijcit poteſt per Eccleſiaſticum Iudicem pœna extraordinaria puniri 100. Citatus coram Iudice ſeculari non comparens ſi bãnitur bannum non tenet. 199

Clerici nec ab ipſo P. S. Principi Laico ſubijci poſſunt. lib. 2 cap. 17

Clericorum nomine etiã Pontifex continetur. 215. Inſignia iuxta cõſuetudinem antiquorum Regum & Sacerdotũ. pag. 195

Clericis cuiuslibet mulieris contubernia vetantur niſi matris. 243. Imprimitur character & eorum natura cõflatur in ordinem Sacerdotalem pag. 163

Clericos iudicari a laicis videtur contra naturalem rationem. 205

Cœli mouentur, ab Angelis propter

pter electos Ep. Ald. 7. 18. 39 templa ſunt. 39. 40
Commiſſo vno commiſſa cenſetur commoda ad illud. 87
Concilia non nulla errarunt. 34
Conſtantinus gentiliũ ſacra conculcat. 653
Conſtãtini filij conſtitutio. 443
Conſtantinus Emanuelis captâ Cõſtantinopoli à Turcis occiditur. 648
Conſtãtinus Papa, vetat Philippicum haberi pro Imp. 617
Conſtantius qui Martinum Papam miſit in exilium interfectus. 640
Conſtãtius Chlorus Pius. 387. Dardanus. 628. Prope Chriſtianus. 595. Amiciſſimus Chriſt. 627. Dicũt eius agnationem in multos transfuſam eſſe & Baſilium Macedonem hinc genus ducere. ibidem.
Conſtãtinus Imperator à S. Silueſtro baptizatur, ei imperiale palatium dono elargitur et Conſtãtinopolim migrat. 223 195. Idem in Concilio Niceno vltimus inter Sacerdotes ſedens accuſationes clericorũ ex ſcripto ſibi delatas combuſſit. 196. 204
Conſtantius hæreticus perſecutor Chriſtianorum non audet Athanaſium expellere. 630. Miſerabiliter obijt. 631
Conſtantinopolis capitur. 1453 pag. 648
Conſilij dono homo dirigitur quaſi conſilio à Deo accepto. 566. Effectus. 86
Contemplatio Dei operatio, nullum animal præter hominem contemplatur eũ ideo nec fælix eſt, quod in ea conſiſtit fælicitas. 609
Conuiuia Romanorum publica, qualia & vnde. 545
Cornelius Chriſtianus primus ex gentibus centurio fuit & Romanus patriciæ gentis. 583
Cornelij Papæ epiſtola habemus Pontificibus olim fuiſſe multas opes ad inopes alendos. 582. Sub eo Eccleſiæ amulus erat Imperator Roman. pag. 586
Corona in capite clericorum figurat Sacerdotium, Regnũ que Eccleſiæ in eis. 62. In
Cornu quare vnctio. 66
Corpus ſecundum naturam animo ſeruit deſpotice. 27. 313 358. Per eam enim habet eſſe & operari. 64
Corporeũ tãtũ primò nouimus & cõtẽplamur. Ideo continuo non nouimus Dei tanquam Dei non eſſe imaginem corpoream. 603. depẽdet à ſpirituali. 64
Corruptio, ſiue inordinatio, ſiue peruerſio cogit non eſſe. 31
Creaturæ omnes participant diuinitatem diuerſimode. 505
Credentium opinio pars Domini. Ep. Ald. 6
Credenda multa ſunt, quæ demõſtrari non poſſunt. 3. 32
Cunipertus Rex Longob. Ca-

tholicus Regno expulſus. pag. 643.644
Cyrus ſeruauit illibatam tum libertatem, tum poteſtatem Hebræorum ſacerdotibus: conceſſit reditum in patriã. &c. pag. 567

D

Dauid preſcidit oram chlamidis Saul, & delictum hoc reputauit. 334. *Regia poteſtas pertinent ad Epiſcopos.* 61
Damaſus creatus aduerſum Vrſicinum: multi interfecti pro Eccleſiaſtica poteſtate. 661
Damnati intimo bello ſemper cruciabuntur. 30
Daniel præficitur, imperio regendo. 528. *Interpretatur ſomnium Nab. à quo extollitur.* 564. *Fuit è regali & ſacerdotali proſapia è Bethorõ, ſeruauit perpetuam caſtitatem iudices Iudæorum conſtituit.* 566
Dare miniſtri eſt. 78
Darius ſeruauit illibatam tum libertatem, tum poteſtatem Hebræorum ſacerdotum. 566 & 567.
Debitor die dicta non ſoluens apud Romanos creditoribus vinctus addicebatur. 188
Decimæ partis ſoluendæ determinatio eſt autboritate eccleſiaſtica inſtituta, vt non minus populus nouæ legis miniſtris noui teſtamenti exhiberet, quàm populus veteris teſtamenti exhibebat. 279
Decimæ ex inſtitutis omniũ gẽtium ſacerdotibus dãtur. 543
Decÿ Pannonÿ. 628
Decius non imperauit tempore S. Babylæ. 417
Dæmonas coercent Angeli, Sacerdotes Chriſtiani & quicũq; his ſubÿciũtur Ep. Ald. 6. 171. *Omnium maxime pugnant cõtra ius naturale.* 21 *Non poſſunt in loca ſacra.* 515. *Conati ſunt inter gentes & Iudæos vt in vnum hominem conueniret omnis poteſtas cum Chriſtus natus eſt* 552. *Nouerunt & gentes ab his cuncta ad vaſtitatem perduci, malaq; per eos in humanum genus inuehi, Sacerdotumq; ritibus nos ab horum malorum reatu liberari, & expiari Ep. Ald.* 6.
Dæmonum dominiũ in damnatos ſuo modo dicitur iuſtum 22.28. *Quanta ſit poteſtas in humanam naturam lib.2.c.1 & 2.* 79.312. *Multi olim & nunc his tribuunt diuinos honores.* 192
Deſiderius Longobardorum Rex in ditiones vrbeſq. pontificias inuadẽs à Gallis de põtificis authoritate ſpoliatur. pag. 238
Deſiderius Rex Long. Catholicus. 642
Conatur capere oppida Pontificia

cię ditionis : regno deiectus. pag. 644
Deus Pater per filium & S.S. cuncta agit,ac ſibi ſubicit, 20 38. *eſt finis hominis naturalis & ſupernaturalis.* 496
Intime mouet ſingula queq; ad effectus concurrens, ſed ſẽper & in omnibus vult iſta ſeruire fini ſupernaturali. 15
Qui facit qđ vult Deus maxi mefacit qđ vult. 26. 27. *Quomodo intelligatur quod poteſt facere quodlibet.* 26. *Deo coniungimur ſecundum munus Chriſti.* 81. *Ad Deum tendimus ex ipſius Dei lege ſuperiisq; vniuerſitatis humanę rerum recte ordinatarum, naturę noſtrę.* 84. 313.
Deum eſſe colendum, prę cunctis amandum,illiq. obediendum, eſt primum pręceptum practicum. 507
Dei voluntas varie exquiſita agentibus, à nobis per Chriſtum. 547. *Quid ſenſerit Ariſt.* 608. *Otioſe loqui de Deo aliquibus non videtur peccatum.* 603. *In Deum omnia ſubordinanda.* 317. *Per mediatorem Chriſtum, quod non poteſt niſi per Eccleſiaſticam poteſtatem.* 319 & 20.
Deus per interpoſitas cauſas agit, in caſu vero per ſemetipſum,vel extraordinarias cauſas. 314. 316
Deo placere & coniungi nõ poſſumus ſine virtutibus Theologicis. 314. *Pręcipiens mente complectitur omne tempus, omnes perſonas,& omnes res. pag.* 391
Dei dicitur quiquid eſt pręſtãs & magnum. 366
Diaconi ſeptem ab Apoſtolis inſtituti quid repreſentent. 163
Differentię rerum in rerum natura vnde. 89
Diluuium immiſſum quod ſupernaturali poteſtati non obediretur. 45. *anno mundi* 1656 70. *ob eandem cauſam immiſſum Deucalionis tẽpore Pharaonis.* 48
Diocletianus acerrimus hoſtis Chriſti. 515
à S. Dionyſio diſcimus RR. PP. *fuiſſe opes ad inopes, & hoſpites alendos.* 582
S.Dionyſij ſcripta probãtur. 195
Directe verbo cur vtimur. 11
Diſcipuli ſabbato ſpicas euellentes excuſantur à Chriſto. 341
Nõ ſunt liberi à ſoluendo tributa vſui Eccleſię; ſunt filij Regis. 347. *Ex Chriſti pręcepto ſunt eodem loco, quo ipſe erat.* *ibidem.*
Diſpenſatio ſine cauſa nõ excuſat. 28
Diuinitas quod. 194
Dominari verbo cur vtamur. pag. 11
Dominus tunc non eſt qui non ordinat in deum. 28
Dominatus quid. 194
Dominia temporalia iuſta ab

Eccleſiæ poteſtate ſunt. 36

Dominium directum quomodo accipiamus. 21. deſcriptio iuſti & definitio 29.63. 64.cauſa.41.150. Eccleſiæ eſt participatio diuini 21. Non tollit regale ciuile.35.non eſſe directum in tēporalia hæreſis eſt aliquibus.318.Ab eo poſſe deficere defectus eſt . 22. Non priuatur eo qui in aliquo peccat. 28

Domitiannus Eccleſiæ hoſtis.560

E

ECleſia poteſt quecumq; vlli homines poſſunt iure vllo ac poteſtate legitima.ſola tradit quomodo inſiſtendum ſit in rebus ſingulis,vt recta in Deũ feratur & vires tradit. Ep: Ald. 4.

Eccleſia & Chriſti idem corpus Ep. Ald.1.& per hoc eadem bona.ibid.2. Datum eſt vt in ipſa ſint ſemper gratiæ miraculorum ibid. 5. Quantum poteſt non dominatur deſpotice,ſed ciuiliter,& paterne. pag. 11

Eccleſiam qui non habet matrē, Deum patrem habere non poteſt.Ep.Ald.3.& paſſim.eius poteſtas vt in fonte, ſole, ac trũco eſt in P.S.aut vt in apice,& fonte.14.Dominiũ eius Dei eſt. 16.61. Temporalia cuncta temporaliũq; Principes ei in omnibus ſubiecti. l. 1 cap. 11. Eſt cauſa efficiens modo ſuo, finaliſq; omnium rerum. 183. Regina eſt eandemq; cum Chriſto coronam gerit.50. 62.183.4.apud Chriſtianos non eſt niſi in Epiſcopo. 19. 320.Datur virga ferrea ad tuendum terrendum, & infligendam pœnam. 23. 60.52. 63. 66. 69. Ordinat cũcta in terris 25. Regno eius temporalia ſunt ſubiecta vt cibus comedenti.51. Directe dominatur omnibus, & quo dominio. 21. 52. 62. Domina gentium & princeps prouinciarum.51. 62. eſt corpus per ſimilitudinem.22. Omnis poteſtas communicata,& omne iudicium à Chriſto 49.51.62 eſt columna, & fiomamentũ veritatis.31.34. in ea eſt omne bonum,verum,iuſtum.31 Lapis eſt à Daniele deſcriptus.62. eſt plenitudo corporis Chriſti.31. Imperiorum domina. 61. Nolle ei primas dare, vel ſummæ impietatis eſt,vel præcipitis arrogantiæ. 32.Ordinatio illius in temporalium adminiſtratione ex Aug.ibid. cur nõ eximit Chriſtianos ab omni infidelium poteſtate,permittit multas tēporalium cauſas ad iudices ſeculares.35.Poteſt in caſu propria iura alterius in alterum trãsferre.36. Dæmones fugat per quos, & ad quid,punit cõtumaces,& ad quid Dei filios efficit,

efficit, bonos impulſus infundit, bonum deriuat in terras, malum fugat per quæ. lib. 1. cap. 2. contra aduerſa cuncta ſtat. 104. Eſt Sacerdotium, Prophetia Regnum. 166. Tenet formã Patris auctoris omnium. 177. habet vitam in ſemetipſa per Euchariſtiam: et poteſtatem eamdem vitã dandi. 177. pedibus eius infidelis ſubiecti.

Eccleſia templum Dei viuum. 578. Eius angularis lapis Chriſtus fundamenta Vicaria Apoſtoli. 551. Militans eſt imago triumphantis. 515 Habet multa priuilegia à Deo, et hominibus. 471. In Eccleſijs non fundatur ſanguis. pag. 574

Eccleſiæ præcepta ſunt I. D. 345 In primitiua Eccleſia præſules non habebant externam poteſtatem coercendi, & corporaliter puniendi, ius tamen ſic. 579

Eccleſia quid ſit, quod eius initium, & eius partes. 10

Eccleſiã cur decet ampliſsimas opes & dignitates habere. pag. 290

Eccleſiaſtici directiſsime domini ſecularium reſpectu ſecularium. 150. liberi quo ad res, loca, & perſonas. 325. Definitio. 10. vt tales non errant. 33 ſoli habent poteſtatem ſupernaturalem ordinandi humanam naturam in finem, vel fœlicitatem, tam naturalem, quam ſupernaturalem: et claui m poteſtatis ſciẽtiæque huius 7. Ad hos pertinet perficere, illuminare, ac purgare. & alia priuilegia uide 8. & 9. & hoc iure naturali & diuino, nec obſtat, quod ex diuino beneplacito ſit 9. nec quod Chriſtus per accidens homo factus eſt ibid. ſunt partes ſupereminentes eſſentiales ciuitatis. 18. quomodo intelligendum, quod non ſe implicant ſecularibus. 22. quod configurantur potentiæ paternæ 81. vbi & ſequen. multa quæ his Chriſtus largitus eſt. Honos quantus debetur. lib. 2. cap. 16 eorum poteſtas imperitis nota. 193

Eccleſiaſtici tenentur efficere ne quid ad pauperes alendos deſit. 254

Eccleſiaſticæ dignitates in Saxonia, & Germania extinctæ. pag. 290

Eccleſiaſtica iura de manu laicorum non accipiantur, neq; vllatenus diminuantur. 317

Eduino regnum abdicatur. 617

Egica princeps in medio Pontificum poſitus, humoq; proſtratus Sacerdotum Dei ſe commendat orationibus. 670

Electio quæ clericis ſolis concedi tur ius ad rem confert. 431 quomodo tntelligatur per priuilegium conceſſa laicis. 432

Electio digni fieri debet, immo magis

magis digni, alioquin peccat eligens, & ad reſtitutionem tenetur. 150
Electio Epiſcopi pertinet ad concilium, vel ad tres Epiſcopos cum Metropolitano, &c. 668
Eleemoſinā quando quis facere teneatur. 294
Elephantis religio, caſtitas, manſuetudo. 521
Elephantis quoties incedunt, ne minora vnimalia pedibus proterãt commouere placide ſolent, & contra ſui generis beſtias fere non præliãtur. 309
Elymas magus priuatus viſu. pag. 375
Entius Sardiniæ Rex Federici filius cauea ferrea inclusus interijt. 662
Entium intellectualiam plures gradus. 7
Ephori Sacerdote:. 524
Epilogus. 327
Epiſcopi habent principatum ſecundum Deum, Sacerdotium ſecundum Chriſtum. 8. in his eſt Eccleſia vt in frindamento & capite. 19. Obligati ſunt in ſpicere ſæcularia, & cũ opus eſt iudicare. 21. 22. Configurantur potentiæ ſupernaturali, & formam Patris omniũ tenent. 45. 54. Habent Regiã poteſtatem à Pontifice ſummo. 50. lib. 1. cap. 12. 51. 106. 182. diſtinguitur in his Sacerdotium, & Principatus. 54. Aliquid agere præter voluntatem eorum peius eſt quam in honorare Regem. 55. Ab Irenæo vocantur Presbyteri ibid. His communicatur omnis poteſtas quæ communicatur cuilibet humanæ poteſtati naturali. 57. Vngũtur per ordinis vnctionem & participes fiunt bonitatis, ſcientiæ, & potentiæ diuinæ. 57. ex natura primatus dæmones iudicant. 58. regia purpura ſimul cum poteſtate Regia veſtiuntur. ibid. In his omnes ordines ſunt 81. ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ. 103. Inſtar Moyſis, Aaron, Samuelis, & Dauidis ſunt in ſua diœceſi. 106. 316. Sunt forma patris, regimen ac munimentum tã actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtinent, & formã Chriſti habent. 185. 314
Epiſcopi eſt iudicare an lex ſit iuſta vel iniuſta. 420. poſſunt iudicia etiam Imperialia reſcindere, & eos excommunicare. ibid. Iure diuino & ex iudicio diuino. ibid. excommunicare ac depellere à dignitatibus. 425
Epiſcopis debentur multa quibus ſe Clericos, & quæcumq; ad diuinum cultum pertinebant tueri poterant, inopes alere, & hoſpites excipere. 582. Iudicare poterant quodlibet inter Chriſtianos. 588
Epiſcopi ius habent Regem ſuæ ciuitati priuandi, ſi in vnum conuenerint. 258

Epiſcopo licet iure ſuo habere armatam familiam. 37.299
Epiſcopo magis licet arma habere, vbi opus eſt pro diuinis rebus, quam ſæculari pro ſæcularibus iure naturali ac diuino. ibid.
Epiſcoporum liberæ adminiſtrationes, & bona libera, libera legum executio, & excommunicandis. 589
Epiſcoporum ſunt omnium rerum iudicia 667
Epiſtolam ſcriptam appellat S. Paulus Chriſtianos 186
Equites Hieroſolymitani Templarij, & Theutonici, à quibus inſtituti & quando. 256
Equitum Templariorũ, & Theutonicorũ ordo extinctus propter hæreſes. 257
Equus lædit Heliodorum violatorem libertatis templorum. pag. 573
Eruditio Principis quid. 338
Eruigius Rex deuotus proſternitur coram pontificibus. 670 *Decernit contra Eccleſiaſticos non punientes Iudæorum ſcelera.* 671
Eſſe ad manendum refertur & vnum eſt. 31
Eſſentialiter pẽdere, quomodo accipiatur. 23
Etruſci de cælo tacta ſciebant. pag. 548
Eua cecidit, quia ſtabilem fidẽ non habuit his quæ ſibi dicta fuerunt. 619
Euangelium columna & firmamentũ Eccleſiæ & quare quadruplex 179.80
Euchariſtiæ effectus. 81. & *ſeq.* 323. *Ignis à Sanctis appellatur.* 517
Eudoxia vxor Arcadij prohibetur ingreſſu templi à S. Chryſoſtomo. 419
Eudoxia procurat Chryſoſtomũ mitti in exilium. 297
Eudoxia è Conſtantio & Placidia viros habuit Valentinianum III. Max. Imp. & Vandalorum regem. 641
Exceptio nequid recipiatur quaſi à Deo præceptum, niſi explicetur veteri aut nouo teſtamento, eſt hæretica. 457
Excommunicatur, obit. 680
Excommunicatio timenda exẽplo Theodoſij II. Imp. 196
Exorciſtæ ſupernaturalis poteſtas ad expellendos Dæmones pag. 80.170
Externa naturali iure magis ſunt, vt ſeruiant humanæ naturæ, quam ſibi. 143.5

F

Facere regis eſt, & poteſtatẽ habentis. 78
Fæciales ſacerdotes. 532
Fidei omnia ſubordinata & ſubiecta. 314
Fidei Chriſto innixæ debetur incolumitas mortalium, cũctorũq; ad eos pertinentium bonorum epiſt. Aldob. 5. Ad fidem non licet cõpellere. 321

Fideles infidelibus non ſunt ſubiecti in aliquo ad ſcandala tamen vitanda ſic. 379
Fieri non poteſt, quod iuſte fieri non poteſt. 27. *Iure ſit quod ordinatur in Deum.* 28
Filij domeſtici & miniſtri immunes. 398. *Eodem iure adoptiui, quo naturales regulantur.* 349
Filij Dei ſumus quoad corpus et animam. 350
Finis hominum naturalis à ſupernaturali diuidi non poteſt 16. *Quanto eminentior, vniuerſalior eo potentius, imediatius, ac principalius agit per cauſam particularem, quam ipſa cauſa particularis.* 53. *Fines omnes ad voluptatem queſtum, & honores reducuntur.* 12
Finis dat medijs amabililitatem menſuram & ordinem. 11
Finis naturalis non poteſt haberi abſq; ordinatione ſupernaturali 15. *Dependet enim ex inſtitutione diuina eſſentialiter ab hoc* 6. 36. 65. *Quod ſic oportuit conſtitui, vt humanus intellectus Deum perfectè cognoſceret, ac participaret.* 6
Finis & efficens coincidunt. 17 *Eſt prior in intentione.* 92 *Actionum noſtrarum, principium mentium humanorũ eſt Deus.* 198. *Vltimus vt requirit aliquid habere & adminiſtrare eſt per illud peruenire ad vltimum finẽ.* 102 *Ob ſupernaturalem finem omnia creata.* 77. *A quo vbi ſe homo abiungit vel vſum, dominiũq; temporalium, vel naturalium, rumpit ordinem illum à quo eſt eſſe, frangit totius orbis concatbenationem, extenuat defluxum dominij Domini.* 46. 48. *Natura hunc appetit: Deus Angeliq; ad hūc cuncta ordinant.* 77. 96. 313
Florianus Dalmata. 628
Fœlix Papa ſuffectus Liberio occiſus, quia noluit ſubſcribere ſententiæ contra Athan. 686
Forma quo eſt abſtractio, eo maiorem poteſtatẽ habet. 91 *Dans formam, dat & conſequentia formæ.* 79
Felicitas ex Ariſt. eſſentialiter conſiſtit in habenda diuinorum veritate &c. 4. *Quid gentes ſenſerint de hoc ibidẽ. in tẽporalibus non eſt ponenda.* 66. *quid ſit.* 99
S. Franciſcus aſtantibus Angelo, & ſacerdote prius huic ſe oſculaturũ manum dicebat. pag. 197
Franci confirmãt legem Conſtantini. 448. *Multa loca Orientis occupant.* 683
Fridericus I. Aeneo eccleſiaſticæ poteſtatis & libertatis violator infeliciter flumine eſt ſubmerſus. 655. 662 *Factiones Guelphorũ & Gibelliorum excitauit.* 663
Frui quid, & quibus frui debemus

mus. 29. fruimur ſola Trinitate, cæteris vtimur per Chriſtum ſponſamq; eius Eccleſiam. 24

Fugatius & Damianus, Luciū Britanniæ Regem Chriſto adiungit. 226

G

Galerius acerrimus hoſtis Chriſti. 595. *Pannonius alius Dacus.* ibidem.

Galliæ Regnum ab Epiſcopo Rhemenſi conferebatur. 62. 72 *Clodoueo collatum eſt de conſenſu R.P. & Epiſcoporum* pag. 72

Gallia Pontificis Romani auctoritate innumeris bonis amplificatur. 237

Gallorum Sacerdotum immunitas & auctoritas. 529.30 *Regum vngendorū mos.* 674

Gallienus reſcripſit religioſa loca chriſtiandis reſtituenda. 594. *ſub eo* 30. *tyranni.*

Genſericus Vandalorum Rex pepercit theſauro ſacro baſilicarum SS. Petri Pauli, & Ioannis ad Lateranum. 455

Gentiles multi beatitudinē ſupernaturalem ſunt conſecuti 5.47. *Cognoueruno enim aliquo modo ſupernaturalem directionem.* 5. *Summus Sacerdos & Rex.* 71

Gentes deſſidebāt quatenus multi diuinitatem attribuebant ijs, quibus non erat attribuenda & multa non attribuenda attribuantqe eidem, conueniebant tamen de voluntate Dei per Sacerdotes annunciata quiduis tranſigendum, ijs regiam ſupremamque in omnia poteſtatem deberi: in templis eſſe cuilibet tutum perfugium tutamque rerum cuſtodiam, viros Deo dicatos resq; illi ſeruientes eſſe immunes atque exeptos. 508.534.550 *Aſſerebant eſſe diuinitatem quandam regentem vniuerſa.* 508. *Eſſe vnum Deum regem Deorumque hominū, &c. omnipotentem: & futurum, vt fieret homo.* 142.148. 49. *Et ſapientiſsimi eſſe trinum. ibidem. Iura naturalia ſeruantes adiuuante gratia ſaluari, atque æternam beatitudinem conſequi poterant.* 551. *Propheticis oraculis attendentes non latuit Romanos omnes imperatores fore Chriſtianos.* 594. *In vniuerſum ſeruari volebant quæ naturali æquitate comprobātur.* 467. *His Sacerdotes noſtri, & Clerici non fuerunt.* 462. *Non attingebant ſacra* 334. *Templa venerabantur.* 335. *Sacrum dicunt quod ſua natura Deo dicatum ſanctū, quod huic eſt proximum.* ibid

Genuenſes Vrbani II. hortatu plurimas Hiſpaniæ ciuitates à Saracenis liberant. 245

Germanorum Sacerdotum poteſtas

ſtas. 529. Ex *quo tempore Germani non mouerunt arma in Pontificium Sedem* 665. *Regnum auctum.* 684 *Status antiquus.* 367. *Status ex quo Chriſtiani.* 369

Getarum Sacerdotes immunes. pag. 528

Geyſas Hungarorum Rex Chriſto adiungitur. 230

Gladiatores apud Romanos cauſa multorum malorum. 109

Gladius materialis iure diuino, magis eſt Pontificis quàm Imperatoris. 298

Godolias præponitur terræ Iudæorum toti regendæ. 564

Gordianus Gordiani Imperatoris filius à Philippico occiditur. 417

Gorgonius ad verbū Dei dignitatem conſequitur. 587

Gothi hæretici Arriani. 634

Gratia totum hominem gratum facit. 350. *Ad gratiam diſpoſitio qua vis eſt per Chriſtum* 79. *Eadem qua cõformamur Chriſto per characterē penetrat ad omnes creaturas per Eccleſiaſticos.* 178

Gratianus ſtatuit neq́; viduæ Clericis, aut Eccleſiæ legari poſſent, à Clemente maxime Lugduni occiſus. 630

Græcis mala euenerūt, ob immunitatem Sacerdotū *violatam.* pag. 523

Gregorius II. Philippico abrogat Imperium. 617

Gregorius VII. pro Eccleſiaſtica *poteſtate miſſus in exilium Salerni deceſſit, floruit miraculis.* 682

S. Gregorij epiſtola 54. *libro* 11 *examinatur.* 468

Guido papa eſt pro nobis deciſione Gratinopolitana. 381. 422

Guido Tarlatus, qui coronauerat Bauarum eodem anno decedit. 663

Gundebertus Rex longobardorum occiſus. 644

Guntherus Cancellarius viſionem vidit. 657

H

H*Adrianus reſcripſit pro Chriſtianis contra calūnatores.* 191. *Retulit Antinoum in Deos.* 190 *Voluit* Chriſto *templa conſtituere.* 594. *Miſerrime interijt.* 627

Hiſpanienſis. 628

Hadrianus Imp. mortem ſibi cõſciuit. 2

Hebræorum Sacerdotibus conſeruata fuit ſua libertas, regiaque in ſuos poteſtas. 554 *cum ſeq.* 564. *In Aegypto aluntur à Ioſeph, poſt quē male habentur vſque ad Moyſen* 557. *Pontificum ſucceſſio, & Sacerdotalis poteſtas perſtitit.* 558. *Fuerunt Iudices penes quos eſſet vitæ ac necis poteſtas.* 564. *Præpoſiti in Iudæa qui permanſerunt Pontifices Summi Ieſus Ioachim, &c.*

&c. 568

Heli Sacerdos, & Iudex erat primarius. 281

Hæreſis eſt defendere inueſtituras Epiſcopatuum à laicis fieri debere. 317. Licere iura Eccleſiaſtica imminuere. ibi. an ſit negare Eccleſiæ dominiũ in temporalia & directũ. 318. Et ibid. vide alias hæreſes ex hac. eſt in aſſertione pertinaci. 319

Hæreticus apud Sanctos qui nõ prorſus ſe abiungit ab hæreticis, aut eccleſiaſtica iura imminuit. 631

Heliodorus volẽs auferre, è templo Iudæorum aurum & argentũ penè occiditur ab equo, & duobus iuuenibus orat pro eo Ozias ſacerdos, Seleuco dicit templum eſſe ſub cuſtodia Dei. 573. 74

Heliogabalus nihil in chriſtianos eſt molitus. 593. Aſiaticus Syrus. 628

Henricus Comes Biſuntinus Vrbani II. hortationem ſequutus Hiſpaniam cũ militibus ſuis appulit, Regibuſq; Caſtellæ affinitate iungitur. 244

Henricus Portugalliæ Regis filius militũ S. Iacobi magnus magiſter, impetrat à Martino V. vt quacumque Luſitani loca detegerent, eorum forent. pag. 247

Henrico II. Imp. fames, veniã petijt à multis, & ablata reſtituit. 654

Henricus III. contendit cum Gregorio VII. ius dandi inueſtituras Epiſcoporũ, & iura regalium ad ſe pertinere miſerrimè defungitur. 428 Iacet inhumatus quinque annis. 654. Simoniacus 658. Immittit, qui Adeleidam vxorem violent, etiam filiũ. 659

Henricus IIII. Paſchalem Romæ cœpit in monte Soractis cogit, vt ius inueſtiturarum Epiſcopalium &c. ſibi permitteret. 429. Anathemate reſcinditur priuilegium, ac bis excommunicatur. ibidem. Deijcitur Imperio. 628. Abſoluitur à Caliſto. 655. Reſipuit. 660

Henricus Tertius Paganicis auſpicijs addictus illa die victus & mortuus qua cuncta auſpicabatur prælia, ſimulque Eccleſiam cœpit infeſtare. 655

Hẽricus Auceps Germaniæ rex ſimoniam expellere cum populo vouet. 657

Heraclius Monothelita aqua intercute perijt. 640

Heracleonæ naſus amputatus. ibidem.

Hercules Aegyptiacus Iouis ætate & Iacobi ſæculo vixit. 537 Cur multi decimam ſuorum bonorum ei conſecrabant. pag. 544

Hermãnus victoriam habet de Henrico Tertio. 659

Herodes inter Iudæos dominus omnium in ſpeciem voluit eſſe

alium

alium Pontificem.552. Occidit Hircanum ſummum Pōtificem & Ariſtobolum ſuffocauit: abſtulit collegium ſeptuaginta duorum, cui ſubij ciebatur anno eodē, quo Chriſtus conceptus eſt. 553. 577 Ei delatum fuit Imperium rebus ad trium viros redactis. 576. Cruciatibus intimis confectus mortem ſibi machinatus. 2

Heroes qui exculti virtutibus diuino flamine impelluntur. 616. Sacerdotes ſummi & Reges. 47

Hierarchia noſtra cæleſtibus ſimilis. 161

Hildebrandus Rex longobardorum Catholicus. 643. Regno expulſus. 644

Hyrcano fauere Pompeius & Cæſar, & immunitatem libertatemque ſuam reliquere. 575

Hiſpaniæ Regnum floruit dū Epiſcoporum conſilio, & decretis adminiſtrabatur. 72

Hiſpanos vetuſtiores ijdem Sacerdotes & Reges. 530

Hiſpaniarum cladis euenta cauſæq; illorum cum fuerunt ab Arabibus occupatæ & cur ex alijs in alias agnationes germinave illarum regna transferantur 666

Hiſpaniam Arabes in poteſtatem redigunt. 683

Hiſpania antiquitus quos incolas habuerit. 240. A decem & nouem nationibus detenta. ibid. Plurimæ vrbes per Tiberium Graccum euerſæ plurimæqae mœnibus priuatæ. 241. 41. à Priſcianiſtis conturbatur. ibid. Romani Pontificis ſtudio ad Chriſti cultū perducta. 242. Qua pace & tranquillitate per Clericos romanosque Fontifices donata. 244. In ea qui potiſsimum Pontificiæ authoritatis ſtudioſiſsimi fuerunt. ibid.

Homerus vetuſtiſsimus omniū ſcriptor. 522

Homo ſine Eccleſia non poteſt peruenire ad finem adquem tendit ideo ſeſe illi ſubijcit. 1. 20. Quilibet magis vult Deū quam ſe. 12. in natura perfecta. ibid. finis omnium. 14. vt ſ. illum perducant ad Deum. ibid.

Homines vt homines congregantur ob optimum mentis ipſius bonum 18. virtuoſus dicitur qui omnes virtutes habet. 23 animalis diſciplinas niſi ſpiritualiter intelligat ſcire non poteſt. 85

Hominis quatenus homo eſt prima inclinatio vt veritatem cognoſcat de Deo, & hoc ius naturale. 503. vt in ipſum tendat. 1. 19. 55. 503

Homini commune eſt cum omnibus, vt agat ſecundum propriam formam motam à Deo 512. Omnibus dominatur propter intellectum. 314. Spiritua-

tualis homo omnia iudicat, vt à nemine iudicatur 317
Homicidæ cur in tẽplo tuti. 416 *Reijciuntur per Sacerdotes.* pag. 417
Honorij tutor Stilicho minuit Eccleſiaſticam poteſtatem ſub hoc Barbari occidentale Imperiũ varie diſcerpſerũt ſed Honorius occiſo Stilichone omnia pacauit. 631
Hugonis Capeti agnatio capetica. 674. *Adhuc rerum potitur, poſt Philippum pulchrũ quater poteſtas regia transijt ex vno in aliud ſtemma cognationis eiuſdem.* ibid.
Humanitas Chriſti proximum, primũque diuinitatis inſtrumentum 15
Humana natura magis eſt vt ſeruiat humanæ naturæ ſupernaturali quam ſibi. 14. *Vult eſſe ex optima Republica.* 18. 313. *Titubat in cunctis niſi infallibili veritate corroboretur.* 24. *A ſupernaturali ductu recedens corruit in omnia mala, & in Dæmonum poteſtatem.* 187
Humanus intellectus cur non eſt creatus, immediate & immobiliter Deo cõiunctus. 7

I.

Iacob viſio declaratur. 164
Iacob habitat in terra Palæſtinorum immunis cum liberis, & vti Rex. 556. *Expauit vbi cognouit locũ in quo dormierat Deo ſacratum.* 323
Iehu vnctus ex mandato Eliſei, arma ſumpſit contra Ioram eumque cum ſeptuaginta fratribus interfecit. 283
Ieremias predicans euerſionem Hieruſalem capitur. 561. *Poſt euerſionem dimittitur cum muneribus.* ibid.
Ieroboan iubenti Sacerdotem apprehendi exareſcit manus.
Iethro princeps & Sacerdos fuit. 528
Ignis è cælo demiſſus, ſolitus in ſacrificia delabi ſignificabat Chriſtum Deum ſimul & hominem, è virgine naſciturum 142. 515. *& inde omnino plura notabilia.*
Ildobaldus occiſus. 636
Imperator Orientalis niſi qui coronaretur à Patriarcha. 72. 73. *Imago mittebatur ad Papã ibi dici poteſt quo ad Orbẽ ſuum, totius Orbis dominus.* 22. *Vti Imperator non habet niſi Imperium, cuius dominã poſſit eſſe Eccleſia.* 61. *Imperatoribus, &c. ſunt vere iura ſua, poteſtates, &c.* 21. *multi ab Eccleſiaſticis electi & expulſi.* 73. *feliciſſimi qui.* 99
Imperatores aliquid Sũmis Põtificibus dantes intelliguntur reſtituere non dare, ait Triump. 277
Imperia & Regna non recognoſcentes à ſupremo Hierarcha ſunt Tyranni. ibid. *Plurimi*

rimi ab Epiſcopis Imperio de iecti.588. Inimiciſsimi Chriſtianæ religioni qui.596. Ferè omnes interfecti.627. Quicumque infenſi fuerunt Eccleſiaſticæ poteſtati,et libertati,pro modo culpæ exciderunt à ſtatu fœlicitatis quo ad ſe liberos agnationem nobilitatem ſubiectorum populos ſubiectos lib.6.cap.10. 632.33

Imperium Tyrannicum ante ſacerdotium ſub Nembrot. 472. Naturale & iuſtum à Moiſe. 473. Tranſlatum è gente in gentem cum Chriſtiani interimebantur. 628

Imperij occidentalis diminutio. pag. 653

Imperium Regium bona ſubditorum quærit Deſpoticum,& Tyrannicum ſua. 314

Imperium ſæculare comparatur terrenis: ſpirituale,& Eccleſiaſticum cæleſtibus. 58

Imperfectum tendit ad ſuam perfectionem naturalem. 90

Incarnationis cauſa materialis & finalis Ep. Aldob. 3

Inclinationes omnes ſecundum rationem dirigi debent. 505 Ratio naturaliter apprehendit vt bonum &c. Omnia ad quæ homo habet naturalem inclinationem, & ſecundum ordinem earum naturaliter eſt ordo præceptorum legis naturæ. 504. Et quæ ſint & ad quæ.

Indiæ orientales & occidentales regibus Caſtellæ & Luſitaniæ adiudicatæ. 50.259

Indi proprios filios ex ancillis ſuſceptos comedebant. 214

Infidelis obedit Chriſto quando aliquid boni agit. 21

Infideles quomodo habere poteſtatẽ & nõ habere dicãtur. 7 et quæcũq; eſt ijs vult Chriſt' eſſe.51. Veri & iuſti domini: 28. Eccleſiæ pedibus ſubiecti pag. 65.182

Infidelibus beneficia quædam neganda, aut ſeuerius puniẽdi vt Chriſto obediant.52. Tolli poſſunt dominia ab Eccleſia. 65.321 Circa omnia eorum non eſt neceſſarium nobis mentes occupare.476. Niſi ſint in contemptum vel perniciem Eccleſiæ. 477. Sanctificantur per mulieres fideles. ibidem.

Inferiora per prima ad diuiniſſimum lucem deducuntur. pag. 54.66

Innocentius III. Otthonem depoſuit. 618

Innocentius IIII. Federicum depoſuit. ibidem.

S. Innocentius excommunicauit expulſores S: Chryſoſtomi. pag. 411

Innocentes occiſi pro Chriſti regia poteſtate. 678

Inſpiratio quod ſit. 169

Inſtrumentum ſeparatum dependet à coniuncto. 89

Intellectus eſt videre nequid male agatur & vt optime

quid

quid agatur. 30
Intellectus omnibus dominatur pag. 614
Intellectus practicus pendet à ſpeculatiuo. 611. *Donum intellectus ſe habet ad ea, qui primo & principaliter cadũt ſub fide, & ad eam ordinatur pag.* 506
Inſtitutio quid. 431. *Non poteſt laicis communicari. ibid.*
Inundationes pluribus in locis Dei religione repreſſæ. 231
Iob obtulit ſacrificia. 328
Ioab iuſſit Salomon in taberna culo ad cornu altaris occidi. pag. 324
Ioannes Bacconus eſt pro nobis in quartum in procemio q. 11 *art.* 4. 472
Ioannes à Capiſtrano eſt pro nobis tractatu de poteſtate Papæ par. 2. *ſecunde partis principalis.* 475
Ioannes Cõnenus noſtris fauet. pag. 648
S. Ioannes Papa occiſus ob templorum libertatem tuendam. pag. 681
Ioannes VIII. captus ob Eccleſiaſticam poteſtatem. 682
Iannes X. interfectus. ibidem.
Ioannes XIII. aufugit ad Pandulphum Capuæ Principem. ibidem.
Ioannes Andronici filius ab Andronico filio luminibus eſt orbatus, & hic viciſsim a patre ſicuti etiam frater Emanuel. pag. 648
Ioãnes Emanuelis Concilio Florentino interfuit, & ſubſcripſit. ibidem.
Ioachaz captiuus ducitur à Nechao Rege Aegypti. 561
Ioachim Ioachaz adducitur in ſeruitutem à Nabuchodonoſoro. ibidem.
Ionam, quia religioſus eſſet non audet ſaculares in mare proÿcere, licet ex cauſa ipſius eſſet tempeſtas, & ipſe iuberet, &c. pag. 335. 558
Ioſeph ſubÿcit Pharaoni omnẽ terram Aegypti excepta ſacerdotum. 337. *Quidquid fecit quantum ad ſacerdotum immunitatem fecit ex ſpiritu diuino. ibid.*
Iota quid ſignificet. 167
Irene & Conſtantinus filius in uicem ſeſe oculis priuarunt. pag. 640
Ireneus ſcribit de vna fide & traditione omnium Eccleſiarum. 584
Iſaacius Ang. ab Alexio fratre Imperio & oculis priuatus. pag. 648
Iſaacius Comnenus ſacrilegus viſum horribile in venatione videt ex quo egrotat, deſignat alium Imperatorem, & in monaſteriũ ſe confert. 647. 48
Iſaac bene habetur ab Abimelech. 556
Italiæ ſtatus ob religionem melioris conditionis. 366. & 67 *Ex quo tempore pertinuit ad Romanos Pontifices.* 72

Italiæ Reges.629.635. Poſſidetur ab Oſtrogotis. ibidem. Inuaditur à longobardis.642 Anno. 774. Stare cœpit, & quare. 645

Italica nobilitas ſub Longobardis tutata eſt ſeſe in vrbes ex Arcatus Rauennæ, & oppida Romani Ducatus. 644

Iudas Iacobi regiam poteſtatem habebat. 556

Iudas ſemetipſum laqueo ſtrangulauit. 620

Iudicium de minori ad iudicem primum reduci debet. 68

Iudicij extremi ſunt imagines quædam tempora illa quibus Eccleſiam tyranni perſecuntur. 49

Iudicia calumniantium iure diuino ad Sacerdotes prius deferenda. 281

Iudices antiquæ legis cuncti per Sacerdotes eligebantur. 279 cum ſeq.

Iulianus Comes propter vim à Roderico Rege Hiſpanorum illatam Hiſpaniam miſerrima ſeruitute opprimet, Regẽque bello vincit. 242

Iuliani Imp. ſacra facientis memorabile factum. 193

Iulianus Imperator in prœlio Perſico interfectus. 631

Iulius Cæſar fauit Hyrcano. pag. 576

Iuppiter exortus temporibus Sem. 71

Ius naturale, ac diuinum eſt ordo naturæ, Deique rebus ipſis innatus. 18. Ius quid. 437. Diuiſio. 440

Ius naturale triplex. 503. Commune cum omnibus ſubſtantijs, commune cum omnibus animalibus, commune omnibus hominibus quod & gentium dicitur. 504. Ab hoc alia diriguntur & perficiuntur, niſi gentes ſint deprauatæ naturæ. 505. Tolli non poteſt. 578. Stat & aduerſa infringit. 579

Iuri naturali cõſona multo magis quàm agentibus fuerint obſeruata præcipimur obſeruare. 479. Quod eſt commune alicui cum rebus omnibus eſt maxime omnium iuris naturalis. 511. 12. & eius multa propria. 510

Ius diuinum quod eſt ex gratia, non tollit humanum quod eſt ex naturali ratione. 65

Ius diuinum eſt quidquid conſtituitur è Spiritu diuino uniuerſali conſtitutione. 338

Iure diuino in conſcientia cuncti obligamur ad ea quæ naturalem æquitatem habent. 467 Plurima ex traditione ſunt iuris diuini. 457

Ius gentium ſæpe dicitur ius naturale quod non tollit, ſed perficit ac ipſi natnræ intellectuali integre in multis eſt coæuum. 505. Diuiditur in primæuum & ſecũdarium illud eſt maxime naturale hoc ex ſuppoſitione. 511. An quæ sũt iuris

iuris gentium ſint etiam iuris naturalis. 597
Iura ſacra nec ſummus Pontifex imminuere poteſt. 563. Immutabilia. 418. Eccleſiaſtica mutabilia pro temporũ locorumq; varietate. ibid.
Ius ad rem & in re quid faciãt. pag. 431
Ius ſtatus eſt in ordine diuino ac naturali ſeruando vt diuinior & altior poteſtas minus diuinæ & inferiori dominetur. 77. 87. 313. Id quod in armis ponitur, vt ſpiritui ſeruiat. ibid.
Iuſtinianus profitetur ſanctiones ad clericos pertinẽtes ſancire iuxta canones Eccleſiaſticos. 461. Breuis vitæ et mortis narratio. 639
Iuſtinianus Sergium Papam comprehendi imperat naſo præciſo in exilium miſſus. 640. Reuerſus occidit Leontium & Tyberium: occiditur cum filio. ibidem
Iuſtinus ſcribit de propagatione Chriſtianæ religionis. 584 Phreneticus & pedibus æger decedit, 639
Iuſtitia originalis quid. 4. & duæ amicæ. 98
Iuſtum quod eſt voluntati diuinæ conforme. 16. 28

L

Laban perſequens Iacob corripitur a Deo. 328
Leuitæ habebant ſeptuaginta duas vrbes quarum qualibet duobus milliarijs in omnem patrem patebat in vnaquaq; tribu tres. 344. Immunes immuniaque eorũ bona. 478
Laici non habent poteſtatem ordinandi alios in finem naturalem, vel ſupernaturalem, niſi ex participatione ſpiritus vnius quo regitur Eccleſia. pag. 8. & 9
Laici poſſunt quæ pertinent ad Clericos tueri imperare eis aliquid non poſſunt. 469. Non adminiſtrent, vel iudicẽt res Eccleſiaſticas etiam de cõſenſu Epiſcoporum. 669. Non tangant, ſiue immiſceant ſeſe inuitis Clericis vlla in re ad hoc pertinente. 337. Nec vllam in partem gubernationis ſpiritualis aduocentur. 358. Reſpectu Clericorum locum filiorum tenent. 390
Lambertus Vvidonis fuſte in caput impacto occiſus. 652
Latrocinium apud Germanos, olim non reputabatur iniquũ pag. 511
Laurentius potius elegit in tormentis vitam ponere quàm ſacris pecunijs ſeruare. 679
Leo reſtituit Imperium Romanum & Carolo Magno contulit. 451
Leo Armenus à Michaele Balbo occiſus filij relegati. 451
Leo III. exagitatus ob Eccleſiaſticam poteſtatem. 682

Leo Copronymi dum coronatur infirmatur.640. Occidit plures proceres, ob cultum imaginum. 645

Leo Iſauricus hæreticus ex morbo inteſtinorum animam infeliciter eructauit.640. Societatem habet cum dæmone & fundamenta Eccleſiaſtica poteſtatis euertit. 642

Leo prophetam necat aſino inſedentem nec cadauer, nec aſinum lædit. 559

Leontij Epiſcopi præclarum reſpõſum Imperatrici Euſebiæ circa honorem Epiſcopis debitum. 196

Leõtius naſo præciſo in carcerẽ coniectus.640.Occiditur ibid

Lex ſupernaturalis debet ſub ſe trahere omnia quæ ſub ſunt natura.67. Deo enim aſſimilari debet.

Lex Chriſti eſt dominatiua ſuper omnib⁹: aſſimilatur enim lex legislatori. 187

Lex æterna eſt regula humanorum actuum, & naturalem rationem excedit. 506

Lex facit, vt peccatum, ſit maius pag. 441

Lex antiqua quantum ad Eccleſiaſticorum poteſtatem, & dignitatem pertinet, non eſt correcta, ſed potius amplificata ſicut nec in ijs quæ ſunt iuris naturalis. 281.82

Leges Imperatorum manifeſtãt Eccleſiaſticis deberi immunitatem non de nouo tribuũt. pag. 464.65

Leges vllius Imperatoris, vel Regis alicuius roboris non ſunt niſi quatenus ſunt auctoritate Papæ confirmatæ. 13 68.85.274. In legibus ſacris nullum verbum eſt ocioſum, aut fruſtra poſitum. 431

S.Liberius Papa in exiliũ miſſus, quia irrita dixit acta conciliabuli Tyrij.680. Reiecit dona oblata Eccleſiæ ſancti Petri ab Eunucho Imperatoris. ibidem. Vrbe expellitur ibidem.

Liberum eſt quod non eſt alterius gratia ſed alia propter ipſum 25. & hinc collige qd ſit libertas Eccleſiaſtica. 27

Libertas ac poteſtas ſacra fuit ante genus humanũ. 513.15 Eſt connaturalis iuri naturali.467. Eccleſiaſtico iure ſimul, & diuino inducta. 417 18. Quod ad templa, & cuncta quæ in terris ſiũt iure diuino maior eſt quàm Imperatorum. 416. Reſident in Sacerdotibus. ibidem. Tuenda vſque ad mortem aduerſus quoſcũque etiam ſi alij in flagitia labantur. 418. Ob ineuitabilem neceſſitatem permittitur violari, ſed ius dari vt violetur, vel vt in poteſtatẽ redigatur laicorum haud poteſt. 430. Euehitur cum opprimitur. 563.64.575 Fuit & eſt imperitiſſimis gẽtibus notiſſima. 513.597

Agnouerunt eam quoad perſonas loca & res leones equi elementa animalcula. 579 Ecclesiaſticarum perſonarũ pertinet ad omnia perſonas ipſas tangentia. 4 8. Quicumque principes illi infenſi fuerunt pro modo culpæ exciderunt à ſtatu fœlicitatis, quoad ſe liberos agnationem nobilitatem ſubiectorum & populos ſubiectos. 622. Violatorũ infælices exitus. 460. Quia apertam, vel tacitam cum dæmonibus ſocietatem ineunt 618. 642. 649. 665. 673. Nihil poteſt atrocius deſiderari ab hoſtibus aduerſus hoſtes ſuos, quàm vt hi violent Eccleſiaſticam libertatem. 578. Semper extiterunt, qui pro ea vitam poſuerunt præ oculis habentes Dei voluntatem leges eius immutabiles, atque æternas ordinis diuini tuitionem. 676. Nihil vitam facientes ne ſponte ſubijcerent poteſtati ſæculari temporalia ſua. 679. Hi inter martyres habentur. 681. Libertas perſonarum ſeruorũ iuris eſt diuini diuinoque in diuina ſcriptura expreſſo eſt præcepta late à 326. ad 450.

Locus liber qui. 43

Locus ſacer qui. 43

Loca plurima à diuerſis detecta & reperta. 246

Loca plurima inculta prorſus, & maxime feritatis Chriſti religione ad ſummam elegantiam euecta. 230

Longobardis Regem crearat Archiep. Med. 72

Longobardi Italiam occupant. 641. *Reges recenſentur.* 643 *Duodecim Catholici. ibidem.*

Lotharius ab initio plura abſtulit Eccleſiæ ac Pontificiæ poteſtati reſipiſcens monaſterio ſe monachus effectus ſponte incluſit, regna omnia reliquens filijs Ludouico Imp. Italiam Loth Lotharingiam, Carolo prouinciam. 651

Luci publica auctoritate dicati aſyla. 538. *Apud Latinos nemora erant ſacra.* 539

Lucos Deus iubet exſciendi. ibidem.

Lucinus Vicecomes, & Ioannes Epiſcopus Nouarienſis promittunt Eccleſiæ Flo. Cetum millium annua. 663

Ludouicus Pius plurimos Epiſcopos vexauit extremis diebus reſipuit. 651

Ludouicus Prouinciæ Rex necatus. 652

Ludouicus Bauarus coronatur Mediolani conijcit in vincula Galeatium filium & fratres. 663. *Eijcitur Roma.* 664 *Imperio.* 618. *Piſis cum Antipapa concilium conuocat diũ habetur concio maxima tempeſtas. ibidem. Equo precipitatus repente deceſſit.* 655

Ludouicus Gonzaga occidit Paſſerinum Mantuæ ducatum

ſibi aſſumit. 663
Lumen naturale actiones noſtras,&c. perficere in genere ſuo non poteſt. 45
Luſitanorũ regni extinctio vnde. 674
Luitpertus Longobardorũ Rex regno expulſus. 644
Luitprandus Rex Longob. Catholicus. 643. *Capit oppida pontificiæ ditionis reſtituit.* pag. 644

M

Machabæi latiſsime omniũ quicumque vnquam fuerunt Hebraici ſanguinis Regum dominati ſunt. 575
Magi Chriſtum colunt, & munera offertur, & quid illa ſignificent. 140. *E quibus oriũdi.* 142. 517
Magi aſsiſtebant Regi: honores & Imperia habebant. Ep. Aldob. 6. 526
Mahometani ſtirpitus nobilitatis genus extinguũt, &c. 645
Mala efficere eſt defectus potẽtiæ. 27
Mandata cur decem. 167
Manfred. Frid. II. *patrem ſtrangulauit Conradum fratrem Germaniæ Regem Clyſtere venenato interfecit; bello ſuperatus à Carolo S. Ludouici Francorum Regis fratre interemptus.* 662
Manuel Comnenus noſtris fauit extremis temporibus. 648
Mãtua dominatum aſſumit Ludouicus Gonzaga. 663
Maria quia Moyſi detraxit lepra percuſſa. 330
Maria Steph. V. Hung. Regis Carolo Regi Neap. nubit. 239
Martinus Lutherus confitetur ſe colloquia cũ dæmone miſcere ſolitũ Maximilianus Imp. *illius humeris inſidentem dæmona conſpexit Carolus V. dixit ipſum fuiſſe Dæmonem figura humana obtectum.* 621 *Vitam laqueo ſibi eripuit. ibi.*
Martina accipit Imperium *poſt Conſtantinum à ſe veneno necatum lingua abſciſſa.* 640
Martinus Sanctus Maximi Imperatoris *conuiuium accipere renuit.* 197. *Idem Rege prælatitia geſtiente ad conuiuium venit inter fratrem & patruum Regis diſcumbit. ibid.*
Martyres ſunt qui pro Eccleſiaſtica poteſtate tuenda vitam poſuerunt. 690
Mas imperare, femina obedire debet. 313
Maſsiniſſa rex Numidarum remittit in fanum Iunonis inde ablata ipſo ignorante. 540
Maſtinus Scaliger ob Veronæ principatum quinquaginta millia Flo. Pont. promittit. pag. 663
Maximi Imp. *reuerentia in ſanctum Martinum.* 197
Mauritius conatur, fert legem ne milites monachi induerentur, occiditur cum filijs à Phoca

ca

ea. 639
Mauritij Chartularij militibus conantibus diripere Eccleſiæ Lateran. Theſaurum obſiſtit Clerici Romani. 681
Maximinus inimiciſsimus Chriſtianorum, & generi humani. 594. Reſcripſit ne impedirentur ſequi volentes Chriſti religionem: vt poſſent refici ædes ſacræ. 595. & reſtituerentur bona confiſcata & ablata, 627. miſerrime interijt pag. 628
Maximianus acerrimus hoſtis Chriſti Pannonius. 595
Medium ſecundum dependet à primo. 89
Mens in appetitum imperium ciuile & regium habet. 313
Meſsias ob amorem omnia creata idcirco appellatus germen fructus: imago Dei: primogenitus omnis creaturæ. 38
Michael Ducas in monaſterii detruſus. 648
Mich. Paphlago miſerabiliter uiuit. 647
Mich. Paleologus Latinos Græcis in Concilio Lugdun. coniũxit poſteritas diu durauit. 648. Michael Paleologus Balduino orientali Imperatore iniuſte pulſo à ſummo Pontifice bono publico confirmatur pag. 258
Michael Porph. miſerabiliter decedit. 647
Michael Rangabe Imperio ſpoliatus in monaſterio ſeſe includit: ſic Theophylactus cum matre & fratribus. 647
Michael Stratioticus regno eſt deiectus poſt annum. ibid.
Milites S. Iacobi quando conſtituti, & eorum priuilegia. 246
Milites ſæculares reſpectu Clericorum parum conferunt ad bonum commune 384
Miracula neceſſe non eſt, vt ſint ſuper totius naturæ vires, ſufficit conſuetum naturalem modum excedere. 55
Momyllus Auguſtulus deiectus ab Imperio per Odoacrem Herulorum Regem. 632
Monarcha ſupremus totius Orbis vnus. 107
Montes Riphæi Scythiæ ſacroſancti 538. in montibus ſacrificabatur, & conſtituebãtur aræ. ibid. Hæc Noe primus. ibidem.
Mouere per rationem, & voluntatem principe. 54
Moyſes Sacerdos. 48. datus coadiutor Aaron clementis cunctis ꝑ Chriſtũ imperauit. 50
Moyſes adoptatus à filia Pharaonis Lenit perſecutionem Hebræorum: ob metum Pharaonis & Aegyptiorum aufugit, debellat Aethiopes. 557 Iuſſus eſt calciamenta ſoluere calcaturus tellurem, in qua Deus potentiam ſuam prodiderat. 323
Munera temporalia ſunt. 51
Mutari in melius eſt tendere adeſſe. 31

Na-

N

NAbuchodonoſoris, viſio ſtatus & lapidis declaratio 148. tempore eius tēplū omniū idolorum erat loca & res prophanata, 560. Veri Dei cultū ſequutus eſt, & filium Dei agnouit. 512. 565. Regnum, 585

Natura impetu coeſſentiali & naturali fertur in Deum, Ep. Aldob. 3. 313. Non poteſt ſine Eccleſia peruenire ad ſuum finem naturalem, nec ſupernaturalem ibid. 36. 45. Ius ſtatus, diuina ipſius 5. progreſſus in rebus 89. 90. Integritas eſt in quodam dirigente extrinſeco 5. Vulnerata per hominis primi peccatum 6. Non conſiſtit in percepta veritate, nec eam moribus aſſequitur. 191

Naturæ ſupernaturali tota defecerio. 80. Cui dat facultatem, dat & inſtrumentum. 103. Naturali poteſtate dominatur Dæmon. 170. Lex naturæ quantum ad prima principia eſt eadem apud omnes, &c. 511

Naturalium, temporaliumque dominia, illorumque vſus pendent omnino à ſupernaturali ordinatione. 35. 43

Naturalis perfectè, & infallibiliter cognoſcere naturalia non poteſt, abſque directione ſupernaturali. 6

Naturalis poteſtas ſana & perfecta ſummo ſuo coniungitur inferiori ſupernaturali, & ab eo mouetur. 307

Naturalis creaturæ perfectio cōſiſtit in perfectione naturali ac ſupernaturali. 505

Natura non corrupta eſt vox quędā diuina nos conſtituens ad rectum ſequendum. 457

Natura rationalis habet ordinē immediatum ad Deum. 504. A ſupremo inferioris naturæ attingitur infimum ſuperioris. 521

Natura conſideratur in ijs quæ magis ſe habent ſecundum naturam non in corruptis. 514

Natura ſemper quod melius eſt deſiderat. 86. 97

Neapolis capitur. 636

Nero legem tulit qua vir viro nubere poſſit quod ipſe fecit. pag. 190

Nero primis quinque annis bonus. 625. Arma mouit in Eccleſiam. 590. Magicis artibus & dæmonum ſocietati addictus 620

Nerua Chriſtianorum fautor. 591. Narnienſis. 628

Nicephorus Botoniates in monaſterium detruſus. 648

Niceph. ſacrilegus veneno ſublatus. 647. Eius filius in monaſterium detruſus. ibid.

Nicolaus Lotharium de adulterio reprehendit. 474

Noe tradita poteſtas, ob diuinū cultum ſacrificiumque oblatum. 334. Summus Sacerdos

diuiſit orbem terrarum. 16. 45. 50. 77. 519. Obtulit Deo optima: & optima dedit Sem primogenito. ibid. Quingentorum annorum dedit operam ſuſcipiendis liberis. 520. Venturi Chriſti doctrinam ritus, ac fidem tradidit. 47

Nuncium Pontificium honorauit Mahometanorum Sultanus. 197

Numa Sacerdos, & Rex. 532 Vicarium creat. 417

O

Oblationes ſingulæ Chriſti corpus reſpexere. 82

Obiectum poteſtatis Eccleſiaſtica 25. animalium eſt particulare, &c. hominum vniuerſale, &c. 104

Occidentale Imperium ad Italiam redactū ſub Valētiniano Tertio. 632. Imperatores à Carolo Magno ad Rodulphū Secundum. 650

Octauianus vocatus Auguſtus primus rerum temporalium & ſacrarum. 552. Ab initio triumuiratus numerātur anni illius: factus eſt S. P. anno vno ante Chriſtum natū, vel eodem anno, &c. 553. Reſcribit plurima pro Iudæis. pag. 577

Odoacris Regis edictum ne P. R. eligeretur abſque eius conſultatione, & ne quid Eccleſiæ res alienaretur irritatur à Concilio Roman. IIII. 427. Eiecit ab Imperio Momyllum. 632. Necatur à Theodorico. 635

Offerimus Deo vt illi coniungamur. 42

Oleo antiquitus Sacerdotes, ac Reges vngebantur, &c. 56 quod Chriſti vnctionem ſignificabat. 163

Operationes bonæ, habent quendam ordinem ad fidem. 506

Orbes planetarum mouētur primi motu. 505

Ordinis definitio 8. Hunc omnia volunt. 14. Ad hunc tendunt quæ tendunt ad eſſe. 31. Cogit eſſe. 31. Ab hoc dominium. pag. 15

Ordinis ſacramento inſignitis eſt Regia poteſtas. 169. attribuitur à ſcriptura nomē Dei, Domini Regis, Sancti. 194 Gradus nouem à Chriſto inſtituti 161. adumbrati in antiquo teſtamento. 16. per eos imprimitur character. 163. datur Regia poteſtas etiā minoribus. 169. Purgat enim, & illuminant 170. Quid ſignificetur per traditionem exteriorum inſtrumentorū. pag. 171

Ordo Eccleſiaſticus Sanctus & non errat in ſuis decretis. 33 Vbi priuilegia plura.

Ordo ſupernaturalis gratiæ imperat ordini naturalium, moraliumque bonorum, deriuaturque à Deo per Chriſtum

ſponſamque eius Eccleſiam in terras quod & gentes noue re. Ep. Aldob. 6. In ſtatu innocentiæ, & nunc naturã rectam tuetur & attollit ſupra ſe ipſam 5. cõparatur honori, veſtibus ibid.
Ordinem concatbenationis poſt Deum ſcit ſola anima Chriſti, & eius ſponſa. 20
Ordinare pertinet ad Patrem luminum per Filium ſplendorem &c. 58
Ordinans ſupremus vnus totius orbis & neceſſarius. 107.108
Ordinata ad vnũ finem ad aliũ transferri non debent. 513
Oreſtes Gothus, Arianus Iulium nepotem deiecit Imperio, Momyllumque Auguſtulum filium euexit. 634
Orientales Imperatores. 638.39 646.648.
Oſius Cordubenſis Romanam ſedem clariſsimis decretis ſtabiliuit. 241.243
Oſtiarij quàm poteſtatem babet. pag. 170.172.448
Oſtrogothi poſsident Italiam ad annum. 552. 635. Extincti. pag. 638
Otho primus ab initio fælicißimus iurat ſe exaltaturum R. ſedem Io. P. & inueſtituram Epiſcoporum: fatigatur perpetuis domeſticis bellis filiorum diſsidij: repẽtina morte in die Pentecoſtes eſt ſublatus. 653. Otho II. Romæ tedio & angore animi deficiens moritur. ibidem. Otho III. veneno hauſto deceſsit. 654
Otho IIII. cladem accipit à Philippo Francorum Duce. pag. 661
Oza tangit arcam, & interficitur à Deo. 334

P

PAnes duodecim Apoſtolos præfigurabant. 178
Papa eſt fidelium, & infidelium Paſtor ſummus. Epiſt. Aldob. 8. Debetur regnorum ſtatum meritum. ibidem. Habet ius in ordine ad Deum 21. Eſt in mundo vti Deus in mundo, & anima in corpore. 21.23. Eſt caput in corpore myſtico omnium fidelium Chriſti. 64. Præeſt iuſtitiæ declarandæ &c. 22. Cur in quibusdam cauſis non cognoſcit. ibidem. Ad hunc ſolum ſingulariter eſt dictum Paſce oues meas. 34. pertinent omnia Regna mundi. 318. Pro libito non licet Imperia, Regna, Principatuſque ſæculares auferre &c. 35.75.318. Quando id facit. 37. Eius eſt ſpiritualia & temporalia cuſtodire. 61. Omnium maxime participat Regiam poteſtatem Chriſti. 62. Tenet ſummum locum petræ Danielis. 66 Huic cõmunicauit Chriſtus poteſtatem quam babebat. 64 66. ita vt vtriuſque poteſtatis api-

tis apicem teneat. 63. 68. Multos Deus, Reges, Imperatores elegit, deiecit &c. 73. 74. Sanxit ad prolixitatis euitandas eaque ſunt mere temporalia à ſæcularibus adminiſtrari. 65 318. Status eſt ſanctiſsimus & ſpiritualiſsimus 66. Difficilia & ambigua temporalia ad eum referenda. 68. Nullæ leges &c. recipienda niſi ab eo approbata ibidem. Datur eadem poteſtas quæ Moyſi, Samuel, Dauid, Aaron. 106
Papæ eſt declarare, quibus in cauſis ſit, necne iuri diuino locus non id tollere. 428. Quod Pontificij iuris eſt, aut abrogare, aut largiri poteſt. 430 Poteſt decidere, & interpretari omnia iura etiam ciuilia 471. Imperatore maior eſt dignitate pluſquàm aurum plũbo. 473. Eſt dominus mundi, quoad iuriſdictionem & protectionem. 474. Quæ poteſtas in Imperatorem. 472. In alios Reges, & Principes Chriſtianos. 473. Quæ poteſtas in contractibus. 474. In obligationibus ibidem. In leges ciuiles. 616. 617. 475. Excommunicat, qui volunt cognoſcere de litteris ipſius & mandatis, eorumque, ob id executionem retardare. 392. Poteſt quandoque iudicari. ibidem.
Papa de iure dare debet imperia Imperatori. 277
Papa ſuper omnibus temporalibus poteſtatẽ habet. 274. 287
Paradiſus terreſtris fuit Adamo pro templo. 515
Paſchalis II. capitur ab Henrico IIII. in monte Soracte, & promittit ius inueſtiturarũ Epiſcoporum & regalium ad illum pertinere, Romæ in concilio confitetur peccatum, priuilegium cum anathemate reſcindit. Imperator excommunicatur. 429
S. Pauli appellatio ad Cæſarem diſcutitur. 457
Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus hæreticus ſpoliatus non vult migrare è domo Epiſcopali. 453. Appellat Valerianũ & reijcitur. 189
Paſtores & paſcere ſignificant poteſtatẽ Regiam in temporalia. 71
Paſtor vnus fiet &c. intelligitur de viſibil. 112
Patriarchæ tres cur tantũ celebrentur in ſcriptura. 106. 7
Pax eſt tranquillitas ordinis. 13 non eſt abſque virtute. 98. finis eſt præcipuus Reip. ibid.
Peccator ex rigore iuſtitiæ meretur ad nihilum redigi Epi. Aldob. 5. 311. Eſt in dæmonum poteſtate ibidem. 6. 84 312.
Perfectio eſt in charitate. 25. Naturalis & ſupernaturalis. 505. Eſſentialis. 11. de qua hic 31
Perſonalis, & ſecundũ ſtatum. 66. Optima eſt cauſa minorum.

rum. 90. Perfectus eſſe nemo cogitur. 30
Perfectum bonum ſufficiens eſt pag. 1.90.103
Perfectum non permanere deſtruit. 31
Peruerſitas eſt contraria dominio. 31
Perſonæ ſacræ, & res ad illas pertinentes iure diuino liberæ. lib. 4. cap. 1. & 340. Quia ſeruiunt Chriſti corpori ad omnium rerum glorificationem. 342. Non ſubijciuntur iudicio principum ſæcularium ex conſtitutione Dei, et eorumdem. 341. Noſtris multo pauciora datur, quàm priſcis, & quæ illis & his. 344 In rebus eorum duo ſpiritualia, & duo temporalia ſunt ibidem.
Perſarum mos in eligendo ſucceſſore Imperio, & quantum deferebant magis. 527
Petra ſignificat Petri potētiam pag. 64.53.57
Petro eadem poteſtas data in Eccleſia quæ Moyſi fuit. 287
Petro non modo anima, & corpora regenda, ſed mundus totus traditus. 16
Et eius poteſtas ſe extendit ad totum Eccl. militantē, & triūphantem. 64.68
Petrus Romæ ſedem fixit anno, ab ortu Chriſti. 44. 625
Infert mortē Ananiæ & Saphyræ. 977. Reprehenditur à S. Paulo. 392
Petrus de Vineis, vitam ſibi abſtulit. 662
Pharao agnouit Deum verum. 432. Dedit terram Sacerdotibus immunem à tributis, & alimenta ex horreis publicis. 337.338. & 467.
Paſſus eum domo ſua propter Sarai vxorem Abrahami. 555 Regnum. 585. Fuit Rex & Sacerdos. 339. Solum ius diuinum ei obſtitit, ne Sacerdotes in aliquo grauaret. ibidem.
Philippicus Bardans interficit Iuſtinianum, & eius filium Thiberium Imp. 640
Philippicus priuatur Imperio. pag. 617
Philippo Imperatori prohibetur ingreſſus templi à S. Babyla ob homicidium: à Fabiano P. niſi confeſſus, & in loco pænitentiam agentium præſtituto collocatus non admittitur in illud. 416.7.534. Arabs. 628 Propter ingentia & multa facinora non ponitur primus Imp. Chriſtianus. 418
Philippus Præfectus Auguſtalis Aegypti. 586
Phocas veneno ſublatus. 647
Phocas obtruncatus ab Heraclio. 640
Photius Santabareno Mago, & præſtigiatori addictus Patriarchatu Conſtantinopolitano deiectus in monaſterio infaliciter vita migrat. 621
Pietas quid reſpiciat. 273

Pilati poteſtas in Chriſtum fuit facti tantum, & tenebrarum pag. 458
Pipinus ſit Rex à Zacharia. 474
Agnatio Chronologia. 674
Piſani auerſantur Concilium ab Antipapa, & Bauaro congregatum: mittunt Antipapã vinctum ad Io. 664
Placidia è Coſtantio, & Placidia Olybrium Senatorem virum habuit. 641
Plinius ſcripſit ad Traianum de religione Chriſtiana, amplificata, & impietate Gentilium prope extincta. 583
Polonorum Regnum in multas partes diſcerptum ob occiſum Staniſlaum. 687. *Caret titulo, & honore regio vſque ad Io.22.* 689
Pompeius Hircano fauit, immunitatem libertatemque ſuam reliquit. 576
Populi quidam occidebant & comedebant parentes ſuos. 599
Pontifex Romanus Moyſen refert. 287
Pontifex in veteri lege Regem poterat ſibi ſuoque iudicio ſubijcere. 285
Pontifex Romanus pater patrũ Rex omnium à Chriſto creatus. 209. *Principaliter eſt Sacerdos ſuper ſpiritualia & principaliter Rex ſuper temporalia.* 210. *Nemini poteſt ſe ſubijcere.* 255. *Numquam legitur membrum obtruncaſſe.* 256. 308. *Vide Papa.*
Pontifices Sãcti plures, & Martyres, 33. *vbi vide notabilia.*
Pœnitentia eſt ſacramentum iuriſdictionis. 69
Portæ inferi ſunt perſecutores Eccleſiæ. 64
Poteſtas Eccleſiaſtica poſt obitum Chriſti latè amplificata. 580. *Quicumque ab ea maximè recedunt, maximè dæmonibus appropinquant & inferorum portas aperiunt diaboli ſunt & iniquitatis myſterium.* 618. *Quicumque Principes ei infenſi fuerunt pro modo culpæ exciderunt à ſtatu fælicitatis, quoad ſe, liberos, agnationem, nobilitatem ſubiectorum & populos ſubiectos.* 622
Poteſtas ſæcularis habet in dominio ſuo actum, quatenus illa maieſtatem Sacerdotalẽ illuſtrat. 182. *Nec tempore nec conſuetudine poteſt in Clericos poteſtatem acquirere* 201. *Non poteſt de Clericis cognoſcere etiam ſi Papa mãdaret.* 199. *In maximum bonum Deo ſupra creata omnia ſeruit ad illud inducens iure diuino.* 383. *Finis eſt ſublimiſſimus ibid. Timore maiore impellit ad exhibẽdum ex animo debitum Deo cultum. ibid. Habet enim coercitiones ſpirituales & corporales.* 384. *Magis confert ad cultũ Dei, vel nuda & deſtituta quàm ſæcularis.* 386

Po-

Poteſtas Eccleſiaſtica & ſupernaturalis, cuius caput Chriſtus.45. Eſt ea cuius efficientia Regi & eminenti eſt omnis poteſtas humana Deo, & ſtat.Ep.Aldob.7.8. 322. In Eccleſia ſola eſt, fuitque ſemper ab Ortu mundi, Angelorumque creatione.63. Præcedit ſecularem bonore ac dignitate, vt ſpiritus corpus, &c. item tempore.63. Nec ab homine iudicatur. 64. Reſidet in Sacerdotibus, Epiſcopus, atque vt in fonte, Sole, & apice P. S.9. *Ab hac iure diuino, & naturali directè in omnibus eſt eſſentialis perfectio totius humanæ naturæ. 11. Præſcribit omnibus medijs quatenus appetenda, & habenda ſunt, vel fugienda. 11. 12. Directe dominatur naturali, ac diuino iure toti naturæ humanæ in quolibet bono naturali habendo, aut vtendo 13. Similis Deo. 54. Dominatur omnibus. 14.67 513.14. Hanc qui nolunt, Deum nolunt dominari. 16. Huic qui repugnat toti naturæ repugnat.16.20.& qui nõ vult ſe ſubijcere, magis ſubijcitur.16. Ad hanc ſæpius reuocauit Deus omnium rerũ gubernationem, dominiumque 76. Quoties vexata eſt extiterunt prodigia, &c: 17. Abſque hac non eſt perfectus cœtus humanus, populusque. 18. Ob hanc directius naturali, ac diuino iure facta ſunt, ac fiũt omnia, quam propter ſemetipſa, & quiduis aliud. 19. Eſt ſupernaturalis inter homines.20. ideo omnibus dominatur.23.85.321. Initium & finis omnium. 20. Differt à temporali, vt continens à cõtento, independens, &c. 23. Obiectum materiale eſt quicquid ordinari in Deum ab hominibus poteſt: formale quatenus poteſt: principale humana natura. 25. Efficit vt homines à Deo mereantur, acquirãt, ac teneantur, &c. 26. Directe ordinat licet ꝑ alios. 21.90.321. 22.87. Per hanc dantur virtutes, bona, &c.21 Directè imperat omnium rerum vſibus quatenus in humanam naturam cadunt.29 Quomodo imperat gratia, vel charitati.30. Directè continet omnem dominij iuſti rationem ad naturalia, temporaliaque omnia regenda. 31. Ex natura ſua ſe cum ducit omnem bonitatem, ſcientiam, &c.33,98. cum ſeq. Lex temporibus maximè omnibus dominata eſt. 39. Extra hanc non eſt alia.62. Dei voluntatem ſcit in omnibus. 85. Iudicat de omnibus. 37. Ex prima cauſa.85.321. Eſt magis abſtracta & ob eminentiam ſuam diſtincta ab alijs. 91.109.176. Poteſt eſſe ſine*

aliá,ſed alia non ſine ipſa 93. Imperatores,&c. qui obedierunt fuerunt in temporalibus fælicißimi. 99. Præeſt religioni 102. Eſt in culmine actiuæ & contemplatiuæ vitæ. 102. Huic qui reſiſtunt ad extremum cum ſua naturali poteſtate, ac ſuis omnibus miſerrime cadunt. 104. Portæ inferi appellantur. 170. Perficit intellectum ad intelligenda ſupernaturalia. 105. Hominem totum ſemper extrinſecus, & intrinſecus complectitur. 198

Poteſtas omnis primum reſidet in anima Chriſti, deinde in Eccleſia, ab hac in alios, vel fideles, vel infideles deriuatur. Epiſt. Aldob. 4.56. Ea ſola quæ iuſta. 28. & quæ iuſta eſt Regiam appellamus. 83

Poteſtas Eccleſiæ ordinis & iuriſdicti onis. hæc 2. In foro interiori, & exteriori: hæc item. 2.69.

Poteſtas humana eſt participatio diuinæ. 89. Eſt fallibiliter & ſecundum aliquam partem iuſta. 30

Poteſtas temporalis habet à ſpirituali, eſſe, vitam, mentis vſum qualemcumque, bonum mentis vſum, finem propriũ, finem ſupremum 64. 90. 311. 112. 314. Non eſt immediatè à Deo. 91. Eo ipſo quod aliquid boni agit, aut ſcit eſt imperfecta. 90. Supernaturali ſubiecta extollitur ſecus deijcitur. 193. Prius, principalius, immediatius vult Deum, &c. 97

Præcepta hæc diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum &c. ſunt prima à quibus deriuantur veluti concluſiones à notioribus præcept decalogi. 508. Naturæ habent ordinem ſecundum ordinem inclinationum naturalium. 504

Prælati iudicium, & dominatum duplex habent. 63.65

Præſentationem ius ad rem, vel in re tribuentem non habent laici. 431

Primitiæ & optima quæque Deo, & Sacerdotibus eius loco à primis temporibus offerũtur. 519.541

Primogeniti filij Deo conſecrabantur. 542

Principes ſæculares, & Iudices antiquæ legis à Sacerdotibus deligebantur nihilq; agebãt, niſi Sacerdote conſulto. 279 cum ſeq.

Principes bella numquam mouere debent, niſi ſynodo aduocata, & cõſulta, vbi poteſt. 297

Principe ſæculari & Epiſcopo contraria iubentibus, Epiſcopo erit obediendum. 299

Principium practicum primũ per ſe notum actionum intellectualium, vel humanarũ, vt humanæ ſunt, & in vltimum finem referuntur, eſt:

Deus

Deus eſt colendus principiũ vnum ponendum quare. 68
Principia plura mundi conſtituere eſt hæreticum. 67
Principes ſæculares quomodo in ſæcularibus a Sacerdotibus iudicandi. 53. *Sunt inſtar artificum mechanicorum, vel famulorum,&c. reſpectu Sacerdotum.* 68. *Debent eſſe ſub ſpiritualibus multiplici ratione .ibid. Multi ab Eccleſiaſticis electi,& expulſi.* 73
Principibus per ſacerdotes volũtas Dei pateſit, cunctaque ad eos ſpectantia in Deum referunt, ac ſunt referenda. 445 *Tributa recipiunt ad ſuſtentationem, laborant enim ad communionem omnium pacem.ibidem. Obligati ſunt iure diuino dare debitum mercedem Clericis, ob ipſorum miniſterium.* 467
Principatuũ pluralitas non eſt bona. 107. *vnitas optima. pag.* 110
Probus Dalmata. 628
Prophetæ duplices futura dicentes ſcripturas interpretantes. pag. 81
Propheta necatus à Leone,& cuſtoditus. 559
Prouerbium confugere ad aras. 535. *Ab ipſo Lare.* 542. *Cenæ Pontificales.* 546
Proxeni ſacerdotes. 524
Prudentiæ finis. 26. *Corroboratur a ſupernaturali directione.* ibidem
Prudentia ſapientiæ ſeruit. 515
Ptolomeus Lagi filius Syriæ rex Iudæis ab initio infeſtus poſt amiciſsimus ſua ſacerdotibus iura illæſa dimiſit. 569
Ptolo. Philadelphus tanta præſtitit hebræorum ſacerdotibus quanta neque ipſi Hebræorũ reges, remiſit pluſquã cẽtum millia captiuorũ dominis pretium perſoluens: tranſlata in Græcam linguã biblia in ſua bibliotheca repoſuit, maximæ magnificantiæ menſam auream templo donauit. 570
Pulchra cur delectant. 87
Pulcheria Auguſta quam prudenter Imperium occidentale gubernauerit. 286
Purum, id eſt, non cruĉtum. 82
Pythij ſacerdotes. 524

Q

QVintillus Illyricus. 628

R

*RAchis Rex Longob. Catholicus.*643. *Adimit R.p. Alpium Cottiarum patrimonium.ibid. Ratio in homine dominatur, & imperat alijs potentijs.*505. *Et ſecundum hanc omnes hominum inclinationes dirigi debent. ibid. Eſt enim proprium principium humanorum actium.* 547. *Omne rationis humanæ iudicium aliqualiter à naturali ratione deriuatur.* 598

Huma

Humana non poteſt compre hendere ſingularia & contingentia. 506
Rauennæ exarchatus nūquam potuit à Longobardis teneri. pag. 644
Recharedus ampliauit Eccleſiaſticam poteſtatem. 667. *Fit catholicus.* 421
Receſſui Indus Eccleſiaſtica tractat. 671
Rex primus poſt diluuium Nembrot. 472
Regia poteſtas ad nihilum redigitur, vbi quid facit iuſſu, aut geſtu ſolo contra religioſos. 559. *Et tunc fit ſana. Vbi ſubijcit ſe illis.* ibidem.
Reges multi ab Eccleſiaſticis electi & expulſi &c. 73. *cum ſeq. Cur tres celebrentur in ſcriptura.* 166.7. *Antiqui fuerunt typus, & vmbra comparati Epiſcopus noſtris.* 169. *A ſolo proprie rege, id eſt per vnctionē, quæ eſt in Eccleſia per Euchariſtiam.* 181
Reges dicuntur quicunque ſumma auctoritate regūt mortalium cœtus vllos. 349
Reges Chriſtiani & omnes obligati ſunt ſubiectorum. referre omnia ad vtilitatem 359
Reges regiaque poteſtas effectus, & germen eſt ſacerdotalis poteſtatis. 549. *Conſtituebantur à ſanctis, & primatibus.* 669. *Antiquo tempore erant ſacerdotes.* 523. *Confugiebant ad ſacerdotes, vt ſciret quomodo res erant trāſigendæ.* 523.669
Reges infideles ſuos ſacerdotes immunes eſſe voluerunt, ijſq. primas in omnibus dederunt. pag. 460
Reges Francorum à Zacharia depoſiti. 474
Regum Spartanorum duo propria ſacerdotia, &c. 524
Regiæ poteſtatis iura pro ratione Sacerdotij diſtributa. 534
Regnorum multarum gentium termini. 585
Regnum quid. 194. *Chriſti hominis idem quod Dei: hoc Eccleſiæ communicatum.* 165
Reges quō olim vngi ſoliti. 165
Reges ab initio nulli à Deo, niſi ſacerdotes conſtituti. 208
Reges & Principes reſpectu Pontificis ſummi in legibus ferendis ſunt tanquam artifices reſpectu Architecti. 210
Regna ex iure Pontificis ſummi & Epiſcoporum pendent. 72. *Plura tributaria ſedis Ap.* 73.4.
Regnare ex natura ſua debent ſapientes, ſenes, uiri. 101
Regimen naturale & intellectuale à quo dependeat. 35
Regiones plurimæ ab antiqua dignitate exciderunt, ex quo à ſacerdotum noſtrorū obedientia receſſerunt. 225
Regiones aliquæ propter obediētiam ſummorum Pōtificum, quàm elegantes euaſerunt, & è contra ſplendidiſſimæ per ino-

inobedientiam horreant. 285

Regula debet eſſe Recta, prima, ſimplicisſima. 86. *Rationis humanæ, & legis diuinæ regulantur actus humani. ibid.*

Religio uirtus ſine gratia nõ perducit ad finẽ naturalem. 102

Religionem Chriſti Imperatores X. conati ſunt exſcindere 580. 596. *Dat modum ſecularibus veluti finis.* 450. *Primum iuris gentium præceptũ* 508. 547. *Dato quod religio ſit vera, ſequitur poſſe Epiſcopum, & ſacerdotes in ſubiectos ipſis homines.* 580. *Summa eſt ratio, quæ pro religione facit.* 508. *De augumentatione religionis Chriſtianæ cap. 6. lib. 6. Impietas olim appellabatur.* 590

Religiones plurimæ militares à ſummis Pontificibus inſtitutæ ad Chriſti fidem tuendam pag. 256

Res alias res producunt vt perfecta ſint, Deus per eas repreſentetur & cognoſcatur. pag. 174

Res inanimatæ participant diuinam pulchritudinẽ tenuẽ, piorum præſertim, & ſeruientium Chriſtiano Sacerdotio. 366. *Vnde hoc.* 369

Reſpublica perfecta omnes virtutes habere debet. 23. *Tunc bene inſtituta cum ſequitur ordinem vniuerſi.* 54

Reſpublica abſque Eccleſiaſtica perfecta eſſe non poteſt. 61

Reſpublica non eſt apud omnes eadem, ſed vna tantum vbique ea eſt ſecundum naturã, quæ optima eſt. 18. 38. 110 550.

Rex à ſupernaturali poteſtate pendet. 71. 105. *Electus contra primariam Dei voluntatem.* 105. *Duplici cauſa ſubijcitur Eccleſiæ poteſtati.* 24 *Eſt qui domitis vitijs cum virtute regit.* 18. *In cunctis ferè catholicis ab aliquo Archiepiſcopo vngitur coronatur &c.* 75

Rhotaris rex Longobardorum Catholicus. 643

Ricimer Gothus tres Imp. occidit. 634

Rodericus Hiſpaniarum rex propter vim filia Comitis Iuliani illatam bello vincitur. pag. 66. 242

Rodericus Vvitizan expellit, ſed ei in moribus conſimilis. 672. *Ab Arabibus occiſus.* 673

Rodoaldus rex Longobadorum occiſus. 644

Roma à Vandalis diripitur. 632. *Item ab Alarico Gothorum rege.* 633

Romanorum Pontificum ſtudio in Anglia Scotia lociſque omnibus ſupra Danubium Rhenumque poſitis cultus Chriſti diſſeminatus. 230

Romanorum Sacerdotes quales. 532. *Aetate Conſtantini ex antiquo patritio & Senatorio ſanguine Romanorũ II*

ſuperſtites,qui Chriſto nomẽ dederunt. 629. Senatus contradicit Tiberio cogitãti Chriſtianam religionem recipere. 633. Odio habuit Conſtantinum. ibidem. Obſtitit ne antiqua ſacra deſtruerentur. ibidem. Cum Roma obſideretur ab Alarico dijs ſacrificat. 624. Item Chriſtianus eligit Laurentium aduerſus Symmachum. ibidem. A Vvitige, & alijs multi ex illo occiſi. pag. 637

Romanorum Imperium a Daniele ferro comparatum &c. 62. leges multæ execrandæ & generi humano exitialiſsimæ lib.6.2.cap.15. Ludos publicos in honorem Floræ meretricis inſtituerunt, & pro Deo coluerunt. 190

Romanus Diogenes oculis effoſſis eſt Imperio deturbatus. pag. 684

Romulus rex & prius Sacerdos. 532. Conſtituit vt è ſingulis curijs ſacerdotes eligerentur immunes & exempti. ibidem.

S

Sacerdotum regia poteſtas in ſuos eſt iuris naturalis, & primæui gentium. 598.549 Vide immunitas.

Sacerdotes Chriſtiani Pontifi. ſumm. obedientes præſunt in vniuerſum Regnũ, vel Imperatorũ vitæ & corporibus regendis, itẽ liberis agnatiſq; eorumdem, quin immo, & proceribus, ac nobilitati regnorũ. Denique populis ipſis, horum que omniũ bonis animi corporis atque externis: conſeruãt enim hæc omnia immutabiliter, dum illis obeditur. 649

Sacerdos & Clericus Dei ſerui ſunt ex Chriſti Deique lege. 434. Primus ſacerdos poſt diluuium Melchiſedech iuxta aliquos. 422. Apud omnes gentes primum fuerunt ſacerdotes. 549. Præcipuum munus erat diuinatio per ſõnia, & alia. 557

Sacerdotibus, vt cõueniat dictũ Iere. cap. 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes. 563. Quod Sacerdoti datur ob meritum debetur iure diuino D. iuris eſt. 445. Solicitudinem habẽt de bono publico in ſpiritualibus. 466. Quandoque debent tributa ad bonum publicum, quod iudicat præſul. 476. Debent eſſe manſueti & caſti. 519. Ad ſummum flagellis percutiunt. 574. Cum reuerentia attingendi, quia ſunt ipſius Dei tẽpla viua & alia. 325. Ante legem latam cuncti ſacerdotes. 328. Vngebantur ſpiritualiter, vt Abrahã, Iſaac, & Iacob, & corporaliter. 341. Non accuſantur, aut iudicantur à laicis. ibid. Alendi cum tota familia, nec in maximis neceſsitatibus ſi-

cet regibus eorum bona tribu tis onerare. 339. Et quicquid ad eos alendos conſecratur iure diſtino eſt ab omni iure liberum atque exemptum. 342 Tanta debētur, vt nihil æquale ijs reddi poſſit. 343. Dij & Angeli appellantur. 388. Dantur decimæ primaque & optima in rebus & honoribus. 549. Publicis ex publico alimenta dantur. 544. Ex ſacrificijs & libaminibus abunde habebant, vnde alerentur. ibidem. Honos maximus & poteſtas data ab omnibus in ſingulis agendis. 546. 549. Minores liberi, & exempti à publicis oneribus, & tributis. 549. Patrimonialia non recipiunt nouos cenſus. 471. 574 In Repub. Spartanorum adiuncta fuit regia ſummaque poteſtas. 524. Idem in Rep. Athenienſium. ibidem.

Sacerdotis eſt homines Deo Chriſtoque per fidem, gratiamque coniungere. 42. Reſpectu ſæcularium eſt vt ſpiritus reſpectu carnis. 57. Penes hos terræ, & eorum, quæ in terra fiunt iura & præfectura verius reſidet, quam penes Imp. 59. Sunt parentes per quos ad veram fœlicitatem regeneramur. 219. Cur tres in ſcriptura celebrentur. 166 Miniſterio ſacramentorum peruadunt eſſentiam mentiū noſtrarum. 176. Militant aduerſus dæmones. ibidem. Quãtus honos debeatur. 196 & ſeq. Rectitudine iudicij ex participato charactere Chriſti rite gubernant. 178. Quadam facies Eccleſiæ. 185. Vultum characteris geſtunt. 187 coaptantur Patri per ſigillum ſeu poteſtatem characteris et clauis. 317

Sacerdotium prius regno. 321 554. Ab ipſis ſcriptoribus ſubnectitur regia poteſtas. ibid. 44. Defuncto Adamo primo loco vna cum ſuprema poteſtate in omnia ſæcularia deuolutum eſt in poſteros Seth. 518. Finis eius ex natura ſua Deus ad quem per ſummum qualibet poteſtas perducitur. 534. Erat ante hominis natos, ac virtute continebatur, in primo Angelorum & Adami ſacerdotio, ab eo differunt vt perfectæ ætatis vir ab infante 321. Eſt Thronus Dauid & Regia ſedes 54. Summa omnium bonorum quæ in hominibus conſiſtunt. 54. In cæleſtium claſſem, ordinemque referendum. 59. Chriſtianum defluit a Chriſto totius Eccleſiæ capite. 41. Ab Angelis participatur & Adamo. 43. Sacerdotio Eccleſiæ Sācta Plura debentur quam antiquo. 105. Quam ſit Imperio præeminens. 209. Homines regenerantur. 219

Sacra res in ambiguo definitur. 9.1

19. Ad ſacra non licebat ſine licentia Sacerdotis accedere. pag. 47
In ſacra poteſt ex ipſo gentium primæuo, & naturali iure, niſi Sacerdos. 341. 531
Sacra tangens ſanctificabatur. 339. Sacrum quid. 317. 322. 335. Quomodo fiebat qd. 338
Sacro debetur reuerentia. 322. Antiqua ſacra voluit vmbra præ noſtris. 322
Sacramenta ſolus Chriſtus Deusque inſtituere poteſt. 434 Summum locum ſanctitatis inter res tenent. 322. Sunt ſacramenta tantum dum conficiuntur excepta Eucbariſtia. 323. Nulla fit rerum quæ conſacrantur immutatio, quoad intimam naturalemq; formã Eucbariſtia excepta. ibid. Conficit ſola Eccleſiaſtica poteſtas 42. eorum virtus. 81 323. Miniſterio deriuatur quicquid diuini bomines babent. 174. Conficimus adminiſtramus vt Diuinæ poteſtatis participes. 141. Animæ aſſentiã peruadunt, & non aduertentem Deo coniungunt. 105.
Sacrilegiũ eò grauius quãto res ſacra in quã peccatur maiorẽ obtinet ſanctitatem. 322. De ſacrilegis mira recitat Valerius maximus. 540
Sacrificia frugalia conſtituit Romulus. 345
Sacrificia in lege naturæ pro tota familia, pro toto populo qui offerebant. &c. 43
Sanctificare quid. 333. & 336 Relatum ad hominem duobus modis capitur. ibid.
Sanctificata non ad alios vſus & à nullo niſi ſacerdote tangantur. 333. Etiam de voluntate ſacerdotum. 335
Sanctitas attribuitur perſonis ſacris, laicis & rebus quibuſdam. 322. Quid. 194
Sancti plures Pontifices quàm Epiſcopi, plures Epiſcopi quã ſacerdotes. 33
Sæcularis à ſupernaturali poteſtate diuiſus eſt ex mero beneplacito bumano. 10. Referri omnia ad Eccleſiaſticos vt hi decernant quid agendum ſit. 13. Vt ſæcularis ſi à ſupernaturali diſiũgitur protinus eſt corrupta & vulnerata natura. 33. Rex & Princeps non eſt immediate à Deo. 37
Sæculari poteſtati obediendum in bis quæ ad bonum publicũ ſpectant. 65
Sæcularia tunc recte adminiſtrantur cum iuxta Eccleſiaſticas regulas fit. 61
Sæculares Deũ, diuina, præmia que æterna non cognoſcunt lumine naturali. 385. In ditionibus ſuis de ſæcularibus iudicant. 316. Non licet leges ſtatuere ad Clericos licet ijs vtiles, niſi conſentiant. 331. Non ingrediantur in loca altari vicina & ſecretiora tẽpli niſi venia petita. 390. Non eſt fas

tere manum in religioſos, licet hi velint, ſint mortis rei et pro voluntate Dei, quamuis vitæ & omnium rerum diſcrimen adeatur, ob id ipſum, et aliter poſsit euitari. 558. Quomodo ſit poteſtas in temporalibus Deo ſacratis. 432. Arcentur à poteſtate in loca res & perſonas diuinis actibus conſecratas, quòd magis à perfectione intellectus & voluntatis ordinatæ in Deum diuinaque abſint. 517

Salmanaſar captiuos adduxit omnes Hebræos. 559

Salamonis Regni termini. 585 *Vult occidit Ioab ad cornu altaris.* 324

Samaria habitari cœpit, vbi ſubiecta eſt poteſtati ſacerdotali. 558

Samuel ſacerdos, & iudex erat primarius. 281

Sapiens ex Auguſtino quis, qui infallibiliter. 32

Sapientum duo gradus ex Heſiodo. 4

Sapientia eſt in diuinorum cognitione, per ſapientiæ donum contemplamur diuina, & habet gradum, qui poteſt partici pari per gratias gratis datas. pag. 506

Saul initio innocēs Samueli inobediens ruit in extrema mala. 192

Saracænorum idem Rex, & Pōtifex ſummus. 628. *Occupant plura loca.* 641

Sarmatarum ſtatus antiquus. pag. 368

Scandalum duplex. 321

Sciarra Colūnenſis Roma exijt. pag. 664

Scire opus eſt non modo iuſta, & iura, ſed quomodo ijs vtēdum pag. 24

Scimus cum primam cauſam ſcimus. ibid. Quæ Deo reuelante ſcimus Eccl. approbationi ſubijcimus. ibid.

In ſcriptura ſunt duo ſenſus litteralis & ſpiritualis, nec vnus aliū tollit. 53

Scoti Deo nomen dedere Palladio Epiſcopo viuente. 227

Sedecias erutis oculis in Babylonem abripitur. 561

Seleucus Nicanor Iudæos bene habet. 572

Seleucus Antiochi ſucceſſor de redditibus ſuis præſtabat omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes: mittit Heliodorum, vt afferat aurum & argentum, de templo Iudæorum exiſtimans pertinere ad ærarium publicum. pag. 573

Senatores à Conſtantino Conſtantinopolim ducti ciuitatē ampliſsimis illuſtrant beneficijs. vide verb. Roman. 234

Septimius Seuerus Chriſtianis iniquus. 593

Serui apud Romanos impunè occidebantur, & vide multa mala. 189. et ad omne impudicitia genus abuti licebat. 190

Seth ad poſteros ſacerdotium defuncto Adamo primo loco, vna cum ſumma poteſtate in omnia ſacularia deuolutum eſt. 43.70.518
Exe ius liberis ortus eſt Chriſtus 71. Eo defuncto maxima rerum humanarum conturbatio. 111
Signacula omnem impreſſa in ſe ſpeciei explicāt formam. 179
Simon Magus primus hæreticorum dæmonum familiaritate vtebatur. 620. Vita priuatus. pag. 375
Simplicia per ſe ſunt, quia vnā ſunt. 31
Sinas inter ſacerdos maximus principem omnium locum tenet. 523
Siſenandus coram Sacerdotibus Dei humi proſtratus cū lacrymis & gemitibus pro ſe interueniēdū Deo poſtulauit. 670
Soluens non quod alij debetur, eo tempore, quo cuncti ſoluūt, & lex ſolui iubet niſi ſit immunis peccat. 348
Somnia bona futurorum immittuntur per Angelos bonos à Deo bonis: falſa à dæmonibus. 610. Non diſsimilia his Ariſtoteles. ibid.
Spiritus exigit à carne ne erret & ad virtutem ſeruiat. 58
Spirituales niſi ſimus vllas artes &c. non intelligimus. 85
Spartanorū ſacerdotū plura genera & poteſtas. 524. In ſpectaculis publicis qualis conſeſſus. 546
S. Staniſlaus reducit ad vitam Petricum, occiditur, corpus cuſtoditur à quatuor Aquilis: apparent lucernæ, membra diſiecta coaleſcunt. 686
Stephanus Colūna eijcit Roma Bauarum & Antipapā. 664
Stephanus VIII. occiſus. 688
Stulti ex Aug. qui. 32
Stilicho tutor Honorij minuit Eccleſiaſticam poteſtatē. 631 Occiditur. 632
Subijcere ſe illi cui forma potentia & actus efficacior ad maxime perficiendam naturam eſt cōmune omni naturæ. 513
Subijcere ſibi velle liberum vitium eſt. 553
Superiores in humana natura quibus obediamus neceſſario dandi. 54
Supernaturalitas eſt cauſa formalis libertatis, & poteſtatis Eccleſiaſtici ordinis in omnibus & ſuper omnia. 34
Supernaturalibus aſſentimur licet demonſtrari non poſſint. pag. 512
Sultanus Maumethanorum Imperator Papæ nuntio aſſurgit, & reuerentiam exhibet. pag. 520
Sybillæ vaticinium de Chriſto. 112. 142. Erythrea quo tempore fuerit. 516
Symmachus electus ab Eccleſiaſticis contra Laurentium electūm à Senatu Romano, multi occiſi, vt Eccleſiaſticam poteſta-

teſtatem tutarentur. 681

Syneſius Ptolomaidis Archiepiſcopus Andromium Berenicenſem præfectum coacto Concilio Epiſcoporum excommunicauit, niſi reiecta omni poteſtate abſoluit. 425

T

Tabernaculi partes tres cuius forma retenta in Templo Salamonis. 323. *Prima pars laicis omnibus patebat.* ibidem. *Secunda ſacerdotibus, & vocabatur ſancta.* ibidem. *Tertia ſumm. Pontif. & vocabatur Sācta ſanctorum.* ibid. *In quam ablutus & ſacris veſtibus indutus ingrediebatur* pag. 324

Tacitus Dalmata. 628

Tamar producitur vt comburatur. 556

Tangi eum quid prohibetur, intelligitur etiam prohibitū nequid in res ad id quoūq; modo pertinentes moliatur; & quæ tangi poſſunt, et quæ non. pag. 327. & 328

Teia occiſus. 636

Templa quæ. 39. *Per templa noſtra referuntur Cœli.* 40

Templa iure antiquo diuino exēpta, & multo magis noſtra. lib. 4. c. 2. 322. *Ad templum confugientes tuti.* 325. *Nulli licet in parte auguſtiore templi conſidere, vel aliquid ex eis mouere.* ibid. & 329

Temporale ſæculare naturale à ſpirituali Diuino Eccleſiaſtico ac ſupernaturali diuidi non poteſt. 13. 67. 88. *Non niſi ſecundum ſpirituale iudicari, & regulari debet.* 67. *Directe omni iure ex tota ſua eſſentia ordinandum in Deū.* pag. 69. 88

Temporalium Eccleſiam non habere dominium directum aſſerere hæreſis. 318. *ex qua aliæ.* 320. *Curam remittunt Eccleſiaſtici ne maiora dimittantur.* 318

Temporalia à Deo producta quemadmodum ſpiritualia. 375. *Cuncta Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecta.* cap. 11.

Terræmotus tempeſtateſque ſæuiſſimæ in Indijs cohibitæ propter Euchariſtiæ Sacramentum. 224

Tertullianus ſcribit de propagatione religionis Chriſtianæ. pag. 584. & 585

Teſtamento nouo maxime voluntas intima hominis ordinatur, veteri plurima ſpectabāt ad externam hominis munditiam. 327

Theodoſius Imperator arcetur ab ingreſſu tēpli à ſancto Ambroſio, cui omnino ſe ſubijcit, & commendat. 423. 424. *Sub eo Damaſus electus aduerſus Vrſicium.* 605. *Reſtituit in integrum omnia pertinentia ad eccleſiaſticam poteſtatem.* 631. *Tractat cum Senatu Romano*

mano vt antiqua ſacra deſerantur. 633
Theodoſius Iunior excommunicatus à monacho non accedit ad menſam, niſi declarata irrita excommunicatione à Patriarcha, & habita abſolutione à monacho. 196.424. Aſſerit Eccleſiaſticam libertatem diuino iure etiam quod omnia pag. 448
Theodoſius Adramytenus in monaſterium detruſus 640
Theodabatus iuſſu Vuitigis occiſus. 636
Theodoricus Arianorum Rex Symmachum fouet ab Eccleſiaſticis electum contra Laurentium. 606
Theodoricus Oſtrogothorũ Rex confeſſus eſt ad Eccleſiaſticos pertinere quicquid inter eos oboritur ob res etiam prophanas. 455. A principio Rex optimus: Symmachum, Boetiũque obtruncari iubet, cananti caput Piſcis appoſiti videtur caput Symm. deflet peccatum decedit. 635. & 636. In Lipari Inſula monachus edicit, quid illa acciderit, ibidem.
Theraphim ſtatuæ è quibus dæmones reſponſa reddebant. pag. 619
S. Thomæ auctoritas in epiſt. ad Rom. cap. 13. diſcutitur. 465 Item in 2. diſt. 44. q. 2. art. 2. ad primum. 359
S. Thom. Cantbar. occiſus ob Eccleſiaſticam poteſtatem. 689
Thronus Dauid fuit in terris & rerum temporalium, in hoc Chriſtus ſedet cum Eccleſia. pag. 51
Tiara inſigne regium. 527
Titus mitiſsimus Imperator. 590 interfectus à Domitiano. 627
Tonſura prima diſponit ad internam abdicationem. 364. Clerici primæ tonſuræ participes ſunt Regiæ dignitatis Epiſt. Aldob. 2. 173. 194. Medij ſunt inter laicum & clericum. 170 Accipiunt tantum diſpoſitionem paſsiuam. 122
Totila occiſus. 636
Traianus Chriſtianis iniquus à principio. 591. Hiſpanienſis. pag. 624
Tributum quod ſoluit Chriſtus quod non eſſet redemptionis, nec reſtaurationis templi, ſed id quod certo tempore ſolui ſolebat in ſingula capita ex deſcriptione cenſuum. 347
Turci orientem capiunt. 647 Conſtantinopolim. 1453. 648
Tyberius Abſimarus interfectus pag. 640
Tyberius Graecus plurimas vrbes in Hiſpania ſubuertit. 240
Tyberius Imperator Orientis optimus. 639
Tyberij tempore Chriſtus cruci affixus eſt comminatur accuſatoribus Chriſtianorum. 590
Tyriorum Sacerdotes & Reges. pag. 528
Tyranni 30. 626

V

Valens ſtatuit ne quid viduæ clericis, aut Eccleſiæ legaretur, à Gothis combuſtus. 631

Valentinianus ſtatuit ne quid viduæ clericis aut Eccleſiæ legaretur, miſerabiliter moritur. ibidem.

Valentinianus III. apud Viennam laqueo ab Arbogaſte ſuffocatus, fuit moleſtus S. Ambr. ibidem.

Valentiniano III. Imp. occidentale Imperium ad Italiam ſolum redactum; à Maximo occiſus omnium maxime Eccleſiaſtica iura euertit. 632. Incantationibus deditus. ibidem.

Vandali Romam diripiũt. ibid.

Veritas iudicat omnia. 87. Super naturalis infallibilis. 24. Vera ſciri omnia non poſſunt abſque gratia Diuina. 6

Veronæ dominatum potiturus Maſtinus Scaliger promiſit quinquaginta millia florenorum annua Pont. Rom. 60;

Veſpaſianus Reatinus. 628

Victericus conatur reuocare hæreſim Arianam inglorius ſemper à bellis diſceſſit. 672 Inter epulas occiditur. 642

Vigilius indigniſsime habitus à Iuſtiniano. 642

Violentum quid. 27

Viris diuinioribus primæ dandæ, & ab his habetur quinam ſit, in ſingulis quibuſque ordo ſeruandus. 312

Virga Moyſis deſignabat ſacerdotes, regiamque poteſtatem. 557. Chriſtum poteſtatemque ipſius in omnia temporalia. pag. 47. 164.

Virgines ignem æternum cuſtodiebant. 520

Virtutes humanæ, acquiruntur vt per eas Deo coniungamur, & illi placeamus. 314

Virtus donũ quid et eius effectus 81. Sine virtute nil ſtat. 98

Virtutes perfectas ſimul iunctas ſola elargitur S.E. 98. omnes neceſſe eſt homo habeat perfectas in ſtatu ſuo atque ordine vt bona animi &c. Acquirat &c. 26. haberi autem nõ poſſunt abſque ſpirituali directione. ibidem.

Vita actiua poteſtatem temporalem habet 203. In hac ſunt clerici omnes in culmine. ibid.

Vitia cur quædam permittãtur 27. Omnia perdunt. 84

Viſigothi confirmant Conſtantini legem. 448. Reges Viſigothorum recenſentur. 666

Vitiza præcipit clericis, vt vxores & concubinas vnã & plures haberent, à Roderico excæcatus à Regno pulſus. 672 Superſtitioſus. ibidem.

Vmbra antiqua, & figura præ noſtris. 323

Vngi ſolebant ſacerdotes, Reges, & Prophetæ. 328

Vnctio quid ſignificet. 56

Vnctione Dauid Regale Sacerdotium

dotium Eccl. præfigurabatur 60. 182. 315. Ob participatã Chriſto data eſt poteſtas Regia Angelis Sacerdotibus &c. 164. Epiſcoporum, clericorumque ſpeciatim potentiæ paternæ aſcribitur ab ea omnes Regiæ poteſtates, & corona: eademque eſt qua Chriſti. 183. Regum Sacerdotum quomodo fiebat: & quod illius conſuetudinis inſigna clerici geſtant. 195

Vnitas & trinitas continetur in illa. 166

Vnitatem omnia appetunt. 87 *Huius eſt operatio, conuenietia, concordia:* 31

Vnum ex duobus in actu non fit. 67. *Vnius vnum per ſe eſt cauſa.* 111

Voluntas humana quoties ponitur in vllo bono extra ordinationis Eccl. lineam facit contra ius ſibi coeſſentiale, nullus ei ſtatus, & pax. 13 *Voluntarium quid.* 27

Vrbs quæ conſtat ex plurium bonorum coniunctione cum templo. 18.

Vrbanus II. Regem Philippum ob illicitas nuptias excommunicat. 238. *Idem primus ſigno crucis milites ſignauit. pag.* 244

Vrbanus IIII. Carolum Neap. & Siciliæ Regem elegit. 239

Vrbes ſex refugij homicidis in voluntarijs 324

Vſuræ multæ apud Romanos & mala inde. 188

Vti quid ſit: & quibus vti debemus. 29

Vuamba Rege Epiſc. non licebat concilia cogere abſque Regis permiſſu. 671

Vvido Tuſculanis Comitibus fauit aduerſum Formoſum P. bello victus ab Arnulfo, vomitu ſanguinis repentino oppreſſus interijt 652

Vvigbertus qui & Clemẽs, ſchiſmaticus. 683

Vvitiges Rex iubet occidi Theodabatum. 336. *Captus à Belliſario.* ibid.

Z

Zacharias depoſuit Reges Francorum, ſubſtituens Pipinum. 474

Zeno hæreticus Imp. anno 476. 632. *In ſepulchro obit.* 639

Zimiſces veneno necatus. 647

Zoroaſtes tempore Noe contaminauit doctrinam veritatis pag. 620

Zuinglio adſiſtit dæmõ, moritur pag. 621

FINIS.

ERRATA.

Epiſt. Ald. 11. cathecheſis, catecheſi. pag. 3. b. lin. 30. filios Dei, dele, ac pone ſu pra poſt verbũ poſitos. 4. 32. principalias, principalia 5. pen. Sacerdotis, Sacerdotij. 6. b. 30. poſt verbũ belluæ. adde, ridẽdiq; eſſemus dicentes nõ eſſe in rerũ natura eſſentialẽ dependentiã, niſi eorũ, quæ neq; per intellectum diuidi poſſunt. 7. b. 21. veſte, verò. 23. vt ſit, ſit. 15. b. voci, vocibus. 16. b. 10. interprætantur, interpretantur. 17. 6. nec, hæc. 33. aut cui datur, aut cui ſit, dele. 19. b. 18. diuilli, diuelli. 20. b. 12. Reginæ, Regina. 22. 31. non eſt adde Rex. 32. b. 16. gremio, adde, dubitamus. 36. b vlt. perturbari, perturbare. 37. b 18 cogi, dele. 37. b. 19. præſta, præſto. 22. veris, viris. 38. 4. liberumque, liberamque. 42. 14. nati, nacti. 43. b. 29. occidis Abel &, occidiſſet Abel. 50. 12. eumdem, per eumdem. 51. 32. tertius locus, tertius modus. 53 pen. modo, modos. 56. 17. ſingulis ſunt, Deo ſunt, 11. ait, at. 89. 38 inferiorum, ſuperioaum. 70. Durandus, dele. 70. b. 23. quaſi irregulari, ob fratricidiũ, pone hoc ſupra poſt verbum, primogenito. 70. b 26. 1556. 1656. 82. b. 8. ſuperque, ſuperiſque. 110. 16. Reſp. Reip. 115. banc, hanc. 123. 8. poſt dicere, poteſt dicere. 129. 8. caſta fauo, caſta faue. 135. 28. inſenſiue, intenſiue. 144. 28. Hebrærum, Hebræorum. 159. 2. quia vidiſti, quia vidiſtis. 165. caput ad. ad caput. 239. 9. ſerieſe, ſeriosè. 251. 16. habet, habent. 258. 12. ſi bene eſſet. 264. 22. adrpti, adepti. 280. 17. ſuperbire, obedire. 280. 17. cap 16 cap. 17. 299. 20. ff. de off. præfect. ff. de off. præfect. vig. 367. 21. ſonneſsis, connexis. 387. 5 à nomine, à nemine. 400. 33. canonas, canones. 403. 37. gentibus, gentilibus. 416. 9. ae, ac. 418. 3. temper, ſemper. 419. 4. Leo, Leo. 423. 28. ſæcularum, ſæcularẽ, 429. 9. Romanus, Romanis. 436. 25. ae, ac. 442. in ſum. è. eſtimonij, è teſtimoniis. 445. 1. actio, exactio. 445. 5. ixit, dixit. 454. 7. Epiſcqpo, Epiſcopo. 455. 14. alicnis, alienis. 494. 1. ſæcurla, ſæcularia. 515. 29. ſupernaturales, dele 542. 30. dcirco, idcirco. 550. 37 poſt verbum naturalis. adde, quod ſi quæ hæc non ſeruant, nil obeſt. nam multis non eſt matrimonium certum, non patria, vt palanter viuentibus ſine cætu, multaque huiuſmodi. quæ tamen ſunt iuris naturalis primæui. ac ius deſumitur à recta natura. 575. 5. Pontificumque Pontificum. 594. 13. humanis, humani. 598. 23. eano, cano. 618. vſaximè, maximè. 642. 34. imaginem, imaginum. 653. 37. 1983. 985. 676. dementiam, clementiam.

ROMÆ,
Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini.
M. DC.